


Gieseler

FRIDERICI SAMUELIS BOCK,

HISTORIA ANTITRINITARIORUM MAXIME SOCINIANISMI ET SOCINIANORUM EX FONTIBUS, MAGNAMQUE PARTEM *DOCUMENTIS MSSCCTIS.*

TOMUS SECUNDUS.

CUM INDICE PERSONARUM ET RERUM MEMORABILIUM.

REGIOMONTI ET *LIPSIAE,*

IMPENSIS GOTTL. LEBR. HARTVNGII. MDCCLXXXIV.

Lectori Benevolo
S . . . .

Octo iam praeterfluxerunt anni, ex quo primum, idque bipartitum operis huius volumen, *Bibliothecam Antitrinitariorum* exhibens, in publicam lucem prodiit. In longo hoc temporis interuallo, ne plagula quidem, quae ad continuationem illius faceret, typis exſcripta, quamuis publico litterario fides de prodituro quotannis volumine data a me fuerit. Parum ſcire *lectorum* intereſt improuiſae cunctationis ex anno in annum protractae cauſſas. Sufficit hoc loco ſignificare, morae huius culpam non penes me ipſum fuiſſe, qui librum nondum plene exaratum orbi litterario praenunciaſſem, ac proinde promiſſis ſtare non potuiſſem; ſiquidem vniuerſum hoc

ſyntagma hiſtoricum exaratum et ad vmbilicum iam deductum erat, cum priorem voluminis primi partem prelo typographico tradiderim, cuius rei teſtes oculati aliquot viri celeberrimi nominari poſſent. Imo toto hoc temporis tractu, pauciſſima labori iam tum confecto addidi, cum aliis me lucubrationibus diſtractum ſenſerim. Nec intermiſſionem totius libri taedium orbis litterati ſuaſit, qui mercem hanc librariam non multum deſiderandam ac ſuperfluam iudicauerit; publica enim et priuata exſtant teſtimonia, aegre tuliſſe haud paucos in *Germania, Helvetia, Belgio, Suecia* et *Dania* magni nominis eruditos non tantum ceſſationem editae iam ſecundae partis Bibliothecae, ſed etiam totius continuandi operis, qui primum volumen ſuo dignati ſunt ſuffragio, beneuolisque ac ſeriis ſollicitationibus et motiuis monuerunt, vt librum a pluribus inde annis deſideratum, ſupplendo defectui hiſtoriae eccleſiaſticae vtiliſſimum, ac ne vix quidem ab alio vnquam exarandum, longaeuisque curis imo etiam ſumtibus non exiguis concinnatum perficerem. Non defuerunt

runt viri docti, qui induftriam Antitrinitariorum hiftoriae a me commodatam, et adhuc impendendam, ftudiumque meum collaudarent, et ad publicandum vniuerfum fyntagma me prouocarent, ficque meae fubinde induftriae fuo ftimulum adderent adplaufu. V. *Acta H. E. noftri temporis* T. I. p. XIX. praef. T. III. p. XXXVII. praef. et T. V. p. 701.

Exoptatum inde adfulget omen pro benigna adprobatione reliquorum voluminum, quae fingula ab hoc tempore fingulis nundinis vernalibus in publicam lucem proditura effe, fidem meam interpono, fi hac fponfione opus foret. Eodemque ordine prelo typographico a me exhibebuntur, qui vna cum argumento fingulorum voluminum in praefamine *primae partis Bibliothecae Antitrinitariorum* p. XIV—XVI. legitur notatus.

Quasdam de voluminis primi parte priore recenfiones laborem hunc calculo fuo probantes in praefatione parti illius alteri praemiffa indicaui, nec vlla diuturno hoc temporis fpatio ad oculos meos peruenit, quae illum omnino improbaf-

ſet. Vtriusque partis qui in *Bibliotheca Germanica vniuerſali* T. XXVIII. p. 402 et P. V. *adpendicis* ad T. XXV.—XXXVI. p. 2744. recenſionem inſtituit, maxima ex parte productum hoc litterarium non nihil aeſtimauit, imo quoad ſupellectilem litterariam, meam laudauit ſolertiam; in iis autem, quae reprehenſione digna putauit, intra modeſtiae et humanitatis limites, quos non pauci noſtro tempore cenſores in nouis publicis litterariis transgrediuntur, ſubſtitit. In his quaedam ſunt, ab illo obſeruata, quibus ſuffragium meum facile addo, ipſiusque conſiliis quantum ad praetermittendas quasdam operis huius hiſtorici Sectiones ſpectat, adſpirabo. Ita *quintam* eius *partem*, vel vniverſam vel quoad maiorem farraginem reſcindendam arbitror, non quod quatuor capitum argumentum, in allegata praefatione p. XV. et XVI. delineatum, minus neceſſarium ac parum conueniens ad ſcopum putem, quod ita viſum eſt *cenſori*; ſed quod plurima momenta, quae in iſtis ſeparatim tractanda in initio ſtatueram, alio iam loco ſuccincta ac breui expoſitione ipſi huic operi

meo

meo inſerta reperientur. Propter hanc totius operis contractionem, verendi cauſſa alias veriſſima, quam recenſionis auctor ſignificat, ne voluminis *V ti* caput *III. de eruditis merito et falſo Socinianismi ſuſpectis* in maximam molem excreſceret, ſublata penitus eſt; ſiquidem numeroſiſſimum eorum numerum, qui praecipue in Germania quinque vel ſex abhinc luſtris ad Socinorum partes inclinarunt, in vnum producere campum, me ipſum quam maxime piget, nec tantum mihi odium conciliare libet, quantum ex hoc negotio pertimeſcendum. Omnes enim diuinam veritatem in ſacris paginis expoſitam deuota mente et fide firma amplectentes ſummo inde adficiuntur dolore, quod noſtro tempore viri alioquin eruditiſſimi nec improbae mentis, imo maximi adeo Theologi, opinionibus ſuis, quibus *ſyſtemati* ſociniano ex omni parte fulcra admouentur, eruditionis ſingularis ac nominis ſui gloriam adfectent, contentiones moueant, haud paucis ſanae doctrinae brabaeum interuertant, atque communi eccleſiae Chriſti commodo ac incremento obſtacu-

la ponant. Si horum omnium hiſtoriam, ſcripta, conamina et ſtudia perſequi voluerim, vix integrum volumen his copioſius et enucleatius exponendis ſufficeret. De *Dan. Brenio* et *Steph. Curcellaeo*, praelucente *Sandio* a me ad Antitrinitariorum claſſem relatis, plures ſunt cauſſae, quam a *cenſore* notantur, partim iam allegatae, partim ſuo loco allegandae. Quae idem adfert ſupplementa litteraria, de ſcripto quodam anonymo a pia atque erudita virgine, cui nomen *Hubert*, concinnato, quod a me in B. A. P. I. p. 32. N. 7. citatum eſt, debita a me ſuſcipiuntur gratiarum actione, illorum mentionem aliquando facturus in *nouis additamentis ad Bibliothecam Antitrinitariorum.*

Alia ſunt, quae diſplicere ſibi teſtatur idem *cenſor*, ex quibus plus laudis, quam vituperii in me redundaturum arbitror. Veriſſime illum de opere meo ſcripſiſſe (in *apend. ad T.* XXV—XXXVI. ſect. V. p. 2745) non me profiteri pudet, imo laetandi potius mihi ſubminiſtrat materiam, quando hoc modo de me teſtari ipſi viſum fuerit:

Wenn

Wenn der Verfasser über Gesinnungen und Lehrmeynungen der Personen urtheilet, denn richtet er über Wahrheit und Irrthum nach eigener Ueberzeugung, nicht nach derjenigen, die sie selbst davon hatten. Und da fällt denn das Urtheil oft sehr hart aus. Quae pro confirmando enunciato de *Dan. Zwickero* adferuntur, quem ex altera ad fratrem suum epistola tenacissimum erroris animum satis manifestasse iudicaui (B. A. P. II. p. 1067 N. 41), sententiam de eodem meam non infringunt, quamuis pari cum *Zwickero* horrore tyrannidem antiquiorum quorundam euangelicorum aduersus dissentientes circa religionem, me detestari lubenter profitear. Quod vero de Antitrinitariorum opinionibus ac vniuerso systemate ex mea potius, quam ex conuictione, qua aduersarii laetari videntur, de vero atque falso iudicauerim, nemo facile in me reprehensurus est, nec me in hoc iudicio historici leges neglexisse, criminabitur. In omnibus non aduersus veritatem, sed pro veritate me statuisse mihi conscius sum, et, qui hanc tenent et amant, id de me iudicabunt. Quis eum vmquam durio-

durioris, quam par eſt, ſententiae accuſabit, qui ex ſua conuictione in aberrantibus a veritatis tramite, errorem ſeuere improbat, maxime quando hi non erubeſcunt, ſummos viros, ſtrenuos orthodoxae doctrinae defenſores conuitiis onerare peſſimis, imo quod magis eſt ipſam coeleſtem veritatem et adoranda Chriſtianae religionis myſteria horrendis proſcindere opprobriis, de quibus in hac ipſa hiſtoria non pauca occurrunt documenta, ac quodammodo data occaſione in primo eius volumine iam ſunt expoſita. Permiſſum eſt Cenſori, de me meoque de Antitrinitariis iudicio pro ſua conuictione ſententiam ferre; ſed eadem iudicandi libertas nec aliis eripienda. De haud paucis interim Socinianismi ſtatoribus ac defenſoribus eundem cum *Tillotſonio* Archiepiſcopo Cantabrigienſi teneo adfectum, quod viri ſint honeſti, externum pietatis cultum vrgentes, charitatis in proximum et quorumcunque bonorum operum ſtudioſiſſimi, ac in omni doctrinae genere doctiſſimi et acutiſſimi, quorum ratiocinationes et dubia multo ingenio excogitata non contumeliis ac vituperio,

perio, ſed exquiſito ſtudio et inſigni cum acumine ſolui debent.

Refragaturos aliquando nonnullos, niſi opus meum vniuerſum, quaedam certo eiusdem ſegmenta, ex noſtri temporis conditione, facile augurabar; ſed faſſi ſunt aequi rerum aeſtumatores, me non de rebus ſcripſiſſe, a quibus bonorum et piorum ſtudia abhorreant, ſed arduum ac principale argumentum tractaſſe, quod a nemine antea pleniori ambitu expoſitum eſt. Si igitur labores mei moleſtiſſimi diuinae veritatis amatoribus et defenſoribus accepti fuerint, illorum ſententiam minus curo, qui Socinianismo plenis velis adſpirant. Veritatem ex conuictione mea ſector; paratus tamen ſum fateri errorem, ſi erraſſe me alicubi fuero admonitus et convictus, imo gratias agere et habere admonentibus.

Doctiſſimi *Gedanenſium Relationum auctores* et de libris theologicis cenſores, alteram Bibliothecae Antitrinitariorum partem, P. LX. p. 735 prout aequis rerum iſtarum arbitris conuenit, nec absque omni laude ſtudii a me adhibiti dijudica-

dicarunt, et quae amice notarunt pauca, operi nihil derogant. *Joannis* enim *Valdesii* et *Sophiae Siemichouiae* nomina, quae illi ex Catalogo Antitrinitariorum expuncta voluerunt, in *Sandii* Bibliotheca notata, in censu a me adornato omnino praeterire nolebam, ne in hoc ab aliis desiderarentur quidam, ante me allegati; *Joannem Valdesium* autem inique in hunc numerum susceptum esse, ipse adposito asterisco in conspectu titulorum et in textu p. 980. notaui.

Vniuersum quod iam pertexere pergo opus, *commentarius* quasi prolixior est *Bibliothecae Antitrinitariorum.* Quae enim in hac, ordine scriptorum huius ciuitatis alphabetico dicta sunt, fusiori iam explicatione secundum ordinem temporum et historiae filum in quauis regione exponuntur. Alterum, quod in publicum prodire periculum facit, totius syntagmatis historici telam pertexere incipit in praefatione ad primam partem voluminis prioris p. XIV. praesignificati. Tradit enim post adornatam Antitrinitariorum Bibliothecam *secundam* historiae Socinianismi et Socinianorum

partem,

partem, quaſi praeliminarem et proluſoriam. *Caput* eius *primum* agit *de Socinianismo ante Laelium et Fauſtum, Socinos, ſectisque quoad palmaria errorum momenta cum illo comparandis.* Nemo, quantum recordor, hoc argumentum ita eodemque fine tractauit, quo hoc loco expoſitum eſt, quamuis *Paulus Schaffshauſius* in hiſtoria Artemonis et Artemonitarum, quandam hoſtium diuinitatis Chriſti hiſtoriam, antiquiſſimorum quorundam, *Cerinthi, Ebionis, Carpocratis, Theodoti, Berylli, Pauli Samoſatenſis, Marcelli, Photini*, ac praecipue *Artemonis*, tradiderit.

Non quidem noua et ante incognita de hoc argumento in lucem protrahere potui, ac proinde diu heſitaui, vtrum eiusmodi commentationem praemitterem, an eandem ad imminuendam operis molem reſcinderem; tandem ſatius duxi illam non omnimodo relinquere intactam, maxime ex conſilio virorum, quorum ſententia magna apud me pollet auctoritate, qui communicatam cum illis vniuerſi operis ſciagraphiam probarunt, hancque tractationem abbreviatam primisque lineis circum-

circumſcriptam non omittendam judicarunt, quemadmodum quoque exteri cenſores vniuerſam ſtudii mei delineationem in Praefatione allegata propoſitam laudarunt. In prolixiore enim ſectae cujusdam hiſtoria, qualis de Antitrinitariis noſtra eſt, praeuia eorum, qui vel eadem, vel ſimilia defenderunt, placita, ac vel olim, vel noſtro adhuc tempore adſciuerunt, expoſitio nemini facile ſuperflua videbitur, maxime cum diuerſi Diſſentientium exercitus haud raro commiſceantur, nec ab inuicem ſatis diſcernantur, ex eiusmodi vero ſimultanea omnium adumbratione facilius illorum diuerſitas, vel etiam ſimilitudo et adfinitatis gradus colligi poſſint.

Cum fuſior errorum Socinianismo vicinorum, vel cum eodem conformium explanatio in aliis ſcriptis magno numero in lucem datis legi poſſit; ſatis mihi viſum fuit indicem adornaſſe eorum, qui a primis inde Noui Foederis temporibus circa oppugnatum S. Trinitatis myſterium, cum Socinianis comparari poſſint. In ipſa ſuccincta proauorum familiae huius hiſtoria, breui-

tati

tati quam maxime ſtudui, plura, quae tradi potu-
iſſent, reſcidi ac lectores ad hiſtoriae eccleſiaſticae monumenta et ad eos, qui ſtudioſe de haereſibus et haereſiarchis commentati ſunt, allegaui. Quorundam haereſiarcharum errores, ab aliis ſcriptoribus diuerſa forma delineatos ſcio; ſequutus tamen ſum auctores, qui ex mea ſententia proxime ad veritatem mihi viſi ſunt acceſſiſſe. Quae in hoc veterum Antitrinitariorum cenſu, data occaſione ex *Sam. Crellii Mscto* inſerui fragmenta, non communia vel ingrata iis fore lectoribus arbitror, quibus auctoris huius tricae, hiſtoriam ſacram primorum ſaeculorum turbantes, in ſcriptis ipſius et praecipue in *Artemonio* non ſunt ignotae. Nec opportune minus me feciſſe opinor, quod capiti huic appendicis loco magni *operis* inediti *Crelliani* conſpectum adiecerim, cum nonnullis particulis ipſius textus, ex quibus de toto libro iudicium aliquatenus ferri poterit. Longiorem adverſus tantae molis ſcriptum diſputationem et breuitas capiti huic deſtinata, et ſcopus in vniuerſo opere praefixus non permiſerunt, ſiquidem

non

non hiſtoriae eccleſiaſticae vindicationem, ſed veterum Antitrinitariorum indicem exponere mihi fuit propoſitum.

Alterum voluminis *caput primos* Antitrinitariorum recentiorum in *Germania, Italia, Raetia* et *Heluetia anteſignanos* in ſcenam producit. Sed mihi ipſi parum ſatisfaciunt, quae de primis Socinianismi incunabulis in *Venetorum agro* inſtructis, expoſui. In perquirendis hiſtoriae huius fontibus, quotquot in ſcriptis illius aetatis aliquo modo olfacere potui, nullam in me deſiderari paſſus ſum aſſiduitatem. Legi et perlegi epiſtolarum a viris celeberrimis iſtius ſaeculi ſcriptarum collectiones, hiſtoriae chriſtianae et haereſium ſcriptores, quotquot in numeroſiſſimis Bibliothecis Regiomontanis reperiuntur, et alia plura; ſed parum admodum fructus ex moleſtiſſimo labore lucratus ſum, et ſaepius oleum et operam me perdidiſſe, pertaeſus ſenſi. In hoc tamen capite nonnulla expoſita eſſe rei litterariae amatoribus non injucunda me habeo perſuaſum. Venia interim mihi exoranda, quod quasdam a ſubſtrata materia

fecerim

fecerim digreſſiones, et quamuis campus, quem emetiri tentaui, ſit latiſſimus, ex eodem tamen aliquando fuerim exſpatiatus. Nunquam vero hoc temere factum, vt maiorem operi molem ſtudioſe aceruarem; ſed quando ob nexum res mea, quam inprimis dilucidandam ſuſcepi, lucem inde acceptura viſa eſt. In hoc caſu breuitati quam maxime operam dedi, et tempeſtiue in viam redeundum eſſe, memini. Ad has digreſſiones praeter alia ſpectant, quae de *Wicelio* ejusque ſcriptis numeroſiſſimis, quae oculis vſurpare licuit, expoſui. Data enim mihi opportuna occaſio viſa eſt, ingenio meo ad rem litterariam et bibliothecariam propenſo librorumque notitiae cupido laxandi frena, vt hiſtoriae litterariae, deſcriptione librorum rariſſimorum et a perpaucis viſorum, in Bibliothecis vero Regiomontanis obuiorum, adferrem ſupplementa. Hinc quoque in vniuerſo opere ex parte pleno titulo allegaui libros antiquae impreſſionis, ac notaui tempus, quo adparuerunt, formam ac ſaepiſſime plagulas et paginas, nec quicquam, vt opinor, praetermiſi, quod

ad ſtudium litterarium in hoc hiſtoriae eccleſiaſticae campo aliquid conferre potuit; quod me in primo quoque volumine obſeruaſſe, cenſores eius omnes teſtantur. Haud pauca quoque in hac ſectione commemoraui ad hiſtoriam rerum inter purioris doctrinae confeſſores poſt exortam euangelicae veritatis lucem geſtarum ſpectantia, quae hiſtoriae huius cupidis non ingrata fore arbitror, quod de illis quoque ſpero, quae in proximo volumine *tertio* circa hiſtoriam reformationis in *Polonia* et *Lituania* a me ſuppeditabuntur.

Tertium caput *de primis diſciplinae Socinianae auctoribus Laelio ac Fauſto, Socinis, nec non de vtriusque ſcriptis exponit.* Non quidem plenam et abſolutam vitae *Laelii* et *Fauſti* trado hiſtoriam, quamuis omne ſtudium in id conuerterim, vt iſtam traderem; attamen collectanea non absque multo labore ex omnibus, quae huc faciunt ſubſidiis librariis conquiſita et in ordinem redacta communicaui. Rara ſunt apud ſcriptores iſtius temporis de his viris veſtigia, et quae de illis diuiſim ac partialiter ſignificantur, ſaepius ſibi aduer-

adverſantur, et difficile conciliari, quandoque etiam vix coniecturando attingi poſſunt. Quem *Frid. Otto Menckenius* in concinnanda hiſtoria *Hieronymi Fracaſtorii* fruſtraneum tulit laborem, hoc ipſo opusculo p. 227. ſignificatum, ipſe ſatis expertus ſum in conquirendis rebus ad vtriusque *Socini* vitam illuſtrandam pertinentibus: *Majoris certe quicquid a me praeſtitum, laboris opus fuit, quam credat aliquis, in hoc negotio verſatus nunquam.* Vix inire jam numerum librorum auſim, qui pervolutati mihi, non ſemel aut bis, ſed decies, tandem nihil dederunt, quod in vſum convertere eruditorum potuerim. Ante aliquot annos Anglus, cui nomen *Toulmin*, vitam, characterem et ſcripta *Fauſti Socini* delineauit, hocque titulo, quem noua litteraria notarunt, in lucem emiſit: *Memoirs of the Life, character, ſentiments and Writings of Fauſtus Socinus by Joſhua Toulmin.* A. M. *Londini* 1777. 8. ſed ſcriptum hoc conſpectum meum non ſubiit, licet ex eodem ſyntagma meum haud pauca, vt arbitror, nactum fuiſſet ſupplementa, quamuis fama

in Germania de auctore diuulgata ſit, quod *Socinum* quibuscunque elogiis praedicauerit, et panegyricum de hoc ſuo heroe potius ſcripſerit, quam biographiam a partium ſtudio alienam. Nullum eſt dubium, quin adhuc in Bibliothecarum helveticarum cimeliis epiſtolae extent utriusque *Socini* et ad utrumque a viris eruditis ſcriptae, nec non alia arcanam Antitrinitariorum hiſtoriam illuſtrantia documenta, quorum mihi olim ſpem fecit per V. S. R. *Kieslingium Breitingerus*; ſed liberaliter promiſſa non expleuit.

In recenſione ſcriptorum vtriusque *Socini* quantam potui accurationem obſeruaui et frequenter nonnullas particulas ex ipſis libris adſcripſi, vt clarior conſtet ſenſus et animus auctorum, nec criminandi locus ſit, ſententias ſcriptoribus imputatas ne quidem ipſis in mentem veniſſe.

Eodem fine in toto opere haud pauca hiſtoriae momenta expreſſis auctorum verbis, tanquam illibatis rerum probandarum teſtibus, expoſui, hocque modo fidei hiſtoricae ſpartam me impleuiſſe puto, quamuis hac ratione paulo diffuſior narra-

torum

torum ambitus comparuerit, qui absque expositis his testimoniis contractior et angustior terminari potuisset. Alio respectu ambages et narrationes ad rem ipsam parum facientes euitaui, ne liber in maiorem excresceret molem. Primum historiae huius volumen, et vtramque eius partem compendii caussa litteris initialibus B. A. P. I. vel P. II. notaui, et in nonnullis nominibus propriis frequentissime occurrentibus id ipsum obseruaui. Aduersus errores aduersariorumque opiniones pugnam non inii; historiam, non librum apologeticum vel polemicum a me concinnari, vbique recordabar. Quamuis hoc intuitu non de omnibus meum reprobans adiecerim iudicium, nemo tamen ex silentio, me consensus cum iis omnibus, quae ab aliis dicta sunt, accusabit. Aliud enim est enarrare, aliud adprobare.

In opere, cui perficiendo vnus homo impar est, quodque difficile, intricatum et documentis saepe destitutum tractat argumentum, omnes euitari nequeunt hallucinationes, quas monitus ab aliis, gratus emendabo. Inprimis in spatiosissimo

historiae litterariae campo, nemini ſane tam felici eſſe licet, vt nunquam a veritatis tramite deflectat, quamuis eundem vbique tenere firmiter conſtitutum habeat. Beneuoli me, etiam non rogantem, excuſatum habebunt, maleuolos obtrectatores non curo. Dies diei magiſter eſt, et poſterior prioris eſt diſcipulus, quod de omnibus hominum ſcientiis, maxime de opere hiſtorico huius conditionis, iudicandum. Adcitatae aliquoties in hoc volumine anonymicae Socinianismi hiſtoriae, quae idiomate gallico *Pariſiis* a. 1723. 4. prodiit, auctorem *Lamyum*, Benedictinum, nominaui, quam alii *Anaſtaſio*, Franciſcano monacho vindicarunt.

Correctior in publicum euaſiſſet liber, ſi ipſe emendandis plagulis, meam commodare potuiſſem induſtriam. Multa enim ab auctoribus corrigi, qui ipſi librorum ſuorum ſunt correctores, harum rerum gnaris abunde conſtat. Haud pauca in manu deſcriptis chartis viſui ſubtrahuntur, quae in impreſſis plagulis facilius animaduertuntur. Cum vero, *officina typographica regiomontana*, ex qua primum prodiit volumen, reliquis

im-

imprimendis pluribus onerata laboribus impedita, mihique librum, *Berolini* impreſſum, corrigendi venia conceſſa non fuerit, haud pauca obſeruaui, quae ſiue quoad dictionis et ſyntaxeos latinae puritatem et meliorem formam, ſiue quoad plura ſphalmata typographica emendanda fuiſſent, qualia in vtraque primi voluminis parte tanta ſollicitudine ſunt correcta, vt vix vnum atque alterum a perſpicaciſſimo inueniatur. Corrigendorum interea cenſum et copioſiſſimum perſonarum et rerum indicem magno cum ſtudio concinnatum ad voluminis hujus calcem deſiderari non ſum paſſus.

Vale *beneuole Lector*, et operi huic faue, cujus *tertium volumen* proxime proditurum, memorabilem maxime totius hiſtoriae Antitrinitariorum partem, *fata* nimirum *Socinianorum in Polonia, ex autenticis actorum ſynodalium ſcriptis*, quorum recenſionem in B. A. P. I. p. 1. ſuppeditaui, cum aliis ſchediasmatibus copioſius expoſiturum eſt, quam haec omnia ad hoc tempus cognita fuerunt.

Dab. in Regio Boruſſorum monte, Cal. Octob. a. o. r. MDCCLXXXIV.

Series

Series capitum quae Tomo II. hiſtoriae Antitrinitariorum exhibentur.

TOMI SECUNDI.

CAPUT I.

DE

ANTIQUORUM TEMPORUM

ANTITRINITARIIS,

IN SPECIE

DE SOCINIANISMO

ANTE

LAELIUM ET FAUSTUM, SOCINOS,

COETIBUSQUE COMPARANDIS

CUM ILLO.

CAPUT PRIMUM.

De antiquiorum temporum Antrinitariis, in specie de Socinianismo ante Lælium et Faustum, Socinos, coetibuque, quodam respectu cum illo comparandis.

Synopsis.

§. I. Socinianorum nomina. *Neo-Ariani* et *Neo-Photiniani*, *Anabaptistae*, *Pneumatomachi*, *Monarchici*, *Vnitarii*, *Antitrinitarii*, *Servetiani*, *Fratres Poloni*, *Racouienses*, *Pinczouienses*, *Smiglenses* etc.

§. II. De illorum cum *antiquioris aevi haereticis* conuenientia.

§. III. Quos ipsi *magistros suos et veritatis confessores* praedicant.

§. IV. Cum illis quodammodo conferendi sunt Saec. I. *Pharisaei*, *Simon Magus*, *falsi Apostoli*, *Nazaraei*, *Cerinthus*, *Ebion* ac *Gnostici*.

§. V. Saec. II. *Marcion*, *Praxeas*, *Hermogenes*, *Theodotus Byzantinus*, *Artemon*, *Carpocrates*, *Saturninus*, *Basilides*, *Alogi*.

§. VI. Saec. III. *Manes*, *Noetus*, *Sabellius*, *Paulus Samosatenus*, *Beryllus*, *Elcesaei*.

§. VII. Saec. IV. *Ariani*, *Semi-Ariani*, *Eunomiani*, *Aetiani*.

§. VIII. *Marcellus Ancyranus*, *Photinus*, *Macedonius*, *Adoptiani*, *Bonosiani*, *Tropici*, *Priscillianistae*. — An *Julianus* ad hanc societatem trahendus?

§. IX. Saec. V. et VI. *Nestorius*, *Eutyches*, *Pelagius* et *Tritheitae*, duce *Jo. Philopono*.

§. X. Saec. VII — X. *Felix*, *Elipandus* aliique *Adoptiani*, *Pelagiani*, *Pauliciani*. An inter *Muhamedanos* et *Socinianos* iure quodam Parallelismus locum habeat?

§. XI. Saec. XI. *Jo. Roscellinus*.

§. XII. Saec. XII. *Petrus Abaelardus*, *Berengarius Pictauiensis*, *Gilbertus Porretanus*, *Arnaldus Brixiensis*, *Bogomili*.

§. XIII. Saec. XIII. *Joachimus Florensis*, *Almaricus*; et Christiani coetus, qui *consensus* cum Antitrinitariis accusantur.

§. XIV. Recentiores *Judaei* a quibusdam in hunc censum trahuntur.

§. XV. Nec non *Pontificii*, *Anabaptistae*, *Arminiani* et *Remonstrantes* ex parte.

§. XVI. Et *Herrenhuthiani*, quoad quaedam disciplinæ momenta.

§. XVII. Longo interuallo ab *Euangelicis* differunt Sociniani.

§. XVIII. Qui cum *Naturalistis* potius comparantur. An illis competat civium Christi nomen?

§. XIX. Argumentum operis *Mcti Sam. Crellii*.

§. I.

§. 1.

Nomen debet *Socinianorum* familia auctoribus *Lelio* et *Fausto, Socinis*. Ab auctore autem haeresin appellari, receptum est; quod in hac caussa iustum putatur, *Fausto* tum se, tum *Laelium* saepe numero primos horum dogmatum magistros praedicante. Disciplinae inuentio ac materia *Laelio*, dispositio, forma et cultura *Fausto* tribuendae. Pluribus interim nominibus, vel ab errorum professione, vel ab haeresium propinquarum auctoribus et defensoribus, vel a locis, in quibus maxime floruerunt, vel a dogmatibus, quae impugnarunt, desumtis, insigniuntur, qui huic civitati nomen suum dederunt; ipsi tamen vel *Vnitariorum* vel *Fratrum Polonorum* titulo compellari cupiunt.

* * *

Naui assimilanda est Christi ecclesia, quae in hoc turbulento orbis mari exaestuantibus exposita procellis quouis tempore haeresium volutata est tempestatibus. Nulla enim defuerunt aetate, qui diuinam Christianae fidei disciplinam suis conturbare opinionibus allaborarunt; quod ipsum et *Christus* et *Apostoli* praedixerunt. Nihil vero magis infensiusque toto post Christum natum temporis decursu impugnarunt adversariorum cohortes, quam *Mysterium S. Trinitatis*, veritatesque connexas. Veneramur ac confitemur vnicum Deum, nec vno plures existere, adversus Deorum cultores et rationis et revelationis armis strenue tuemur; simul tamen sacris pandectis prouecti credimus, tres in unica numero essentia divina esse, *Patrem*, *Filium* et *Sp. Sanctum*, tria *υφιςαμενα* s. *υποςασεις*, ita inter se distinctas, vt vna non sit alia; harum quamque sigillatim esse Deum aeternum, nec tamen

proinde tres Deos, ſed vnum, qui eſt P. F. et Sp. S. ſupplices exoſculamur diuinam clementiam, quae omnium myſteriorum maximum ignorari a nobis noluit. Laetamur, ſummoque perfundimur ſolatio, quod vna quaeque Deitatis perſona reſtitutioni noſtrae nunquam ſatis miranda miſericordia ſtuduerit. Nullum tamen chriſtianae religionis momentum tot ſuperbientis rationis impetus ſuſtinuit, quam venerabile hoc dogma. Vix numerandae ſunt ingenii machinationes, quibus homines ab vnico tramite aberrantes ſacram hanc fidei ancoram lacerarunt. Vix vllam Spiritus, qui Deitates profunda ſcrutatur, veritatem clariori, quantam admittit tantum myſterium et rationis noſtrae imbecillitas, explicatione in S. pandectis humano generi reuelauit. Moſis ac Prophetarum, nec non Euangeliſtarum ac Apoſtolorum teſtimonia, quamuis alia aliis extantiora, in hoc caeleſtis doctrinae centrum mirabili conuenientia collineant. Nihilo tamen minus a primis chriſtianae ciuitatis temporibus, homines ingenii ſui praeſumtione ſeducti, ſanctiſſimum hoc fidei fundamentum euellere omnibus modis contenderunt, quibus parentibus recentiori aeuo iſta ſoboles excluſa eſt, quae SOCINIANORUM titulo innotuit.

Plurimae haereſes nomen ſuum ab AUCTORIBUS tulerunt; ſic *Pelagiana*, *Neſtoriana*, *Macedoniana*, *Ariana* ab architectis ſuis nominatae. Ad imitationem qui LAELII ac FAUSTI, SOCINORUM diſciplinam ac inſtituta ſuſcipiunt, *Socinianorum* inſigniuntur adpellatione. In genere ita dicuntur, qui *Socinianorum* ſententiis, praecipue in articulo de S. Trinitate et Chriſti Deitate affinia docent, vel vtrumque obiectionibus ſuis impugnant: ſpeciatim ita vocantur, qui doctrinam, quam F. SOCINUS ſiue excogitauit, ſiue a patruo excogitatam ornauit et in diſciplinae formam coegit, vel vniuerſam, vel quoad potiſſimam partem adſciſcunt. Praecipuam ciuitatis hujus indolem ac fundamentum contemplantibus fatendum eſt, vtrumque *Socinum* non omni ex parte primos fuiſſe opinionum au-

ctores, quas commendandas ac inſtillandas ſuſceperunt; ſed inueteratas et a variis haereſiarchis olim in medium prolatas reiteraſſe, ac novis quaſi crepundiis decoratas orbi Chriſtiano iterum expoſuiſſe, ſicque decrepitos mentis foetus juvenili forma et noua ſyſtemtis ſpecie induiſſe. Licet vero hanc rationem veterum haereticorum nomine ſaepius compellentur *Sociniani*; nulla tamen praeteritorum ſaeculorum haereſis exſtitit, quae omnem ambitum et formam errorum vtriusque *Socini* comprehenderit et quocunque reſpectu eadem cum his docuerit. Summopere quidem declinant *Socinorum* diſciplinam profitentes ab his compellationem; quemadmodum jam olim haeretici parentum ſuorum nomina a ſe amoliri ſtudebant; merito tamen Magiſtris, in quorum ſchola edocti ſunt, notantur. Non igitur auctor *Praef. Biblioth. F F. P P.* quem *Andr. Wiſſowatium* eſſe, ſcimus, vel *Smalcius* in *refut. theſ.* de *Trinit. Schopperi*, aliique habent, quod per iniuriam coetui ſuo nomen hoc eſſe impoſitum conquerantur. Ita autem *Wiſſowatius* l. c. inquit: „non ſubeſt „juſta cauſſa, cur ii, qui cum *Socino* in plerisque conſen„tiunt, ideo SOCINIANORUM nomine notentur. Nam et „ante SOCINUM poſt Apoſtolos exſtitiſſe eius ſententiae „confeſſores, ex hiſtoriarum eccleſiaſticarum teſtimonio „conſtat." Veriſſimum quidem eſt, jam inde ab Apoſtolorum tempore fuiſſe, qui vel eandem vel conſonam inflarunt tibiam, qua canunt recentiores *Sociniani;* ideo vera nulla his fit iniuria, qui a *Laelio* et *Fauſto*, *Socinis*, antiquorum errorum renouatoribus compellantur. Declinant ex ea ratione denominationem diſciplinae huic adſcripti, quod in quibusdam ab vtroque SOCINO diſcrepent, nec horum auctoritate commoueantur. Ad quem modum ARIANI veteres proprium horrebant nomen et CHRISTIANI potius audire cupiebant. V. *Flor. Cruſii* ep. ad *Dilgerum.* Nemo tamen veritatem evangelicam per *Lutherum* reſtitutam et confeſſionem Auguſtanum adſciſcens, ex eadem ratione nomen *Lutherani* recuſabit, vel hoc

hoc injuriosum reputabit. Quae *Io. Preussius* in *Theologia* s. *colloquiis*, germanice scriptis p. 12. contendit, coetum suum pessime appellari a *Socino*, quia ab hoc noua religionis forma in Polonia nequaquam instructa fuerit; quod adstruere conatur: quia coetus iste, cui adiungi F. SOCINUS desideravit, hunc ne quidem ad S. Synaxin admiserit, improbante id ipso *Preussio*, facile ex toto historiae nexu conciliari possunt. Cum sectarum nomina ab errorum auctoribus vel promotoribus deriuare fas sit, praeeuntibus in hac parte *Christo* et *Apostolis*; hinc nulla omnino specie nomen et magis adaequatum huic civitati convenit, a *Laelio*, primo disciplinae inuentore vel restauratore, et a *Fausto*, Architecto et propugnatore, vtroque *Socinis*, derivatum.

Dicuntur, idque non immerito *Neo-Ariani*, quia in *Socini* castris pugnantes cum ARIO in impugnanda aeterna Christi Deitate communem rem faciunt, et pro eius partibus, nuntiato Christi aeterni Dei confessoribus bello, dimicant. *Arianorum* enim titulo generaliori conceptu insigniuntur, qui Dei Filium infra Deum Patrem collocant, quod cum multis fieri possit modis liquet, huius etiam vocabuli variam esse potestatem et absque offensione *Neo-Arianis* imponi posse, quamuis hi cum veteribus omni respectu consentientes non sint, nec vnam eandemque sententiam circa modum dicendi tueantur. In hac tamen parte *Socinianismus* nihil aliud est, quam interpolatus *Arianismus*, a quo ille non differt, nisi noua methodo, qua Christo existentia ante Mariam virginem omnino denegatur. Hinc *Pelargus de Arianis recent.* p. 300 judicat: „Quomodo amoliri abs se *Arianorum, quorum dogma pro-„seminant, nomen vnquam illi poterunt.* ARIUS ετεϱȣσιον: „*dicebat Dei Filium, negabat* ομοȣσιον: *dicunt idem Smig-„lenses; negant idem, quod ille.*"

Primis maxime temporibus, antequam *Socinus* ciuitatem suis praeceptis formauerat, *Arianorum* nomine in Polonia insigniti sunt; siquidem isto tempore non om-

 nium

nium eadem fuit de Christo opinio. Multi enim ad *Arianismum* accedentes Servatorem ante mundum conditum, ex Deo Patre natum, hoc inferiorem esse, affirmabant, sectaeque *Farnouianae* a STAN. FARNOUIO vel FARNESIO ita dictae *Ariana* opinio magis probata videbatur, quam *Sociniana*.

Eadem iure a PHOTINO *Neo-Photiniani* appellantur, SOCINO antiqua *Photini* dogmata resuscitante. Male autem fert *Preussius* l. c. coetus sui homines ab orthodoxis appellari *Photinianos* ob communem in uno articulo consensum, quia hoc modo omnes Christi cives a Iudaeis et Mahumedanis, cum quibus unum caeli terraeque conditorem credunt, et idola aversantur, denominari possint ac debeant, immo ab ipso diabolo, qui Deum credit. Alia vero ratio est consensus in veritate communi, alia dissensus ab eadem ac conuenientiae in errore fundamentali. Quemadmodum enim olim et isti *Ariani* dicebantur, qui non in omnibus praecise cum *Ario* et inter se consentiebant, cum hoc autem conueniebant, quod Filium Dei eiusdem cum Patre essentiae Deum esse, negarent: ita nostra aetate omnes, qui in hoc momento conspirant, *Ariani* vel *Photiniani* dici possunt, quamvis alioquin propiores ad hunc, quam ad illum coetum accedant. Ipse adeo *Ostorodus* Socinianorum doctrinam genuinam esse *Photini* disciplinam in *Praef.* operis Unterrichtung etc. (B. A. P. II. p. 572. N. 5.) expresse profitetur; merito hinc ab eodem compellandi. Cuius enim doctrinam fundamentalem quis sectatur, suamque facit ac stabilire conatur, ab eodem discretionis et professionis caussa denominatur. Nemo quodam haeresiarcharum istorum nomen recusare potest, nisi qui eorum errorem discretiuum detestatur.

Eadem lege a quibusdam *Ebionitae*, *Cerinthiani*, *Samosateniani*, *Abaelardiani*, *Servetiani*, appellantur. V. *Calovii* Socinianismum profligatum p. 1—24. *Seruetianorum* nomen *F. Socinus* a coetu suo auertere studet in *resp.*

resp. ad praef. Wujeki p. 33 verbis: *„Negamus Seruetum „fuisse progenitorem nostrum, quippe a quo nec sententiam „nostram de Deo et Christo accepimus et hac ipsa in re non „parum ab ipso dissidemus; praesertim in explicando, quid „sit verbum, s. sermo, de quo Joannes in principio Euangelii „sui loquitur etc."* Discrimen omnino inter *Serueti* et *Socini* placita concedendum est; a *Serueto* tamen quoad principale erroris caput *Socinianismum* nominari posse, vtriusque collatio docet.

Nec adeo insuetus est *Anabaptistarum* vel *Novo-baptizantium* titulus, polonice *Nowo-Chrzezency;* sic enim primis temporibus ante *Socini* adventum in Polonia esse dictas, quod nullus nisi adultos et ex aliis familiis ad se accedentes sacro fonte initiarent, testatur auctor vitae WISSOWATII apud *Sandium* l. c. p. 225. Inter vagantes *Anabaptistas* haud raro fuerunt, qui divinum Christi honorem imminuere conabantur; quod alio loco exemplis comprobaturi sumus. Ideo omnes Christi Dei hostes, *Anabaptistae* primo tempore appellati quod ex *Jo. Wigandi* opere, *de Anabaptismo grassante etc. Lipsiae* 1582. 4. constat. Accedit, quod aliquando *Sociniani* quibusdam locis vel cum *Anabaptistis* vnam constituerint familiam, vel horum societatem omni modo affectauerint. In praefatione, primae Socinianae Catecheseos editioni, *Cracoviae* 1574. (de qua vid. B. A. P. II. p. 826. N. 2.) praemissa, auctor testatur: „quod praecipua editi libri ratio fuerit: *quod Anabaptistae variis contumeliis afficiantur."* Paedobaptismo a. 1570. jam reiecto, teste *Stan.* LUBIENIECIO l. c. p. 240. immersionem adultorum summo studio defenderunt. Hinc in synodo Cracouiensi eodem anno habita, cuius acta *consensui Sendomiriensi* a JABLONSKIO p. 206. inserta sunt, eiusque actu IV. ARIANOBAPTISTAE appellantur. In publicis igitur Principum ac Magistratuum mandatis hoc tempore adversus Anabaptistos promulgatis, simul quoque notantur quicunque recentiores Antitrinitarii et omnes Christum aeternum Deum ne-

 gantes.

gantes. In *Illustr.* Principis *Joannes Friderici* II. confutatione ac condemnatione praecipuarum corruptelarum, sectarum etc. *Ienae* 1559. 4. p. 16. Anabaptistis nominatim accensentur, qui blasphemias *Serveti* adversus Mysterium S S. Trinitatis circumferunt. Proximo tempore *Anabaptistarum* titulus asseclis inuisus fuit, maxime cum *F. Socinus* quoad baptismi reiterationem ab *Anabaptistis* dissenserit, a quo tempore, qui antea *Anabaptistae* vocabantur, dicti sunt *Sociniani*.

Nec adeo insolitum fuit, vt a locis, in quibus *Socinorum* sectatores castra metati sunt, *Racovienses* a *Racovia*, *Pinczowii* vel *Pinczovienses*, quod nomen in Syluis *Andr. Fricii* obuium est; a *Pinczowia*, in quo oppido sub *Nic. Olesnicio* patrono ac protectore commorabantur, et *Smiglenses* a *Smigla* Poloniae oppido denominarentur. V. *Narr. compend. Sandii Biblioth.* adnexa p. 211. eiusque *append. ad nucl. hist. eccl.* p. 91.

Quemadmodum vero a consuetudine alienum non est, sectam cognominari a praecipua opinone, qua se maxime distinguit; ita *Sociniani* ab erroribus, quos amplexi sunt, *Pneumatomachi*, *Monarchici*, vel *Monarchiani*, atque *Christomachi* nonnullis audiunt, quia personalitatem Spiritus impugnare, monarchiam in Deitate locum habere, Deumque Patrem solum ac summum esse Monarcham euincere, Christique essentialem Deitatem infringere, omnes rationis neruos intendunt. In primis a suscepto dogmate dicebantur *Monarchici*, qui cum *Praxea* eadem sentiebant. Quem titulum *Dan. Zwickerus* probare videtur, in libro sub eodem N. 6. in *B. A.* p. 1050. recensito. V. *Rechenbergius de Monarchianis*, et *Bayerus de Monarchianis Antitrinitariis*.

Aliquando sub *Latitudinariorum* nomine venerunt; quia latissimam paucisque adeo articulis absoluendam credunt fidei compagem, et ab omnibus mysteriis abstinendum esse judicant. Ipsi ANTITRINITARII dici malunt, quo titulo *Sandius* suam ornauit Bibliothecam; omnium

vero

vero maxime CHRISTIANI VNITARII, eo fcilicet fenfu, quo *Sabelliani* olim a *Prudentio* dicti funt *Vnionitae* et *Monarchici*, quod vnam duntaxat Deitatis perfonam tresque in hac qualitates admitterent; quod nomen *Bibliotheca F. F. P. P.* et *Narratio compendiofa* etc. *Sandii* Biblioth. fubtexta prae fe ferunt, appellari cupiunt. Hoc titulo fe diftinguunt a *Trinitariis*, quo nomine *Evangelicos* pariter ac *Romano-Catholicosque* infigniunt; cum *Trinitarii* re vera cum *Antitrinitariis* vnam claffem conftituant, quippe illi hoc nomine proprie appellandi funt, qui Perfonas diuinae effentiae, quoad effentiam et tempus exiftendi diftinguunt, quales reuera *Trinitarii* inter ipfos *Antitrinitarios*, vel ita nominatos *Vnitarios* fuerunt, qui tres quidem Perfonas, fed non eiusdem effentiae; nec coaeternas crediderunt; plerique tamen Spiritum S. non Perfonam, fed vim f. virtutem diuinam ftatuerunt. Quod fi *Trinitariorum* titulus triunius Dei confeffores ac cultores notat, iftum omnino *Evangelici* fuo fufcipiunt fuffragio, quippe quo ab *Antitrinitariis* diftinguuntur. Curiae vero Romanae ftilo S. Trinitatis hoftes *Trinitarii* audiunt; hinc Bulla coenae Domini, *excommunicat et anathematizat ex parte Dei omnipotentis, P. F. et Sp. S. auctoritate quoque beatorum Apoftolorum Petri et Pauli, quoscunque* — — — *Anabaptiftos, Trinitarios et a Chriftiana fide apoftatas.* V. *Jo. Fabricii* amoen. theol. p. 620 fqq. Non absque ratione *Vnitariorum* appellationem fibi competere putant, qui *F. Socinum* praeceptorem agnofcunt, hanc enim auctor *praef. Biblioth. F. F. P. P.* affert, cur ita dici debeant: quia vnicum ftrictiffima vnitate non tantum effentiae fed et perfonae Deum altiffimum, confiteantur. V. *Vindiciae* pro *Vnitariorum in Polonia religionis libertate*, l. c. 268. Poffet quoque ipforum votis adnui, quamuis nullam inde gloriam lucrentur, cum dudum Turcae hoc nomine vfi fuerint, quod ex *Achmet Ben Abdalla*, legati Maroccani apud ftatus Hollandiae, confeffione, quam notis et animaduerfionibus edidit *Grapius*, conftat.

ſtat. Minus convenienter, proinde in titulis librorum publico nomine ſcriptorum, in Catecheſibus vel confeſſionibus ſuis gloriantur, quod *vnum Deum et Filium eius unigenitum Ieſum Chriſtum cum Spiritu S.* profiteantur, veram interim, aeternam ac eſſentialem Chriſti et Spiritus S Deitatem oppugnantes; et reuera inaequalitatem ac gradus quosdam perſonarum Diuinitatis, ſuisque hypotheſibus, (quamuis id omnino renuant,) tres Deos faciunt. Omnes hinc certo reſpectu *Tritheitae* appellandi forent; licet ſtrictiori ſenſu ita dicti peculiarem inter *Antitrinitarios* ſectam conſtituant. A. *Socinianis* enim plures omnino Deos, proprie ita dictos aſſeri, licet vnitati divinae vindicandae maxime ſtudere videantur, ipſismet illorum verbis praeter alios demonſtrauit *Jonath. Eduardus* in libro angl. ſcripto: *Antidotum contra Socinianiſmum.* Oxon. 1693. 4. p. 8. ſeqq. Quod ſe ipſos appellauerint *Fratres Polonos* ex indice *Bibliothecae F. F. P. P.* notiſſimum eſt. Adſciuerunt autem nomen, ad imitationem fratrum *Bohemorum* ac *Moravorum*, quorum fraternitas in *Polonia* vicinisque regionibus iſto tempore celebrabatur, et quod omnes in Polonia Myſterio S. Trinitatis aſſenſum detrectantes, ſpeciem quandam confoederationis ac vnionis prae ſe ferrent, qua ſe adverſus diſſentientes tuerentur; ſimulque hi in vnum finem et ad ſeruandam exactiorem diſciplinam eccleſiaſticam conſociati, amabili fratrum titulo, ad imitationem primorum Chriſtianorum ſemet ipſos notarent.

Quod dicti fuerint *Sendomirienſes* et *Cuiauienſes*, *Cocciani*, *Arminiani*, *Quackeri*, quod auctor *hiſtoriae Socinianiſmi* Gallice ſcriptae p. 7. 8. prodit, veritati plane adverſatur.

§. II.

Antequam Socinianiſmi et Socinianorum memorabilia fata aggredimur, hiſtoriae eccleſiaſticae monu-

monumenta lustrare duximus, in iisdem, quos vterque Socinus et Sociniani recentiores habuerint antecessores, quorum presserint vestigia, nec non qui hodie adhuc sint coetus alii, qui placitis quibusdam ad Socinianismum accedunt, inquirentes, vt instituto parallelismo conformitas inter plures animaduertatur. Multiplex enim est disciplina Sociniana circa plurima fidei Christianae capita a vero deflectens; hinc quoque cum pluribus coetibus conuenit. In hoc tamen negotio ad praecipuum dogma abnegatae personarum in diuina essentia Trinitatis et in Christo coessentialis ac aeternae Deitatis maxime respicimus, reliquis insuper erroribus cum his indiuulso nexu cohaerentibus non prorsus neglectis. In omnibua ipsi haud raro ad veterum heresiarcharum consensum prouocarunt.

* * *

Haud parum ad praecognitionem sectae hujus confert, nexum cum aliis, quorum dogmata, nisi omnia, praecipua tamen, partim eadem, partim analoga sunt, collustrare. Fuit haec methodus *Apostolis* adeo ipsis vsitata, vt eos, qui venerabilem *Apostolorum* characterem sibi isto, quo vixerunt tempore, falso vindicabant, cum malae notae *doctoribus pristinorum temporum* compararent; ad quem modum *Petrus* 2. Ep. II, 15. falsos primi saeculi doctores cum *Balaamo*, et *Paulus* peruersos sui temporis homines cum iis, qui tempore *Mosis* eiusdem fuere indolis, 2. *Tim.* III, 8. confert. Nemo hinc unquam vitio vertet iis, qui inter haereticos sobrie et cum veritatis studio, non odii excitandi affectu, nec ex mera suspicione parallelismum instituunt; quo ipso haud parum lucis accuratiori haeresium notitiae affunditur. In

hoc

hoc conficiendo verus et proximus vnius coetus cum altero, nec remotissimus tantum et ex variis consequentiis effictus ac probabilis consensus adesse debet; eiusmodi potius appareat harmonia, vt quiuis a partium studio immunis conspicuam opinionum conuenientiam animaduertere possit. Longe absit ab hoc instituendae comparationis negotio calumniandi licentia, qua saepius viri integerrimi odioso nomine notantur, toto corde quemcunque errorem auersantes. Ita *Sleidano* teste pontificis legatus a. 1523. in confessu Principum *Noribergae*, *Lutherum* cum *Mohamede* comparavit, quod ille votorum vincula confregerit. Obseruasse nos veritatis ac modestiae leges, aequos harum rerum arbitros et antiquae fidei confessores cordatos testes provocamus. Non quidem per omnem errorum ambitum in obseruando hoc parallelismo vagabimur; quo labore in vastum volumen tractatio excresceret; tanta enim est in disciplina *Socinianorum* opinionum farrago, vt per *omnes fidei articulos* disseminatae animaduertantur: sed praecipue ad *negatum S. S. Trinitatis Mysterium*, ad *negatam aeternam, veram ac essentiatem Christi Deitatem et Sp. S. peculiarem subsistentiam*, oculos figimus, ita vt *antiquos haeresiarchas* vnam atque alteram ex his sententiam propalantes brevi comparatione cum *Antitrinitariis recentioribus* in scenam protrahamus, *reliquorum* tamen placitorum cum *aliis* haeresibus affinitatem non prorsus neglecturi simus. Inter haec maxime sequentia obtinent: negant Christum morte sua vicaria pro hominibus satisfecisse, eumque propria virtute ex mortuis resurrexisse; Adamum esse conditum in immortalitate; imaginem diuinam post lapsum esse deperditam, inficiantur simpliciter peccatum originale, asseruntque in homine adhuc esse a natura liberam obediendi Deo voluntatem: Christum legi morali peculiaria addidisse praecepta statuunt; in V. T. alium viguisse iustificationis modum, quam in N. defendunt; fidem salvificam per obedientiam legi et mandatis Christi praestandam definiunt;

aquae

aquae baptiſmum divinum eſſe Sacramentum, atque regenerationis et ſaluationis eſſe medium negant; S. Coenam ſola mortis Chriſti recordatione abſolui; non dari eiusdem numero corporis reſurrectionem, aliaque plura ſtatuunt, quamvis in his momentis non omnes coetui Sociniano adſcripti conueniant, qui tamen ex publicis confeſſionibus et praecipue ex Catechismo Racouiano ſunt diiudicandi.

Non accuratam totius hiſtoriae et omnium errorum recenſionem de illis ſuſcipimus, quorum *Socinianis* convenientiam ſignificamus; ſed pauca tantum indicamus momenta, vt vel affinitas, vel ſimilitudo in vtraque parte conſpiciatur, absque longiori diſceptatione, qua praeciſe ratione omnes in ſuo explicandi modo ab inuicem diuerſi fuerint. Vagam enim ac minus determinatam eſſe ſcriptorum priſci aevi narrationem de pluribus veterum opinionibus, deprehendimus, haud raro ſibi contrariam, vt ſaepiſſime de eadem haereſi diſparata, nec facile concilianda proferantur. Ipſi errorum propugnatores non accurate, ſed tumultuarie plerumque eosdem propoſuerunt, et ex vno in alium delapſi ſunt. Contulerunt quidem Viri in hiſtoria eccleſiaſtica ſummi, *Weismannus*, *Moshemius*, *Chriſt. Wilh. Fr. Walchius*, aliique omne ſtudium, vt quae vel haereſiarchae ipſi, vel de iisdem hiſtoriographi indeterminate et minus accurate protulerunt, diſtincte ad quandam ſyſtematis formam delinearent; ſed vix dubitandum, quin ex ipſis fontibus, quibus illi vſi ſunt, alia quoque haereſeos huius vel illius forma, adhibito paullulum ingenio excogitari poſſit. Sunt tamen quidam errores indubitati, quibus a veritatis tramite deflexerunt, atque in his Socinianorum ſine omni controverſia viae duces ac praedeceſſores extiterunt. Quod in bellis vſu venire ſolet, vt hoſtis quam maxime repulſus; iterum pugnae periculum faciat, ac receptis viribus quanto poteſt impetu, in caſtra vel munimenta oppoſita irruat; idem in diuinae veritatis oppugnatoribus, et antiquis

quis et recentioribus animaduertimus, qui profligati, in aciem subinde redierunt, nouisque inuentis et repetito vincendi ausu noua proelia mutato habitu susceperunt. Ea est errorum conditio, vt, quam diversi appareant, inter se tamen cognationem quandam habeant. Satis quidem longo interuallo *Naturalismus* a *Fanaticismo* abesse videtur, interim ambo quodam affinitatis vinculo se adstringunt. In specie circa Dei vnitatem duplici itinere deuio a veritate aberrarunt homines, a prima post Christum natura aetate, vel diuinam essentiam multiplicando, vel ad vnam hypostasin pertrahendo. Cum his Sociniani rem communem faciunt, quamuis alioquin diuersimode in diuersa ab illis abeant. Quemadmodum igitur BUDDEUS *de Spinozismo ante Spinozam*, WOLFIUS *de Manichaeismo ante Manichaeos*, DAV. MILLIUS *de Mohamedismo ante Mohamedem*, SALIGIUS de *Eutychianismo ante Eutychem* et LILIENTHALIUS de *Pelagianismo ante Pelagium*, aliique similia his scripta concinnarunt, ad quorum imitationem PFEIFFERUS alio fine et commodo tractatum euulgauit, de *Lutheranismo ante Lutherum*; sic nos *Socinianismi ante Socinum* delineationem adgredimur. Nemo quidem hoc argumentum peculiari scripto tractauit; non tamen prorsus neglectum est. *Ven.* WALCHIUS, partim in *Illustrationibus quorumdam Encyclopaediae gallicae articulorum;* partim *in Historia haeresium*, mysterii S. S. Trinitatis aduersarios per singula saecula peculiari sectione notavit; CALOUIUS in *scriptis Antisocin.* P. I. p. 43. seqq. et in *Socin. profl.* P. II. p. 2. seqq. ita cum priscis haeresiarchis Socinianos contulit, vt horum quoque verba, quibus cum illis conspirant, allegauerit. Praeterea hac in parte nominandi sunt: JO. FRID. COTTA *in Historia doctrinae de S. S. Trinitate*, quam *Tom.* III. *Jo. Gerhardi* L. L. Theol. a se editis p. 324. seqq. adtexuit; BOTTSACCUS in *Antistegmanno* c. X. p. 421. seqq. DAN. CRAMERUS in arbore haereticae consanguinitatis; auctor praefationis libri: Kern und Saft der erbaulichen Schrift Speners

von

von der ewigen Gottheit. J. C. et quidam alii historiae ecclesiasticae scriptorumque polemicorum aduersus Socinianos conditores.

Non inuitis *Socini* vexillum sectantibus haec instituitur comparatio, siquidem ipsi plurimos in hunc censum referendos pro antiquissimis veritatis testibus habent, et orthodoxam doctrinam, tanquam neotericam, proscindunt. Quamuis enim cum quibusdam consensum ipsis imputatum improbent; in genere tamen largiuntur, vtrumque *Socinum* plures habuisse antecessores, quos allegant, ac parentes suos nominant atque celebrant. Auctor libri *de mediatoris I. C. hominis diuinitate* (Vid. B. et P. I. p. 60. N. 19.) de antiquissima sectae suae origine et continua ab Apostolorum temporibus propagatione glorians cap. VIII., eiusmodi auctores recenset, qui iam inde ab Apostolorum tempore Neophotinianae confessioni vel directe, vel oblique, vel in totum, vel ex parte, in articulo de Deo et Christo suffragium suum tulerint. Ita autem abbegante verba *Wolfg. Franzio in vindiciis disput. theol. pro Aug. conf. disp.* I. inquit: „Ne existiment fideles „nunc primum de vno Deo et vnico Christo controuerti, „quorundam veterum doctissimorum antistitum varias „opiniones, quae post exortam, de tribus Personis in vno „Deo residentibus, doctrinam suppullularunt, adiicere quo„que hic libuit, quas solus Antichristus Romanus cum „sua ecclesia, non ex verbi Dei, sed ferro, flammis, et „vsurpata sibi auctoritate damnauit et pro sua libidine „haereticas esse voluit. Omisso *Origene* omnium veterum „clarissimo, qui de vno Deo et Christo filio homine, vt „plurimum pie docuit: omisso quoque *Apollinari*, viro „eruditissimo, *Tatiano* praeterea *Severo* et *Bardisane*, „praesulibus olim sanctitate et doctrina insignibus: et va„riis conciliis, in quibus turmatim Patres adversus *triper„sonatum Deum* et *Christum binaturium* disputarunt et „scripserunt: selectos quosdam hic tantum annotauimus, „qui ab ipsis etiam hostibus ob egregias ipsorum virtutes

 „fuere

„fuere commendati. 1.) Fuit *Beryllus*, vir *Origenis* tem-„pore florens, Bostrenae vrbis Arabiae praeſul eruditiſſi-„mus, qui ne duos filios, aut plures Diuitates annunciare „poſſe videretur, Chriſtum Dei filium Redemtorem atque „Mediatorem noſtrum ante humanitatem non exſtitiſſe, et „non aliam, quam patris in ipſo habitare diuinitatem aſſe-„rebat. 2) Eſt *Eutyches*, Praeſul Alexandrinus, qui aliud „eſſe verbum, aliud eſſe Chriſtum Dei filium praedicabat, „et binas in Chriſto genitas negabat eſſe naturas, dicebat-„que (veritus, ne duos Chriſtos praedicaret) Chriſtum „hominem de coelo deſcendiſſe et virginis vterum tan-„quam ſolis radium penetraſſe. 3.) Eſt *Neſtorius*, qui „Dei filium ante Mariam realiter extitiſſe negabat, duas „vero genitas in Chriſto naturas cum aſſereret, duos filios „in veritate perſonae copulatos fuiſſe oblique negabat. „4) Eſt *Paulus Samoſatenus* Praeſul, qui filium Dei Chri-„ſtum in vtero virginis initium habuiſſe, (ne in eundem „errorem incideret, formas transmutando) tandem prae-„dicabat. 5.) Eſt *Arrius*, Alexandrinae Eccleſiae Praeſul, „qui pacis ineundae nomine Chriſtum omnium praeſtan-„tiſſimam ante ſaecula Creaturam mediaeque ſubſtantiae „inter Deum et Angelos fore ſimulabat. 6) Donatus, „Africanorum Eccleſiarum Antiſtes, qui filium omnibus „modis minorem eſſe patre, cum omnibus ferme illius „aetatis Praeſulibus, eſſe dicebat, ne ſocium Deo Patri „aliquem eſſe fingeret. 7.) *Heluidius*, *Anſentii* diſcipu-„lus, praeſul Conſtantinopolitanus. 8) *Euſebius Nicome-„dienſis* Praeſul. 9.) *Eunomius*, Cizizenus Praeſul. 10.) „*Miledius*, Aegygtiorum Antiſtes. 11.) *Sabinus*, Praeſul „Heracliae, qui eandem cum *Berillo* et *Donato* ſententiam „ſecuti ſunt. 12.) *Nepos*, Aegyptiorum Epiſcopus. 13.) „*Theodorus*, Carthaginenſis Praeſul, qui C. J. Deum et Do-„minum a Patre palam factum fuiſſe poſt reſurrectio-„nem tantum, aſſerebat. 14.) *Eunomius*, qui generatio-„nem in diuinitate non admittebat. 15.) *Praxeas*, qui „plures Perſonas coaequales in Trinitate negabat. 16.)

„Idem

„Idem et *Photinum* ſcripſiſſe atque docuiſſe ferunt. 17.) „Et *Paulum* quoque Praeſulem Antiochenum. 18.) *Cerdonem* vero tot et tantis opinionibus obrutum, vna cum „*Manichaeo*, *Marcione* et *Mane* duo principia ſtatuere co- „actum fuiſſe ab Aureliano. 19.) *Apellem* vero Theſſalo- „nicenſium Praeſulem ob eiusmodi quoque varias homi- „num ſententias maiorem partem Prophetarum reieciſſe. „20.) Fuit *Sabellius*, qui (ne tres Deos cum Papa docere „videretur) P. F. et Sp. S. tria pura vnius Dei nomina „fuiſſe aſſerebat. Fuit et *Almericus* et *Symmachus* Biblio- „rum interpres, qui ideas in mente diuina creari non „poſſe dicebant, et aeternum verbum ipſum Deum non „poſſe, vnde primum *Acephali* dicti ſunt, qui duas in „Chriſto genitas naturas eſſe negabant."

Eosdem ſectae ſuae maiores ex parte *Andr. Wiſſowatius* in *praeſ. Biblioth. F. F. P. P.* nominat his verbis: „Inter „alia religionis dogmata, maxime circa ipſius Jeſu Chriſti „naturam atque ſubſtantiam, ſeu Perſonam, excitatae ſunt „controuerſiae. Quibus tamen temporibus, dum erro- „res iſti emergerent, viri nonnulli apoſtolicae ſimplicita- „tis tenaces, eis reſtiterunt, vt *Theodorus Byzantinus* cir- „ca annum Chriſti CXC, quem *Victor* Epiſcopus Roma- „nus, genere Afer, ob ſententiam de J. C. cum apoſtolica „conſentientem, ſed ab ea, quae inualeſcebat, diſſentien- „tem, ab eccleſia excluſiſſe ſcribitur: tum *Artemon* cum „ſuis ſociis et *Paulus Samoſatenus* Ep. Antiochenus, circa „a. C. CCLX. (ut praeteream *Beryllum Boſtrenſem* in Ara- „bia et *Marcellum Ancyranum* in Galatia epiſcopos) *Pho- „tinus* Ep. Sirmienſis circa A. C. CCCL, a quo denomi- „nati *Photiniani*, per tempus aliquod veritatum teſtimo- „nium praebent."

Cum hoc ſchemate genealogico conuenit *Narratio compend.* l. c. p. 209: „Obſiſtebant ac reluctabantur „opinionibus aliqui priſtinae tenaces doctrinae. Talis „fuit *Theodorus Byzantinus*, tum *Artemon* cum nonnullis „ſibi adhaerentibus, *Beryllus*, *Paulus Samoſatenus*, cum ſuis

„asseclis, *Photinus*, cum eiusdem sententiae sectatoribus." His omnibus calculum suum adiecit *Stan. Lubieniecius* in *Hist. Reform.* Pol. p. 6. seqq. qui et hos et longe plures inter veritatis diuinae testes collocauit. Eosdem castrorum *Socini* signiferos in medium profert Eques Polonus in *Vindiciis pro Vnitariorum in Polonia religionis libertate* l. c. p. 268, qui quidem sectam suam *Arianos* habuisse antecessores inficiatur; reliquos interim agnoscit parentes.

Mirabile proinde videtur, quod, quam alii coetus Sociniani principes celebrant familiam, alii suam esse negent, hancque per odium esse confictam amicitiam, conquerantur. Ita *Jon. Schlichtingius* in Apol. pro veritate accusata p. 11. inquit: „*Ebionis*, *Cerinthi*, *Samosateni*, „*Arii*, *Serueti*, (quem *Geneuae* crudeliter exustum non „sinet inultum is, quem mediis in flammis inuocauit, ae„terni Dei Filius) partim famosa, partim inuidiosa no„mina nil moramur, quae non ex vero, sed ex odio, et „odii in nos concitandi studio, nobis imponunt." Non praetereundum, quosdam adeo processisse, vt nonnullos *orthodoxam fidem* constanter *professos*, antecessores suos declarare non dubitauerint, quos alio loco ab his criminationibus liberabimus.

§. III.

Qui ab Antitrinitariis recentioribus disciplinae suae celebrantur antiquissimi Magistri, pro veris ac intrepidis Apostolicae doctrinae confessoribus ab ipsis habentur, quos genuinam ac ab Apostolis acceptam veritatem seruasse, sibi persuadent, atque Apostolicae antiquitatis gloriam sibi vindicare student. Orthodoxam e contrario et catholicam de S. S. Trinitate et aeterna Filii Dei existentia doctrinam, a Justino Martyre, vel ab Athanasio et Concilio Nicaeno repetunt, hancque Antitrinitariorum

rum ſyſtemate recentiorem eſſe, quibuscunque rationibus, maxime vero Patrum Antenicaenorum effatis probare, noſtramque fidem Athanaſianam vel Nicaenam appellandam eſſe, contendunt. Quibus ab orthodoxis praeter S. Scr. oracula, non Patrum tantum antiquiſſimorum, verum quoque aliquatenus gentilium teſtimonia olim oppoſita ſunt.

* * *

Ipſos haereſiarchas, recentiores Antitrinitarii veritatis Apoſtolicae teſtes et fideliſſimos antiquioris et purioris doctrinae conſeruatores et Tutores celebrant, quos ab aliis, nouam fidei formam excogitantibus et in orbem Chriſtianum introducentibus, eſſe oppreſſos, et in haereticorum claſſem nefario intruſos iudicant, ſicque tandem minorem Vnitariorum gregem dominanti Antitrinitariorum parti ceſſiſſe. Omnes proinde diſciplinae ſuae originem a Chriſto et Apoſtolis deriuare ac placita ſua per recte ſentientes et veritatis teſtes, a primis Chriſtianiſmi temporibus ad *Socinorum* aetatem eſſe ſeruata contendunt. Ita SAM. CRELLIUS longam *Nazaraeorum* defenſionem, partim in *Artemonio*, partim in opere *Mſc.*, quod in *B. A.* P. I. p. 198. N. 24. allegauimus, ſuſcipiens, his verbis, libri vltimo loco notati prolegomena inchoat: „In libro „hoc noſtro probamus, *Ebionaeos* ab Apoſtolis cum ſua „erronea de Chriſto ſententia in eccleſia Chriſti toleratos „eſſe, *Nazaraeorum vero praeexiſtentiam Chriſti non cre-* „*dentium ſententiam, ipſiſſimam fuiſſe orthodoxam catholi-* „*camque Apoſtolorum tempore doctrinam;* videmusque „adeo contra *Arianos* et *Homouſianos* praeexiſtentiam Filii „Dei ante Mariam ſtatuentes, ſatis ſufficienterque demon- „ſtraſſe, nihil ipſis in illa antiquitate eccleſiaſtica eſſe re- „ſidui, de quo merito gloriari poſſint. Meretur ſane „argumenti ex antiquitate ſumti magnitudo, vt ei etiam

„porro insistamus, et ex omnibus alicuius notae vel aucto-
„ritatis primi ac secundi Seculi monumentis demonstre-
„mus, *Nazaraeorum* et *Artemonitarum de Christi Persona*
„*sententiam, praeexistentiae* τȣ λογȣ *vel filii alicuius prae-*
„*aeterni contrariam*, ipsam fuisse Apostolorum et Christi-
„anorum proximis post eorum excessum temporibus flo-
„rentium orthodoxiam et post tempora demum *Justini*
„*Martyris* illam sententiam sensim inualuisse, quae nunc
„pro catholica et orthodoxa venditatur." Idem in ep. ad
La Crozium in *Thesauro epist. La Crociano* T. I. p. 91. inquit: „*Primus Justinus Martyr Filium Dei iam ante sae-*
„*cula Deum, tandem aliquando incarnatum in Ecclesiam in-*
„*troduxerat;*" *cui* TRYPHO *reponit: „Nos talia dicentem,*
„*aut docentem nunquam audiuimus." Sed et ex aliis qui-*
„*busdam locis liquet in colloquio isto,* JUSTINUM *suomet ip-*
„*sius iudicio sese prodidisse in dogmate isto nouatorem. Ex*
„*suo priuato, non ecclesiae tunc Catholicae, sensu loquitur,*
„*quando Christi Deitatem antesaecularem vrget.*

Non primus audacis asserti inuentor fuit *Sam. Crellius*, qui Antitrinitariis aliquod praesidium ex antiquitate conciliare putauit; sed ante ipsum pro antiquitate disciplinae suae pugnarunt alii, quamuis non aequali subtilitate et ingenii acumine. Omnes eadem oberrarunt chorda, vt ex suo, cum antiquissimis haereticis, quos orthodoxos opinantur, consensu, maximum pro sua caussa petant firmamentum, fidemque nostram, quam petulanter *Athanasianam* vel *Nicaenam* vocant, antiquitate et tempore esse inferiorem, Antenicaenos Patres Arianorum, vel Photinianorum dogmatibus suffragium tulisse; Triados vero terminum in prima Synodo Alexandrina, a. 317 primum in disciplinam Christianam fuisse receptum glorientur. *Andr.* WISSOWATIUS *in Narrat. compend.* venditat: *Nazaraeos et Ebionitas* tanquam simplices Christianos annunciatam ab Apostolis de Deo et Filio eius Christo institutionem seruasse puram, quam post accessionem quorundam Philosophorum, maxime *Platonicorum* ad Christia-

ſtianiſmum, peregrinorum admiſtione dogmatum depravatam eſſe credit. His recentioribus, proprii ingenii opinionibus, vndique inualeſcentibus abſtitiſſe doctrinae apoſtolicae propugnatores *Theodotum Byzantinum*, *Artemonem*, *Beryllum*, *Paulum Samoſatenum* et *Photinum*; cui aſſerto SAUVERANIUS quoque in libro: *Le Platonisme deuoilé*, fulcra admouere conatus eſt.

Id ipſum pro *Ario* eiusque aſſeclis *Sandius* in *Nucleo H. E.*, euincere molitur, nec non *Adam. Goſiauius*, in opere, quod *Jacobo Martini* oppoſitum voluit; vid. B. A. P. I. p. 428. N. 2. Iisdem armis pugnauit *Smalcius* contra *Smiglecium*, et *Dan. Zwickerus*. Immo omnes in id ſtudium ſuum conuerterunt, vt originem diſciplinae ſuae ab apoſtolicis temporibus deducerent; in qua gloria captanda *Whiſtonum* aliquando, *Fayditum*, et *Lubienieciun* aliosque plures occupatos fuiſſe ſcimus. Horum argumenta impudentiſſimi aſſerti arguuntur in GARDINERI *delineatione Catholicae circa S. S. Trinitatem ſententiae*, *Bayeri* diſſ. hiſt. theol. *de Concilii Nicaeni, et oecumenici auctoritate atque integritate*, CALOVII diſſ. de *Confeſſione Martyrum et aliorum fidelium poſt Apoſtolorum exceſſum de S. S. et indiuidua Trinitate*; in anonymi ſcripto, *de recta Patrum Nicaenorum fide*, *Venet.* 1730. SEMLERI *Introd.* Tomo II. *Theologiae Polem. Baumgart.* praemiſſa. HORNEIUS in diſp. theol. IV. ſtudioſe in hunc finem conquiſiuit teſtimonia *Juſtini Martyris*, *Athenagorae*, *Irenaei*, *Tertulliani*, *Clementis Alexandrini*, *Gregorii Neocaeſarienſis*, *Cypriani aliorumque.* In hunc cenſum veniunt, BERNH. VON SANDEN jun. *de teſſera fidei orthodoxa patrum Nicaenorum*, J. H. BALTHASAR *doctrina Policarpi*, *de praecipuis Chriſtianae fidei capitibus*, in ſpecie c. II. p. 79. ſeqq. de S. S. Trinitatis Myſterio, et c. III. p. 106. de Filio Dei, eius perſonalitate, deitate, humana natura, vtroque ſtatu, triplici officio, ſatisfactione vicaria et deprecatione pro hominibus etc. Vid. quoque *Burſcheri* doctrina de S. S. Trinitate et Perſona I. C. antiquiſſimorum

Patrum verbis expoſita et *Frid. Wilh. Dresde*, Diſſ. Hiſt. Dogmatis, de aeterno Dei Filio. *Witteb.* 1776.

Inprimis Antitrinitariorum arma infregit Ge. Bullus in *defenſione fidei Nicaenae*, *Oxon.* 1685. 4., *Amſtel.* 1688. 4. et in operibus eiusdem, *Lond.* 1703. cum praef. et adnotat. I. E. Grabii editis, *fol.* In hoc opere ſingulari eruditione auctor euictum dedit, Patres priorum ſaeculorum de Chriſti et Sp. S. deitate docuiſſe, quae noſtro tempore orthodoxa exponit ſententia; eandemque in Myſterio S. S. Trinit. fuiſſe, quae poſt Concilium Nicaenum. Adfixa ſunt libro 1) *Iudicium eccleſiae catholicae priorum ſaeculorum, de neceſſitate credendi, quod Dominus noſter I. C. ſit verus Deus, contra Simonem Epiſcopium.* 2) *Primitiua et apoſtolica traditio dogmatis in eccleſia catholica recepti de I. C. Seruatoris noſtri diuinitate; aſſerta et euidenter demonſtrata contra Zwickerum Boruſſum, eiusque nuperos in Anglia ſectatores.* Vnitarii olim in Anglia monumentorum eccleſiaſticorum ignaris praeeunte *Zwickero* perſuadere conati ſunt, *Juſtinum Martyrem, Simonis Magi deliriis* ac *Orphei atque Sibyllarum verſibus deceptum, Platonicorumque hypotheſibus aliisque* rationibus inductum, λογȣ ante conditum vniuerſum exiſtentiam ac diuinitatem primum Chriſtianis Catholicis propoſuiſſe; quas fabulas *Bullus* diſpulit. Non acceptum fuit opus hoc Neophotinianis, quamuis in eodem *Subordinationem* in Deitate defenderit *Bullus*. Calamum aduerſus illud ſtrinxit praeter alios Sam. Crellius, cuius opera in B. A. P. I. p. 172 ſeqq. N. 2. et 3. recenſuimus. Emiſit quoque Dan. Whitby tractatum, cui titulum fecit: *Diſquiſitiones modeſtae in clariſſimi Bulli defenſionem fidei Nicaenee*, *Lond.* 1718. In his praecipue monet, quod pugna circa myſterium S. S. Trinitatis agitata, ex Patrum teſtimoniis componi nequeat, et in eo auctor veritatem offendit perhibens, *Bullum* fruſtra demonſtrationem ſuſcepiſſe, quod Patres Antenicaeni idem crediderint, quod in Symbolo Nicaeno demum ſancitum.

Quam-

Quamquam vero in his certaminibus maxime petenda ſint arma ex S. Scripturae armamentario, fidesque noſtra diuinis oraculis, non hominum teſtimoniis ſuperſtructa; fruſtranea tamen ſunt aduerſariorum ſtudia de antiquitate diſciplinae ſuae gloriandi, noſtramque nouitatis arguendi, quae in antiquiſſimorum Patrum ſcriptis ſatis euidenter eſt expoſita. Quod iisdem temporibus quidam a veritate declinauerint, recentioris aevi Antitrinitariis nullum veritatis praetextum ſubminiſtrare poteſt, cum jam antiquiſſimi a veritatis diuinae cynoſura digreſſi, in Apoſtolorum ſcriptis vt tales notentur, et coeleſtis doctrinae anchoram amplexi, admoneantur, vt illorum conſortio abſtineant.

Id quidem facile conceditur, Myſterium S. S. Trinitatis ante Concilii Nicaeni aetatem a quibusdam coetus orthodoxi Doctoribus non ſatis accurate et circumſpecte fuiſſe propoſitum, immo quosdam ita de eodem expoſuiſſe, vt in eorum eloquiis et proponendi modo Arianizantes praeſidium quoddam erroris quaeſiuerint; inde tamen aduerſarii nullum cauſſae ſuae munimentum et calumniandi argumentum petere poſſunt, Myſterium S. S. Trin. eſſe ſaeculi Athanaſiani inuentum, nec antea ab orthodoxis creditum. Non noua in Nicaena vel Conſtantinopolitana Synodo ſtatuta eſt doctrina, S. Scripturae oraculis non firmata, ſed antiquae fidei confeſſio repetita, expoſita et aduerſus ſecus ſentientes aſſerta eſt.

Nullo nondum a compluribus ſuſcepto errore, qui prima aetate a paucioribus defendebatur; non ſatis diſtincte et enucleate Patres quidam de hoc Myſterio docuerunt, qui repugnante diuino teſtimonio in auxilium vocari nequeunt. Nec vllum cauſſae Antitrinitariorum fulcrum admouetur, quod in *Juſtini* ſcriptis myſterium hoc ad eum modum dicendique vſum propoſitum non ſit, ac quidem ſuſcitatis ſequenti tempore controuerſiis, quod SEMLERUS ſignificauit in notis ad BAUMGARTENII *Theol.*

dogm. T. II. p. 42. seqq. et in Beweisstellen des A. T. über die Dreyeinigkeit P. II. p. 58, seqq.

Socinianis, in hac caussa ad Patres Antenicaenos prouocantibus, ipsi hi Patres exosi sunt, quatenus eosdem sibi aduersantes animaduertunt. Hinc de iisdem GITTICHIUS in ep. ad *Ruarum* in huius epp. edit. *Zeltneri* p. 343 inquit: „*Permirum quod statim a fatis Apostolorum* „*omnes in varios errores proruerint. In doctrina de Deo,* „*Christo et Sp. S.*, quantum *apud istos chaos*, quae et „quanta *contradictionum contorta portenta.*" Ratio mutatae huius sententiae in promtu est. Non adspirant eorum effata *Socini* placitis, sed rectius de S. S. Trinitate enuntiabant, tametsi verbis non iisdem, quibus posteri cautiores mysterium hoc exposuerunt. vid. *Grapii* Theol. rec. controv. T. I. p. 111. seq.

Nec aliquid inde roboris pro disciplinae suae forma lucrantur Sociniani, quod recentius sit vocabuli Ομοουσια inuentum, hocque primis temporibus incognitum et non receptum fuerit; cum idem, quod hoc effertur, virtualiter et re ipsa disertis S. Scripturae oraculis confirmetur. v. 9. *Jo.* X, 30. XIV, 9. etc. Vsu tamen receptum fuisse hunc fidei terminum in scholis quorumdam Patrum ante Conc. Nic. EUSEBIUS testis est, qui apud *Socratem* H. E. L. I. c. VIII. inquit: „*Nouimus quosdam ex veteribus doctos ac illustres Episcopos et Scriptores, qui de Patris et Filii diuinitate disserentes nomine ομοουσιος vsi sunt.*" Obseruauit quoque BULLUS sect. II. §. 8. apud *Tertullianum* vocis huius isto tempore vsu vulgatae haud obscura exstare documenta. In *actis Martyrum* selectis, quae THEODORICUS RUINARTUS collegit, Christus a Martyribus celebratur Deus. In actis Martyrii S. *Ignatii* doxologia in Dei Triunius laudem legitur. Smyrnensis Ecclesia in actis *Polycarpi* gloriam tribuit Deo et Patri et Spiritui S. cum Jesu Christo. Plura exposuit PET. ZORNIUS in diss. de notariorum primae ecclesiae in consignandis S. Martyrum actis spectata fide, quod ad Deitatem attinet, aduersus

ſus auctorem Platoniſmi detecti in *Miſcell. nouis Lipſ.* Vol. VII. P. III. p. 409. ſeqq.

Prouocarunt in hac cauſſa interdum Theologi ad exterorum, praecipue idolorum ſacris deditorum, effata, quamuis ab his parum exſpectari poteſt firmamenti. In ipſis gentilium ſcriptis, quibus Chriſti ciuium doctrinam obtrectationibus petebant, orthodoxae ſententiae de S. S. Trinitatis myſterio, et de Chriſto aeterno Dei Filio repe-riuntur monumenta et ectypa, quae illis conſideranda proponunt, qui haec dogmata recentioris aeui eſſe inuen-ta perhibent. Ipſae *Celſi* criminationes monſtrant, Chri-ſtum prima ſtatim coetus Chriſtiani aetate pro vero Deo habitum fuiſſe. Exhibet quoque ſimile teſtimonium *Lu-cianus*, qui non tantum *Chriſti ciues crucifixum praecepto-rem ſuum adorare*, ac pro vero Deo habere, teſtatur; ſed quoque eorum ſententiam *de myſterio S. S. Trinitatis* pro-ponit. In dialogo enim, cui titulum *Philopatris* fecit, opp. Tom. II. p. 770. edit. *Amſtelod.* 1687, obtrectator aduerſarius inducit Chriſti ciuem ſub *Thryphonis nomine*, qui ethnicum *Critias* nomine catechiſando inſtruit et my-ſterium S. S. Trinitatis huic interroganti: *Quemnam igi-tur tibi jurabo?* his verbis adumbrat: *Deum alte regnan-tem, magnum, aetherium atque aeternum, Filium Patris, Spiritum ex Patre procedentem, vnum ex tribus et ex vno tria. Haec tu Jouem puta, hunc exiſtima Deum!* Sed *Jac. Micyllus* in argumento dialogo huic praemiſſo dubio locum eſſe judicat, an *Lucianus* eiusdem auctor ſit, cum dictio et tota compoſitio *Luciani* ſcriptis non reſpondeant. Quam *Micylli* ſententiam haud pauci probarunt, et inter hos J. M. GESNERUS *de aetate et auctoritate dialogi Lu-ciani, Jenae* 1714, 8. eam maxime ob rationem, quod maior in hoc ſcripto rerum chriſtianarum ſcientia, quam in reliquis *Luciani* ſcriptis prodita ſit. In ſine quoque dialogi victoriae a *Perſis* reportatae mentio injicitur, vnde colligunt, eiusdem auctorem ſub *Traiano* potius vixiſſe. Sed nihil obſtat, quo minus ea intelligatur victoria, quae

Marco

Marco Antonino et Lucio Vero imperantibus a. c. CXVI. celebratur. Concedunt nimirum qui *Lucianum* negant auctorem dialogi, eiusdem ſcriptorem illo adhuc antiquiorem fuiſſe, et *Traiani* potius aetate ac initio ſaec. II. quam ſub *Juliano* vel *Antonino Pio* vixiſſe. Vid. GUDII *Paganus Chriſtianorum laudator* p. 8. et ECKARDUS, *de non Chriſtianorum pro Chriſto teſtimoniis*, p. 109. Parum valent, quae *Sandius* ad illudendum *Luciani* vel hoc *antiquioris* teſtimonium in *nucleo H. E.* L. I. p. 88. venditat, inquiens: „*Dicerem equidem, Tryphonem id genus hominum ſignificare, de quibus legimus in Clem. Rom. conſtitut. VI. 25. Ignat. ad Trall. Tarſ. et Philipp. Juſtino contra Tryphonem, qui Luciano ſunt antiquiores.*" Erudite enim monſtrauit BULLUS l. c. ſect. II. c. IV. §. XI. auctorem hujus dialogi non particularem aliquam, aut obſcuram in Chriſtianorum coetu ſocietatem, ſed ipſam religionem Chriſtianam ridendam ſibi ſuſcepiſſe. Praeterea iſti, quorum in *Pſeudo-Clementis Conſtitutionibus*, *Epiſtolis Ignatii interpolatis*, *atque Juſtino* mentio injicitur, haeretici perhibebant: *Filium eſſe ipſum Deum Patrem.* Ab auctore autem huius dialogi *Deus ille alte regnans, nempe Pater, primus nominatur*, tanquam fons diuinitatis; *deinde Filius Patris* vt diſtincta ab eodem perſona ſubjungitur, qui tamen cum Spiritu S. ita Deo Patri natura conjunctus notatur, vt tres illi vnum Deum conſtituant, et tres tamen reuera maneant; a qua doctrinae catholicae fide iſti, de quibus *Sandius* loquitur, longo interuallo abfuerunt.

Extat juxta alia effatum *Libanii* Antiocheni, ſophiſtae Conſtantinop. religione ethnici circa medium ſaec. IV. clari, qui in ſermone in obitum *Juliani*, allegante verba eius *Socrate* in H. E. L. III. c. 23. de *Juliano* narrat: „*Hieme noctes extendente Imperator libros illos adgreſſus, qui hominem Palaeſtinenſem Deum ac Dei filium faciunt*, etc." Quae verba argumentum praebent: Chriſtum ante concilium Nicaenum a Chriſti ciuibus Deum ac Dei Filium habitum

habitum esse. Huc faciunt, quae *Julianum* scripsisse CYRILLUS testatur: „*Jesum quippe neque Paulus Deum dicere ausus est, neque Matthaeus, neque Lucas, neque Marcus, sed bonus ille Joannes, quum sensisset magnam multitudinem in plerisque vrbibus Graeciae et Italicis jam tum eo morbo captam esse; audiretque, opinor, monumenta quoque Petri et Pauli, clam quidem, sed tamen audiret, ea coli, primus id prodere ausus est.*" Licet fabulas et nugas finxerit *Julianus*, ex iisdem tamen liquet: doctrinam de Christo vero Deo a *Joanne* expositam primis ciuitatis Christianae temporibus fuisse cognitam ac susceptam. De hoc argumento ex vtraque parte disputata leguntur in FABRICII *Biblioth. Gr.* T. VIII. p. 312. seqq. ZORNII *opusc. sacris,* T. I. p. 657. seqq. etc.

§. IV.

Antiquiores haereticos, vtriusque Socini aetatem praecedentes, ad quos recentiores Antitrinitarii quadam propinquitate ac similitudine accedunt, in medium protracturi, temporis ordinem seruabimus. *Primo* igitur *saeculo*, quo coelestis humani generis Restitutor orbem hunc suo beauit aduentu, praeter *Pharisaeos* ac *Judaeos* generis humani Reparatori infensos, *Simonem Magum*, et Apostolorum venerandum titulum falso affectantes *Nazaraeos*, *Cerinthum* ac *Ebionem*, immo vniuersam *Gnosticorum* ab inuicem in diuersis momentis dissentientium turbam nouimus, quorum vestigia alio atque alio modo pressisse ambos Socinos horumque discipulos, pro orthodoxa fide pugnantibus euictum videtur.

* * *

Saec.

Saec. I. quo Seruator ſuo orbem colluſtrauit aduentu, plurimi ſeruili eius habitu offenſi, terrarum Rectorem praeoptantes Judaei, aeternum Patris Filium ac generis humani Vindicem blasphemarunt. Cum his non male comparari omnes, quocunque modo in Chriſtum iniurios, *Tertullianus* aduerſus *Praxeam* judicauit docens: „*Nihil a Judaeis differre, qui cum iis ita vnum Deum confitentur, vt Chriſtum non agnoſcant in hoc vno Deo.*" Omnes Judaei caecique ipſorum duces *Phariſaei* ex lege juſtitiam coram Deo adfectantes, admodum operibus ſuis confidebant, vt iisdem aeternam ſalutem demereri poſſe ab hominibus ſecundum legis litteram viuentibus putarent. Spreta hinc in promiſſum et jam manifeſtatum Abrahami ſemen fide, poſthabito infiniti pretii merito, externo cultu ſpecioſaque legis obſeruatione meritum proprium Deo a mortalibus offerri, juſtitiamque non ſufficientem tantum, ſed abundantem obtineri poſſe imaginabantur. Simili errant ratione, qui ab vtroque *Socino* adpellantur. Perinde enim habita perfectiſſima Mediatoris Deum inter et homines ſatisfactione, proprio virtutum ſtudio perfectam a mortalibus Deo obedientiam praeſtari poſſe, remuneratione dignam, ſibi perſuadent.

Judaeos excipit *Simon Magus*, Samaritanus, circa annum Chriſti 37. magiae fama inclytus, *Act.* VIII, 14—24. qui tamen vna cum Judaeis hoſtibus diſciplinae Chriſtianae potius quam haereticis accenſendus. De illius perſona, fatis, deliriis, magicis artibus, Simoniae crimine, iisque qui hominis huius placita propugnarunt; de quaeſtione, an plures hoc nomen tulerint, an de eodem intelligenda, quae *Joſephus* de *Simone* quodam *Mago* narrauit, quae inter eruditos diſceptata ſunt, apud Scriptores H. E. longa ſerie leguntur. v. *J. Ittigii* H. E. ſaec. I. p. 284. et de Haereſiarchis I et II. ſaec. p. 24. *J. G. Walchii* H. E. N. T. *Weiſmanni* H. E. T. I. p. 123. ſeqq. *Moshemii* diſſ. ad H. E. pertinentes Vol. II. p. 55. eiusdem *inſtit. maiores* p. 389 ſeqq. et *C. W. F. Walchii* hiſt.

haeres.

haeres. P. I. p. 135. Vera delineatio systematis, quod defendit, suppeditari nequit, cum diuerso prorsus modo *Irenaeus*, *Justinus M. Tertullianus*, et post hos *Epiphanius*, *Theodoretus*, *Augustinus*, *Hieronymus*, aliique rerum ecclesiasticarum commentatores illud proponant. Christiani nominis gloriam Simonem affectasse veri simile quibusdam videtur, quamuis, quae de ipso narrantur deliramenta, adversus professionem doctrinae Christi pugnent. Docuit ex quorundam, in specie *Irenaei*, haer. L. I. c. 20. relatione, Patrem, F. et Sp. S. varia tantum esse ejusdem personae diuinae nomina, quibus pro diuersa operatione insignitur. *Augustinus* eum dixisse narrat, quod Deus vt Pater *Mosi* legem tradiderit, vt *Filius* sub imperatore *Tiberio* apparuerit, et sub figura linguarum ignearum vt Sp. S. in apostolos descenderit. Hac igitur ratione, si vera exposita sunt, cum Antitrinitariis consentiebat, quod vnam tantum statuerit Deitatis personam, quamuis eum alia insuper sibi effinxisse, ex *Irenaei* verbis, aliisque de homine hoc monumentis, haud pauci contendant, quae tamen a *Moshemio* in dubium vocantur. *Zwickerus* in *Irenico Irenicorum* p. 16. (B. A. P. II. p. 1054.) friuole, absque omni veri similitudinis specie prodit: eum primum fidei evangelicae de Christi deitate, et de duabus in Christo naturis fuisse auctorem. V. *Jo. Hoornbeckii Socinism. confut.* T. 2. proleg. p. 22. De infelici *Simonis* studio Platonicas Judaicasque traditiones cum orthodoxa de S. Trinitate doctrina conciliandi, historiae sacrae scriptores allegati, et praetera *Vitringae Obs.* L. V. p. 120. *Buddei eccl. Apost.* p. 323. *Lange*, de haeresi 1. et 2. saec. n. IV. p. 14. seqq. *Mich. Siricii, Simonis Magi prauitas*, Giessae 1664. *Christ. Schotani*, disp. *de Simone Mago*, Franckof. 1662. legi possunt.

Sequitur *falsorum doctorum* caterua, qui Apostolorum tempore, ingenita in Judaismum propensione, legem ritualem cum Euangelio, obedientiam Leuiticis statutis praestandam cum spe obtinendae per Christum salutis, meri-

meritum ex operibus cum fide, justitiam externam speciosam cum eo, qui nobis a Deo factus est justitia, exitiali mixtione judaizantes copulabant. Horum tramitem ingrediuntur, qui spreta saluandi per Christum fiducia, disciplinam ad virtutis externae speciem efformatam amplectuntur, huiusque obseruatione aeternae beatitudinis brabaeum obtineri posse, sibi aliisque persuadent. In hos comminationes quadrant, quas in falsos sui temporis doctores eloquutus est *Paulus* 2 *Cor.* XI, 13. 14. *Phil. II*, 1. 2. 18. 19. *Rom.* XVI, 17. seqq.

Nazaraeos vt hoc loco protrahamus, ipsi Sociniani auctores sunt, qui de hoc parentibus et antecessoribus suis gloriantur. Omissi quidem sunt ab *Irenaeo*, nec eorum sub hoc nomine mentio fit a *Clemente*, *Tertulliano*, *Eusebio* aliisque; meminerunt tamen eorum *Epiphanius haer.* 29. et *Augustinus* contra *Faustum Manich.* c. 18. Hi vero cum parum nec accurate et sufficienter de iis exponant, in tenebris nobis palpitandum est. Hoc interim nomine antiquissimi coetus Hierosolymitani reliquias intelligi, eosdemque longe ante *Epiphanii* tempora et saec. I. jam exstitisse, probabile videtur *Moshemio*, in H. E. Saec. I. p. 130., quamuis veri simile sit, eosdem propter rem domi angustam diu in Palaestinae angulo latitasse, et quarto, vel quinto demum saec. celebre nomen ac maiorem famam consequutos esse. Nazaraei iidem videntur, qui a *Clemente Alex.* Strom. L. VII. c. 17. appellantur *Peratici*, a *Peraea* Palaestinae tractu, cujus vrbs *Pella* celebratur, ita dicti, in quam *Hadriani* tempore vna Christianorum Hierosolymitanorum cohors concessit, cum altera *Aeliam* se conferret. Qui vero *Peratici* distinguendi ab iis, quos *Theodoretus* haeret. fabul. L. I. c. 17, *Peratas* appellat, qui ab homine quodam *Euphrate Peratico* ita dicti sunt. *Nazaraeorum* nomen primo tempore omnibus Christi ciuibus ignominiae caussa a Judaeis impositum esse, vt a Christo Nazarethano designarentur, ex *Act.* XXIV. 5. constat. Postea sectae

cuidam

cuidam in ciuitate chriſtiana a doctrina apoſtolica aberranti in ſpecie datum eſt. Omnibus *Nazaraeos* caruiſſe erroribus, optimisque Chriſti ſectatoribus in doctrina et moribus comparandos eſſe, ac vnam cum *Ebionaeis* conſtituiſſe ſocietatem, *Jo. Tolandus* in Nazareno defendit; mutaſſe tamen hunc ſententiam ſuam, conſtat. Eandem ante *Tolandum* opinionem *Souveranius* l. c. P. II. C. XIII. p. 390. adſtruxit, quos refutauit *Moshemius* in vindiciis antiquae chriſtianorum diſciplinae; Sect. I. 6. p. 117. ſeqq. et demonſtrauit, eos diuinitatem Jeſu Chriſti in dubium vocaſſe, nec ita de eius diuina natura, vt decet, docuiſſe. Ex omnibus, quae de ipſis relata leguntur, coniici poteſt, quod a *Cerintho* et *Ebione* diuerſa de Chriſto ſtatuerint, huncque ex *Joſepho* et *Maria*, ſed ex virgine, ſola diuina virtute natum eſſe, immo vim quandam diuinam in ipſo fuiſſe crediderint; aſt diuinitatem eius, eumque ante ipſius ex Maria natiuitatem exſtitiſſe, inficiati fuerint. In hoc praeciſe paſſu Sociniani *Nazaraeos* maiores ſuos compellant, quamuis etiam alio reſpectu, quoad articulum *de lege* parallelismus inter vtrumque coetum inſtitui poſſit. V. *Jo. Voigtii* Biblioth. haereſiol. T. I. P. I. p. 1. ſeqq. *Sam. Crellius* diſſ. VIII. operis ſui *Mspti* de *Nazaraeis*, quos veritatis confeſſores praedicat, ſequentia expoſuit: „*Alterum*, inquit, *genus primorum Chriſtianorum* Nazaraei *fuere, ab Ebionaeis, qui primum conſtituunt, in eo diuerſi, quod crederent, Jeſum absque viri coitu, ſola vi altiſſimi in vtero virginis conceptum, coeteroquin* Ebionaeis *in omnibus fere, quae Chriſti perſonam concernunt, homodoxi. Jeſum enim apud Jordanem demiſſo in eum omni ſpiritus S. fonte, generatum fuiſſe filium Dei ſingularem, etiam profitebantur, nullam vero eius ante Mariam realem agnoſcebant praeexiſtentiam. Niſi adeo antiquos Nazaraeos ſtatuamus, ſupponendum atque fingendum erit, aut ſolos a principio Euangelii in Eccleſia Chriſti fuiſſe* Ebionaeos, *aut orthodoxos, Chriſtum pro Deo aeterno creatore coeli ac terrae incarnato habentes, ſolis*

Ebionaeis permixtos. Adeoque primos Christianos, in his duobus extremis fuisse versatos, ut VNA *pars crederet Christum Deum praeaeternum, filium ab aeterno e substantia patris genitum, in vtero postea virginis e Spiritu S. conceptum:* ALTERA, *Ebionaei, inquam, ne quidem conceptum e Spiritu S. in vtero virginis agnoscerent, sed hominem hac in re vulgarem fuisse crederent, et tamen ab aliis in vna ecclesia tolerati ac pro fratribus agniti fuerint. Successu vero demum temporis, et post excidium Hierosolymitanum, exortos esse* NAZARAEOS, *conceptionem quidem Christi e Sp. S. agnoscentes, sed praeexistentiam eius ante Mariam negantes. Neminem credo inter hodiernos orthodoxos fore, qui talem Homousianorum et Ebionaeorum mutuam tolerantiam pro re absurdissima et incredibili reputet, et non potius agnoscat, si Ebionaei in Ecclesia Apostolica fuerunt tolerati, vti quidem ex dictis satis elucescit: Apostolos apostolicosque viros non fuisse Homousianos, aut Trinitarios, sed solummodo Nazaraeos nunc a nobis descriptos, qui praeexistentiam Filii Dei ante Mariam non credebant, sed e Sp. S. in Virginis illibatae vtero conceptum fatebantur. His enim multo magis, quam Homousianis convenit, Ebionaeos tolerasse. Quod nomen eorum attinet, prout Hartmannus de rebus gestis Christianorum sub Apost.* p. 539. *non omnino male iudicat, simile quid de eo ac de nomine Ebionaei statuendum est. Quemadmodum nempe cognomento Ebionaeorum primum omnes Christiani a Judaeis per conuicium designabantur, postea vero haereticis quibusdam illud mansit proprium; sic etiam Nazaraei vel Nazareni a principio per scomma omnes Christiani Judaei, a Judaeis incredulis nominabantur eo, quod ex vico Nazareth Messiam deducerent, cum verus Messias eorum sententia alibi oriri viuereque debuerit; nomen vero illud postea Christiani quidam a se in haereticos certi generis deuoluerunt. Non errabimus, puto, si originem nominis istius Nazaraei, quatenus certam quandam Judaico-Christianam denotat sectam, ab Ebionaeis distinctam, eidem tempori at-*

que

que auctori adscribemus, cui etiam denominationem Ebionaeorum adscripsimus. JUSTINUS *nempe* MARTYR, *praeexistentiam filii Dei in Mariae vtero incarnati excogitans, et Judaeos illos in Christum credentes, qui eum e Josephi semine conceptum esse credebant, sibi e diametro, et altero extremo oppositos esse videns, quo magis eos ob hanc sententiam deprimeret ac exagitaret, vetus illud Ebionaeorum nomen, quo omnes a Judaeis infidelibus vocati fuerant Christiani Judaei, praecipue ad istos solos deuoluit ac applicauit. Cum vero bene sciret; esse alios Judaeos, qui Christi e Sp. S. conceptionem cum christianis gentilibus faterentur, et nihil aliud de Christi Persona, quam reliqua hucusque ecclesia docerent, iis sane multo melius sentientibus, nomen illud Ebionaei non ausus est tribuere; sic enim omnes Christianos Catholicos sui temporis, Nouator ipse Ebionaeos appellasset, et ipsos orthodoxos omnes in caput suum concitasset; quod novae suae Platonico-Christianae de Filio Dei sententiae minime proficuum fuisset. Istos itaque Nazaraeorum nomine, vt eos ab Ebionaeis distingueret, quae distinctio sane ipsi erat necessaria, appellabat; idque sua sententia valde apposite, quia illi filium Dei non ante Saecula, sed in vico Nazareth demum exortum fuisse credebant, licet e Spiritu S. conceptum fuisse crederent. Euangelium secundum Hebraeos seu XII. Apostolorum, quo Nazaraei vtebantur, teste* HIERONYMO, *hebraico, id est Chaldaico et Syriaco idiomate conscriptum erat, quod ab auctoribus quidem inquit* MILLIUS *in Proleg. ad N. T. p. VI. col. 2. seu etiam illis, in quorum gratiam compositum erat, hebraeorum aut secundum Hebreos, ab Apostolicis vero traditionibus, ex quibus fere constabat, Euangelium duodecim Apostolorum dictum est. V.* GRABE *spicil. Patr. Sec. I. p. 16. qui id a Catholicis orthodoxis editum esse existimat, et a primis christianis Hierosolymae, antequam canonica IV Euangelia prodiissent, editum fuisse pro vero simillimo habet.* FABRICIUS *in Cod. Apocr. N. T. p. 330. cum* COTELERIO *melioris notae Apocryphum id vocat. Euangelium hocce*

 tot

tot elogiis veterum ac recentiorum ornatum in reſiduis fragmentis ac allegationibus a Grabio et Fabricio l. c. congeſtis animaduertimus. Notandum tamen, Grabium fragmenta Euangelii Ebionaeorum ex Epiphanio immiſcuiſſe fragmentis, *ſeu allegatis* ex Euangelio ſecundum Hebraeos, *ſiue XII. Apoſtolorum* vocato, quia tunc iſta duo Euangelia pro vno eodemque habuit, quem vero errorem ſuum correxit in notis ad Irenaeum L. III. c. XI. p. 220. Simili modo Millius in Notis ad N. T. errauit, *eundem* vero errorem *in Prolegom. ad N. T.* emendauit."

Fragmenta et dicta huius Euangelii *Sam. Crellius in Mſcpto* allegato diſſ. XI. tractauit, ex iisque ſuam de Nazaraeis opinionem adſtruere allaboravit. Hoc enim illius eſt judicium: „*Nihil fere eſt in hoc Euangelio reperiendum fidei orthodoxae modernae contrarium, niſi quod ab auctoribus praeexiſtentiam filii ante Mariam, dogma Trinitatis perſonarum in vna eſſentia, Chriſti praeaeternam, omniſciam deitatem minime credentibus fuerit conſcriptum. Sed ſi illud eo nomine reiicere velis, reiicias licet totam primaeuam aeui Apoſtolici vel Apoſtolico proximi antiquitatem eccleſiaſticam. Eam enim huic ſententiae fuiſſe addictam, totus noſter ille liber demonſtrabit. Neque mireris haec et ſimilia ſcripta a Patribus orthodoxis ſequentis temporis nonnunquam laudari. Antiquitas illis pretium addiderat, et ſi talia rejeciſſent omnimode ſcripta, quid ipſis quaeſo de prima antiquitate reſidui remanſiſſet?*"

Poſt *Nazaraeos* Cerinthus circa finem ſaec. I. quibusdam Seruatoris noſtri legatis, *Joanne* ad minimum, nondum defunctis, eccleſiam erroribus turbauit. De eiusdem perſona, patria, tempore, quo praeciſe vixerit, aliisque hanc hiſtoriam concernentibus, adhuc inter eruditos non concernit. Quidam eum ſub *Antonino Pio*, adeoque ſaec. 2. inclaruiſſe, perhibent, v. g. Basnagius *exercitat. hiſtor. Crit. contra Baronium* ad a. XXI. p. 358. ſeqq. et *Annal. polit. eccleſ.* T. II. p. 6. Lampius in comm. ad Joannem,

nem, Prolegom. III. c. 3. §. 18. p. 182. contendit, primo saec. usque ad *Theodotum* nullum exstitisse, qui diuinitatem Christi vllo modo in dubium vocauerit. Verum tanti ponderis non sunt rationes, vt a communi sententia de aetate CERINTHI recedendum sit; quam optime defendunt BUDDEUS et ITTIGIUS, qui illum inter haereticos Apostolici aeui collocant. Nec ab omni veritatis similitudine remotum est, quod *Joannes Cerinthum* in balneo Ephesi considentem conspiciens errorum ipsius odio commotus aufugerit, hancque fugae caussam attulerit: „*Vereri se, ne balneum in adversarium hunc diuinae veritatis corruat,*" quod *Irenaeus* se audiuisse cum pluribus, qui *Polycarpum* haec narrantem perceperunt, exponit. Quod vero paucis momentis interiectis balnei tectum corruerit ac *Cerinthum* ruina sepeliuerit, *Irenaeo* tacente a recentioribus peruulgatum videtur. V. *Voigtii* dissert. *de haereticis misera morte exstinctis. Sam. Crellius* in Mspto. alleg. diss. I. §. XIV. arbitratur, istam historiam non *Joanni Apostolo*, sed *Joanni Presbytero* conuenire. Balneum ipsi videtur judaicum, idque publicum, vbi Judaei judaico more lauabantur, quod *Cerinthus*, aut Judaeus natione aut Judaizans, et *Joannes* ille alter, Judaeorum ritus et consuetudines stricte obseruans, ingredi solebant. Hic cum sciret *Cerinthum* fuisse ex Antichristorum numero ab Apostolis non ita pridem anathemate percussorum, quos nemini in domum suam recipere vel salutare licebat, existimabat, id eo vsque extendi, vt ne in tertio quidem loco, publico licet, sub eodem tecto cum eis consistere liceret. Quae superstitio (*Verba sunt* CRELLII) non in *Joannem Apostolum* cadit, sed alter ille *Joannes*, vt omnes primi Christiani erroribus obnoxii, eiusdem erroneae verborum Apostolicorum interpretationis, post decessum praesertim Apostolorum, capax esse potuit. Addit CRELLIUS: *Joanni Apostolo* non conuenire timorem, ne ruina balnei vna cum *Cerintho* opprimeretur, poenaeque diuinae particeps fieret grauissimae, nisi e balneo propere exsiliret,

ac inde cum maxima praecipitatione, grauitati ac senectuti extremae *Joannis Apostoli* minime conueniente, erumperet et aufugeret. Sed haec et quae porro disputat, tanti non sunt, vt, quae de *Joannis Apostoli* cum *Cerintho* in balneo congressu narrantur, in dubium vocari debeant, quem ideo negat CRELLIUS, vt hypotheses suas ex libri ipsius *Mspti* contentis perspiciendas, et in specie eam, qua negat *Joannem Apostolum* longaeuum ad *Traiani* vsque tempora superstitem fuisse, quauis ratione fulciret, vel quae iisdem aduersantur remoueret. Quam vero superstitionis accusat fugam *Joannis*, rectius intelligunt, qui eadem *Joannem* voluisse auditores suos monere, vt *Cerinthum* ipsiusque communionem auersarentur. V. EDZARDUS *de Joanne, Cerinthi praesentiam fugiente. Witteb.* 1723. 4. Num *Joannes Cerintho* atque *Ebioni* antidotum Euangelio suo parauerit, dubium quibusdam est visum. Licet enim perpetua traditione stipati, non rumore seducti id affirment, *Hieronymus* in catal. script. eccles. c. 9. sub voce *Joannes*, quem ab Asiae episcopis rogatum *aduersus Cerinthum* et *Ebionaeorum* Christi praeexistentiam negantium Euangelium suum scripsisse, diserte narrat; *Irenaeus* L. III. c. 11. *Epiphanius haeres.* XI. et XXVIII. *Augustinus* et *Theophylactus* in *Prolegom. ad Joannem;* id tamen impugnant *Basnage* et *Lampius* l. c. Fidem interim patrum defenderunt BUDDEUS l. c. p. 414. seq. OEDERUS in *comment. de scopo euangelii Joa. Hoffmann* in Annotat. ad *Pritii Introd.* in lect. N. T. p. 204. BULLUS l. c. c. II. p. 14. In eo, nisi omnes, plurimi tamen consentiunt, nec id *Sociniani* in dubium vocant, quod *Cerinthus* statuerit, Christum nudum tantum fuisse hominem, qui ante eius ex Maria et Josepho natiuitatem non exstiterit. In hunc hominem cum baptizaretur, effluvium aliquod diuinae naturae emanasse, vel etiam sub columbae specie descendisse Christum, (quem aeonum creatarum quandam, minime vero diuinae essentiae personam putat,) qui ipsi Deum altissimum monstrauit, et patran-

patrandi miracula virtutem communicauit. Electum a Deo esse Jesum propter sapientiam et singularem vitae sanctimoniam prae ceteris, ad diuinam illam naturam, quam *Christum* appellabat, recipiendum. Hanc tandem diuinam potentiam Jesum hominem omnibus parem, cum huic mors instaret, deseruisse, eumque passum et cruci affixum, tertio die resurrexisse. Videtur quidem *Cerinthus* duas in Christo distinxisse naturas, sed diuinam, quam cum illo annos aliquot coniunctam arbitrabatur, a Deo diuersam fuisse credidit. Hinc *Moshemius Inst. hist. Chr.* mai: Saec. I. p. 252. inquit: „Abest, fateor *Corinthus* a „Socinianis, qui nunquam diuinam et coelestem naturam „quandam ab homine distinctam in Christo commoratam „esse arbitrantur; sed nec recte de diuinitate Seruatoris „nostri praecepisse." Quid de mediatorio Christi officio statuerit, ex dictis diiudicari potest, qua in re praecessisse Socinianos adparet. Nullum re vera Christo tribuit praeter docendi, hominesque de natura incogniti Patris erudiendi officium. *Zwickerus* l. c. prodidit: *Cerinthum*, juxta *Simonem*, primum personarum Trinitatem, et in Christo vnionem duarum naturarum personalem excogitasse; quem confutauit *Hornbeckius* l. c. p. 24. seqq. Ante *Zwickerum* idem aliis persuadere studuit *F. Socinus*, qui *Cerinthum* eam de J. C. sententiam tenuisse, quam Orthodoxi defendunt, in *tract. de Ecclesia* Racov. 1611. 8. p. 33. perhibet et ad *Irenaeum* L. I. c. 25. et *Eusebium* L. III. c. 24. et 22. prouocat, coetusque sui opinionem quoad hoc argumentum longe abesse a *Cerinthi* placitis colligit. Ex hac ratione Sociniani quidem concedunt: S. *Joannem* contra *Cerinthum* Euangelium suum scripsisse; sed simul aduersus omnes, qui credunt Christum esse Dei filium, ex patris essentia genitum. Id ipsum *Lud. a Woltzogen* in *Comm. ad euang. Jo.* venditat. Idem incongruam inter *Orthodoxos* et *Cerinthum comparationem* instituit. „Quemadmodum enim, (inquit,) *Cerinthus* quicquid diuini in domino Jesu erat, non ipsi, sed alteri per-

 sonae,

ſonae, quam Chriſtum appellabat, attribuit; ſic Euangelici omnia, quae in Domino Jeſu diuina eluxerunt, non ipſi, verum potius ſecundae Deitatis perſonae tribuunt." Ipſe tamen teſtatur: Nos pro abſurdo habere, duas in Chriſto ſtatuere perſonas, vnde adiuncta ſit diuinae Chriſti perſonae, non humana Chriſti perſona, ſed natura. Quod F. *Socinus* et *Zwickerus* adſtruere conantur, id *Sam. Crellius* quoque in *Mspto* ſuſcipit, qui *Cerintho* homouſianos propiores eſſe ſtatuit Socinianis Vnitariis, cumque Joannes in Euangelio et epiſtolis non *Ebionaeos* ſed *Cerinthum* potius confutauerit, hinc nec illos in his ſcriptis diuinis notatos eſſe, nec illorum ſectatores Socinianos ſibi perſuadet, ſed homouſianos, quos *Cerintho* affines putat. Ita diſſ. X. §. 13. 14. inquit: „*Cum luce meridiana clarius ſit, Joannem quidem contra Cerinthum ſimilesque errores, ſed non contra Ebionaeos, qui tunc praexiſtentem J. C. diuinitatem reiecerint, Euangelium et epiſtolas ſuas exaraſſe; clara quoque eorum eſt abſurditas, qui modernos Vnitarios aut Socinianos in praedeceſſoribus ſuis Ebionaeis a Joanne confutatos et condemnatos eſſe confidentiſſime, ne dicam impudentiſſime contendunt.. Atqui Joannes contra eiusmodi homines agit, qui praeter et extra et ante Jeſum Nazarenum e Maria natum filium Dei praexiſtentem et mere ſpiritualem introducebant; quod cum Socinianorum de Chriſto dogmate nullam prorſus habet affinitatem, imo eorum dogmati e diametro aduerſum eſt; ſed ad Arianorum et Homouſianorum dogma propius ſane accedit. Aſſeritur vulgo, Joannem contra hoſtes diuinitatis Chriſti ſiue τῦ λόγυ ſcripſiſſe; immo potius contra amicos et aſſertores cuiusdam majoris diuinitatis τῦ λόγυ, longe verius dixeris. Cerinthus enim aliique Nicolaitae hoſtes non erant diuinitatis τῦ λόγυ, quam plenis buccis vrgebant et adſtruebant. — — — Habebant Cerinthiani λογον pro emanatione aliqua ex eſſentia ſummi Dei, ipſo Creatore mundi longe ſublimioris atque altioris. Diuinitatem ergo τῦ λόγυ potius oppugnat Joannes, nullum filium Dei agnoſcens vnigenitum, qui non ſit*

Jeſus

Jesus ille homo e Maria, Augusto imperante, Bethlehemi natus. Deinde Cerinthus et Nicolaitae docebant, λόγον non fuisse carnem, sed in carnem venisse, et homini Jesu fuisse coniunctum. Idem docent Ariani et Homousiani; licet non eo modo, vti Joannis tempore exorti Anti-Christi, Sociniani vero id nullo modo docent. — — — Cerinthus et Nicolaitae cum Arianis et Homousianis post sua tempora futuris docebant vnionem praeexistentis ante Mariam λογȣ diuinae cuiusdam personae cum homine Jesu, licet istam vnionem diuersimode explicarent Nicolaitae, Ariani et Homousiani. At Sociniani vnionem alicuius λογȣ praeexistentis, diuinae personae cum homine Jesu nullatenus docent, ac totum hoc dogma, quantum quantum est, pro puro puto figmento habent. Ergo longe magis ab illorum Antichristorum dogmate, quam Ariani et Homousiani remoti sunt, etc. Quae *Crellius* in *Msc.* de Joannis Euangelio, caussae sui coetus non aduersante, sed potius auxilium ferente et de *Cerinthianis* orthodoxorum sententiae propinquioribus exposuit, ab aliis, *qui de Cerintho* et *Cerinthianis* differuerunt, quos nominat *Ven. Walchius* in Hist. haeres. T. I. p. 247. —273. sub examen vocata leguntur.

Agmen eorum, qui hoc saeculo simili, quo Sociniani, modo a veritate declinarunt, claudat EBION, qui cum *Cerintho* eodem, paulo ante illum tempore vixit. Sub *Domitiano* enim vel *Tito Vespasiano* viguisse *Ebionem*, *Cerinthum* autem a. C. 72. natum fuisse, variis adstruitur argumentis. Non carere *Ebionis* ac *Ebionitarum* historiam maximis difficultatibus, notissimum est. Nonnulli *Cerinthum* cum *Ebione* eundem fecerunt, illumque hoc nomine ob miserrimam aegerrimamque vitae conditionem contemtim appellatum esse, sunt arbitrati; quod vero mera coniectura nititur. Vid. *I. E. Grabe* ad *Iren.* Lib. III. c. 3. p. 204. Vocabulum hebraeum אביון pauperem ac inopem denotat, quod opinioni locum fecit, Christi ciues ex Judaeis conuersos, omni ope et vitae necessariis a contribulibus suis destitutos, *Ebionitas* fuisse vocatos,

 nec

nec vnquam hominem exſtitiſſe nomine *Ebionem.* Immo Ebionaei ipſi, teſte *Epiphanio* haer. XXX. maiorum ſuorum paupertatem, qui bona ſua vendiderant, vt ex pretio eorum pauperibus ſubuenirent, nomen hoc ſibi peperiſſe aſſeuerabant. Sunt huius ſententiae defenſores SOCINUS *Explic.* ad. Jo. I. 6. OSTORODUS l. c. *Sam.* CRELLIUS in *Msto.* alleg. diſſ. VII. aliique ex hoc coetu. Eam amplexi ſunt *Rich. Simon.*, *Curcellaeus*, *Io. Clericus*, *Vitringa*, *Thom. Ittigius*, *Godof. Arnoldus*, *Rhenferdus*, *Juriaeus*, *Hartmannus*, *Ioach. Langius* in H. E., *Io. van der Waeyen* et plures. SEMLERO in *Inſtit. ad liber. erud. theol.* L. I. p. 90. Ebionitae non videntur ab huius nominis homine, ſed a miſera opinionis indole ab aduerſariis catholicis ſic vocati. Alii tamen illos ab *Ebione* Judaeo quodam vel potius *Samaritano* nomen ſuum tuliſſe putant, quos inter eſt *Pfaffius* in H. E. *Feurbornius* in *Anti-Oſtorodo*, *Schelvigius* in diſſ. de *Ebionitis*. Ipſe *Ittigius* ſententiam ſuam mutauit et contrariam de *Ebione* quodam tuitus eſt in *obſeru. Miſcell. Supplemento opp. Clementis Alexandr.* *ſubiunctis* obſ. IX. *Moshemius* problematibus hiſtoricis accenſet, nec veritatem certo demonſtrari poſſe judicat, in *diſſ. ad H. E.* ad quam ſententiam quoque acceſſerunt *Weiſsmannus* P. I. p. 128. *Walchius ſen.* in H. E. N. T. p. 527. et *Iun.* in hiſt. haeres. T. I. p. 110—123. *Jablonscki* in Inſt. H. E. antiqu. p. 34. *Melch. Siricius* diſſ. de *Ebione* ac *Ebionitis antiquis et recentioribus*, *Gieſſae* 1668. *Ebionaeos* pariter ac *Cerinthianos* judaizantes fuiſſe indubitatum videtur, quod *Mich. Lequien* in diſſ. VII. quae praefixa eſt *Tomo I.* Opp. *Io. Damaſceni*, *Paris.* 1712. demonſtrauit; commune nimirum Ebionitarum nomen fuiſſe eorum, qui Chriſti doctrinam retentis juxta Judaeorum ceremoniis ſequebantur. Prolixam *Sam.* CRELLIUS de *Ebionaeis*, quos poſt Apoſtolorum tempora ad *Juſtinum* vsque *Martyrem* in eccleſia fuiſſe toleratos credit, inſtituit tractationem in *Mſcto* citato, in primis Diſſ. VII. et VIII. Nomen tuliſſe ab *Ebione* quodam pernegat, *Ebionem*

nem non, nisi in Vtopia exstitisse credit, et *Eusebium* allegat dicentem, *Ebionaeos*, hoc est, pauperes *proprie* aut apposite vocari, quia pauperem atque abiectam de Christo fouerent opinionem. Quo ipso eum indicasse et judicasse putat, eos non ab *Ebione* aliquo ita vocatos; alioquin occasione adeo vrgente, non neglexisset monere, eos etiam et quidem praecipue ab *Ebione* sectae suae auctore sic fuisse nominatos, si talem *Ebionem* vnquam exstitisse credidisset, aut vllibi in monumentis fide dignis memoratum fuisse vidisset. Quod vero in libro EUSEBII *de locis hebraeis*, ab *Hieronymo* in latinum sermonem translato, legitur, *Ebionitas a Principe haereseos nuncupari*, et *contra istiusmodi dogma Paulum ad Galatas scripsisse*, *Hieronymi* ipsius additionem esse colligit. Per *Ebionaeos* proprie sic dictos et a ceteris Christianis ita primitus appellatos judice CRELLIO l. c. Diss. VII. §. 19. intelligendi sunt illi soli, qui Jesum credebant esse Christum illum promissum, et Filium Dei, de quo Ps. II. Filius meus es tu, ego hodie genui te; sed (quia antiquas Judaicas Seniorum traditiones stricte sequebantur, quod *Diss.* VIII. §. 15 et 16. euincit) hominem ex hominibus, e *Josephi* semine conceptum, a mortuis autem resuscitatum fuisse et in coelos adscendisse, sedere et regnare a dextris Maiestatis in excelso, cultu post Patrem secundo adorandum atque inuocandum tanquam Mediatorem et oblationum nostrarum Pontificem, e coelis rediturum ad judicium viuorum et mortuorum. Legem Mosis esse obseruandam etiam gentilibus Christi fidem amplectentibus, quare etiam *Pauli* Apostoli epistolas huic sententiae contrarias reiiciebant, *Euangeliumque quoddam hebraicum*, dictum *secundum Matthaeum*, pro praecipuo doctrinae suae *de conceptione Christi per Josephum* fundamento habebant. Quae praeterea *Crellius* de Ebionaeis in *Mscto* exposuerit, ex conspectu operis, quem in fine huius capitis exhibituri sumus, patebunt. Multo quidem eruditionis adparatio adstruxit C. A. DOEDERLEIN in *comment. de Ebionaeis e numero hostium diuinita-*

vinitatis Christi eximendis, Buzouii 1770. male collocatos esse inter Antitrinitarios, maxime hoc argumento: Quia crediderint hi Judaizantes ex Judaismo ad Christum conversi: Verbum Domini, λογον, quod personam deitatis ante secula existentem judicauerint, in hominem Jesum cum baptizaretur, descendisse, huncque perpetuo gubernasse et idoneum ad Messiae officium rite explendum praestitisse: sed testes adsunt, Ebionaeos de Christo eadem opinatos esse, quae *Cerinthus* et *Carpocrates*, *Eusebioque* narrante negarunt Christum Θεον λογον οντα και σοφιαν. Vid. Centuriatores Magdeb. Cent. I. L. II. c. 5. p. 483.

Socinianis iniuriam non fieri collatione cum Ebionaeis, vel inde in genere patet, cum ipsi, quod jam notauimus, hos disciplinae suae antecessores compellent, quamuis *Ostorodus* in *Instit.* rel. chr. (B. A. p. 572. N. 5.) consensum hunc abnuerit.

Gnosticorum, quae secta inter litteratas et philosophicas huius temporis numeratur, nisi ea Christi et Apostolorum doctrinam aetate praecesserit, historia fusiorem exposcit tractationem, quae hoc loco institui nequit, quaeque ab omnibus, qui haeresium originem et fata narrarunt, expedita reperitur. Hi inter primos diuinam per Christum et Apostolos orbi huic praedicatam doctrinam suis erroribus offuscarunt. Ad eorum numerum quidam ex iis, quos jam nominauimus, trahendi sunt. Appellabantur *Gnostici*, seu scientes, cuius denominationis rationem exponit *Iren.* L. III. c. 2. his verbis: „*Aduersantur traditioni, dicentes, se non solum Presbyteris, sed etiam Apostolis existentes sapientiores sinceram inuenisse veritatem.*" Non omnes eadem de illis tradiderunt; quidam enim eos tanquam flagitiosissimos homines describunt, qui vitiorum omnium gurgite abrepti, omnes leges morales sustulerint, seque ab omni obligatione solutos putarint; quod saltim non de omnibus dici potest, cum certum sit, Gnosticos externae morum sanctimoniae fugiendisque flagitiis summopere studuisse, immo perfectorum gloriam,

gloriam, cum ſingulari et eximia ſcientia, qua ſuperbiebant, ſibi arrogaſſe, cum prauos animi motus, vitioſasque inclinationes ad peccatorum actualium numerum retulerint. Vid. SEMLERUS l. c. L. I. p. 60 et 84. Quod de Chriſti perſona ac ejus munere mediatorio male ſenſerint, eumque nec Deum, nec hominem verum, ſed Deo natura longe inferiorem dixerint, quamuis eum a Deo tanquam virtutem quandam ſpiritualem in viſibili figura deſcendiſſe conceſſerint, inter omnes fere conuenit, et ob hanc rationem inter antiquiores Antitrinitarios collocandi. V. MOSHEMIUS H. E. *ſaec. I.* p. 116. ſeqq. et *inſtit. maior.* p. 136. ſeqq. et p. 335. BUDDEUS in *hiſt. Philoſ. Ebr.* p. 607. *ſeqq. eiusdem Eccl. Apoſt.* p. 323. WALCHIUS in *hiſt. haer.* T. I. p. 217 — 247. *Vitringae obſerv.* L. V. c. XII.

§. V.

Quos ſaec. I. excitatos, Socinianiſmo conformes obſeruauimus errores, ſecundum aluit, nutrivit, ac alios in dies excluſit. Praeter eos, qui primi ſaeculi placita ad ſecundum propagarunt, ac commendarunt, infelicem operam praeſtiterunt: *Marcion*, *Praxeas* atque *Hermogenes*, *Theodotus Byzantinus*, *Artemon* atque *Carpocrates*, qui omnes, imo plures, quorum nomina in haereticorum catalogis ſeruantur, alio atque alio modo a veritatis via aberrarunt. Poſt alios Alogi quoque et Saturninus, ac Baſilides in hunc cenſum veniunt.

* * *

Inter eos, qui *ſaec. II.* diſciplina ſua Antitrinitariis recentioribus facem praetulerunt, primum locum tenet *Marcion*, circa medium ſaec. 2.; *Cerdonis* diſcipulus, qui prae-

praeceptoris placitis formam quandam conciliauit, propriisque figmentis turbauit ecclesiam. *Sinopae* in *Ponto* natus patrem habuit Episcopum, virum pium meritisque ac auctoritate conspicuum. Narrarunt quidam, quod coelibatui semet sollemni ritu dicauerit, continentiae autem votum transgressus a patre ab ecclesiae communione remotus fuerit. Sed fidem alii denegant relationi, et excommunicatum potius esse a patre ob errores, quos aliis in patria instillare studuit, prodiderunt Omnium propterea contemtui expositus Romam concessit, ibidemque ecclesiae communionem, quam pater filio resipiscenti et susceptionem in ecclesiae gremium petenti denegauerat, frustra quaesiuit; quippe ecclesiae Romanae Antistites id extraneo praestare nefas putabant, quod pater filio recusauerat, hocque dissentiente, id ipsi decernere noluerunt, ne patris ac Episcopi auctoritate aliquid detrahere viderentur. Vid. *Epiph.* haer. XLII. et *Hieron.* ep. CXXX. ad *Ctesiphont.* Haec ab ecclesia separatio maiorem ipsi aemulationem instillauit, conceptas opiniones aliis quocunque modo persuadendi, et nouae sectae constructionem affectandi. Quas in *Cerdonis* schola commendatas sibi sententias habuit vagas, in ordinem redegit ac ipse tandem conduxit cohortem mirandum in modum auctam, quae *Marcionitarum* nomine inclaruit. Hi post obitum auctoris vbique suos adornarunt coetus; hinc *Tertull.* lib. IV. *aduersus Marcionem* c. 4. „*faciunt*, inquit, *fauos et Vespae, faciunt ecclesias et Marcionitae.*" *Marcion* superbientis philosophiae retibus constrictus, rationi in diiudicandis fidei Mysteriis ad abusum vsque indulsit, quam ob rationem inter antecessores recentiorum Antitrinitariorum haud immerito referendus. Nemo interim plenam systematis *Marcionitici* delineationem hoc loco exspectabit, cuius plurima momenta scopo nostro non inseruiunt. Statuit vero vt paucis innuam *Marcion* et coetus ab eo denominatus: Christum in hoc apparuisse mundo, non humana natura, sed specie vestitum; eundem non esse Dei filium,

filium, neque eius passionem et mortem fuisse veram, sed illusoriam; se appellasse Messiam, non quod is fuerit, sed *per accommodationem ad Judaeos*. Vid. *Tertull.* l. c. L. III. c. 8. *Theodoretus* haeret. fab. L. I. c. 24. *Philastrius* de haeres. c. 45. Ex dictis, quid de morte Christi vicaria et expiatoria crediderit, immo quod plane hanc negaverit, apparet. Ob eandem rationem, *Marcionem* inter Socinianorum maiores ab aliis collocatum conspicimus. Vid. *Weissmannus* l. c. T. I. p. 176. seqq. *Walchius hist. haer.* T. I. p. 484—537.

Excipit hunc *Praxeas* ab H. E. scriptoribus circa finem saec. II. notatus, quod in doctrina de S. S. Trinitatis Mysterio ab apostolica veritate nisi animo, verborum tamen formulis declinauerit. Quae vero in specie eius fuerit sententia, et erroris habitus, multum disceptatum est. Id collatis omnibus, quae ad nostra tempora seruata sunt, constat: PRAXEAM *Sabellianismum* re ipsa anticipasse, personarum in diuina essentia distinctionem prorsus sustulisse, ac quod ipse Pater descenderit in virginem, ex eadem natus, deinde passus, et mortuus fuerit, et quod non alius sit Pater, nisi J. C., eundemque respectu diuersarum actionum triplici titulo in S. Pandectis compellari, statuisse. Christum quidem Filium Dei appellauit, sed nomen hoc de persona Christi adhibitum, eo sensu explicauit, quo cum reliquo suo systemate conciliari possit; hominem nimirum Jesum ideo filium Dei dici, quia per omnipotentiam diuinam in virginis vtero formatus fuerit. Pari modo Deum cum hoc se sociasse, quo anima et corpus copulantur. Vt haec placita oraculorum diuinorum praetextu fulciret, ad dicta S. Scr. prouocauit, quibus Deum esse vnum euincitur, et ad Christi verba: *Ego et Pater vnum sumus; qui me videt, Patrem videt; Pater in me, et ego in Patre.* Vid. *Tertull.* aduersus *Praxeam* c. 2. 3. 5. 10. 20. 27. 29. Qui proximo tempore pro *Praxeae* erroribus pugnarunt, dicti sunt *Monarchiani* et *Patripassiani*, vtroque titulo a systemate, quod defenderunt,

de-

deſumto. Vid. Walchius l. c. T. I. p. 537 — 546. Differt vtique ab his *Socinianorum* confeſſio, in eo tamen conſpirat, quod orthodoxam de S. S. Trinitate doctrinam inuertat ac corrumpat; quam ob rem plerique de hoc Myſterio ſiniſtre ſentientes, eundem defendunt ac negatae S. S. Trinitatis tenaciſſimum celebrant. Hermogenem circa finem huius ſaec. idem ſenſiſſe, quod *Praxeas*, ac errorem defendiſſe *Sabellianiſmo* proximum, *Auguſtinus* teſtis eſt, de haeres. l. 14. et *Philaſtrius* c. 45. Pugnauit peculiari libro aduerſus eundem *Tertullianus*.

Sequitur Theodotus Byzantinus, *Coriarius* dictus, circa finem ſaec. II. qui *Artemonis* diſcipulus extitiſſe dicitur, quamuis probabilior nonnullis videatur ſententia, quod eiusdem praeceptor ac viae dux fuerit. V. *Centur. Magd.* Cent. III. c. 2. *L. Oſiandri* H. E. C. II. L. IV. c. 10. Ab *Auguſtino* haer. XXXIII. perperam vocatur *Theodotio*, qui potius a *Theodoto Byzantino* diuerſus. Primo quidem *Tatiani*, poſt *Marcionis* diſcipulus fuiſſe, tandem ad Judaeos tranſiiſſe a quibusdam fertur. Mentionem fecit Eusebius in H. E. L. V. c. 3. Alcibiadis ſiue Miltiadis et Theodoti, *Montani* haereſi infectorum; ſed *Theodotum* iſtum diuerſum fuiſſe a *Coriario Byzantino* indubitatum eſt. V. *Tillemontius* H. E. T. II. in *Montaniſtis* Art. II. p. 460. Idem *Euſebius* L. V. 27. ex anonymo quodam, (*Cajo Preſbytero Romano*) qui aduerſus *Artemonem* ſcripſit, narrat, *Theodotum Coriarium* a *Victore*, Epiſcopo Romano, eccleſia fuiſſe eiectum, *αρχηγον και πατερα ταυτης της αρνησιθεου αποστασιας*, qui humanam tantum Chriſti tribuerit naturam. *Epiph.* eundem inter Vnitarios veteres numerauit, fuitque ipſo dicente *haeres.* LIV. *particula quaedam procedens ex Alogorum haereſi, Joannis Euangelium et Deum verbum, quod ibi a principio fuiſſe declaratur, repudiante.* Scripta ſub *eclogarum* titulo concinnauit, ex quibus *Clemens Alexand.* nonnulla ſeruauit, quae palam faciunt, *Theodotum* Chriſti Deitatem omnino negaſſe, eumque communem, licet juſtum virtu-

tisque

tisque ſtudioſiſſimum hominem reputaſſe, qui a Deo ante mundum ex ſubtiliſſima factus materia, miſſus in terram, praeter diuinam et ſpiritualem animam, materialem quoque acceperit, quam omnibus tribuit hominibus. V. *Philaſtrius* de *haer.* c. 50. *Auguſt.* haer. XXXIII. *Euſeb.* L. V. c. 27. 28. *Sam.* CRELLIUS in Mſpto cit. diſſ. VI. §. XXXVI. *Theodoti* cauſſam et confeſſionem de abnegato Chriſto homine, non Deo, defendere allaborans, ſequentia coniiciendo in fauorem ipſius profert. „*Primus a* VICTORE *excommunicatus eſt, ſed non primus ita credidit. V. le Platonisme devoilé p. 388. Neque ob iſtam ipſam ſententiam per ſe, ſed per calumniam excommunicatus eſt ab epiſcopo, Juſtini martyris, vt apparet, ſectatore et fidei ipſi Theodotianae infeſtiſſimo; ſed nondum ob iſtam ipſam fidem directe excommunicare quenquam audente. Nempe lapſus in perſecutione* THEODOTUS *dicitur Chriſtum abnegaſſe; quod etiam multi fortaſſe in perſecutione faciebant orthodoxi; poſtea vero poenitentia ductos ad chriſtianos rediiſſe. Incidit autem in Juſtini martyris ſectatores, qui hominem antiquae illi fidei ſimplici de Chriſto,* (quae familiaris CRELLII hypotheſis eſt,) *addictum videntes, eo magis exprobrabant ei ſuum lapſum et pro ſua noua orthodoxia vrgebant, eum Dei ipſius eſſe abnegatorem, quia Chriſtum Deum abnegaſſet. Ille homo, ipſorum aduerſariorum judicio, non ineptus, ſed apprime eruditus, dicebat: ſe Chriſtum quidem, ſed non Deum abnegaſſe, cum Chriſtus non ſit ipſe Deus, ſed Dei filius, homo; non vt lapſum ſuum extenuaret, hoc enim fuiſſet in viro erudito, et poſt lapſum poenitentiam agente, ineptiſſimum; ſed vt eorum nouam a* JUSTINO MARTYRE *inuectam, de Chriſti deitate anteſeculari ſententiam reſpueret et refutaret. Exaggerarunt hoc homines peruerſi et ad* VICTOREM *Epiſcopum Romanum detulerunt, quod diceret, ſe non Deum, ſed hominem ſolummodo negaſſe, adeoque* (quod de ſuo illi addebant) *abnegationem illam non pro peccato adeo graui eſſe habendam. Arripuit id* VICTOR, *homo violentus et qui etiam ob res leues excom-*

D *muni-*

municabat, cum et delatores testesque iniqui adessent, Zelo domus dei ardens, scilicet, speciocissimam occasionem nactus eiecit Theodotum ex ecclesia, et primus hanc fidem publice, sed non directe persequi coepit. Res enim sub eius successoribus demum maturuit. Sic rem se habuisse coniicio."

Dicti sunt *Theodotus* cum asseclis suis Alogi, vel *Alogiani*, quia Deum λογον profiteri detrectarunt teste *Augustino* c. 30. Horum historia intricata et obscura memorabilium ecclesiasticorum scriptores nimium exercuit. CRELLIUS l. c. *diss.* III. §. X. putat: *Epiphanium* hic fingere et calumniari, quando *Theodotum* Joannis Euangelium cum Alogis reiecisse dicit; quia de illo nihil exstet apud *Tertullianum* de *Praescr.* nihil apud *Eusebium*, nihil apud *Caium*, qui tamen omnes ab hoc *Byzantino* Christum abnegatum et pro nudo homine habitum scribunt, atque ideo a *Victore, Romano Episcopo*, excommunicatum fuisse. Ex his ita colligit CRELLIUS: „*Si sciuissent, scire vero, si verum id fuisset, poterant, Theodotum etiam Joannis euangelium reiecisse, an id omnino silentio inuoluissent? Quid, si dicamus: Epiphanii id solummodo esse coniecturam? Qui cum sciret, Theodotum illum Alogis esse contemporaneum, in illis locis, vbi illi degebant, fortasse aliquando fuisse versatum, praeexistentiam τȣ λογȣ non agnouisse, inde concluserit, etiam in reiiciendo Joannis Euangelio cum Alogis partem habuisse, cum et illi quodammodo λογον Joannis rejicerent, quando doctrinam de λογω, licet non simpliciter, sed prout in hoc euangelio est exposita, reiiciebant et Cerintho attribuebant. Adeo vt plane sit incertum, num vel vnus vnquam inter veteres exstiterit Vnitarius, qui Joannis euangelium Cerintho adscripsit, vel simpliciter reiecit. — — — — Immo vero Coriarum Theodotum Joannis euangelium admisisse, ex eo potius patet, quod Epiphaphanio teste ex isto euangelio argumentum pro sua de Christo sententia produxerit, locum nempe illum* C. VIII, 40. *nunc vero quaeritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum."* Vid. *Walchius*, l. c. T. I. p. 546. Non

abnuunt

abnuunt ex Socinorum partibus ſtantes *Theodoti* ſocietatem. *Stan.* enim *Lubieniecius* l. c. p. 8. *eundem virum multae doctrinae praedicat, qui Chriſtum a Deo diuina poteſtate donatum ante matrem exſtitiſſe, multis id poſt tempora Apoſtolorum affirmare auſis, conſtanter negauit, quod magna cum feciſſe fiducia, et non exiguum ſequacium numerum habuiſſe*, gloriatur. *Crellius* in opere *Mſcto* concedit quidem, *Theodotum* Jeſum pro ſimplici homine habuiſſe: ſed inde non ſequi putat illum negaſſe Jeſum eſſe Chriſtum et coeli terraeque Dominum. Ita enim cauſſam coetus ſui vna defendens *Diſſ.* VII. p. 17. inquit: „*Nulla ratio eſt exiſtimandi: illum non habuiſſe Saluatorem noſtrum pro Chriſto, et Domino coeli et terrae, quia Chriſtum pro ſimplici homine habuit. Nonne idem quotidie Socinianis obiicitur? Quis tamen adeo erit impudens, vt inde Socinianos Jeſum pro Chriſto et Domino omnium habere neget? Sed ita ſe res olim habuit, atque nunc. Habeant licet Sociniani Jeſum pro Chriſto et Domino coeli et terrae, habeant et pro Deo, a Deo Patre exaltato; nunquam tamen aduerſarii eorum ceſſabunt, eis obiicere et obloqui, eos in Chriſtum tantummodo, vt in virum ſanctum et Prophetam et ſimplicem hominem credere, eo quod Chriſti ab aeterno ante Mariam praeexiſtentem diuinitatem negent.*"

Poſt praeceptorem diſcipulum, *Artemonium* allegamus, quem ſaeculo hoc amplos ſibi collegiſſe coetus ſub Imperatore *Commodo* tradidit *Euſebius* L. V. c. 27. Hiſtoria eius admodum obſcura eſt, vt ne illi quidem, qui eandem ex profeſſo illuſtrare ſtuduerunt, memorabile quidquam de eodem expiſcari potuerint. Praeter nomen, nihil apud ſcriptores inuenitur, quod ad eius patriam, parentes et fata attinet, immo ne tempus quidem, quo praeciſe vixit, accurate ſtatuitur, quamuis circa finem ſec. II. eum innotuiſſe probabiliſſimum ſit. De dogmatibus eius plura adſerunt veterum auctorum volumina. Eorum nimirum preſſit veſtigia, qui diuinitate filii Dei abnegata, Chriſtum communem crediderunt hominem, vel ſaltem ae-

ternum esse Deum diffitebantur. Secundum vnanimem veterum ac recentiorum sententiam docuit, excellentiorem quidem esse Jesum omnibus Dei ministris, non vero proprium Dei filium, immo potius naturae ratione nonnisi hominem. Quia haec mentis cogitata, quam diu librorum noui foederis integritas atque auctoritas firma ac indubitata statuitur, animaduertebat omni fundamento destituta, hinc somnia concepit, quae etiam asseclae eius *Artemonitae* vel *Artemoniani* tertio saeculo habuerunt, Apostolos plane docuisse eadem, quorum vero scripta VICTORIS *Romani* tempore esse deprauata, praedicationem proinde veritatis (quod sibi imaginabantur) de Christo ante Mariam non existente in eccl. Rom. ab Apostolorum temporibus vsque ad *Victoris* tempora fuisse conseruatam. Ipse *Artemon* pristinae restituendi integritati libros N. T. speciem praebuit, adiunctis sibi *Theophilo*, *Hermophilo* et *Appollonio*, quorum quisque pro mentis captu, partim intexuit, partim exsculpsit, quae cuique vel bene vel minus placebant. In explicando S. codice iidem vtebantur *Euclidis* ac *Aristotelis* scriptis, Philosophiam pro norma, secundum quam in hermeneutica S. versandum sit, adoptarunt, verbumque Dei ad rationis cynosuram et ingenium humanum accommodarunt. Ita *Theodoretus haer. fab.* L. II. disserit: „*Artemon quidam, quem nonnulli Arteman vocant, de Deo conditore vniuersi idem nobiscum sensit, dicens: cum omnium Creatorem esse; dominum vero J. C. nudum hominem dixit et virgine natum, Prophetis autem virtute praestantiorem. Et haec etiam Apostolos praedicasse praue diuinarum scripturarum sensum interpretatus, aiebat; eos autem qui Apostolis successissent, Christum Deum dixisse, cum tamen Deus non esset.*" Refutatum eum esse a CAIO, Irenaei discipulo, in libro, *paruus Labyrinthus* inscripto, ex *Photio* constat; quamuis antiquiores scriptores, *Eusebius* nimirum ac *Theodoretus* libri aduersus *Artemonem* scripti absque auctoris nomine mentionem faciant, vid. *Cappii* et *Schaffhausen* diss. de hoc

argu-

argumento. Quae Socinianorum cum *Artemone* et *Artemonitanis* ſit conuenientia, ex allatis perſpicitur. Non tantum in genere vterque chorus quoad negatam aeternam filii Dei diuinitatem ac explicandae S. Scripturae rationem et regulam conſpirat; ſed quoque quoad peculiarem explicandi et proponendi dogmatis ſuſcepti modum et docendi formam, quam harmoniam auctor *Vindiciarum* concedit, qui in recenſenda familiae Socinianae genealogia *Artemonem* inter ipſius patres praedicat, cui quoque *Lubieniecius* l. c. p. 8. calculum ſuum adiecit. Poſt hos *Sam. Crellius* propter arctiſſimam doctrinae ſuae cum *Artemonii* placitis, quae pro antiquiſſima veritate reputabat, conuenientiam, ipſum hoc adſciuit nomen, quod recentioris Artemonitae conamen eruditis materiam ſuppeditauit ad hiſtoriam huius ſectae maiore cum induſtria tractandam. V. SEMLERUS *de Secta Artemonitarum a Sam. Crellio reſtaurata, Lipſ.* 1730. WALCHIUS l. c. T. I. p. 558—569. Idem CRELLIUS *in Mſpt.* VI. §. XXVI. *Artemonitas* quibuscunque rationibus ab accuſatione defendens, quod *dictum Joanneum de tribus in coelo teſtibus ex textu eliminauerint*, plus quam vna vice teſtatur, *Artemonitas* Socinianis hodiernis in doctrina de Chriſti perſona per omnia fuiſſe Homodoxos.

CARPOCRATES a quo nonnulli *Gnoſticorum* originem petunt, quam tamen ex ſaeculo primo deriuandam eſſe, monumenta fide digna aſſerunt, inter Antitrinitarios ſaec. 2. inclytus fuit. *Tertull. Auguſt.* et alii ipſum ante *Cerinthi* et *Ebionis* tempora collocant; ſed ſatis certo euictum, eum *Adriano* Imperatore circa a. c. 130. vixiſſe. V. *G. Jo. Voſſii Fragmentum de Manichaeis et Stoicis* in *Tract. Theol.* p. 833. Placita eius recenſere, non eſſet, niſi quae diximus eadem, mutato paulisper habitu repetere. Eandem cum reliquis ſententiam, Jeſum in tempore originem duxiſſe, ſtatuit. Cum eodem Chriſtum, (quo nomine animam quandam excellentiorem et puriorem, ſ. vim coeleſtem, vel creatum, perfectioremque ſpiritum inſigniri

putauit,) copulatum esse. *August.* l. c. c. VII. de eo inquit: „*Hic etiam Jesum hominem tantum, et de vtroque sexu natum, putasse perhibetur, sed accepisse talem animam, quae sciret ea, quae superna essent, atque nunciaret.*" Eadem magna ex parte referunt *Epiph.* l. c. 27. c. 2. et *Iren.* L. I. c. 24. Jesum extitisse doctorem, confitebatur, qui homines ab idolorum cultu ad verum Deum reuocaret, suamque de Deo doctrinam Christi animam ante vnionem cum corpore in coelo didicisse, huiusque a Deo acceptae olim instructionis post vnionem felici successu recordatam esse.

Collegit quandam sectam, cui adscripti *Carpocratiani* appellabantur, qui cum Christianis excepto nomine nihil commune habebant. Hi praeter opiniones a *Carpocrate* susceptas, defendisse dicuntur, omne, opinione, nihil natura bonum vel malum esse; animas per corpora volutari, nisi ante per omnes scelerum formas iuissent. V. *Walchii* l. c. p. 309 — 335. Quamuis plurima quae de turpissima secta scriptis prodita sunt, Socinianis imputari nequeant; in articulo tamen de J. C. eiusque persona et munere *Carpocratem* iisdem viam monstrasse; ipse *Narrationis compendiosae* auctor non inficiatur.

Sequitur *Saturninus*, *Philosophus Antiochenus*, qui, quoad Christi aeternam ac veram Diuinitatem, paria cum reliquis Gnosticis statuit, sicque in hoc passu Socinianis praeluxit, quibus quoque in contemtu librorum Mosis et Prophetarum, et in negata Christi satisfactione viam monstrauit, quem in mundum venisse hoc solum fine, vt doceret, et viam virtutis exemplo suo monstraret, contendit.

Huic jungitur Basilides, qui Christum vnum aeonum, h. e. natura multo inferiorem diuina fuisse, ante hunc mundum tamen exstitisse perhibuit, ac Jesum a Christo juxta Gnosticorum sententiam diuersum tradidit; de quo *vid. Isaac Beausobre* histoire de Manichée & du Manicheisme, T. I. p. 3 — 68.

In

In horum censum venit numerosissimum *Valentinianorum* agmen, qui non quidem paria cum Socinianis, quod de plurimis dici nequit, crediderunt, in articulo tamen de Christi persona ac officio mediatorio pessime sentiebant, quorum deliria, omnes historiae eccl. antiquae conditores exposuerunt. V. WALCHIUS l. c. T. I. p. 335 — 406.

Alogorum mentio jam facta est, quorum historiam *Epiphanius* contexuit, narrauitque quod libros S. Joannis, praecipue vero euangelium, et cum hoc simul λογον ab eo praedicatum, et insigniora de eius aeternitate testimonia repudiauerint. V. *Walchius* l. c. p. 569—576. Longam de *Alogis Sam. Crellius* instituit disquisitionem, in opere *Msc.* Veri simile ipsi videtur *Diss.* III. §. 6. *Alogos* seculo demum tertio cira annum 220 exsurrexisse, hosque non fuisse *Vnitarios*, sed *Trinitarios*, variis argumentis euincere nititur. Inter alia de Alogis, horumque ex Vnitariorum numero exemtione in *diss.* alleg. §. 8. haec disputat: „*De dogmate Trinitatis idem, quod alii Christiani pro Orthodoxis tunc habiti sentiebant. Adeo, vt mirum sit, viros doctos passim existimare, Alogos fuisse Artemonitarum vel Ebionaeorum sectae addictos, qui cum praeexistentiam Christi ante Mariam non crederent, autoritate euangelii Joannis pressi; Cerintho id adscribere fuerunt coacti.* EPIPHANIUS *certe Cataphryges, quorum pars erant* ALOGI, *eadem cum catholica ecclesia de P. F. et Sp. S. sentire, haer.* 48. *tradit. Et de Alogis* L. I. §. IV. *eadem plane refert his verbis:* NAM ET ILLI (ALOGI) NOBISCUM ALIOQUIN PARIA SENTIRE VIDENTUR. *Et illi, inquit, nempe aliter, ac modo descripti Cataphryges, et Quartadecimani, Trinitarii ergo, procul omni dubio erant suo tempore orthodoxi, Alogi isti nostri, excepto errore illo Cataphrygum, et altero sibi peculiari, quod Euangelium Apocalypsinque Joannis Cerintho adiudicarent. Sane vocat eos Anti-Christos* EPIPHANIUS; *sed eodem etiam Cataphryges dignatur honore. Adeo vt ex his similibus Epiphanii hominis maledici, et violenti*

in eos congestis conuitiis non sequatur, eos, in dogmate de Trinitate fuisse heterodoxos, et Antichristos, alioquin omnes Trinitarii pro Antichristis essent habendi." Haec et plura alia de Alogis *Crellius*, quibus haec addit: „*In Anglia quidem sub finem seculi proxime elapsi quidam inuenti sunt Vnitarii, qui Alogorum veterum obiectiones contra Joannis Euangelium, non tanquam id plane reiicientes, sed dubiis suis satisfieri volentes, recoxerunt, immo auxerunt. Sed non videntur id facturi fuisse, nisi, communi errrore decepti putassent, veteres Alogos fuisse Artemonitas, qui cum viderent, Principium huius Euangelii cum doctrina apostolorum pugnare, auctoritatem eius reiecerint, idque Cerintho adscripserint. Sciendum tamen est, Alogos istos sic dictos Anglicanos paucissimos duos aut tres fortasse solummodo fuisse homines, qui in ea doctriua partem habuerint, eamque luci publicae exposuerint. Rem sic se habere, in Anglia cum essem, animaduerti. Etiam veteres Alogos paucos fuisse numero, videtur ipse innuere* EPIPHANIUS, *cum eos haer.* L. I. §. 1. *cum imbecillo serpente comparet. Et tamen dederunt Alogi Angli occasionem Regi Parlamentoque Anglicano legis in eos statuendae, qui aliquem librum Novi T. vulgo pro canonico habitum, non diuinum esse contenderent."*

§. VI.

In contemplandis Antitrinitariorum parentibus ad Saec. III. accedimus, in quo *Manetem, Noetum, Sabellium, Paulum Samosatenum* et *Beryllum* monumentis sacrae historiae, quae a veritate deflectentes recenset, notatos videmus, qui Mysterium S. S. Trinitatis, et aeternam Jesu Christi Deitatem, diuersis licet docendi modis, et formulis oppugnarunt. Huic quoque choro *Elcesaei*, post alios accensendi sunt, qui Christum a Deo creatum docuerunt.

Notati

* * *

Notati errorum Magiſtri, *Saeculo* 3. diſcipulos nacti ſunt ac ſectatores, placita iſta nouis augentes ingenii inuentis. Inter hos *Manes*, cui nomen apud orientales *Mani* ſcribitur, e Perſia, vel ſecundum alios *Chaldaea* oriundus, Medicus, Poeta, ac Philoſophus, ad excogitanda in religione noua compoſitus, circa medium ſaec. 3. ex Perſarum Philoſophia, doctrinae Chriſtianae lucem accendere, hancque patriae ſuae ac popularibus acceptam reddere conatus eſt, ſed nebulas apud haud paucos religione ſalutiferae contraxit, ſibique locum inter eos parauit, qui Chriſtum Patre inferiorem et quoad eſſentiam ab eodem diuerſum ſtatuerunt. Quam abſona licet eius dogmata de Deo, mundo et entibus immaterialibus fuerint, multosque concitauerint aduerſarios, haud paucos tamen habuerunt defenſores, qui nullo tempore prorſus exſpirarunt, immo recentiori reſuſcitata ac nouis ornamentis expoſita fuerunt. Ex ingenii ipſius inuentis ea tantum exponimus, quae cum *Socinianorum* erroribus quandam cognationem habent. Quem ſibi *Manes* finxit Chriſtus, non ab aeterno fuit, ſed a Patre poſt creationem vniuerſi procreatus, vel productus, qui tandem in corpore, non quidem humano, ſed coeleſti, ſpeciem humani mentiente apparuit, vt aduerſus principem malum pugnaret, et ab hoc in captiuitate detentos liberaret. Tres quidem Deitatis perſonas, ſed quoad dignitatem diuerſiſſimas, effinxit. Filium Patre multis modis inferiorem, in ſole, Spiritum S. filio minorem in athmoſphaera huius terrae commorari ſomniabat. Cum orthodoxa de S. Trinitate doctrina MANES nomina tantum communia habuit; re ipſa ac animo ab eadem longe abfuit. Perſonas diuinas conſubſtantiales equidem, ſed diſtinctas in modum trium perſonarum humanarum, nec independentes ſtatuit. Filium et Sp. S. ex eſſentia Patris emanaſſe credidit, hasque duas emanationes reliquis eſſe

excellentiores. V. *August.* diss. I. cum *Fortunato*, et *opus imperf. contra Julianum*, L. V. c. 13. *Confess.* L. V. c. 10. *de haer.* c. CXLVI. Quod S. Trinitatem inuocauerit, fide digna referunt testimonia, quod vero in hoc cultu, longo interuallo a mente Christi ciuium abfuerit, ex eiusdem de Deo Triuno assertis colligitur. Vid. *Beausobre* l. c. et *Walchius* l. c. T. I. p. 695—814. Quoad praecipuum momentum *Manes* et *Manichaei* cum Antitrinitariis recentioribus in genere conspirant; ad quod etiam pertinet, quod de libris Mosis contemtim senserint, statuerintque oracula N. T. quae sibi contraria animaduertebant, adulterata, et pro lubitu corrigenda et emendanda esse. In doctrina quoque de *imagine Dei* a Manichaeorum sententia non longe absunt Sociniani et cum MANES aliis persuaserit, quod a Deo, ad reformandam religionem Christianam, hancque ab inquinamentis repurgandam subornatus sit, id ipsum quoque *Laelius* ac *Faustus* de se orbi Christiano persuadere ausi sunt.

Excipit *Manetem* NOETIUS, vel NOETUS, Asianus, Smyrnensis, qui circa annum 220 — 245. inclaruit. *Praxeam* celebrans antecessorem suum, vnicam in diuina essentia personam, tribus insignitam nominibus statuit, quam in V. T. sub Patris titulo tulisse legem, in nouo sub Filii charactere notam esse, et Apostolis sub Sp. S. appellatione concessam putauit. Ita *Epiph.* haer. LVII. c. 2. inquit: „*vt Theodotus ad vnum extremum declinans nudum hominem Christum esse disseruit; sic ille ad extremum aliud desciscens prorsus eundem esse P. F. et Sp. Sanctum in carne passum et natum statuit.* Hanc ob haeresin in judicium vocatus respondisse fertur, *nihil his mali defendi, laudare se potius vnicum tantum Deum, vnicum tantum noscere, nec vllum alium, praeter ipsum genitum, passum, mortuum.*" Vid. LARDNERUS in *the credibility of the Gospel history* Vol. IV. p. 449. Sectatores eius dictos fuisse *Patripassianos*, notissimum est, quamuis *Praxeam* eiusdem erroris iam fuisse auctorem, constet. V. *Wal-*

Walchius l. c. T. II. p. 3. seqq. *Sagittarius* introd. in H. E. p. 1000. *Moshemius* l. e. p. 200. et *Fabricius not. ad Hippolytum* in operibus huius, T. II. p. 5. *Theodoretus* L. III, c. 3.

Noeti haeresin intermortuam fere resuscitauit SABELLIUS, a quo *Sabellianismus* peculiaris illa errorum in articulo de S. Trinitate species dicitur, quamuis ille paulo aliter docuerit, ac quidem de *Sabellianismo* plerumque exponitur. Is autem proprie hoc titulo notatur error, quo internum trium in vna essentia diuina personarum discrimen simpliciter negatur, ita vt externa differentia in diuersis nominibus, horumque relatio ad varia opera concedatur. Quo praecise SABELLIUS, Cyrene vel quae eadem regio est, *Pentapoli* Libyae prouincia, in Africa natus, vixerit tempore, in DIONYSII *ep. apud Euseb. Hist.* L. VII. c. 5. notatur. *Dionysio* nimirum *Alexandrino* coaeuus fuit, qui sub *Decio* et *Gallo* Imperatoribus floruit. *Noeto* praeceptore vsum esse, *Philastrius* et *August.* testantur. *Noeti* sententias paululum mutauit, ad systematis quasi compagem struxit, nouisque tegumentis conuestiuit. Hinc *Epiphanium* arguit *Augustinus*, qui duas a se distinctas, *Noetianorum* et *Sabellianorum* constituit haereses. A paucioribus vocantur *Noetiani*, a pluribus *Sabelliani*, quod SABELLIUS maiorem nactus fuerit famam. V. LARDNERUS l. c. Vol. IV. p. 451. *Sabellium* cum *Noeto* consensisse *Walchius* l. c. monstrauit. *Epiph.* haer. LXII. c. 1. eadem docuisse *Sabellium* ac *Sabellianos*, quae iam antea narrat, *Praxeas*; nimirum, non alium esse P., alium F., alium Sp. S. sed eundem esse Patrem, eundem Filium, et eundem Spiritum S. vt sint in vna hypostasi tres nomenclaturae. Simili ab homine desumpto vsus est. Quemadmodum enim in homine aliae corpori actiones, aliae animae, aliae spiritui tribuuntur; ita in Deitate, vni eidemque personae, modo Patri, modo Filio, modo Spiritui S. dictae, varias adscribi operationes putauit. Qui ex hoc simili *Sabellium* defendunt, eumque veram in Trinitate Perso-

Personarum distinctionem eadem significare voluisse, contendunt, vniuersum antiquitatis consensum aduersus se habent; quippe qui eo redit, negasse illum quamcunque distinctionem internam et realem in Diuinitate, omni discrimine in operationibus tantum et nominibus diuersis posito. Negato personali discrimine, per λογον intelligebat operationem, qua homo Christus omnia in terris praestitit. Diuina virtus per eum operabatur, quamdiu in terra commoratus est; posthac illa cessauit instar radii solaris, qui effectus producit, nec personam sustinet. Simili modo Spiritum S. nihil inuoluere, nisi operationes diuinas in homine ad producendum veritatis agnitionem, et virtutis exercitium. Hebetioris animi homines saepenumero erroris sui funiculis implicauit, captiose ac rudi fallacia indoctos interrogando: *An Deum vnum, an tres Deos crederent?* In coetu, quem adornauerat, filii Dei nomen ne quidem audiebatur, veritus, ne, cum homines faterentur Deum P. F. et Sp. S., tres hoc ipso crederent Deos. Videtur igitur suo id intendisse systemate, ne homines in repraesentando sibi mysterio S. S. Trinitatis ad *Polytheismum* prolaberentur. Quae in specie ipsius sententia, de Christi persona fuerit, varie inter eruditos disputatur. Collatis omnibus, quae circa hoc momentum supersunt, monumentis, MOSHEMIO probabilissimum videtur: *Sabellium* defendisse, *non diuinam personam, sed naturam cum persona humana in Christo vnitam fuisse, sicque naturae diuinae personalitatem denegasse, eandemque humanae Christi naturae tribuisse.* An propterea *Patripassianis* accensendus sit, quibusdam ambiguum apparet. Numerosissimum pro sua pugnantem sententia exercitum conduxit; quare ecclesiae orthodoxae antistites fluctibus his, veritati ruinam minitantibus, aggerem variis opposuerunt scriptis. *Athanasius, Basilius, Eusebius, Prudentius* aduersus eum aciem instruxerunt et *Dionysius* Alexandrini coetus Episcopus quatuor libris Sabellianismo obiecit repagulum, quamuis contradicendi Zelo errori proxi-

mus

mus fuerit, cum forte ipſi exciderint verba: *Filium Patri non eſſe ὁμοȣ́σιον.* V. *Buddei Iſag. hiſt. Theol.* p. 455 et 1622. *Chriſt. Wormii hiſt. Sabell.* p. 1 — 52. *Natalis Alexandri H. E.* Sec. III. Diſſ. 25. p. 57. *Weiſsmannus* l. c. T. I. p. 258 — 261. *Walchius* l. c. T. II. p. 14 — 49. *Baumgartenii Theol. Polem.* T. I. p. 239. III. p. 7. Parallelismum inter *Sabellianos* ac *Socinianos* haud immerito inſtitui, quae de *Praxea* atque *Noeto* diximus, comprobant, recte quoque judicante *Sandio* in *H. E. enucl.* L. I. p. 120. „*Moderni Sociniani licet Sabellium deteſtentur, nihilo minus haereſeos Sabellianae ſunt obnoxii.* Nam dum Jeſum non exſtitiſſe ante Mariam aſſerunt, ac Sp. S. perſonalitatem negant, ejusdem haereſeos Sabellianae culpam incurrunt.

Inter Socinianiſmi Anteſignanos circa annum 232. prodiit Paulus *Samoſatenus*, *de Samoſata*, Syriae Metropoli, quem *Euſeb.* hiſt. L. VII. c. 25. ad *Galieni*, *Epiphanius* autem, haer. LXV. ad *Aureliani* et *Probi* tempora referunt, et cum *Athanaſio*, *Baſilio*, *Chryſoſtomo*, *aliisque* de eodem, eiusque haereſi plura enarrant. Reginae Palmyrenorum *Zenobiae* interceſſionibus Epiſcopatum *Antiochenum*, defuncto *Demetriano*, circa annum 260. obtinuit, quo Syriae oppido poſt dimidium Saeculi *Arianiſmus* caput ſuum extollebat. Ipſe meritis deſtitutus, loquacitate pollens, auaritiae deditus, quibusvis artibus amplas cumulauit diuitias, quibus a parentibus egenis prognatus prorſus antea carebat. Tanta inflatus dicitur ſuperbia, vt abdicato epiſcopi titulo *Ducenarii* gloriam affectaret, ac non Chriſti miniſtrum, ſed huius mundi principem pompa ac luxu referret. Praeter plura alia vitia, tyrannis in alios, et ſcandaloſa cum ſexu muliebri conuerſatio in illo reprehenduntur. Mitigauit tamen, quae de *Samoſateni* ſuperba mente et auaritia narrantur, *Lardnerus*, l. c. T. IV. p. 615. quia hoſtes eadem expoſuerunt. De haereſi eius in genere liquet, quod ab orthodoxa doctrina de S. Trinitate et Chriſto aberrauerit; quoad determinationem vero ſpecialis

cialis erroris in diuerſas partes abeunt ſcriptores. Eadem quodammodo, quae *Theodotus* et *Artemon* docuiſſe, et de S. Trinitate *Sabellii* diſciplinam defendiſſe *Athanaſius* et *Hilarius* narrant. *Epiphanio* teſte negauit filium Dei exſtitiſſe ante mundi huius conſtitutionem, ſtatuitque eius initium a natiuitate ex Maria. V. BARONII Annal. T. II. ad ann. 266. n. 4. LEONTIUS BYZANTINUS haereſin ita deſcribit: „*Alia ſecta Paul. Samoſ. his temporibus exſtitit, quae et circa diuinitatem et circa incarnationem errabat; circa diuinitatem, quia Patrem ſolum fatebatur, circa incarnationem, quia purum ſolumque hominem dicebat.*" Haec, ſignificante *Theodoreto*, in gratiam ZENOBIAE reginae ſtatuiſſe fertur; quae judaeis parentibus nata, ac Judaiſmo fauens, feminaque litterarum amatrix, primum *Longino* gentili, deinde *Paulo Samoſat.* Chriſtiano praeceptoribus vſa, his opinionibus delectabatur. AUGUST. *haereſ.* XLV. hanc ſectae deſcriptionem tradit: „*Pauliani a Paulo Samoſat.* (dicuntur quoque *Pauliſtae*, vel *Paulianiſtae*, qui tamen a *Paullicianis* aetate recentioribus diſtinguendi), *Chriſtum non ſemper fuiſſe dicunt, ſed eius initium, ex quo de Maria natus eſt, adſeuerant, nec eum aliquid amplius, qaam hominem putant. Iſta haereſis aliquando cuiusdam* ARTEMONIS *fuit; ſed cum defeciſſet inſtaurata eſt a Paulo, et poſtea ſic a* PHOTINO *confirmata, vt* PHOTINIANI, *quam Pauliani celebrius nuncupentur.*" Ex aliis ſcriptorum teſtimoniis, in primis *Socratis* H. E. L. II. c. XIX. diſcimus, eum credidiſſe, quod Deus ſit vnum ſuppoſitum intellectuale, quod propter varias manifeſtationes et externas relationes nominetur *Pater*, *Filius* et *Spiritus S.* et quod Chriſtus dictus fuerit Deus, quia diuina praeſtiterit opera, Deusque ipſo tanquam inſtrumento vſus fuerit ad praeclara quaedam efficienda. Filium Dei non eſſe verbum Patris ſubſtantiale, ſed προφορικὸν, in Chriſto autem homine, verbum et ſapientiam Patris habitaſſe, totque per eum effectus praeſtitiſſe. V. *Philaſt.* haer. LXV. Admonitus ſaepe, ſed reſipiſcere nolens

nolens damnatus et a ſede epiſcopali remotus eſt, quod decretum auctoritate ſua confirmauit *Aurelianus* Imperator, qui *Zenobiam* proelio vicerat. V. *J. W. Bayeri diſſ. de Paulo Samoſateno, Socinianorum Patriarcha*, eiusque erroribus, *Jablonscki* diſſ. *de Pauli Samoſateni genuina doctrina*, *Feuerlinus* de haereſi *P. Samoſat.* et *Henichii* H. E. Sec. III. p. 188. ſeqq. *Walchius* l. c. T. II. p. 64 — 125.

Haud iniquam inter Socinianos et *Pauli Samoſat.* aſſeclas inſtitui comparationem vel inde adparet, quod *Andr. Wiſſouatius* in praef. Biblioth. F. F. P. P. *Samoſatenum* inter maiores familiae ſuae collocet, et ipſe F. SOCINUS *contra Volanum* p. 251. ſeqq. ſuum fuiſſe anteceſſorem fateatur. Ita autem p. 253. *Socinus:* „*Quod ad Paul. Samoſ. attinet, eum nobiscum ſenſiſſe arbitramur, in eo, quod Dei Filium, antequam in Mariae virginis vtero conciperetur, reuera exſtitiſſe negauerit, atque adeo eius de Chriſti perſona ſententiam vniuerſam parum a noſtra abſuiſſe credimus*"; et p. 264: „*Dixeram P. Samoſ. Photinum et alios, quorum ſententiae de Filii Dei (vt ſic dixerim) exiſtentia nos adhaeremus permultos diſcipulos feciſſe.*" Vid. *Martini Z. Thalyaei, Hungari, anatomen Samoſatenianiſmi, Lugd. Batav.* 1634, in quo ſcripto auctor Paralleliſmum Samoſatenianiſmi et Socinianiſmi per varias errorum ſpecies tradit. Ex antiquitate eccleſiaſtica hoc loco notamus, quod, licet *Sabellius* et *Samoſatenus* cum aſſeclis ſuis *formulae baptiſmali* (ſuo tamen ingenio explicatae) locum conceſſerint, nihilo tamen minus, baptizati ab his, et ad catholicum coetum accedentes, iterum baptizati, nec prius in eccleſiae communionem ſuſcepti fuerint.

Eodem ſaec. in Antitrinitariorum numerum inſeritur BERYLLUS BOSTRENSIS, Arabiae epiſcopus, qui Chriſtum propria Diuinitate deſtitutum, Patrisque Deitatem in eum collocatam demum fuiſſe, cenſuit, cum in *Maria* vtero homo factus. Celebris alioquin ſcriptor huius aetatis fuit, cuius opera complura in Biblioth. Hieroſolymitana ſuo tempore aſſeruata fuiſſe, *Euſebius* H. E. L. VI. c. 14. teſtis

teſtis eſt; qui in condenda hiſtoria ſua multa ex his fontibus conquiſiuit. Videtur id ipſum, quod *P. Samoſatenus* docuiſſe, ſed mollioribus dicendi formulis protuliſſe. Nonnulli hunc ipſi ſenſum tribuunt: Dediſſe Patrem Deitatis ſuae partem filio, cum naſceretur homo. Alii, ſententiam hoc modo exponunt: Filium propria Deitatis eſſentia deſtitutum fuiſſe, Patris vero Deitatem in ipſius natiuitate cum eodem eſſe communicatam; J. C. non exſtitiſſe, antequam homo factus; ſed gloriam Patris in eodem nato ex Maria commoratam eſſe. HIERONYMUS *de viris illuſtrib.* c. LX. inquit: „Quod, poſtquam inſigni cum gloria eccleſiae praefuerit, in haereſin prolapſus ſtatuerit, Chriſtum ante incarnationem non exſtitiſſe, et in diuina eſſentia vnam tantum perſonam crediſſe. Qua ratione in hanc ſententiam inciderit, ac paulo poſt opera et ſtudio *Origenis* ad veritatis confeſſionem redierit, et quae antea docuerat, recantauerit, *Euſebius* l. c. c. 27. ſeqq. narrat. Quod ſuo, quem ad tempus defendit errore, Antitrinitarios praeiuerit, dicta de eodem euincunt.

Plures ex ſaec. III. in theatrum proferri poſſent, qui recentioribus, ab orthodoxo tramite deflectentibus viam monſtrarunt, ſi prolixiores eſſe in perſequendo hoc argumento velimus. Sic notatur HIERAX, ſecundum alios HIERACAS (a quo *Hieracytae* dicti, quos ſaepiſſime, inique tamen, Manichaeis adnumeratos animaduertimus,) qui *Melchiſedechum* fuiſſe ſpiritum S. officiumque Chriſti ſola patefactione accuratioris doctrinae moralis abſolutum eſſe, teſte EPIPHANIO, haer. 67 et 68 ſtatuit: DIONYSIUS, Alexandriae Epiſcopus, vir de religione et diſciplina Chriſti ciuium meritiſſimus, magnaeque auctoritatis, in refellendo *Sabellio* incautus, quod ſaepius accidit, in errorem prolapſus eſt, prouocantibus poſthac ad eius conſenſum et auctoritatem ARIANIS, quod Patrem a Filio ita diſtinxerit, vt pro duabus vnius eſſentiae perſonis haberi nequeant, ſed Filium a Patre differre, vt vitis a vinitore crediderit. Inſtituit de eodem fide dignam narrationem, ſimul

ſimulque eius defenſionem ſuſcepit ATHANASIUS peculiari libro, de *ſententia Dionyſii*, de quo aequum ferre iudicium videntur, qui non mente et deliberato conſilio, ſed improuide in delectu terminorum et metaphoricarum illuſtrationum, eundem deliquiſſe ſentiunt; quod etiam de quibusdam aliis nobis perſuademus.

Jure quodam notandi ſunt *Elceſaei*, qui ſectam philoſophicam ex Ethniciſmo, Chriſtianiſmo et Judaiſmo conflatam conſtituiſſe videntur. EPIPHANIO teſte haer. L. III. Chriſtum cum *Ebionaeis* pro re creata habuerunt; in aliis fidei articulis *Sam. Crellio* ſentiente in *Mſpto* citato Diſſ. VII. §. XXIII. XXIV. multo magis ab iisdem diſſidebant, quam *Ariani* a *Socinianis*. *Elceſaitae* enim vna cum Samaritanis prophetas reiiciebant, quare *Rich. Simon Hiſt. Crit. N. T.* c. VIII. illos a Samaritanis deſcendiſſe, putauit. Scriptorem *Clementinarum homiliarum* hominem mere *Elceſaeitam* fuiſſe, ac *Clericum* valde erraſſe, quod in H. E. eundem pro *Ebionaeo* habuerit, *Crellius* l. c. demonſtrare ſtuduit. Hunc homiliarum auctorem Elceſaeum etiam de perſona Chriſti diuerſa ab Ebionaeis ſenſiſſe, ex illarum inſpectione conſtare putat. Statuit enim Chriſtum *ἀπ᾽ ἀρχῆς* a principio creationis, filium Dei fuiſſe, quem proinde *Adamus*, *Enochus* et alii Patriarchae ignorare non potuerint. Homil. XVIII. §. 13. Adamum Chriſto ſimilem, immo parem facit, eum peccaſſe negat, — — — — immo Adamum ipſum Chriſtum fuiſſe, colligit, hom. VIII. §. 10. homil. III. §. 20. 21. 26. 28, vel potius Spiritum S. per quem omnia creata ſunt, non minus in Adamo atque in Chriſto habitaſſe; Chriſtum creatorem fuiſſe inficiabatur; ſpiritum vero, qui omnia creauit, reſediſſe in eo, qui, quomodo factus fuerit mundus, ſciuerit. Spiritum hunc diuinum, per quem creata ſunt omnia, ad quem ſpiritum conſilii Deus dixerit: Faciamus hominem, quemque manus Dei creantis vocat, Hom. XVI. §. 12. Hom. XI. §. 22. Hom II. §. 16. L. II. initium exiſtentiae ſuae a Deo habuiſſe, adeoque

 crea-

creaturam fuiſſe ſtatuit. Hom. XI. §. 22. 24. *Elceſaeus* homiliſta Chriſtum quidem *Dominum noſtrum* appellat, Hom. IV. §. 5. Hom. VIII. §. 6. Hom. XI. §. 35, nempe quia ſic magiſtri et doctores appellari ſolebant. Nam ſic etiam Moſen, immo Petrum Apoſtolum appellat; ſed Deo, (per quem ſolum Patrem intelligit,) neminem corregnare, neminem eius, i. e. Dei appellationem habere: Chriſtum videtur futuri demum ſaeculi regem ſtatuere, adeoque non inuocandum eſſe cenſuit. Hom. III. §. 19. 22. 23. 24. Solum Patrem Hom. VII. §. 12. inuocat; homilia vero III. §. 72. doxologiam illam Filii et Sp. S. manu falſarii inſertam eſſe, CRELLIUS exponit. Denique Hom. III. §. 7. 8. Hom. X. §. 4. 24. homines per dilectionem Dei, aut charitatem erga Deum, per ea, quae verus Propheta ſentienda et facienda praeſcripſit, ſaluos fieri poſſe dicit; ſane mortis ſacrificiique Chriſti in redemtionem et ſalutem noſtram, nullam vllibi mentionem facit, et verum prophetam Chriſtum propterea tantum miſſum eſſe innuit, vt nobis diceret, quae ſentire et facere debemus. Neque honorificam ſacrificii Chriſti mentionem facere potuit, qui ſacrificia vnquam a Deo fuiſſe mandata, negauit; quod CRELLIUS l. c. variis homiliarum locis probauit.

§. VII.

Nullo tempore coetum chriſtianum grauior turbauit procella, quam quo *Arius* haereſi ſua ſaec. IV. eundem inundare, et articulum de S. Trinitate, aeternaque et eſſentiali J. C. Deitate peſſumdare auſus fuerit. Errores enim praeteritorum temporum quam plurimis aſſertionibus auxit, ac per totum fere orbem diſſeminauit. Habuit ille Neo-Arianos ſectatores, horumque anteceſſor et viae Dux putandus. Nec parallelifmus inter Arianiſmum et Socinianiſmum omnino illegitimus videtur,

detur, quamuis hic ad Photinianiſmum, vel etiam ad Samoſatenianismum propior accedat. Quidam inter Socinianos *Arium* inter anteceſſores ſuos referri vltro admittunt, aliis hunc titulum ſibi ſumma cum iniuria tribui conquerentibus.

* * *

Maxime longaeua fuit *Arianorum* haereſis, cum reliquae fere omnes breui tempore exſpirarint. Illa maiorem probabilitatem prae ſe ferre viſa eſt, quam, quae alios habuit doctores. *Arianiſmus* poſt *Conſtantium* ſub patrocinio *Valentis* Imperatoris, et Matris *Valentiniani* iunioris *Juſtinae*, praetereaque barbararum gentium auſpicio, *Oſt-Gothorum* nimirum in Italia, *Weſt-Gothorum* in Hiſpania, *Vandalorum* in Africa, *Longobardorum* iterum in Italia, miranda inſequutus eſt incrementa, adeo, vt amplectentibus eundem principibus numeroſiſſimisque populis, quam diutiſſime nocentiſſima eiusdem floruerint Zizania; donec circa ſaeculi octaui initium in paucioribus agris herbam protruſerint. *Arium* non primum excogitaſſe placita ſua, ſed plures habuiſſe Magiſtros, iſtaque ex *Cerinthi*, *Ebionis*, aliorumque lacunis hauſiſſe, quae hactenus diximus demonſtrant.

Nomen debet haereſis ARIO, Alexandriae in Aegypto presbytero, ex Lybia oriundo, cuius vitae fata leguntur in MAIMBURGII *hiſt. Arianiſmi*, apud *Lardnerum* l. c. Vol. VII. p. 254. in GAETANI MAR. TRAVASA *Iſtoria critica della vita, di Arrio, primo Ereſiarcha del. IV. ſeculo*, (de quo libro vid. *Biblioth.* Hall. T. I. p. 149. ſeqq.) JABLONSCKY *de Ario*, J. CAR. GÖTZINGER hiſtoriſch theologiſche Anmerkungen über die Geſchichte des Arius, etc. Homo ingenio ſatis acuto, caeterum faſtuoſo, turbulento et ad quaeuis ſuſcipienda ſupra reliquos mortales expedito, fraudum ac technarum foecundo, quo in illud faſtigium aſcendit,

 in

in quod ante ipſum nemo. V. *Theodoreti* H. E. L. I. c. 2. *Epiph.* haer. 69. Is ſiue odio et aemulatione in Epiſcopum ſuum *Alexandrum*, quem de vnitate eſſentiae diuinae, et Trinitate perſonarum aliquando differentem audierat, ſiue vana ingenii oſtentatione, ſiue ex alia ratione, plures enim a ſcriptoribus ſignificantur, artes ſuas dialecticas, in quibus haud mediocriter erat verſatus, adhibuit, vt Praeſuli contradiceret, eum *Sabellianiſmi* coargueret, ſicque eccleſiae pacem, qua ſceptrum tenente *Conſtantino* M. in initio fruebatur, turbaret. In ep. ad *Euſebium* Nicomedienſem Epiſcopum, apud *Epiph.* C. VI. *Arius Alexandrum* accuſat docentem, quod Pater et Filius vna exiſtant, Filius cum Patre ſit non genitus, Filius ſemper genitus quidem, attamen absque generatione genitus, Pater nullo momento antiquior Filio, Deus ſemper, Filius ſemper, qui ex Deo ipſo. Arius rationis perſuaſione faſcinatus, ex qua gloriam et nouae ſectae famam adpetebat, plurima argumenta in contrarium, non tamen poſthabitis S. Scripturae oraculis conquiſiuit, huncque in modum argumentatus eſt: Si Pater genuit Filium, Filius poſterior Patre eſt, hinc tempus fuit, quo Filius non exſtitit; proinde hunc εξ ȣκ οντων εχειν την υποςασιν; Filius hinc inferior ſit Patre, immo res creata, neceſſe eſt. V. *Socrates* H. E. L. I. c. V. Haec et alia, in quibus ab humanis ad diuina ſtruxit conſequentiam, in initio priuatim, deinde repugnantibus *Alexandro* ac *Athanaſio*, publice defendit, ſicque docuit: Deum non ſemper fuiſſe Patrem, quia non ſemper fuit Filius; ſed quia omnia ex nihilo facta, hinc et Dei Filius ex nihilo (εξ ȣκ οντων) creatus, hinc Dei opus (ποιημα) et res creata. Chriſtum quidem non communem hominem, ſed Deum, factitium vero, et rem creatam ex nihilo, ceteris omnibus, vt tempore, ſic dignitate priorem eſſe contendit. Hanc mentem *Ario* fuiſſe teſtantur *Sozom.* l. c. L. I. c. 13 *Theodor.* l. c. L. I. c. 2. *Epiph.* l. c. c. 12. Epiſcopi concilii Nicaeni in litteris ad Eccleſiam Alexandrinam datis, apud *Socratem* l. c. L. I. c. 6.

Atha-

Athanasius orat. I. c. 8. haec *Arii* verba recitat: „*Christus non est verus Deus; sed participatione et ipse Deus factus est.*" Idem in ep. ad Episc. Aegypti et Lybiae, c. 12. Arium ita loquutum esse scribit: *Non verbum proprius est, et naturalis Patris foetus; sed gratia id illi quoque tributum est. Deus enim, qui semper est, filium, qui non erat, eadem voluntate, qua cetera omnia fecit, produxit, creavit, ac exsistere voluit.*" Et in ep. de decretis *Nic.* Synod. c. 6. haec de eodem seruauit verba: „*Non est secundum naturam, ac verus Dei Filius, sed per adoptionem hic quoque Filius dicitur, vtpote creatura.*" AUGUST. haer. 49. inquit: „*Ariani* in eo sunt notissimo errore, quo Patrem et F. et Sp. S. nolunt esse vnius eiusdemque naturae atque substantiae, aut, vt expressius dicatur, essentiae, quae ȣσια graece appellatur; sed esse creaturam, Spiritum vero S. creaturam creaturae; hoc est, ab ipso filio creatum volunt." An ARIUS *Christum creaturam* expresse dixerit, a multis quidem in dubium vocatur, qui ipsius errorem ita exponunt: Patrem solum esse aeternum, et sine initio et fine; Filium ante saecula productum ex libera Patris voluntate, vt haberet instrumentum, quo mundum crearet, nec diuinam essentiam, nec attributa diuina competere Christo, nec eum proinde esse verum Deum; accepisse tamen insignia dona, eaque ex gratia, quibus Filius Dei factus, nomineque Dei insignitus. Ipse *Arius* in Ep. *ad Eusebium*, expositis iis, quae *Alexander* docuerit, ita sua suorumque placita profitetur: „*Nos, quid dicimus, ac sentimus, aut docuimus ac docemus? quod Filius non est ingenitus, neque pars ingeniti vllo modo. At neque quod ex subiecto quodam, sed quod voluntate et consilio substitit ante tempora et ante saecula, plenus Deus, vnigenitus, inalterabilis, et priusquam gigneretur, aut crearetur, aut decerneretur, aut fundaretur, non erat; non enim factus, non erat. Persecutionem autem patimur, quod diximus, principium habet Filius, Deus vero sine principio est: propter hoc fugamur et quod dicimus, ex nihilo est. Sic autem*

ideo dicimus, quod neque pars Dei est, neque ex subiecto quodam, propter hoc fugamur." Opinionem quoque suam ARIUS exposuit in ep. ad *Alexandrum* allegata, ex qua ipsius in genere dogma fuisse constat: Christum quidem ante natiuitatem ex Maria, immo ante saecula Filium Dei exstitisse, vniuersam hanc inuisibilium ac visibilium rerum creatarum seriem antecessisse; at creatum eum esse a Patre spiritum, suo tempore εξ ȣκ οντων, (quare Ariani εξȣκοντιοι, et ετερȣσιοι dicebantur,) tempus fuisse, quo non fuit, Deumque per eundem tanquam instrumentum creasse omnia. Non quidem omnino Filium Dei, λογον Deum esse negauit, immo potius verum Deum, et omnium extra Deum Creatorem, supremumque Dominum aliquando profitebatur; sed ex essentia Patris eum genitum inficiabatur; quem potius modo mortalibus incognito, ex Patris beneplacito existentiam accepisse adfirmabat. Quae de Spiritu S. docuerit, tacentibus ipsius aduersariis, non constat. De ejus asseclis indubitatum est, quod Spiritum S. esse rem a Filio creatam crediderint. Haec *Arium* placita, in Dioecesi Alexandrina, confinibusque prouinciis quauis occasione commendantem, aliosque viros ecclesiasticos ad partes suas trahentem, ALEXANDER Episc. fraterne admonuit, non insequente vero ad orthodoxam confessionem reditu, frustra institutis cum eo colloquiis, suadentibusque aliis Episcopis, pro more istius temporis excommunicauit. Non defuere, qui pugnantium animos conciliare, et a veritate auersos reuocare studerent, inter quos Episcopi quidam magna auctoritate pollentes fuerunt. Ipse CONSTANTINUS M. de tranquillitate coetus Christiani sollicitus, testante *Socrate* vtramque partem, scripta ad *Alexandrum* et *Arium* epistola, quae apud *Eusebium* de *vita Constantini M.* L. II. c. 63. legitur, reconciliare nitebatur, quem in finem *Alexandrum* de subtilitatibus captiosisque quaestionibus, *Arium* de pruritu quaeuis dicendi, quae silentio inuoluenda essent, corripuit. V. *Struvii*

Christia-

Chriſtianiſmus politicus, Conſtant. M. p. 61. ſeqq. Vtrumque diſputantium inprouide egiſſe, judicabat Imperator; alterum enim non quaerere, alterum non reſpondere debuiſſe, ſed cauere, ne abſtruſa dogmata, de quibus diſceptabatur, rudi plebi innoteſcerent, de verbis, ac loquendi formulis non ita eſſe pugnandum, vt communio inter certantes eccleſiaſtica tollatur. Has litteras per *Hoſium Cordubenſem* ad *Alexandrum* et *Arium*, Alexandriam circa annum 324. tranſmiſſos, his verbis finiuit: „*Date mihi dies tranquillos et noctes, curae et moleſtiarum expertes, vt voluptas, quae tum ex ſincera concordiae luce, tum ex vita quieta capi ſolet, mihi integra in poſterum conſeruetur. Quod quidem, ſi minus contingat, neceſſe eſt ingemiſcere, lacrymis et moerore omnino confici: nec fieri poteſt, vt vitae curſum de reliquo tranquille et ſedate tranſigam.*"

Hoc Principis conamen ab antiquis ſcriptoribus ſumma cum laude expoſitum, recentiores quidam ingloriosum *Conſtantino* reputant, huncque vel indifferentiſmi, vel nimiae propenſionis in *Arium* arguunt. Sed omnino celebrandus eſt Imperator, qui de certamine in genere certior factus, de ſtatu cauſſae, ob quam pugnabatur, nondum plenarie inſtructus erat, pacem commendabat, nec facile prudens Caeſarem criminaretur, qui de argumento Theologico ſubtiliſſimo non tanquam Theologus diſſeruit. Adhibita ad reſtituendam tranquillitatem remedia effectu omni carebant. Non enim tantum vtraque pars magis ira ac odio incitata, verum etiam Alexandriae et in Aegypto truculenti a plebe excitati ſunt tumultus. Habuit *Arius* ſuffragantes plurimos, ſicque Principum immo aliquot Epiſcoporum fauore ſuffultus et *Liberii* Epiſcopi Romani violentia defenſus, longa ſerie et ſucceſſione per plures mundi regiones ſuam propagauit doctrinam, vt haud procul a victoria et confeſſio orthodoxa a ruina abeſſe videretur. Coactum tamen eſt, cum alia ratione eccleſiae vulneribus medicina adferri non potuerit,

 aucto-

auctoritate Imperatoris, *concilium Oecunemicum* ex totius orbis doctissimis coetuum antistitibus *Nicaeaea*. c. 325. cui ipse Imperator praeses politicus, *Hosius* vero ex ordine ecclesiastico praefuisse vulgo creditur, quod ad examen vocatum legitur in D. Ernesti *diss. qua ostenditur, Hosium Concilio Nicaeno non praesedisse.* An trecenti et octodecim praecise Episcopi praesentes in eodem fuerint, disputarunt eruditi. V. *Chausepie* Lex. Hist. Crit. Tit. *Nicee*. Arius, ceterique comparuerunt Episcopi Orientales, qui ex partibus *Arii* steterant, contra quos maxime disputarunt, *Athanasius*, isto tempore *Alexandriae diaconus*, quem *Alexander* Episcopus ad hunc conuentum produxerat, et *Marcellus* Episcopus Ancyranus. Recitauit *Arius* doctrinae suae formulam, quae, septem licet supra decem ad episcopis probata, a reliquo episcoporum concilio damnata, aliaque confessio conflata, qua orthodoxa sententia conuenientissimis terminis et dicendi formulis, ad quas etiam *ομοȣσιος* vocabulum pertinet, proposita, omniumque oculis exposita est. *Arius* ob dogmatis contumaciam loco motus, anathemate notatus, et in exsilium eiectus, scriptaque ariana ad ignem damnata. Decreuisse *Constantinum*, vt, si quis librum Arianum occultare deprehenderetur, ac non illico in publicum productum incenderet, capitis supplicio multaretur, *Sozomenus* narrat; sed ab *Arianis* quoque omnes libros sacros, quos in ecclesia reperire poterant, flammis traditos esse, Athanasius conqueritur in *ep. ad orthodoxos de persequutione excitata.* Vtrumque autem diuerso tempore, ac diuersis locis contigit. V. Socrates l. c. L. I. c. 6 et 9. Theodor. l. c. L. I. c. 4. Epiph. l. c. Sozom. l. c. L. I. c. 20. Joach. Camerarii *Synodica*, Lips. 1543. eiusd. *hist. Synodi nicaenae*, Lips. 1552. Ittigii *historia Conc. Nicaeni.*

Tantum fulmen, quod pluribus *Ario* consentientibus remotionem ab officio atque exsilium minabatur, adeo perstrinxit Episcopos Arianae partis, vt, quamuis simulate et cum reseruatione mentali, omnes tamen Symbolo

Nicaeno

Nicaeno ſubſcripſerint; exceptis *Euſebio* Nicomedienſi Epiſcopo, qui blandis perſuaſionibus Principem ſibi fauentem reddidit, vt in epiſcopatu ſeruatus fuerit, Epiſcopisque *Theona* et *Secundo*, qui ſubſcribere recuſarunt, atque eodem cum *Ario* Anathemate perculſi ſunt. Enunciato hoc decreto *Arius*, vel in exſilium in Illyriam exceſſit, vel fucum dogmati ſuo faciens, tempus lucratus, inter chriſtiani orbis terminos ſubſtitit, Orthodoxae fidei praetextum ſimulans, et cum iis, quos eodem errore imbutos ſciebat, ſpeciem aſſenſus venditauit. Fuere enim nonnulli Epiſcopi, qui ſubdole Symbolo Nicaeno ſubſcripſerant, omnem tamen mouentes lapidem, vt *Arium Conſtantino M.* commendarent, et principi animum ipſi fauentem redderent, quod etiam impetrarunt. Arius enim *Conſtantinopolin* ad aulam caeſaream vocatus, copiam nactus exhibendi nouam fidei confeſſionem, generalioribus concinnatam terminis, ſimulque jureiurando teſtatus eſt, teneri a ſe fidem ac ſenſum eccleſiae, et S. Scripturae, quo praetextu non tantum *Conſtantini* gratiam conſecutus et ab excommunicationis cenſura ſolutus; ſed quoque litteras ab Imperatore accepit ad *Athanaſium*, quibus jubebatur, Arium officio ſuo reſtituere, ac in eccleſiae ſinum recipere, niſi ipſe dignitate ſua priuari vellet. Athanasius tamen fieri id non poſſe declarabat, cum Arius non animum, ſed verba tantum mutaſſet.

Haud multo poſt *Arius* ſpiritum exſpirauit et quidem narrantibus aetatis huius ſcriptoribus, *Athanaſio, Epiphanio*, *Socrate* et *Sozomeno*, aliisque, in ſeceſſum eiectis ilibus ſuis. Ex antiquis documentis hac de re diſſeruit J. G. Rabenerus in *amoenitat. hiſt. Philolog.* p. 142. *Dan.* Zwickerus fabulam eſſe, quae de *Arii* mortis genere narrantur, in fine confut. *Comenii* (B. A. p. 1058. N. 11.) ſentit, cum quo conſpirat *Sandius* in *H. E. enucl.* p. 184. quibus ab infenſiſſimo *Arii* inimico *Athanaſio* prodita videntur; quod etiam argumentum euictum legitur, in additamentis ad *Tom. X. Obſeruat. Halenſ.* p. 181. ſeqq.

Cum magiſtri obitu non ſuccubuit ſecta; diſcipuli enim nec ſententiam, nec ingenium mutarunt, ſed omnem potius adhibuerunt operam, vt cum orthodoxis conſentire quidem viderentur, longiſſime tamen ab iis reuera diſtarent. Concilii proinde Nicaeni canones aduerſus ſe promulgatos cum vi euertere non poſſent, occultis ſuffodere cuniculis allaborarunt. Aequiuocas enim dicendi formulas excogitarunt, quo facilius vnanimem cum orthodoxis ſenſum ementirentur. Fauore praeterea CONSTANTIAE *Conſtantini M.* ſororis vtebantur, ad infringendam concilii auctoritatem, quo facto deinceps maiores motus inſequuti ſunt, vt totus fere orbis chriſtianus in pernicioſiſſimas diſſenſiones fuerit diſtractus. Ipſum quoque Caeſarem, inclinante ad finem vita, illorum machinationibus ea, qua pollebat auctoritate, non reſtitiſſe conſtat. Vltimis Patris veſtigiis non tantum inſiſtebat filius *Conſtantius*, ſed etiam Nicaenae fidei defenſores, ab Arianis ſubornatus, quibuscunque contumeliis affici, immo poenas ipſis infligi paſſus eſt. Auctores fuere haereſi nouae addicti, vt *Synodus Ariminenſis* conuocaretur, in qua Imperatori Arianiſmo indulgenti perſuaſerunt: ſolas voces ουσια et ομοουσιος, humano ingenio et affectu excogitatas tantum in eccleſia concitaſſe diſſidium; quibus ex fidei formulis deletis, leuique adeo cauſſa remota, certo fore, vt coetus contentionibus turbati perpetua fruituri ſint pace. Orthodoxi Arianae fraudis non ignari, expetitis adſpirare recuſarunt, immo *Semi-Arianos*, quorum confeſſionem *Synodus Ariminenſis* probauerat, a communione conſtanter ſubmouerunt, ſententiamque in concilio oecumenico communi ſtudio enunciatam temere mutare, ſummum nefas ſtatuerunt. Tandem alio ſtratagemate veritatem conculcare conabantur *Arii* aſſectae, concedendo, Filium Patri eſſe ομοιουσιον, ſicque vnius litterae interpoſitione, Arianiſmum celantes quandam *ſimilitudinem*, non vero *vnitatem* ουσιας Patris et Filii concedebant, immo adeo terminum ομοουσιον admiſerunt, in quantum iſte ſignificaret

ficaret ὅμοιον τῇ οὐσίᾳ, qua ratione ὁμοούσιον iſtud Nicaenum effugiendo, fidem orthodoxam illudere cogitarunt, a quibus ἀνόμοιοι diuerſi erant, qui Filium Patri diſſimilem crediderunt. Sed nullo plane modo obtinuerunt, vt ab orthodoxis in eccleſiae ſinum reciperentur. V. *Socrates* l. c. L. III. c. 25.

Rebus ſic ſtantibus, VALENS, qui *Conſtantium* in imperio exceperat, infenſo aduerſus veritatem probatam animo, Arianorum aduerſarios, et orthodoxae ſententiae defenſores perſequebatur, vt teſtantibus hiſtoriae horum temporum monumentis vix *Julianus Apoſtata* atrocior Chriſti ciuium perſequutor exiſterit. In vniuerſa terrae ſuperficie ad finem vsque ſaeculi omnia perſtrepebant bellis, Synodi Synodis opponebantur, et pars altera alteri vltimum diſcrimen contrahere ſtudebat. Habuit tamen ſub atrociſſimis aduerſariorum moliminibus recepta in eccleſiam doctrina ſtrenuos athletas, inter quos *Athanaſius*, *Alexandri* in epiſcopatu Alexandrino ſucceſſor maxime celebratus, qui grauiſſimas hoſtium inimicitias paſſus, in exſilium bis vel ter coactus, innumerisque injuriis prope confectus eſt. V. *Chriſtoph. Pezelii oratio de D. Athanaſio: complectens hiſtoriam vitae, certaminum et liberationum Athanaſii et ſimul commemorationem de initiis et progreſſionibus certaminum Arii, et de rebus praecipuis, quae in eccleſia a Synodo Nicaena, vsque ad annum ſeptimum Imper. Valentiniani et Valentis, contexta ex ſcriptoribus H. E.* Inſerta ea eſt *Orationum ſcholae Melanchtonianae* etc. T. VII. p. 440. ſeqq. Nec animo confracti ſunt alii per duriſſimas perſequutiones, ſed exemplo conſtantiſſimi ducis, (qui tamen paulo minor eſt laudibus, quibus eum amici onerarunt,) nullis adigi poterant terriculamentis, vt cauſſam Arianam probarent. *Baſilium M.* VALENS jubebat, *Eudoxium* ab ipſo *Conſtantio* Imperatore in Ariminenſi Synodo a. 358. ob Arianiſmum munere epiſcopali, quo Antiochiae fungebatur, exutum, ſocium ſibi adſciſcere in Praefectura eccleſiae

Conſtan-

Conſtantinopolitanae; ſed nec minis, nec pollicitationibus ab eodem impetrari potuit, vt huic mandato cederet. N. *Theodoretus*. L. IV. c. 19.

Habuit, quod negari nequit, Arianorum ſecta, viros magni nominis defenſores atque amatores, et inter hos *Euſebium* Nicomedienſem, paulo ante notatum, *Valentem* et *Urſatium* Epiſcopos Pannoniae, *Gregorium*, qui militari vi in *Athanaſii* locum ſuffectus eſt, *Georgium*, qui *Gregorio* in Epiſcopatu Alexandriae ſucceſſit, *Eudoxium*, Epiſcopum Antiochenum, atque plures alios. Hisce miniſtrantibus in oriente et occidente ariana haereſis caput ſuum magnopere erexit. Maiora forſitan incrementa cepiſſet, niſi ipſa, quod commune errorum fatum eſt, in diuerſas ſciſſa fuiſſet partes ac diſſenſiones, quarum altera alteram ferre detrectauit.

Nonnulli *Euſebium* quoque *Caeſarienſem* inſignem veteris rei Chriſtianae hiſtoriographum, et in hac pugna vtriusque partis viros, eruditione et omni ſtudiorum genere facile antecellentem *Arianiſmi* accuſarunt, inter quos *Clericus* T. X. *Bibliotheque uniuerſelle*, et *in lettres critiques*, *Sandius*, *Petauius*, *Baronius*, *Monteſalconius*, aliique fuerunt. Defenderunt vero illum *Cave* in *Chartophylace*, *in hiſt. litt. in vitis Patrum*, *in ep. apol.* et *Chriſt. Weberus de origine et progreſſu Arianiſmi*, aliique plures. Omnium horum examen ſuſcepit, *Fabricius* in *Bibl. Gr.* qui hoc tandem de *Euſebio* judicium tulit: quod quidem minus ακριβως et prouide in quibusdam doctrinae Chriſtianae capitibus mentem ſuam explicuerit; in Myſterio autem S. S. Trinitatis Arianiſmi, proprie ſic dicti, malam cauſſam defendendam nunquam ſuſceperit. Hoc interim negari nequit, eundem in recenſenda Arianiſmi hiſtoria multa ſilentio praeteriiſſe, non propter fauorem in eos; ſed quia illorum vindictam et perſecutiones verebatur.

Ariani igitur linguis paulo poſt diuiſi, in plures factiones diſtracti magna opinionum varietate inter ſe diſcreparunt. Alii *Arii* ſententias, vel diuerſe explicabant, vel

vel emolliebant, vel variis additamentis proferebant, vel mutatas eiusdem confeſſiones ſubinde exhibebant, quas *Baſilius* ep. 82. his verbis perſtringit: „*Quoties fidem exponendo nouarunt? Ancyrae dederunt aliam, aliam Conſtantinopoli; diuulgatam illam, et aliam in Lampſaco poſtea, et quam dederunt in Nicaea Thraceae, et iam aliam in Cyzico.*" Numerant ſcriptores *Arianos*, *Semi-Arianos*, *Euſebianos*, *Aetianos*, *Eunomianos*, *Aeatianos*, et plures, quorum quaelibet pars alteram damnauit, ſeque ab inuicem peculiaribus diſtinguebat dicendi formulis. Monente vero MOSHEMIO *inſtit. hiſt. chriſt. antiq.* P. II. C. V. p. 350. ad tres omnino claſſes reuocari poſſunt. *Primam* conſtituunt, qui proxime *Ario* ſtantes Chriſtum Patre minorem ex nihilo conditum ſimpliciter adfirmarunt. Ab his ex altera parte diſſentiebant *Semi-Ariani*, qui Filium Patri ὁμοιούσιον ſtatuentes cum *Ario* credere dubitarunt, quod fuerit tempus, quo Chriſtus non exſtitit. Ab altero latere *Eunomiani* ſeu *Anomaei* pugnarunt, qui primum nomen ab *Eunomio* viro ſubtili ſunt ſortiti, alterum a voce ἀνόμοιος, hoc eſt: *diſſimilis*, quia Chriſtum Patre natura diſſimilem eſſe opinabantur. Dicebantur hi quoque *Aetiani*, ab *Aetio*, Syro, Diacono Antiocheno, ſed frequentior eſt *Eunomiorum* appellatio, quod *Eunomius*, *Aetii* diſcipulus in dialectica magiſtro praeualens, acutius et celebrius defendit: *Diſſimilem per omnia eſſe Filium et Filio Spiritum S.*

His diſcordiis ſibi tantum contraxerunt detrimentum, quantum Orthodoxorum confutationibus ac conſiliis vix conciliatum eſt illis. Non tamen judicandum, de controuerſia minoris momenti et de ſolis terminis diſputatum eſſe inter Arianos et Orthodoxos, ac proinde meram tot triſtia hominum fata excitaſſe logomachiam; quemadmodum nonnulli veritatem parui facientes et hanc ſtrenue defendentibus, rixas, jurga et pacis odium imputantes prodiderunt, quod et ipſi *Ariani* Principibus harum rerum ignaris perſuadere ſtuduerunt. Omnibus rem ſobrie penſitantibus patet, ſublatam voluiſſe *Arium* eiusque

aſſeclas

asseclas summam atque primariam veritatem de aeterna ac coessentiali J. C. diuinitate per illegitimas ratiocinationes, quibus aduersarii majorem, quam euidentissimis S. Scripturae testimoniis fidem habuerunt. Fuere quidem in hoc certamine variae de vocabulis pugnae, nec disciplinae christianae Antistites ab omnibus concitatae mentis affectibus liberi dici possunt; sed nunquam de vocabulis solis dimicatum esse, saniores peruident.

Quae enarrauimus, non eo fine prolata sunt, vt Arianismi historiam tot H. E. scriptorum libris contextam iterum repeteremus, sed ad parallelismum Arianos inter et Socinianos significandum, minimam rei particulam delibauimus. Accuratiorem et pleniorem historiam tradunt praeter jam allegatos antiquos et recentiores, Philostorgius Cappodox in *H. E. a Constantino M. Ariique* initiis ad sua vsque tempora, Libb. XII. et Jac. Gottofredus in *Diss. ad hunc librum*, Pfaffius in *H. E.* p. 224. Prud. Marani *diss. sur les Semi-Ariens in Vogtii Biblioth. haeresiol.* T. II. p. 119. Basnage *de Eunomio, in Henr. Canisii lectionibus antiquis*, T. I. p. 172. seqq. Weber *de origine et progressu Arianismi*; J. F. Koenig *Hist. Arianismi*; P. L. Hannekenius in *Epit. historiae Arianae, Giessae* 1660. Fabricius *Biblioth. Gr.* T. VIII. p. 100. seqq. J. G. Walchii *Biblioth. theol. sel.* T. I. p. 587 et 954. T. III. p. 760. qui ambo notitiam scriptorum de *Ario* et *Arianismo* suppeditarunt.

Inter Antitrinitarios recentiores, *Schlichtingius* in praefatione expositioni VI. locorum S. Scripturae de S. S. Trinitate praemissa, *Arium* ad classem antecessorum suorum redegit; nec defuerunt in hoc agmine, qui a reuelata doctrina ita aberrarunt, vt Arianismo in orbem reuocando studuerint, qui omni respectu cum Arianis antiquis conspirant.

Hoc argumentum pluribus exponit Stan. Sarnicii tractatus, raro nostra aetate obuius, absque autoris loci et temporis commemoratione in lucem emissus; cuius histo-

historiam ſub *Greg. Pauli* in B. A. P. II. p. 604. N. 3. expoſuimus. Eandem materiam tractauit *Eraſm. Glitznerus*, in libello, quem in B. A. P. I. p. 370. N. 1. 5) allegauimus.

Detrectant autem alii *Socinis* addicti, inter quos Jo. PREUSSIUS in *Theologia* etc. HIER. MOSCOROVIUS, in *Refut. adpendicis Smiglecii* etc. p. 3. JOACH. STEGMANNUS in der Probe der einfältigen Warnung, aduerſus *Botſaccum* p. 21. auctor *Vindiciarum* etc. l. c. p. 268. VAL. SMALCIUS in *Reſp. ad noua monſtra* etc. p. 1. et OSTORODUS cum aliis, Arianorum titulum, qui tamen nullam de iniuria conquerendi cauſſam habent. OSTORODUS in lib. Unterrichtung von den vornehmſten Hauptpuncten der Chriſtlichen Religion, ſumma cum ignominia et ex ſtupida inſcitia ſe ſuosque appellari Arianos putat, quod in libri praefatione p. 10 — 14. et in praefamine ad *diſputationem aduerſus Ge. Tradelium* praemiſſo variis euincere nititur dubiolis, 1) „*Ariani* ſtatuerunt, Chriſtum prius exſtitiſſe, quam mundus creatus fuerit, quae *ipſorum* non eſſet ſententia. 2) *Ariani* non eandem de Spiritu S. opinionem defendunt, qui eum eſſe creaturam, *Sociniani* autem virtutem Dei dicant. 3) *Ariani* Chriſtum non adorarunt diuino cultu, ſine quo honore neminem poſſe ſaluari, *Sociniani* iudicant. 4) *Ariani* fere omnes, imprimis eorum Epiſcopi tyranni, ſanguinolento impetu diſſentientes ad mortem perſecuti ſunt, quod *ipſi* maxime abhorreant 5) Ariani in Concilio Sirmienſi *Photinum* eiusque doctrinam damnarunt; *Photini* autem dogmata in articulo de Chriſto *Neo-Photinianorum ſiue Socinianorum* genuinam exhibeant confeſſionem."

F. quoque *Socinus* aegerrime tulit *Arii* nomen coetui ſuo impoſitum, in libello, cuius index: „*Quod regni Poloniae et magni ducatus Lithuaniae homines, vulgo Euangelici dicti*, etc. *immerito Ariani et Ebionitae vocantur.*" Cum vero inter ipſos fuerint haud pauci Arianis omnino homodoxi ac omnes reliqui in praecipuo de negata aeterna ac eſſentiali Chriſti Deitate errore eandem cum *Ario* cauſſam

caussam quamvis diversa methodo defendant, hanc comparationem aegre ferre nequeunt. Idem enim de illis enuntiari debet, quod AUGUSTINUS de Arianis inquit: „*Quod ad vnici Patris gloriam non, nisi per Filii contumeliam se posse peruenire exstimant.*" Nec vnquam familiae Socinianae addicti serium suum ab *Ario* dissensum testati sunt. Dicebat *Arius* ετερουσιον Filium Dei; dicunt idem *Sociniani*; negabat ille ομοουσιον; negant idem *Sociniani*. Dissimulauit OSTORODUS quae familiae suae cum *Arianis* sunt communia, et quae diuersa perhibet, parallelismum non tollunt. Nec ob diuinum, quem Christo praestandum esse cultum statuunt, ab hac comparatione eximendi sunt, quippe Christo secundum in hoc cultu locum concedunt, eumque non vt Deum, sed vt caput nostrum, vt ministrum quendam Dei adorandum esse, non abnuunt. Tyrannidem quidem adhuc, quod Deus auertat, in orthodoxos, potestate destituti exercere nequeunt; sed ipsum veterum Arianorum et *Macedonii* exemplum praesagiendi occasionem suppeditat, quid facturi essent, eadem instructi? Quam dura fata *Francisco Davidis* eiusque sociis contraxerint, ex historiae huius monumentis alio loco patebit. Quid ab iis amicitiae exspectandum sit, qui innumeris vicibus euangelicos tanquam Arianos, Atheos et Antichristianos olim criminati sunt; ab iis, qui praecipua fidei nostrae dogmata diris deuouerunt, quiuis ominari potest. Habent Arianos sibi praelucentes *Sociniani*, quoties rudioribus persuaserunt, quod orthodoxi praeter S. Scripturae verba varias adhibeant distinctiones, ipsi vero explicitis et disertis genere plano, simplici et minus artificiali vtantur. Quo jure Arianos imitantur, qui pari glaucomate orthodoxos decipere allaborarunt. Absque omni ratione prouocant ad expressa S. Scripturae oracula, qui saepe numero manifesto declararunt, quod eadem credere nolint, nisi his humana ratio omni respectu calculum adjecerit. Saepius ipsi praeter S. Scripturam distinctiones, limitationes, et terminos effinxerunt, quibus disciplinae

suae

ſuae praetextum et munimentum afferre crediderunt. Qui terminis in S. Scriptura non obuiis abſtinendum eſſe judicant, ipſi *acceptilationis* terminum, quem ſuum faciunt Schiboleth, excogitarunt. Optime AUGUST. de Trinitate L. VII. c. 4. „*neceſſitas extorſit orthodoxis nouas voces, ad protrahendum e latibulis aduerſarios*"; et AMBROSIUS *de fide* L. III. c. 9. „*Hi termini dogma Scripturae cuſtodiunt, Aduerſariis formidini ſunt, quibus velut euaginato gladio ipſorum nefandae haereſeos caput amputatur.*" Qui ſola oracula diuina ad litteram vrgent, nec ad analogiam fidei, ad contextum, ad collationem cum aliis, et ad Spiritum S. nutum attendunt, latiſſimam omnibus erroribus viam ſternunt. Quae de concilio Sirmienſi adfert *Oſtorodus*, euincerent potius, Socinianos veteribus Arianis pejores eſſe. Vere itaque *Pelargus de Arianis recent.* p. 300. judicat: „*Quomodo amoliri abs ſe Arianorum, quorum dogma proſeminant, nomen vnquam illi potuerunt? Dicunt idem Smiglenſes quod Arius; negant idem, quod ille. Cum Ario itaque faciunt et tamen odioſa auctorum ſuorum nomina formidant ſectatores.*" V. *Baylii* Opp. T. II. f. 864. ſeqq.

Inter *Mich. Gittichii epp. Msscc.* (B. A. P. I. p. 385. N. 20.) defenſio quaedam *Arii* familiaeque Socinianae, cui immerito Arianorum nomen imponi ille criminatur, occurrit, ſub titulo: *Illuſtratio ſcripti de Ario ex hiſtoricis collecti.* Quem habuerit auctorem ſcriptum, ad quod haec *Gittichii* illuſtratio ſpectat, reſcire datum non eſt. Cum inter ipſius epiſtolas legatur ad quendam amicum, qui ipſi libellum communicauit de *Ario* et *Arianiſmo*, ſub epiſtolae forma transmiſſum videtur. Quae aduerſus Apologiam hanc regeri poſſint ac debeant, partim paulo ante expoſita, partim aliunde notiſſima ſunt. Ita autem *Gittichius*.

„Quae hic de *Ario* ſcripta leguntur, reperiuntur omnia in iis hiſtoricis, ex quibus collecta ſunt. Sciendum autem eſt, iſtos omnes hiſtoricos fuiſſe *Arii*, illius-

que diſciplinae hoſtes capitales, ideoque de multis quidem Arianis ſcripſerunt, jure tamen quaeri poteſt, an non ex animi ſui potius, quam veritatis ſententia illa ſcripſerint. Res enim ipſa et quotidiana experientia perſpicue omnibus oſtendit, omnes, qui aliquid referunt de iis, a quibus auerſum et odio ac malevolentia plenum animum in eos gerunt, vix decimo quoque verbo veritati litare, idque tum tantummodo cum praeſentiſſimum eſt periculum, ne manifeſti mendacii teneantur; e contrario ad odium, et maleuoli animi libidinem reuocare omnia. — Quicquid autem haec omnia de *Ario* et eius aſſeclis in iſto ſcripto, ex iſtis hiſtoricis ſcripta leguntur, cum rei veritate exactiſſime conueniant, nihil omnino habent momenti, ad conſequendum eum finem, in quem ex iſtis hiſtoricis collecta ſunt, id eſt, ad inurendam aliquam infamiae notam iis, quos jam libido et maleuolentia hominum *Arianos*, *Samoſatenos* etc. appellat. Quantum coelum a terra differt, tam diuerſa eſt illorum ſententia ab omnibus *Arii* et eius aſſeclarum dogmatis. Hi enim ſtatuebant, Dei filium eſſe ſubſtantiam quandam ſpiritualem, a Deo ante coelum et terram, atque ipſos angelos creatum ex nihilo, per quem poſtea alias res omnes creauerit, eamque ſpiritualem ſubſtantiam, ſeu ſpiritum, tandem humanum corpus ſic induiſſe, ſeu aſſumſiſſe, vt corpori iſti fuerit loco animae. Quibus autem iam libido hominum *Arianorum* nomen impoſuit, ii juxta S. Scripturam et Symbolum, quod ad Apoſtolos refertur ſtatuunt: Jeſum Chriſtum in vtero virginis ex Spiritu S. ſuae exiſtentiae initium habuiſſe, ideoque quoad naturam, hominem tantum fuiſſe nobis omnibus, peccato excepto, per omnia (quod, inquam, ad naturam attinet) ſimilem fuiſſe, neque ante Mariam quicquam eſſentiae exſtitiſſe, aut exiſtere potuiſſe.

Quae autem hic dicuntur de *Arii* libris combuſtis, et decreto promulgato, de ſumendo capitis ſupplicio,

de

de iis omnibus, qui occultare et ſeruare aliquid ex libris *Arii* auſi eſſent, ne vlla illius doctrinae veſtigia vſpiam apparerent, haec ſatis oſtendunt, *Arianos* non rationibus et argumentis, ſed vi et potentia aduerſariorum eſſe oppreſſos. Oſtendunt inquam haec, pontifices illos in diſputatione cum *Ario* veritate nudatos fuiſſe, et non niſi igne libros et ſententiam eius confutare potuiſſe. Pro quo enim veritas militat, non opus eſt, vt ſententiam ſuam Turcica crudelitate, veluti hic factum eſt, defendat. Vt enim tenebrae, quamvis ſint denſiſſimae, ad ſolis lucem diſſoluuntur; ita et omnia commenta propoſita ex aduerſo luce diſſipantur, et exſtinguuntur omnia. Ad confeſſionem *Synodi Conſtantinopolitanae*, in qua omnes diuerſum ſentientes fulminibus anathematum feriebantur, hoc notandum eſt: Doctrinam euangelii eos tantum ſempiterno exitio deuouere, qui ſanctitate praeceptorum Chriſti poſthabita et contemta, diſſolutam vitam agunt, neque vlliscunque admonitionibus ad frugem redeunt. Notandum hoc quoque: doctrinam euangelii ab hominibus fidelibus 1 Tim. II. v. 1. requirere, vt pro omnibus hominibus orent. Orare autem pro omnibus, et aliquos diris deuouere, ita pugnat inter ſe, vt nulla ratione conciliari poſſit. Quia itaque hi boni patres Conſtantinopolitani et quicunque iis vnquam ſimiles fuerunt, contrarium eius, quod jubet Deus et J. C. fecerunt; apparet eos non fuiſſe Dei et Jeſu Chriſti Spiritu actos, ſed contrarios ſpiritui Dei et Chriſti; ideoque iſta omnia eorum fulmina eſſe fulmina ex pelui, tantumque abeſt, vt illa diuerſum ſentientes horrere debeant, vt contra laetari illos oporteat, quod eos tales homines diris deuoueant. Quos enim iſti diris defingunt, hos Deus et Dominus J. C. fauſtis omnibus proſequitur. Quod dicitur S. Trinitatis myſterium in ſilentio eſſe colendum, hoc quoque oſtendit, iſtud venerandum myſterium, quia tenebras quaerit, non eſſe e coeleſti

luce petitum. Chriſtus juſſit, publicari et propalari euangelium toti orbi: Ideoque etiam, ſi iſta de Trinitate doctrina eſſet pars doctrinae euangelicae, non eſſet vllo modo in ſilentio colenda Trinitas; ſed clariſſima voce de illa eſſet agendum. Neque poſt publicatum Euangelium dici poſſet, illam eſſe occultum myſterium. Iſta enim ſeſe mutuo perimunt, eſſe aliquid reuelatum et publicatum, et tamen eſſe occultum myſterium. Extremo, quod dicitur, de Trinitate ita ſentiendum, vt nos iſta ſynodus docet, hic quoque notandum, *omnibus ſuae* ſalutis ſtudioſis non eſſe a quoquam, niſi a ſolo Chriſto et eius doctrina pendendum. Hic enim ſolus eſt vnicus Magiſter noſter. De hoc ſolo ita coelitus Deus ſententiam protulit: *Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite*, Luc. 9, 36. Quicunque igitur non ſuum, ſed Chriſti negotium gerit, et cui ſalus hominum cordi eſt, nunquam dicet, iis de rebus ita nobis ſentiendum, vt hic et ille doctor, haec et illa ſynodus ſentit; ſed hoc illius erit conſtans et perpetuum judicium de omnibus religionis capitibus, Chriſti doctrina nobis conſulenda ac ſequenda eſt." *Haec* GITTICHIUS.

§. VIII.

Saec. IV. poſt numeroſos Arianorum exercitus, *Marcellum Ancyranum*, *Adoptianos*, quibus ille ſemet junxerat, et inter hos maxime *Bonoſianos*, *Tropicos* et *Priſcilliſtas*, vel *Priſcillianiſtas*, nec non *Photinum* et *Macedonium* in Socinianorum ſtemmate genealogico animaduertimus; cui adeo *Julianus* Apoſtata a quibusdam inſeritur, qui tamen minus commode in hunc cenſum trahitur; maiori quoque jure *Arnobius* et *Apollinariſtae* hoc numero ſunt eximendi.

Inter

* * *

Inter patres recentiorum Antitrinitariorum MARCELLUS, *Episc. Ancyranus*, cujus sectatores *Marcelliani* dicti sunt, ab auctore *praefat. Biblioth.* F.F. P.P. nominatur, quem fere omnes sectae huic adscripti, vno adfectu in recensenda genealogia sua adcitant. Fuit is *Galatiae Episc.* aduersus quem maxime EUSEBIUS *Caesariensis* caussam egit, qui de eodem refert, quod omne in diuina natura discrimen, *Sabellii* tramitem incedens, sustulerit. Pluribus ipsius historia difficultatibus inclusa est, nihil vt certi de eadem constitui possit. Adeo enim differunt relationes, vt dubium multis visum fuerit, an errores, quorum ab aliis accusatur, conceperit. Qui de eius a veritatis cynosura discessu recte judicare arbitrantur, ex ea ratione, quod *Photini* exstiterit praeceptor, illegitima nituntur consequentia, cum discipulorum placita non semper magistris suis imputanda sint. Nec vllo argumento demonstrari potest, *Photinum*, qui ipse haereseos auctor est, ex *Marcello* didicisse placita sua. MONTEFALCONIUS in *diatriba de caussa Marcelli Ancyrani quae nouae collectioni P.P. Graecorum*, T. II. p. 51. inserta est, hanc opinionum eius summam exhibet: „*Vnus ab aeterno exsistit Deus, cujus* λογος *aut verbum pariter aeternum, vnum est cum Deo ipso* ȣσια και υποςασει, *ita vt nulla sit inter vtrumque distinctio. — Spiritus item S. in Deo ab aeterno fuit, nulla similiter, nisi nominis et rationis distinctione. Emissum fuit verbum, vt carnem assumeret, tuncque Filius Dei effectum est, rex item, Christus et imago Dei inuisibilis, et primogenitus omnis creaturae, cum antea nihil eorum fuerit*, etc. Negandum equidem non est, varios circa doctrinam de S. Trinitate errores in libro MARCELLI aduersus *Asterium* scripto expositos occurrere; sed aeque certum est, *Marcellum* de hoc articulo in triplici fidei confessione, quam exhibuit, orthodoxe mentem suam explicasse. Id in aprico positum, quod in libro allegato de personali differentia trium personarum in

essentia diuina ita docuerit, vt sibi Sabellianismi suspicionem contraxerit; in quo tamen passu improuide magis loquendo, quam deliberato consilio peccasse videtur. Negauit in Deo τρεις υποστασεις, et μιαν tantum υποστασιν concessit, ideo tamen personarum Trinitatem inficiari noluit. Cum enim vagus isto tempore nec satis determinatus fuerit vocabuli υποστασεως significatus, ipsi enim Ariani hoc termino aliquando vtebantur; potuit orthodoxe sentire, licet terminum istum non admiserit. Omni autem jure reprehenditur, quod de actibus personalibus, quibus Characteres personales absoluuntur, in specie de aeterna filii generatione, et processu Spiritus S. a P. et F. incaute docuerit, ac eiusmodi similibus ad illustrandum mysterium vsus fuerit, ex quibus colligitur, quod personas in diuina essentia pro operationibus et virtutibus diuinis habuerit; quo pertinet quod Filium Dei λογον σημαντικον et προφορικον *Theodoreto* teste appellauerit. In articulo de Christo vtramque in eodem naturam concessit, sed de vnione naturarum non potuit non male statuere, si revera (quod tamen a quibusdam in dubium vocatur) propriam τȣ λογȣ personalitatem negauerit. Hac enim negata, nec humana natura in eandem recipi potuit. Negasse eum duarum naturarum in Christo vnionem in aeternum duraturam, ac e contrario statuisse: λογον aliquando humana natura semet abdicaturum, et in essentiam diuinam quasi reuersurum, quaedam libri ab ipso conflati loca produnt. Non tamen legimus, *Marcellum* has aliasque opiniones obstinate et cum contumacia defendisse, nec omnes consequentias, quas ex ipsius improuide loquendi modis traxerunt aduersarii, suas fuisse. V. WALCHIUS *hist. haer.* T. III. p. 229—299.

Id luci clariori expositum videtur, *Marcellum Adoptianorum* tenuisse partes, quorum historiam *Walchius* peculiari opere erudito orbi exposuit. Omnino satis est, quoad fidem de Christi persona tenere veritatem, Jesum Nazarenum a Maria virgine in lucem editum verum ac aeternum

aeternum esse Filium Dei, duplicemque ideo in eo inesse naturam, et diuinam et humanam, et vtramque *υποστασεως* vinculo ita esse vnitam, vt altera ab altera diuelli ac separari nequeat. Optime sibi aliisque consuluissent veteres ciuitatis christianae doctores, si veritatem simplicem amplexi, ab inuestigandis mysterii rationibus, ac modis illud alia atque alia ratione explicantibus prorsus abstinuissent; nec subtiliores hac de materia protulissent quaestiones. Nimio enim hoc scifcitandi et explicandi, quae incognita esse voluit diuina sapientia hominibus, pruritu, aliis ansam suppeditarunt, de hoc articulo peruerse sentiendi. Huius generis quaestio fuit: Num Christus homo, filius Dei adoptiuus, an naturalis? circa quam Saec. 8. *Elipandus* ac *Felix* suam de Christo Dei filio adoptiuo acrius defenderunt sententiam; sed ante istud aeuum jam exstiterunt, qui idem sentirent, saltem eadem vterentur filii Dei adoptiui formula, quum de Christo loquerentur; in quem numerum *Marcellus* collocandus, qui de adoptione Christi doctrinam defendit, quamuis neutiquam Christum esse Deum negauerit, et quae de filio adoptiuo pronuntiauit, ad humanam naturam adstrinxerit; *Arius* vero qui circa finem pugnae suae *adoptionis* vocabulo vtebatur, Christum Filium Deum adoptiuum ita statuit, vt diuinam eius naturam prorsus tolleret.

Adoptianorum classi accensetur BONOSUS, *Sardicensis Episc.* cuius asseclae BONOSIANI dicti. *Isidorus Hispal.* L. III. C. 5. de illis notauit: *quod Christum Dei Filium adoptiuum, non proprium adsumerint;* idem recepit judicium in opere de *viris illust.* C. 20. de *Justiniano Hispano* memorans, quod contra *Bonosianos*, *Christum adoptiuum non proprium credentes*, *scripserit.* ELIPANDUS, ipse adoptionis formulam professus, testatur, *Bonosianos* adoptionem Christi ad diuinam naturam retulisse. V. *C. G. F. Walchius de Bonoso haeretico.*

Non quidem maiorem sibi cohortem conduxit PHOTINUS *Sirmiensis antistes* ex Ancyra in Gallo-Graecia, siue

Galatia natus, *Marcelli* discipulus, eiusque ad tempus diaconus; ast ampliorem famam nactus, qui insigni eruditione, atque eloquentia in latina pariter ac graeca lingua ad Sirmiensis episcopatus dignitatem sibi viam parauit. Innotuit ipsius a veritate discessus circa annum 340 eiusque sodalitas, dogmatum ipsius tenax, circa annum 356 regnante *Constantio* inclaruit. Juxta alia heterodoxa, quae ad scopum nostrum parum conferunt, Christum ex Maria virgine communem natum fuisse hominem, nec ante natiuitatem ex illa exstitisse, defendit. Verbum Dei esse sermonem pronunciatum, propria quidem substantia destitutum, sed cum homine Jesu vnitum, quare is Filius Dei, et Deus appelletur. Spiritum S. docuit esse virtutem ex Deo fluentem. V. Socrates *H. E.* L. II. c. 19. Hunc errorem adsciscens *Ebionis*, *Artemonis* et *Samosateni* opiniones patrocinatus est, in eo autem, quod per consequens, solum Patrem veram personam, et verbum ac Spiritum S. aliquid tantem istius faciebat, sicque Filii et Spiritus S. personalitatem negabat, *Sabellium* sectatus est; quamuis *Photinum* non fouisse *Sabellianismum* contra *Theodoretum*, *Socratem* et *Sozomenum* monstrare adnititur Kappius in *diss. de Artemone* et *Artemonitis*. In rei tamen summa, et hi inter se et cum *Ario* coibant, vt veram et aeternam Christi deitatem negarent, quamuis in explicandi forma diuersa senserint. Plurimis de *Photino* scriptoribus antiquis collatis, quod *Walchius* l. c. T. III. omni cura praestitit, patet: illum vnam tantum in diuina essentia credidisse personam, Patrem; λογον vero non esse substantiam, multo minus a Patre genitum, ipsiusque Filium, nec hunc vniuersi esse conditorem, sed potius intellectum Dei; nec Spiritum S. esse personam, sed virtutem Dei; J. C. merum esse hominem, qui ante conceptionem Mariae ex Spiritu S. nullo modo, nisi in praescientia diuina exstitit, diuinam vero vim per illum fuisse efficacissimam ad patranda miracula, hocque modo λογον in eo habitasse. Propter praeclara dona et perfectissimum virtutis studium eundem

eundem a Deo adoptatum, ac exinde Dei Filium et Deum appellatum, immo quoque adorandum esse. Duabus *Sirmiae* vicibus conuenerunt ecclesiae Antistites, *Photinum* vt erroris conuincerent, et ipsi *Ariani* ab ejus particularibus placitis alieni, in conuentu a. 351. habito eius haeresin castigarunt. V. *Socrates* l. c. C. 24. Institutis interim aliquot insuper conuentibus nimirum *Antiocheno* et *Mediolanensi* tandem dignitate priuatus, ac post disputationem cum *Basilio* exsilio mulctatus est. Plura de *Photini* fatis exponunt, *Sirmondus*, *Petrus de Marca*, *Dion. Petavius* diss. *de Photino haeretico*, quam opellam *Matth. Larroquanus de Photino haeret. eiusque variis adnimaduersionibus Genev.* 1670. sub examen vocauit; *Thom. Ittigius, hist. Photini*, quae *appendici de haeresiarchis aeui Apostolici* subnexa p. 426; *Nic. Hunnius*, *in examine errorum Photinianorum*, *Meisnerus in breui consideratione Theol. Photin. Walchius* l. c. T. III. p. 1—70. Haud quidem multos lucratus est sectatores, cum partim orthodoxos, qui ipsum *Ario* peiorem judicabant, partim *Arianos* doctores habuerit aduersarios et consiliis suis obluctantes. Sed quos ipse non expertus est successus, SOCINUS recentiori tempore habuit, in quem *Photini* quasi spiritus migrauit. Hinc plurimi *Socinum* sectantes v. g. *Auctor praef. Biblioth. F. F. P. P. Wissowatius*, *Schlichtingius*, *Auctor Vindiciarum Vnitar.* etc. *Christoph. Ostorodus*, aliique *Photinum* magistri sui patrem venerantur, nec male ferunt comparationem disciplinae suae cum ista, quam *Photinus* olim disseminauit. Ipse F. SOCINUS in diss. aduersus Andr. *Volanum* p. 239. inquit: „*Photinum summum virum fuisse, eumque ipsissimam nostram sententiam et sermone et scriptis acriter defendisse, idque postquam incepit, perpetuo, dum vixit, certum est.*" Laudat quoque eundem SMALCIUS contra *Franzii disp.* I. p. 11. „*Quid est Photinus?* inquit, *et alii? nisi serui Christi.*" Juxta hos etiam *L. M. Artemonius*, siue *Sam. Crellius Photinum* testem veritatis compellat, qui alias *Ebionaeorum* et *Ariano-*

rum nomine coetum ſuum male notari contendit. Interim tamen quidam Socinorum aſſeclae comparationem *Photinianiſmi* et *Socinianiſmi* improbant et denominationem a *Photino* recuſant. JOACH. STEGMANNUS *ſen.* in ſcripto, quod *Botſacco* oppoſuit p. 19. ſeqq. (B. A. T. II. p. 954. N. 10.) ſuam teſtatur indignationem, quod doctrina *Socini*, *Oſtorodi*, *Smalcii*, *Volckeli*, *Crellii*, aliorumque *Photiniana* appelletur; ipſe interim non auſus eſt inficiari, hos in quibusdam cum *Ario*, in pluribus cum *Photino* conſpirare. *Smalcius*, qui *Photinum ſeruum Dei ſalutat*, conqueritur, quod ſocii ſui captioſe dicantur *Photiniani*, in *praef. Refutationis orationum Joannis Vogelii* et *Joach. Peuſchelii* etc. (B. A. P. II. p. 871. N. 29.) Cum vero ipſi ſuum cum *Photini* doctrina conſenſum teſtentur, immo ciuitatis principes ab eodem nominari non declinent, nemo ſane criminari poteſt, illos captioſe dici *Photinianos*.

Photinianam excipit *Macedoniana* haereſis, quae nomen debet MACEDONIO, cum Semi-Arianis communem cauſſam facienti et ab his ad epiſcopatus Conſtantinopolitani ſedem euecto. In tanta apud *Alexandrum Epiſc. Conſtantinop.* fuit exiſtimatione, vt is morti proximus praeter *Paulum* ſucceſſorem commendauerit MACEDONIUM. Memorabilia ſunt ipſius vitae fata, a ſcriptoribus relata, quibus teſtibus non haereticus ſolum, ſed omnium quoque crudeliſſimus exſtitit tyrannus, qui tanta inſectatus eſt ſaeuitia Orthodoxos et Nouatianos, vt quoque politicis fuerit abominabilis. Quoad potiorem partem cum *Ario* fecit, quamuis ſpeciem negatae Deitatis Chriſti a ſe auerteret, Chriſtumque appellare rem creatam abnueret. Aperto marte Deitatem Spiritus S. aggreſſus eſt, quem rem creatam, Deumque peregrinum, S. Scripturae aliunde intruſum appellabat. Ipſi *Ariani* poſthac infenſiſſimi eius exſtitere aduerſarii, eumque, quia in articulo de Chriſto ex parte *Concilii Nicaeni* ſtare videbatur, ab epiſcopatu dimouerunt. Vid. *Theodoretus* lib. II. c. 6. *Socrates*

H. E.

H. E. L. II. c. 25. *Sozomenus* L. IV. c. 27. ita de eodem: *Postquam* MACEDONIUS *Constantinopolitana ecclesia priuatus esset, non amplius conformiter cum Aetianis et Eudoxianis sensit, sed Filium Patri per omnia similem esse docuit, Spiritum vero S. non esse eorumdem honorum cum Patre et Filio participem pronunciauit; sed ministrum eum ac famulum vocauit."* Vigilantes pro veritate orthodoxi eundem, cum multos ad sententiam suam in *Asiae* prouinciis, in *Bythinia*, et huic conterminis regionibus, traxerit, in concilio *Constantinop.* a. 381. a *Theodosio M.* conuocato haereeos damnarunt. Ad haec rigor accessit Imperatoris, qui ejus sectatores publicam quietem turbantes, exsilio aliisque affecit poenis. Surrexerunt quoque viri graves, qui aduersus eum calamum strinxere, quos inter praecipue nominandus est *Basilius M.* in libro de *Spiritu S. ad Amphilochium.* Haeresi hac infecti, ad designandum temerarium ausum πνευματομαχοι dicti; licet obseruantibus *Augustino* et *Epiphanio Macedonii* asseclae non idem omni ex parte cum magistro suo senserint. V. *Walchius* l. c. p. 70 — 119.

Non immerito autem *Macedonium* inter familiae Socinianae antecessores collocamus, cum vtraque pars eundem de Spiritu S. errorem profiteatur; hinc quoque ipsi recentioris aeui Antitrinitarii illum in tabulis suis genealogicis inter primipilos suos referunt. Gloriatur in specie *Sandius* de *Macedonii* consensu in *Probl. Paradoxo* p. 42. (B. A. P. II. p. 753. N. 12.)

Macedonianos excipiunt TROPICI. Pauci historiae Eccl. saec. huius interpretes horum nomen et memoriam seruarunt, nemo fere ipsorum placita distincte exposuit. Quidam statuunt, ipsos Macedonianos TROPICOS h. e. versatiles, propter foedus cum *Ario* appellatos esse. Diuersa tamen a Macedonianis statuerunt, cum eorum opinio fuerit, *Spiritum S. principem esse angelorum*, et in reliquis non multum ab Arianorum discessisse placitis dicuntur. Verisimilius nomen ipsis impositum, quod Scripturae S.

loca,

loca, quae in ſenſu proprio ac litterali ſibi aduerſari animaduertebant, per tropos et figuras explicuerint. V. *Athanaſii* Ep. I. *Serapionem* et *Centuriatores Magdeb. Cent.* IV. 1397. C. 5. In vtroque hoc momento, quoad negatum in genere Sp. S. deitatem et S. litterarum interpretationem *Socinus* eiusque diſcipuli *Tropicorum* ſunt imitatores. Exſtiterunt quoque iſti viae duces, BEDELLIO anglo et *Chriſtoph.* SANDIO, qui l. c. p. 43. ad *Tropicos* prouocat, hosque ſecum conſenſiſſe adfirmat.

PRISCILLIANISTAE ſaec. ad finem vergente ita nominati a *Priſcilliano*, *Abilenſi Epiſcopo*, ex Galatia oriundo, qui veterum *Gnoſticorum* inſana commenta, ab *Aepyptio* quodam, *Manichaeorum* et *Gnoſticorum* errores in *Hiſpania* ſpargente, cui nomen *Marci*, vel potius ab huius auditoribus, nimirum *Agape* muliere quadam non ignobili, et *Heluidio* Rhetore accepta in lucem reuocaſſe, ſummamque impietatem pietatis ſpecie veſtitam mulieribus et indoctis inſtillaſſe fertur. V. MOSHEMII H. E. p. 354. Cum antiquiores rei Chriſtianae Scriptores infenſo aduerſus haereticos odio incenſi, inuicem repugnantia ipſis tribuunt placita, hinc difficile eſt, genuinam *Priſcillianiſtorum* ſententiam proferre. Id tamen veri ſimillimum viſum eſt, quod Patrem, F. et Sp. S. vnam atque eandem eſſe perſonam ſtatuerint, adeoque non multum a *Sabellianiſmo* diſcrepauerint. Id quidem impugnauit *Sim. de Vries* in *diſſ. crit.* de *Priſcillianiſtis eorumque fatis, doctrinis et moribus, Traj. ad Rhen.* 1745. qui nec *Sabellium*, nec *Priſcillianum* vnam duntaxat in Deo hypoſtaſin credidiſſe contendit, in quo tamen diſſentientes habet fere omnes. *Priſcillianiſtae* decrepita *Sabellii* dogmata noua forma in ſcenam producentes crediderunt, quod P. F. et Sp. S. nomina diuerſa, non diſtinctae ſubſtantiae ſint, quod Filius Dei Patre poſterior exſtiterit, hocque nomen propter natiuitatem ex virgine obtinuerit, in quo cum *Paulo Samoſateno* et *Photino* conſenſerunt. Numeroſum PRISCILLIANUS conduxit coetum praecipue in *Hiſpania*, et

Gallia,

Gallia, multosque ſua opinione infecit. A Synodo damnatus rem ſuam *Romae* apud *Damaſum* et *Mediolani* apud *Ambroſium* Epiſcopos defendere conſtituit, qui vero eundem audire detrectarunt. His plures ſe aſſociarunt Epiſcopi, qui illum capitalis perfidiae reum pronuntiaſſe, ac curaſſe perhibentur, vt a *Maximo*, tyranno, capite plecteretur. Sed veriſimilius eſt, *Priſcillianum* non propter haereſin, ſed crimina capitalia dediſſe poenas. Hoc tamen ſupplicium ne illi quidem probarunt, qui *Priſcilliani* figmenta et impietatem auerſabantur. V. *Sulpitii Severi*, qui primarius hiſtoriae huius ſcriptor eſt, *hiſt. ſacr.* L. II. c. 46. *Henichii* H. E. Saec. IV. p. 168. ſeqq. *Weiſsmannus* l. c. T. I. p. 401. *Walchius* l. c. T. III. p. 378. 481. *Priſcillianum* vero pro *Socinianorum* ſignifero reputari merito poſſe, ea quae de *Sabellio* aliisque diximus, cum quibus ille ſimilia ſenſit, vindicant.

Inter *Socini* praedeceſſores a quibusdam *Julianus*, ab a. C. 360. Imperator collocatur, quem tamen hoc numero eximendum putamus, quamuis indubitatum ſit, eum omnes ingenii non mediocris neruos intendiſſe, vt Chriſti deitatem impugnaret. Chriſtianorum ſacris innutritus, ſectae *Arianae* et *Photinianae* primum fauore abreptus, deinde ad gentilium caſtra tranſiens, pluribus in Chriſti ciues machinationibus graſſatus eſt, ſcriptoque aduerſus hos volumine fidem acerrime impugnauit. Hoc prolixe refutans *Cyrillus Alexandr.* magnam ſimul eius partem ab interitu liberauit. Applauſiſſe eum *Photino*, Chriſtum Deum neganti, et irriſiſſe S. *Joanni*, Chriſtum Deum (vt dixit,) facienti, in ep. ejus ad *Photinum* apparet, quam ineleganter et jejune translatam ſeruauit FACUNDUS. V. *Pearſonius* in *Symb. Apoſt.* p. 124. *edit. Londin.* 1683. et GUIL. WALLUS *hiſt. Paedobaptiſmi* T. II. p. 549. *Julianum* nunquam ſincere Chriſti ciuium ſacra ſuſcepiſſe, neque vnquam ipſorum doctrinam exacte noviſſe, multo minus ab ineunte aetate eadem fuiſſe imbutum, *Obſeruatores Halenſes* prodiderunt, T. III. p. 185. ſeqq.

Sunt

Sunt quidam alii, qui hoc saeculo Antitrinitariis suo exemplo praeluxisse creduntur. *Arnobium* haud mediocrem alias Religionis christianae vindicem Christum non eiusdem cum Patre essentiae statuisse, *Bullus* et *Lardnerus* l. c. Vol. VIII. p. 33. putarunt. Sed cum de hoc aliisque dubium sit, an legitimum de ipsis judicium fuerit latum, eosdem praeterimus. Accensentur quoque Antitrinitariis huiusque aetatis *Apollinaris* et *Apollinaristae*, de quibus *Theodor.* H. E. L. II. C. 20. tradit, quod personas S. Trinitatis gradibus et maiestate distinctas statuerint, et *Basilius M.* in ep. I et II. ad *Cledonium*, quod *Sabellii* erroribus in mysterio S. S. Trinitatis adspirauerint, nec non *Gregorius Nazianz.* quod in Trinitate graduum differentiam constituerint. Alii describunt *Apollinarem* tanquam strenuum symboli Nicaeni defensorem, ac de diuina Christi natura orthodoxe omnino sentientem, circa humanam vero multifariam errasse; siquidem diuinam naturam, locum animae rationalis, qua Christum hominem caruisse sibi persuadebat, in eodem suppleuisse. V. *Walchius* l. c. T. III. p. 180. seqq.

§. IX.

Saec. V. et VI. Arianorum diuulgata est haeresis. Praeterea Saec. V. *Nestorianismus*, *Eutychianismus* et *Pelagianismus* innotuerunt; sexto autem *Tritheitarum* monstra a *Joanne Philopono* in lucem exposita sunt. In illis opiniones inclaruerunt, quas *Sociniani*, vario respectu, suas fecerunt; quamuis enim alia ratione a veritatis via declinarint, in eodem tamen fidei articulo doctrinae orthodoxae sunt aduersati. Fuisse quoque inter recentiores Antitrinitarios aliquando *Tritheitas*, ipsa historia Socinianismi palam faciet.

Duobus

* *
*

Duobus poſt infelicem ortum ſaeculis *Arianiſmus* orientem mundi plagam adeo infecit, vt *Greg. Nazianz.* et *Baſilius M.* ſoli fere principes exſtiterint orthodoxae diſciplinae defenſores. Tandem diuina prouidentia ingruenti malo in oriente limites ponente, occidentem inuaſit haereſis, quam tenuere ac profeſſi ſunt *Gothi, Heruli, Sueui, Vandali* et *Burgundiones*, qui Romano ſceptro adhuc ſubiectas regiones ingreſſi, omnes aeternae I. C. divinitatis confeſſores muneribus ſuis exuerunt, mulctam luere coegerunt, multosque in confeſſione veritatis intrepide perſeuerantes inter horrendos cruciatus occiderunt. V. *Socrates* L. IV. C. 16. et *Theodor.* L. IV. C. 12. 19. Omnem excedit fidem, quanta immanitate *Conſtantinopoli, Nicomediae* et in *Aegypto*, Ariani dominatus jam potiti saeuierint in Orthodoxos; in primis *Vandali* in *Africa* ſub regibus *Genſerico* et *Hunerico*. Nullus habebatur aetatis ac ſexus reſpectus, lapidibus verberabantur infantes, eccleſiae miniſtris labia feſtucis diſtendebantur, osque fimo implebatur, quibusdam imponebantur onera viribus humanis grauiora, hique ad progrediendum citato pede calcaribus ſtimulabantur. V. *Victor Vticenſis* de *perſecutione Vandalica*, quod opus *Theodoricus Ruinartus* annotationibus et commentario hiſtorico auctum edidit. In hac ſuprema calamitate ſummum, quod res Chriſti ciuium curat Numen, mirifica ſua potentia, in ſingulare veritatis documentum effeciſſe narratur, vt quidam, quibus *Hunnerici* Vandalorum Regis juſſu linguae exſciſſae erant, aeternam Chriſti Deitatem absque loquendi inſtrumento articulato ſono profiterentur. Teſtatur *Aeneas Gazaeus* in *Theophraſto* p. 181. ſe hos vidiſſe homines, ac attente et circumſpecte omnia inquiſiuiſſe, remque ita deprehendiſſe, quae ipſi quoque argumento fuit, vt relicta gentili ſuperſtitione Chriſtianorum ſacra amplexus fuerit. Sunt, qui narrationem hanc variis dubiis impugnatam vindicarunt.

runt. V. J. A. SCHMIDII diſſ. *de elinguatis, myſterium Trinitatis praedicantibus, in decade diſſ. hiſt. Theol.* p. 216 ſeq. *Urban. Godoſ.* SIBERI diſſ. *de martyribus diuinitatis Chriſti teſtibus*, et *J. F. Stiebritz* auserleſene Wahrheiten der Vernunft und der geoffenbarten Religion. T. II. p. 410—530.

Saeculo VI. *Ariani* in Europae ac Africae partibus talionis poenam luerunt. V. EVAGRII *H. E.* L. IV. c. 15. Ejectis enim a JUSTINIANO *Vandalis ex Africa*, et *Gothis ex Italia*, in his terris Arianiſmus dominari ac ſaeuire deſiit. Ad haec *Burgurdionum* Rex SIGISMUNDUS et Gothorum princeps RECAREDUS *Arii* reiiciebant dogmata, hisque imperantibus ſecunda fortuna ſectae decrementa paſſa eſt. Interim ad Saeculum vsque octauum in nonnullis Chriſtiani orbis regionibus nutrita atque ſeruata eſt, immo in *Italia* ad ſaeculum vsque decimum quasdam habuit reliquias, ab Epiſcopo *Gozlino* vel *Gauſlino* tandem ſublatas, quod SEMLERUS in dem vollſtändigen Auszuge der Kirchenhiſtorie. T. IV. S. 423. ex VGHELLI *Italia ſacra.* T. V. expoſuit.

NESTORIANISMUS *ſaec. quinto* inualuit, cuius auctor NESTORIUS *Presbyter Antiochenus*, deinde *Epiſc. Conſtantinopolitanus* homo vanus, audax, loquax, arrogans et contemtor veterum Doctorum fuit, quamuis alii mitiorem de illo ferant ſententiam. De eiusdem erroribus non vnum idemque omnium eſt judicium. Cum Chriſto loco animae rationalis conceſſum eſſe λογον crederet, *Cyrillo Alexandrino* et aliis orthodoxiae defenſoribus, duos filios, duos Dominos fingere, et naturarum conjunctionem juſto minorem docere, haud immerito viſus eſt. In eo omnes conueniunt: quod nomen Θεωτοκȣ, ſ. *Deiparae* jam vſitatum, quacunque animi contentione recuſaverit, illudque ex orthodoxorum libris expungendum ſtatuerit; vnde alii conſequentiam inferunt, negari ab illo veram Chriſti Deitatem. Ex ſcriptis ipſius, ſi judicare eum velimus, non quidem Chriſtum vulgarem hominem judicauit; ſed potius verbum junctum eſſe humanae

naturae

naturae arctiſſima vnione, hasque naturas ita vnitas, vnum non niſi Chriſtum conſtituere, vnamque perſonam, ex duabus náturis compoſitam, cui tribui poſſent proprietates alterutrius naturae, ſicque dici poſſe, Chriſtum eſſe natum, paſſum, mortuum etc. ſtatuit; conſtantiſſime tamen negauit, Deum eſſe natum, paſſum, mortuum, quare repudiato matris Dei titulo, matris Chriſti vocem conceſſit. Si alios inculpatae fidei ſcriptores et *concilium Epheſinum* in conſilium vocamus, non omnis pugna circa vſum huius vocabuli verſabatur, ſed haereſeos non inique accuſatus eſt. Non quidem diuinitatem Chriſti ipſis terminis negauit, quod nonnulli de eodem adfirmant; nec duos Chriſtos, aut duas perſonas, expreſſe aſſeruit; docuit tamen dogmata, ex quibus iſtae propoſitiones neceſſario ſequuntur. Chriſtum quidem Deum et hominem profitebatur, perſonam tamen in duos Chriſtus diuiſit, et ita de duabus in Chriſto naturis loquutus eſt, vt in eadem duas perſonas credidiſſe videretur. Negauit filium Mariae quoad carnem, eſſe Filium Dei quoad Deitatem, vnamque perſonam hominem, hominisque filium, alteram Deum, Deique filium conſtituit, ενεργητικη παρουσια tamen, ſocietate, dignitate, gloria ſemper juxta honoris aequalitatem conjunctas, ita in homine Chriſto, tanquam in templo per gratiam inhabitare Deum; quod ex loco Col. II. probare ſtuduit. Propter hanc inhabitationem propria Deitatis homini quidem Chriſto competerent quadam participatione, non vero natura, vt qui donatus ſit aequali poteſtate S. diuinitate ideoque ſimul adorandus, ac per quem Deus operetur, ceu Θεοφορον et organum ſuum, cui denique inhabitet, excellentiori donorum plenitudine, ſiue aequalis honoris communicatione, quam aliis ſanctis. Negauit, ea de Filio Dei pronuntiari poſſe, quae ad eius naturam humanam ſpectant; negauit, Filium Dei pro genere humano paſſum et mortuum eſſe, cum paſſionem et mortem natura diuina obire non poſſit. De actis in Synodo *Epheſina* circa cauſſam *Neſtorii* ex hiſt.

eccl. monumentis, fusius exposuit Lud. Doucin *histoire du Nestorianisme.* Qui ex eiusdem placitis sequuntur errores, infinito Christi merito et satisfactioni per eum praestitae aduersantes, facile colligi possunt, propter quos *Socinum Nestoriumque* propinquitate quadam junctos esse, arbitramur.

Paucis annis interiectis *Nestorii* Charybdin euitaturus Eutyches, senex septuagenarius, Monachus et Archimandrita, Abbas Byzantii, spinosis ac perplexis controversiis in scyllam incidit, ex odio in *Nestorium* asserens, vt vnam personam, sic vnam duntaxat naturam Christi post vnionem, nempe diuinam exstitisse, quae humanitatem absorpserit eamque deificarit, quaeque passa fuerit: Hoc pacto naturas earumque proprietates confundens, humanam abolens, immo Christum vtraque natura privans, in phantasma ex Deitate et humanitate, a nostra tamen carne ετερουσια conflatum transformauit. Hoc ipsum defendisse, totius historiae Eutychianae nexus comprobat. Quae aduersus eum in synodis *Constantinopolitana* a. c. 448. et *Ephesina* a. 449. acta sunt, reliquaque momenta alii saepius exposuerunt. V. *Weissmannus* l. c. T. I. p. 527—537. An recte judicent, qui recentissimo hoc tempore, nisi omnes *Eutychianos*, genuinos tamen sectae huius socios, recte de mysterio S. Trinitatis et Christi persona sensisse, hosque numero Antitrinitariorum eximendos esse, statuunt, huius loci non est, vt disquiratur. Vid. *Walchius* l. c. P. VI.

Praeterimus alios huius saeculi homines, et speciatim Fullonem, quem vnam in Deitate personam credidisse, et Christi perpessiones Deo in genere tribuisse, scriptores produnt. Non omni dubio exemta sunt, quae de hoc aliisque, qui *Theopaschitarum* nomen ferunt, narrantur, nonnulla quoque ex inuidia efficta videntur.

Prodierunt *saec. V.* Pelagiani, quibus nomen impositum est a Pelagio, Monacho, secundum *Balaeum, Anglo-Britanno;* secundum *Vossium* in *hist. Pelag.* L. I. c. III. *Scoto,*

Scoto, qui a. c. 404. haereseos semina sparsit, cui se associauit COELESTIVS, Pelagii armiger, in *Hybernia* monachus, a quo etiam COELESTIANI aliquando sunt nuncupati. Hi docuerunt, Adamum mortalem creatum, ipsiusque peccatum soli ipsi, non posteris detrimento fuisse. Hinc mortem naturalem esse ex necessitate naturae, cui Adam ante peccatum commissum obnoxius fuisset. In genere de statu primorum parentum ante lapsum adeo exiliter sensit *Pelagius*, vt eiusdem delineatio parum abfuerit a conditione hominum praesenti, nisi quod hi Adami peccantis exemplum sequantur. V. *August.* de *peccat.* orig. C. 21. de *nat.* et *grat.* C. 9 et 30. Ex his, quid judicaverit de *paedobaptismo*, facile colligitur. Consequitur ex istis placitis, homines Deo propria virtute acceptos esse, et viribus naturalibus absque peculiari auxilio et gratia Dei, secundum legis tenorem ex liberi arbitrii viribus vitam agere posse perfecte sanctam; immo absque omni eos esse peccato. V. HENR. NORIS *hist. Pelagiana*, VSSERII *hist. haer.* Pelagii, et maxime G. J. VOSSII *hist. Pelagiana* in *tract. Theol. Amstel.* 1701. editis p. 553. seqq. Nemo pugnandi aduersus hanc haeresin zelo superauit AVGVSTINVM Hipponensium Antistitem, qui *Coelestium* in Africa debellauit. *Pelagius* fauentiores sibi in Asia invenit animos, immo et ZOSIMVM Pontif. Rom. a partibus suis ad tempus stantem. V. *Moshemius* l. c. p. 418. Non quidem tantum sectatorum habuit numerum, ac olim *Arius*, vt terrorem orthodoxo coetui incutere potuisset; interim tamen plures amicos et fautores in Italia, Siciliaque, praecipue in oriente obtinuit. Sed paulo post mutatam caussae suae animaduertit faciem; duram enim *Zosimus* aduersus eum pronuntiauit sententiam. Concilium Ephesinum a. c. 431. vlteriores sectae progressus impedivit. Quamquam enim propter *Pelagianos* in specie non actum fuerit, quia tamen *Pelagiani Nestorium* damnare declinabant, congregati Patres *Pelagii* asseclas vna cum *Nestorio*, reprobandos statuerunt. Non tamen haeresis

omnino exſtincta videtur, licet Principes, *Honorius* et *Theodoſius* aduerſus eandem excitati fuerint. Quod veritate ſuffragante inter *Socinianorum* genitores *Pelagium* collocemus, illorum aſſerta de ſtatu innocentiae, de peccato originali, de libero arbitrio, de perfectione naturae propriis viribus absque operante gratia diuina obtinenda, aliaque coetus huius dogmata palam loquuutur, vt legitimam ferant ſententiam, qui judicant, *Socinianiſmum* ex *Photinianiſmo* et *Pelagianiſmo* conflatum eſſe. V. *Weiſsmannus* l. c. T. I. p. 486 — 501.

Saec. VI. ortum traxit TRITHEISMUS, quo triplex in Diuinitate eſſentia, ſiue tres Dii numero diuerſi, ſtatuuntur, cuius ipſos patres Concilii Nicaeni, quidam recentiores absque vlla veri ſpecie accuſarunt, quippe quos *Arii* ſectatores contrarii potius erroris, nimirum *Sabellianismi* inſimularunt. Propiores accedunt ad veritatem, qui TRITHEISMI primordia ex Sec. VI. repetunt, quo orthodoxorum pugnae cum *Monophyſitis* agitatae ſunt. A vero tamen non alienum videtur, quod BINGHAMUS in *Origg. eccl.* L. XI. c. 3. T. IV. p. 171. obſeruauit, *Gnoſticos Tritheiſmi genus aliquod jam olim introduxiſſe.* Ex Monophyſitis prodiit JOANNES *alter Ascasnages* cognomento, Philoſophus Syrus, qui tres numero in Deo ſubſtantias inter ſe aequales, nulloque eſſentiae communis vinculo inuicem quaſi connexas ſtatuit. Vulgo quidem *Graeci Latinique Tritheitarum* originem ad JOANNEM PHILOPONUM referunt, quam potius deriuandam eſſe a *Joanne* altero ASCASNAGE, JO. SIM. ASSEMANNUS ex *Bar. Hebraei Chronico Syriaco* euincere ſtuduit, in *Biblioth. Orient. Vatic.* T. I. p. 328. et T. II. p. 327. Maximam tamen inter peſſimos doctrinae huius propugnatores nactus eſt famam exeunte Saec. VI. et ineunte VII. *Joannes Philoponus*, nobilis Philoſophus, *Ariſtotelis* diſciplina inſtructus, atque Grammaticus in *Alexandria* clarus, qui diuinam indiuiſibilem naturam in plures perſonas dirimens, eam ſingulatim indiuiduis tribuit, tresque in Deo naturas docuit,

qua

qua ratione naturam ab Hypostasi male distinxit, propriam vnicuique S. S. Trinitatis personae essentiam statuendo, sicque, tres vnius ejusdemque essentiae diuinae personas, tres Deitates, tres numero naturas appellauit; quam ob rem *Tritheitarum* nomine sectatores ipsius sunt insigniti, qui tamen titulum hunc omni studio recusarunt. Ipse PHILOPONUS constanter negauit, tres a se credi Deos; licet tres in Deitate φυσεις affirmauerit. Quemadmodum *Arius* solum Patrem principio carere dixit, λογον autem principium habuisse; sic PHILOPONUS et post eum THEMISTIUS, Philosophus, idem cum *Ario* defenderunt. V. *Nicephorus* L. XVIII. C. 47 — 50. *Philoponus* primum vnicam tantum in Christo naturam esse judicauit, hoc argumento vsus: *Si duae sunt in Christo naturae, sequitur, duas esse in eodem hypostases.* Responderunt orthodoxi, illegitime ita colligi, cum natura et hypostasis sint diuersa; alioquin tres fore in Diuinitate naturas. *Philoponus* itaque disputandi, suaque placita tuendi affectu abreptus, hanc consequentiam tuebatur.

Commemoratur quoque hoc tempore STEPHANUS quidam *Tritheita,* ex Eutychis partibus pugnans, cognomine GOBAR, qui opus scripsit de repugnantibus Patrum sententiis, memoratum *Photio, Biblioth. Codd.* N. 232. *Vid.* LEONTIUS *Byzantinus*, de sectis, *Artic.* VI. WALCHIUS de *origine* et *progressu* Tritheismi, SCHARFENBERGIUS de JOANNE PHILOPONO *Tritheismi* defensore.

Sectatoribus *Philoponi* recentiori aetate adnumerantur *Valent. Gentilis, Henr. Nicolai, Christoph. Stegmannus* qui vero postea Socinianismum confessus, *Wilh. Scherlock, Joseph Bingham,* aliique ex Anglorum natione, et ex Gallis *Petrus Faidit.* *J. Chr. Harenbergius* in otiis Gandershemensibus observ. XII. p. 263. seqq. doctores quosdam ecclesiae orthodoxos, alios autem heterodoxos ab imputata Tritheismi labe defendit, quos Jo. LAMIUS percensuit in Catalogo Tritheitarum, quem libro *de recta Patrum Nicaenorum fide* subiecerat. Vindicat autem nominatim

Arium, *Arianos*, *Marcionem*, *Donatum juniorem*, *Jo. Philoponum*, *Gotteschalcum*, *Petrum Abaelardum*, *Gilbertum Porretanum*, *Raymundum Neophytum*, *Guidonem*, damnatos in concilio Lumbethensi a 1368. ac praeterea *Joannem Montesonum* et *Valentinum Gentilem*.

Quoniam *Sociniani* cum *Tritheismi* defensoribus circa Mysterium S. S. Trinitatis, alio quamuis modo deflectunt, hincque communi *Antitrinitariorum* nomine compellantur, horum fecisse mentionem satis est. In ipsa vero Antitrinitariorum recentioris aeui societate fuisse Tritheismi defensores, ipsum hoc historiae systema euincet. Imo non male judicaret, qui diceret, plerosque, qui in mysterium S. S. Trinitatis inuolarunt, *Tritheitas* esse, non quidem verbo, sed re ipsa, vt, qui tres personas, in totidem ουσιας certo respectu transformarunt.

A nonnullis quoque *Jacobitae*, a *Jacobo Syro*, Eutychianae haereseos defensore, qui *saec.* VI. vixit, ita dicti, inter Antitrinitarios referuntur, et accusantur, quod vnam duntaxat in diuina essentia personam docuerint; quos vero alii, ab hoc errore liberos, in articulo autem de Christo Eutychianis accensendos esse, judicant. V. Jo. BALTHAS. JACOBI de *secta Jacobitarum*.

§. X.

Saec. VII. VIII. IX. X. Arianismus coetui orthodoxo olim minitans ruinam, tandem interitum ita passus est, vt clam tantum latitarent, qui corde *Arii* placita probarunt. Maiora autem incrementa ceperunt *Adoptianorum* et *Pelagianorum* agmina, quibus *Paulicianorum* grex, Manichaeismi aemulus jungendus. Monstrosus quoque his temporibus nouae religionis partus a *Mahomede* luci expositus est, cui calumniosa de Christi ciuibus fama,

quasi

quaſi Tritheiſmo dediti ſint, nec non Arianiſmus, et vitia Antiſtitum ciuitatis chriſtianae obſtetrices commodarunt manus. Non tamen absque injuria comparatio inter Mahomediſmum ſeu Islamismum et Socinianiſmum inſtitui poterit.

* * *

Arianiſmus inter *Longobardos* radices denuo egit, quorum Principes, *Autharis* et *Areowaldus* orthodoxos perſequebantur, vsque dum horum imperium *Francorum* poteſtati ceſſerit. V. PAULI *diaconi hiſt. Longob.* L. IV. C. 44. et BARONII *annales*. T. IX. At *Saec.* VIII. ſenſim exſpirauit Arianorum nomen, quippe qui ab orthodoxis, modo haud raro praeſcriptis manſuetae diſciplinae chriſtianae non conueniente, in judicium vocabantur, exhibente in hoc negotio *Pipino* Galliarum Rege manus auxiliatrices. *Pipini* filio, *Carolo M.* Imperii principatum tenente, eorum lites conticuerunt, niſi quod hinc inde paruuli exiſterent coetus, quibus ex nimio Orthodoxiae zelo Arianorum nomen impoſitum videtur. Multos interim *Arianiſmus* clanculum et hoc tempore habuit ſibi fauentes, et cum eodem, licet non ore, corde tamen conſentientes. Quod multi noſtro tempore inter Chriſtianos ad ſolis orientem ſint *Ariani*, nos non morabitur.

Pro temporis ordine notamus, FELICEM, natione *Hiſpanum* Epiſcopum *Vrgellitanum* in Catalonia *ſaec. VIII.* nec non ELIPANDUM cuius antea jam fecimus mentionem, docuiſſe: Chriſtum non natura, ſed adoptione et nuncupatione eſſe Dei Filium haeque doctrina multarum in ciuitate chriſtiana, praecipuae in *Hiſpania* turbarum exſtitiſſe auctores. Quis fuerit *Elipandus* gente ortus, et quale vitae genus, antequam in ſacrum ordinem cooptaretur, ſectatus ſit, certo dici nequit. Vulgo traditur, *Felix* praeceptor ipſius fuiſſe, quod aliis proba-

 bile

bile non videtur. Verisimillimum putamus, *Felicem* de adoptione Christi sententiam, ante eiusdem tempora non ignotam repetiisse, quam *Elipandus* approbauit, aliisque tradendam suscepit. Admotus is fuit sacris *Toletanis* gubernandis, Archiepiscopi titulo et dignitate ornatus. Vterque temerario res coelestes, et supra ingenii vires positas inuestigandi et explicandi pruritu concitati, de *Christo* docuerunt. Quidam eos Ariani erroris accusant; inter quos *Paulinus* est, L. I. contra *Felicem* et *Alcuinus* L. I. aduersus *Elipandum*. Idem de illis iudicat *Sandius* in H. E. p. 166. cum quo *Ariani Anglicani* consentiunt, in longa horrendisque de Christo sententiis referta epistola *Maroccano* ad *Carolum* Regem legato exhibito, cuius paulo post mentio a nobis facta est. Iniquum vero isti calumniandi coetum nostrum studium, rerumque gestarum ignorantiam produnt, qui orthodoxam de Christo Deo doctrinam *Caroli* Magni aetate variis Pontificum artibus introductam eique simul *Bonosum* et *Elipandum* restitisse, tradunt. Restant nonnulla *Elipandi* et *Felicis* de Christi Diuinitate effata, ex quibus a perniciosae sententiae suspicione illos liberari posse nonnulli credunt. Quamuis vero ab *Arianis* et *Bonosianis* absint, suscepta tamen de adoptione Christi opinione a vero eos aberrasse, negari nequit; inprimis de concreto humanae naturae Christi, eiusque statu exinanitionis parum accurate senserunt, et ineptis dicendi formulis, vanisque quaestionibus alienam a vero mentem testati sunt. Prodiderunt, Christum adoptionem per baptismum obtinuisse, hocque eum opus habuisse ad regenerationem, et Deum Patrem verbis: *hic est Filius meus dilectus, Matth.* 3, 17. Christum hominem adoptasse. Christum appellarunt *Deum Nuncupatiuum*, cuius notio ex ipsorum de Christi adoptione doctrina intelligi debet. Sententiarum, quas defenderunt, nexum indicauit et demonstrauit Walchius in *hist. Adoptianorum* p. 242. Aliquoties Ecclesiae Doctores conuenisse ad capienda aduersus eos consilia, scriptores saec. VIII. pro-

dunt. Refutauit *Elipandum* ETHERIUS, Epifcopus Vxamenfis, libb. 2. *de adoptione Chrifti filii Dei, qui thefauro monumentorum Eccl. et hift.* HENRICI CANISII inferti funt.

Magnam inter *Adoptianos* et *Socinianos* effe differentiam, manifeftum eft; in quibusdam tamen hos haud longe ab illis abeffe, animaduertimus. De illis quidem id non ftatuendum, qui *adoptionis* vocabulo idem innui volunt, ac affumtionis, vt dicant: Chriftum adoptaffe humanam naturam, vel Chrifti humanam naturam fuiffe adoptatam a Filio Dei, quibus paffim phrafibus orthodoxi patres vfi funt; de illis aliter judicandum, qui Filium Dei naturalem Filio Dei adoptiuo oppofitum effe volunt, ac Chriftum Dei Filium naturalem ac proprium effe inficiantur. Nullum enim dubium eft, quin omnes qui ex mente Adoptianorum ftatuunt, Chriftum Filium Dei effe adoptiuum, fimul credant, eundem non effe Filium Dei naturalem. Non tamen omnes Adoptiani eodem gradu a vero declinant. Quidam Chriftum, Deum, Filiumque Dei propter adoptionem nominari, volunt, et cum his *Sociniani* rem communem faciunt, a quibus, faltem nonnullis, ipfa haec *Adoptianorum* fententia in diem iterum eft producta. Cum enim animadverterent, a viris orthodoxam de Chrifto Dei doctrinam vindicantibus, ad evidentiffima S. Scripturae oracula prouocari, in quibus generis humani Reftitutor, Filius Dei ex Deo Patre ab aeterno genitus dicitur, fuae cauffae munimenta ex Adoptianorum caftris conquirere conati funt. Ipfe F. SOCINUS hoc ftratagemate vfus eft ad vim diuinis teftimoniis derogandam, huncque plures ex coetu, qui ab eodem nomen tulit, imitati funt.

Feliciora hoc tempore *Pelagianismus* nactus eft fata, qui in *Gallia* et *Anglia* incrementa cepit, magnumque Monachorum fibi affentientium numerum conduxit. Horum quidam orthodoxiae praetextum affectarunt, quo ipfo maiores cum veritatis detrimento feciffent progreffus,

 nifi

nisi in Ecclesia fuissent immotae fidei viri, qui illorum machinationibus aggerem opponerent. Sic saec. VIII. *Beda ven.*, saeculo X. *Anselmus* scriptis suis purae disciplinae defensores se praestiterunt. Suis tamen curis impedire non potuerunt, quo minus *Pelagianismus* a pluribus susciperetur, ad quod rationes politicae, quarum felicem successum Episcopi Romani a Pelagianismo sperarunt, haud parum contulerunt.

De *Paulicianis*, quod nomen a doctore quodam ipsis impositum *saec. VII.* innotuit, non est, quod dicamus, cum secta haec *Manichaeorum* errorum suum fecerit, qui alio titulo a restitutore eiusdem hoc tempore insignitus est. Sive illi a *Gnosticis*, quod MOSHEMIUS putat, sive a *Manichaeis* ortum traxerint, quod ob errorum paritatem verisimilius est, inter *Antitrinitarios* medii aeui omnino sunt referendi. *Paulicianos Manichaeorum* summam doctrinae adsciuisse et propagasse, testis est PETRUS SICULUS, scriptor saec. IX., in *Historia haereseos Manichaeorum*, quae Graece cum latina versione per *Matthaeum Raderum Ingolstadii* 1604. prodiit. Is enim statim in initio inquit: „*Iidem sunt, nec quidem diuertunt a Manichaeis* PAULICIANI, *qui hasce recens a se procusas haereses prioribus adsuerunt.* —— *Qui tametsi se a Manichaeorum impuritatibus alienos dictitant, sunt tamen dogmatum ipsorum vigilantissimi custodes et propugnatores.*" Non quidem omnem in Deo Trinitatem negarunt, eandem tamen ita explicuerunt, vt tres personas essentia et tempore diversas, Filiumque et Spiritum S. ab aeterno non existentes, a Patre productos, crediderint. Tanta eos saec. IX. valuisse potentia, vt armata quoque manu aduersus recte docentes se defenderint, fauente ipsis Imperatore NICEPHORO, huius aeui scriptores referunt.

Cum *Paulicianis* GIRARDUS quidam *saec. XI.* consensisse videtur, qui *Mediolani* plures erroris sui socios conduxit, de quo V. LANDULPHI *senioris Historia Mediolanensis* apud MURATORIUM *in Scriptoribus rerum Italicarum*,

T.V.

T. IV. *Paulicianos* interim *Albigensibus*, *Katharis*, *Publicanis*, *Bulgaris*, *Bogomilis*, aliisque cognatos, omnes Antitrinitarios fuisse, qui *Manetis* dogmatibus calculum adiecerint, verisimillimum est. *Publicani* in specie dicti sunt in *Anglia*, qui circa medium *saec.* XII. ex Germania inferiore in illam insulam transfretarunt et cum *Paulicianis* in loco de S. S. Trinitate paria defenderunt. V. *Guil. Neobridgensis rerum Anglicurum* L. II. c. 13. *Katharorum* nomen ridicule a germanica voce Kater deriuauit *Henschenius* propterea, quod noctu conuenire soliti fuerint. Rectius a graeco καθαρος istos nomen affectasse, nobis persuademus; solemne enim fuit haereticis, splendida eiusmodi sibi arrogare nomina. *Bogomili Messalianorum* fanaticorum familiae propago fuit, de quibus ad *saec*. XII. Vid. *Wolffius comment.* de *Bogomilis*.

Tandem *Mohamedes* vel *Mahumedes* nouae religionis *saec.* VII. conditor *Socinianorum* maioribus a quibusdam accensetur, quod vtrum jure fieri possit, an per iniuriam fiat, in vtramque partem disputatum est. Mirandam per Orientem et Occidentem effictae ab homine pessimo religionis amplificationem promouerunt inter alia innumerae inter Christianos contentiones et sectae, quarum alia alia persequebatur, in quibus pugnis debilior pars, quae hoc tempore *Ariana* fuit, se Muhamedi adjunxit, quo sub eius vmbone tuta degeret, partemque aduersam opprimeret. In primis in istis terris, quae Arianismo adhuc infectae erant, Mohamedismus facilesincrementa capere potuit, quod in *Arabia* praecipue accidit, vbi *Ebionaeorum* et *Nazaraeorum* semina primum pullularunt, teste *Epiphaneo, Haer.* 40. Qui legitimum institui posse Parallelismum inter *Muhamedismum* et *Socinianismum* arbitrantur, originem pessimae illius incredulitatis ex Arianismo et Photinianismo repetunt, et Socinianismum haud pauca dogmata Muhamedica fouere accusant. Quoad negatum S. Trinitatis mysterium non cum *Muhamedanis* tantum conspirant omnes *Sociniani*, sed quidam ex his illos

quoque

quoque calumniando ſuperarunt. Fuiſſe hanc *Muhamedis* profeſſionem, Deum eſſe vnicum, ſublata perſonarum Trinitate, quam *Tritheismi* accuſauit, ſatis conſtat. Vnanimis in eadem animaduertitur Socinianorum conſenſus. Et *Muſulmannus* et *Socinus* vnum coeli terraeque creatorem confitentur. Habent vterque eundem argumentandi modum, et in oppugnando hoc myſterio, negandaque aeterna Filii Dei generatione, vtriusque animus conſpirat. Deus eſt vnus, ergo non Trinus; vna eſſentia diuina numerica, ergo vna Perſona. Concipi enim nequit, quod Deus Filium generauerit ſine coniuge. Appellauit quidem *Muhamedes* Chriſtum verbum Dei, ſed a Deo creatum, legatum, et ſeruum factum, ex *Maria* virgine natum, quemadmodum *Eua* ex ſolo viro producta, credidit; ante *Mariam* eum exſtitiſſe inficiabatur, in quo *Socinum* ſecum habet omnino conſpirantem. Haud raro *Muſelmanni* ſplendidiſſimis verbis Chriſtum Deum, munere et titulo, non natura, magnumque Prophetam praedicant; quos recentiores Antitrinitarii ſimili modo imitantur. Hinc Franciscus Dauidis in articulo de Deo et Chriſti perſona conſenſum cum Muhamedanis ipſe innuit, in *Obſerv. ad theſ.* IX. *Georgii Blandratae*, quae tractatui *de dualitate* annexae leguntur (B. A. P. I. p. 241. N. 7.) inquiens: „*Judaei ac Turcae non negant, vnum illum Deum creatorem eſſe noſtrum omnium et Chriſti Patrem, ac negant eſſe talem, qui ab aeterno ex ſua eſſentia illum genuerit. Si differentia quaerenda eſt, Turcae differunt, quia* Mahumedis *doctrinam poſt Chriſtum allatam firmiorem eſſe ſtatuunt, quam Prophetarum et Chriſti.*" Videtur huic parallelismo obſtare, quod Sociniani cultum diuinum Chriſto praeſtandum eſſe judicent. Sed reſpondent, qui illum inſtituunt, quod Muhamedani Chriſtum tanta excipiant veneratione, vt, ſi quis, ſiue Judaeus, ſiue Turca, ſiue alius quis conuicia in eum eructauerit, talem vita indignum putent, quamuis Chriſti ciues rideant, quod Chriſtum verum Deum credunt, teſte *Sal.* Schweiggero

in

in *Itiner. germ.* Immo MARACCIUS in *refut. Alcor.* p. 219. mentionem facit sectae inter Muhamedanos florentissimae, quae Jesum verum Deum profitetur, et HINCKELMANNUS in *Praef.* ad *Alcor.* sequentia exponit: „Exorta est nuper opinio inter eos, qui in Gynaeceo et praecipue, qui in vrbe *Constantinopoli* humanissime habentur: quam qui profitentur, sectatores Messiae vocantur. Hi defendunt sententiam: Christum esse Deum et Redemtorem mundi; adhaeret autem eidem juuentus nobilior. Horum magnus est numerus, quorum nonnulli tanta animi constantia hanc doctrinam asseruerunt, vt martyrium quoque hoc nomine tolerarint." Qui de Christi persona inter se conveniunt, de eiusdem officio non dissentientes deprehenduntur. Duas enim muneris Christi partes, quas *Socinus* statuit, nimirum *docere* et *miracula patrare*, *Muhamedes* Christo quoque vindicauit. Quod attinet ad mediatoris J. C. sacrificium expiatorium, lytrum et satisfactionem, sublatam per illum iram Dei impletamque obsequio suo legem, expiata per ipsum totius mundi peccata, aliaque fidei momenta, *Muhamedismus* et *Socianismus* consentiunt. Comprobat hunc consensum memorabilis illa epistola, qua Vnitarii Anglicani Legato Imperatoris Fetani et Maroccani, *Ameth ben Ameth* ad aulam *Caroli* II. Regis Angliae, a. 1682. *Londini*, tria sectae suae scripta dicarunt, suamque cum Muhamedanis in primariis vtriusque religionis conuenientiam testati sunt. Inseruit has litteras *Car. Leslie* libro suo: *the Socinian controversy* etc. Vid. J. L. FREY diss. *qua Mohamedis sententia de Christo expenditur;* LEUINI WARNERI *Compendium eorum, quae de Christo Mahomedani tradiderunt;* PET. HOLLMII *consideratio Theologiae Mahumedanae; Doederlein*, de fundamentis et partibus *Theologiae Muslimannorum*, *Christ. Kortholti de relig. Mahumed.*, *Calovii scripta Antisociniana*, P. I. p. 39.

Haec sunt potiora argumenta, ab iis prolata, qui legitimam inter *Muhamedismum* et *Socinianismum* collationem

tionem

tionem inſtitui poſſe, contendunt, quorum quidam materiam hanc peculiaribus ſcriptis tractarunt. ANDR. BROLAEUS in *Mahometologia Sociniana* h. e. quod *Sociniani* ſ. *Photiniani cum Alcorano Turcico conſpirent inque religionis ſuae capitibus Mahometizent*; HOTTINGERUS in diſſ. *de Conſenſu Socinianiſmi et Mahumediſmi*, et in hiſt. Orient. L. II. c. III. p. 361. ſeqq. LEIBNITIUS vir omnium judicio maximus et de tolerandis haereticis optime ſentiens, in *ep. ad auctorem ſcripti: Reflexion ſur l'Origine du Mahomediſme*, (*qui eſt La Croze*) p. 170. Socinianos cum Mohamedanis comparauit, nonnullaque momenta expoſuit, in quibus vtraque pars, vel non multum ab inuicem diſſentit, vel omnino conuenit. Ipſe *Matur. Weyſſ. La Croze* parallelismum inter Mahomedanos et Socinianos inſtituit in *diſſ. hiſt. ſur diuerſes ſujets*. T. I. p. 1. ſeqq. ſolideque demonſtrauit, quod Sociniani licet haereticis potius, quam infidelibus ſint accenſendi, haud pauca tamen adſciverint placita, quae conſenſum cum infidelibus Muhamedanis arguunt, quare etiam admodum facilem eſſe a Socinianiſmo ad Muhamediſmum tranſitum. Idem argumentum expoſuerunt Scriptor quidam Anglus, cuius comparationem Socinianiſmi cum Muhamediſmo *F. E. Rambachus* verſioni germ. *Thom. Stockhuſii*, Betrachtungen über das Apoſtoliſche Glaubensbekänntniß etc. inſeruit; ANDR. VOLANUS in *Paraeneſi ad Samoſatenianae*, vel *Ebioniticae doctrinae profeſſores*, *in regno* P. et M. D. L. B. BUDOWEC *Anti-Alcoranus*, lingua bohemica, qui liber in *Catal.* libb. D. E. *Jablonskii*, *Berol.* 1742. p. 50. N. 242. allegatur, quo auctor palam facere ſtuduit: Alcoranum a diabolo et Arianis eſſe confictum; aliique plures.

Propter hanc partialem conuenientiam *Ordines* Belgii foederati in mandato a. 1598. aduerſus *Oſtorodum* et *Voidovium* publicato ex conſilio Theologorum Lugdunenſium, *Socinianiſmi* auctores et defenſores, quos Muhamediſmo proximos ſtare judicant, longe exterminandos eſſe pronunciarunt. Quanta cum exacerbatione comparationem

nem hanc *Socini* partibus adſcripti exceperint, facile colligi poteſt. SAM. CRELLIUS *Mſcto allegato* diſſ. VII. §. XXIV. ob eandem orthodoxos injuriarum accuſat, et in *Epiphanium*, qui inter *Elcaeſeos* et *Ebionaeos* ob communé de Chriſto Seruatore dogma Parelleliſmum ſibi, vt putat finxit, ira accenſus inquit: „*Sic nunc Epiphanio ſimiles abſurdi Socinianos vocant haeretifices, eadem de cauſſa Mahometanos, qui interim aſſidue Deum precantur, vt Mohametismum aboleat. — — — Annon et nunc Sociniani cum Mahometanis in eo ab aduerſariis ſuis conferuntur, quod vtrique Jeſum ſolummodo pro juſto viro et propheta habeant; cum tamen certo certius ſit, Socinianos Jeſum pro Chriſto et a mortuis reſuſcitato Domino coeli et terrae habere.*' Eodem modo JOAN. SCLICHTINGIUS in *Apologia pro veritate accuſata* p. 33: „*Nobis cum Turcis, qua Turcae ſunt, et Pſeudoprophetae ſui amplectuntur diſciplinam, nihil eſt commune. Non tantum enim vnum illum Deum, quod Turcae et Judaei faciunt, ſed etiam Regem coeleſtem a Deo conſtitutum J. C., et per eum Deum ipſum colimus: quod Turcae et Judaei abominantur.*" Nemo tamen illegitimam et injurioſam putabit duarum partium, alias diverſiſſimarum, in quibusdam tamen momentis diſtinctiuis conuenientium collationem. Nihil enim in hoc ipſis imputatur, niſi quod cum ſyſtemate ipſorum exacte convenit, nec ideo omnimoda ac perfecta vtriusque partis ſtatuitur aequalitas. Inter ipſos Socinianos exſtitiſſe, qui diſciplinae ſuae ſimilitudinem cum Muhamediſmo admiſerint, paulo ante dicta confirmant, cuius rei plura documenta ab aliis adferuntur. Cum *Claudiopolis* Tranſyluaniae vrbs ſaeculo praeterlapſo a Chiliarcha quodam Turcico gladio et flammis territa fuerit, *Sociniani* incolae, vt mitiora fata experirentur, hoſti iracundo declaraſſe feruntur, parum a Turcarum religione ſuam diſtare; a quo reſponſum tulerunt: Remouerent parum illud diſcriminis, ipſumque fore benigniorem. Narrat hoc *Jo. Kelpius, Tranſyluanus* in *ſcylla theologica, Altorff* 1690. p.

38.

38. allegante locum *Schloſſero* in notis ad *Guil. Walli* Hiſtoriam *Paedobaptiſmi* T. II. p. 457. *Dauidiana* inter Antitrinitarios ſecta, Muhamedis Coranum cum approbatione ad ſtabilienda dogmata ſua aliquando allegauit, teſtemque prouocauit. FRANC. enim DAUIDIS de *non inuocando Chriſto* p. 198. inquit: „*Non perperam fingi in Alcorano, Chriſtum ſuis cultoribus opem ferre non poſſe.*" *Sandius* quoque de conſenſu *Muhamedis* ſibi gratulatur in *probl. parad.* p. 42. Quidam Socinianiſmi ac Muhamediſmi vicinitatem probari poſſe arbritrantur, quod aliquando vnus atque alter, vel *Serueti*, vel *Socini* ſectator, *Muhamedi* tandem nomen ſuum dederit. De *Joanne Paulo Alciato* id quidem dici nequit, quod nonnulli olim perhibuerunt; *Adamum* vero *Neuſerum* publica confeſſione ad Turcas tranſiiſſe, alio loco in hoc ipſa hiſtoria narrabimus. Ipſe *Sam. Crellius* concedit, quod illa Vnitariorum monſtra, quorum parentem *Neuſerum* fuiſſe, et a quo *Franciscum Dauidis* ſeductum eſſe, judicat, quae Chriſtum inuocandum eſſe inficiantur, aut tantum pro propheta fere in regno demum millenario regnaturo habent, facile ad Muhamedismum delabi poſſint. V. *Theſaurus epiſt. La Crozianus.* T. I. p. 111. Inualida tamen pro vicinitate vtriusque partis euincenda deſumitur ratio ab exemplis raro obuiis eorum, qui ex Antitrinitariorum coetu ad Muhamedis caſtra tranſierunt. Nec multum roboris continet narratio de Claudiopolitanis bellico terrore commotis, vt Praefecto militum Turcicorum adularentur, ſpecie *vtruisque religionis conuenientiae oblata.* Imo omnino negandum non eſt, quod quidam in delineanda hac harmonia vltra, quam par eſt, progreſſi ſint, quibus accenſendus eſt JAC. GOLIUS, *Prof.* Lugdun., qui Turcarum religionem *Socinianorum* diſciplinae ſimillimam ſtatuit, excepto fere hoc vno, quod magnum impoſtorem Turcae pro magno Dei Propheta habeant. V. A. CAROLI *Memorab. Eccl.* ſaec. XVII. T. I. p. 931. Cum interea iſta comparatio parum ad meliorem aduerſariorum informationem

mationem, multum potius ad exacerbandum animos conferat, eadem potius abſtinendum eſſe, arbitramur; quamvis manifeſtum ſit, quod Antitrinitarii ante hanc cum Muhamedismo collationem orthodoxos inconſulta temeritate publicis ſcriptis idololatriae accuſauerint, et in maledicentia ſua receptum de Myſterio S. S. Trinitatis, aeternaque Filii ex Patre generatione doctrinam, ex Philoſophia Platonica deriuatam eſſe calumniati fuerint, pluribusque horrendis conuitiis eam proſciderint. V. Jo. SOMMERUS de *Deo Papano trino* etc. *B. A.* P. II. p. 892. No. 2.

§. XI.

Saec. XI. praeter *Joannem Roſcellinum*, Canonicum et Clericum Compendienſem, Tritheitarum claſſi inſerendum, protulit etiam nonnullos *Arianorum* haereſi fauentes, quorum tamen haud pauci ita mentem ſuam expoſuerunt, vt ab Arianismi ſuſpicione haud aegre liberari poſſint.

* * *

JONNNES ROSCELLINUS Philoſophus ac Theologus inclinante ad finem ſaec. XI. celeberrimus, ſibi eruditione famam et ſuſcepta haereſi malam contraxit notam. Inclaruit maxime in *Gallia*, et dialecticorum aetatis ſuae princeps aeſtimabatur. Difficile eſt genuinam eius ſententiam exponere, cum ſcripta ipſius non ſuperſint, et quae de eodem innotuerunt, aduerſariis ipſius, *concilii Sueſſionenſis* a. 1092. habiti patribus, in primis *Lanfranco* debeantur. Quidam *Sabellii* ſectatoribus eum vindicant, quos inter eſt *Baronius* ad a. 1094; ſed verius judicare videntur, qui eundem in vehementi *Sabellianiſmi* oppugnatione in contrarium extremum, tres in Deitate aſſerendo realitates inter ſe diſtinctas, ideoque ad *Tritheiſmum* prolapſum eſſe ſtatuunt. Eius ſententia ex ratiocinio, cui multum valo-

H ris

ris inesse putauit, elucescit: *Si in Deo tres sunt personae, et tamen vna essentia, nec tres, quarum quaelibet per se subsistit, Pater et Spiritus homo quoque facti sint necesse est. Nisi igitur statuatur, P. F. et Sp. S. tres esse res separatas, omnino statuendum esse, non Filium tantum, sed et Patrem et Spiritum S. humanam induisse naturam, ac proinde Sabellianismum admittendum esse, cuius tamen defensores tanquam haeretici dudum damnati fuerint.* V. *Anshelmus* L. II. epist. 35. Docuit igitur, tres in Deo personas eo modo inter se differre, quo tres res differunt; rei vero vocabulo naturam designauit, quae quidem cum aliis genus commune habet, at per se tamen separatim subsistit. Tres igitur re ipsa credidit Deos, redacta vnitate ad vnitatem tantum voluntatis et mutui consensus. Id verissimum *Jac. Bruckero* videtur in hist. crit. Philos. T. VI. p. 581. saluis notionibus suis Stoicis *Roscellinum* orthodoxam de S. Trinitate fidem explicare non potuisse, quod omnibus accidit — — — qui magis ex humanarum subtilitatum lacunis, quam ex limpidis Israelis fontibus — — haurire cupiunt. Multos habuit sententiae suae amatores, qui *Scholasticorum* tempore peculiarem formarunt sectam, quae *Nominalistarum* titulo vulgata est. Ipse in *synodo Suessionensi*, cuius acta in Harduini *Collect. Concil.* T. VI. P. II. p. 1697. leguntur, anno 1092. semet ipsum accusare, et erroneum dogma recantare jussus est. Hoc quidem ex timore populi, a quo interfici verebatur, fecit, sed ficte et simulate; ita vero eundem fecisse, postmodum probauit, siquidem eandem renouato studio sententiam diuulgare suscepit, quae secunda vice in conuentu *Rhemensi* a. 1094 damnata. Opposuit ipsi *Anshelmus* librum *de fide Trinitatis et incarnationis verbi;* qui vero asserens in Trinitate tres esse relationes, et vnicam duntaxat substantiam, hac aduersus *Roscellinum* pugnandi ratione ad *Sabellianismum* procliuis visus est, a qua tamen imputatione aliquo modo liberari posset.

Aria-

Arianiſmi hoc ſaeculo veſtigia variis locis renouata fuiſſe, *Baronius* teſtis eſt, qui ad a. c. 1017. ex *Glabrii Radulphi hiſt.* L. III. C. 8. narrat, foeminam quandam *Manichaeismo* addictam, in Aurelianenſi Galliae prouincia, haereſi; hac corrupiſſe in ſpecie *Heribertum Liſojam.* Famam percrebuiſſe de eadem, quod omnia de S. S. Trinitate in V. ac N. T. ſcriptis reuelata, pro figmento habuerit. Sed non deſunt et foeminae, et omnibus hanc aeſtimantibus defenſores, qui teſtes fidei potius ac veritatis illos fuiſſe putent. V. *Moshemii* H. E. p. 666.

§. XII.

Saec. XII. *Petrus Abaelardus* Roſcellini diſcipulus, et *Petri Lombardi* praeceptor S. Trinitatis Myſterium ex rationis principiis propria Scholaſticis methodo explicandum aggreſſus eſt, hocque conamine Orthodoxis haud mediocrem faceſſit operam; quamquam praeter *Gilbertum Porretanum* et *Arnoldum Brixienſem* vix plures habuerit ſectatores. Notantur quibusdam in Socinianae familiae ſtemmate hoc tempore *Bogomili*, quorum tamen placita adhuc dubia videntur; quemadmodum vniuerſa huius aeui hiſtoria et ciuilis et eccleſiaſtica magna ex parte ſpiſſa laborat obſcuritate.

* * *

Antitrinitariorum ordini accenſetur *Petrus Abaelardus*, vel *Abailardus*, vel ſecundum quosdam *Baleardus*, (a *Petro Baliardo*, juris conſulto diuerſus) et *Biliardus* dictus, Scholaſticorum, quos ſaeculum hoc tulit, omnium judicio princeps, ingenio praecoce in arte ſyllogiſtica verſatiſſimus, qui Philoſophiam cum Theologia copulauit, ſicque ſcholaſticae Theologiae fundamenta jecit. Vitam,

eruditionem, ſcholam celeberrimam, amorem *Heloiſſae*, virginis eruditionis fama inclytae et ſcripta eius expoſuerunt *Ant. Pagi* in *Critica hiſtorico-chronologica*, in *annal. Baronii* T. IV. ad a. 1114. *Georg. Mackenzie* in *vitis et characteribus celebriorum Scotiae ſcriptorum Anglice editis, in vita S. Aelredi*; *Ch. Thomaſius* in *hiſtoria ſapientiae et ſtultitiae* T. I. p. 8, *Baylius* in *Lex. crit. ſub tit. Abelard, Heloiſe, Berenger, Foulques*, et pluribus aliis locis, *Du Pin, nouvelle Bibliotheque des autheurs* Eccleſ. T. IX, auctor anonymus Gallus, *Paris*. 720. 12. *A. Fabricius Biblioth. lat.* L. XIV. p. 687. *Walchius* in illuſtr. encyclop. *tit. Abaelardiſtae*; *Niceronius* hiſt. celeberr. erudit T. IV. p. 186 ſeqq. verſ. germ. *Bruckerus* l. c. T. III. p. 730 ſeqq. T. VI. p. 589. *Heumannus* in act. Philoſ. T. III. p. 580 ſeqq. aliique plures. Vid. *Acta Erud.* 1721. p. 263. Natione Gallus fuit ex Britannia minori (ſecundum *Curionem*, natione Anglus) et quidem pago, cui nomen *Palais*, circiter a. 1079 oriundus. Pater ipſius militiae operam dans inter belli turbas litteris non valedixit, filiumque quacunque diſciplina inſtruendum curauit. Praeceptore vſus ſecundum *Sandium* H. E. enucl. p. 387. *Jo. Roſcellino*, ſecundum alios *Guil. de Campellis*, (*Chambaux*) Archidiacono Pariſienſi, qui ipſe poſtea infenſiſſimus *Abaelardi* fuit aduerſarius. Logicam et dialecticam in primis ſibi propoſuit excolendas, et quo plures in his caperet progreſſus, exteras non ſine moleſtia inuiſit regiones. Repetiit patriam haud vulgari ſcientia inſtructus, qua ſibi aliquoties inuidiam conciliauit. Aduerſo hoc fato rerum mundanarum pertaeſus Coenobii ſolitudinem quaeſiuit et Monachus factus Theologiae operam nauauit, in qua primum *Anſelmi* vtebatur inſtitutione, poſthac vero Theologiae dogmata liberioribus ſuis ipſiusmet meditationibus, plus quam decet, ſubtilitati deditus, inueſtigauit et definiuit. Mortuus eſt a. 1142 vel a. 1143. habuitque ſtrenuum defenſorem diſcipulum ſuum *Berengarium Pictauienſem*. V. Addenda ad *Sandii* H. E. p. 70. In gratiam diſcipulorum

quin-

quinque libros Theologiae Christianae, quos etiam opusculum de fide S. Trinitatis appellat, concinnauit, de quo *Bernhardus* Abbas claraeuallensis ep. 191. inquit: „*Surrexit a mortuis liber ille, et cum eo multorum haereses, quae dormierant, surrexerunt et apparuerunt multis.*" Eiusdem *Rithmus* de *Trinitate* ex Mspto Beccensi editus legitur in T. IX. *Edmundi Martene* et *Vrsini Durandi collect. Vet. script. et Monument. hist. Par.* 1733. fol. p. 1092. Omnia *Abaelardi* opera prodierunt hoc titulo: Petri Abaelardi, S. *Gildusii Abbatis* et *Heloisae, coniugis eius, Coenobii Paraclitensis Abbatissae, opera nunc primum ex Mss. Codd. eruta, et cum praefatione apalogetica pro* Pet. Abaelardo, *per* Franc. Amboesium, (*Andream Quercetanum*) *et censura Doctorum Parisiensium in lucem edita, studio ac diligentia eiusdem* Andreae Quercetani *Parisiis, Nicol Buon* 1616. 4. Vid. *Dav. Clement. Biblioth. hist.* et *Crit.* T. I. p. 3. Opusculum de *fide S. S. Trin.* discipulorum rogatu, Trinitatis Mysterium distincte concipere audentium, a se conscriptum esse, ipse testatur. In eodem simili a sole, a typo annuli obsignatorii, maxime vero ex arte syllogistica desumto, mysterium coeleste explicare conabatur. Sicut in syllogismo tres inveniuntur propositiones, et vna tantum veritas, sic eodem modo in Deitate tres personas ad vnam essentiam conuenire, sibi et aliis persuasit. Accusauit eum *Bernhardus*, quod dixerit, tres personas gradibus potentiae differre, et eandem essentiam Patris, Filii, et Spiritus S. sicuti eadem oratio sit propositio, assumtio, et conclusio. V. *Bernhard.* ep. ad *Innoc.* II. Haec quidem in *Abaelardo* arguunt, quod nimis indulserit curiositati reddendi rationem de iis, quae sunt supra rationem, quod fide sola suscipere detrectauerit, quae humanum intellectum transscendunt, ac improuide mysterium illustrauerit, cuius cognitio tantum ex S. Scriptura petenda. In libro allegato expresse *Abaelardus* statuit: Deum Patrem plenam esse potentiam, Filium quandam tantum, Spiritum S. nullam, huncque mundi animam vocauit; nihil esse credendum, nisi

quod rationi probabile visum fuerit; Trinitatem ex rationis principiis cognosci posse, multosque gentilium Philosophos, ac praecipue *Platonem* exquisitiorem eiusdem tenuisse scientiam. De locis istis, quae in scriptis *Platonis* de Deo occurrunt, et quae antiquis ecclesiae Patribus magno fuerunt in pretio, praeter alios multum disseruit *Aug. Mar. Quirini* in *Decade epp. Romae* 1743. 4. ep. 2. Non tamen omnes *Abaelardus* opiniones, quas sibi imputatas sensit, pro suis agnouit, quamquam verissimum sit, eum in Theologicis non ita versatum fuisse, vt accurate de iisdem mentem suam explicuerit, maxime vero *Sabellianismi* maculam sibi contraxerit. Nonnulla interim in eo tanquam erronea improbata, vix talia sunt, si in contextu legantur, immo quasdam criminationes fuisse ridiculas e. g. quod *Socratem* sanctis martyribus comparare non veritus fuerit, *Baumgartenius* obseruauit in *Biblioth. Hall.* T. VI. p. 32. Ipse *Bernhardus*, strenuus alioquin veritatis defensor in sua aduersus *Abaelardum* caussa non semper ab affectibus immunis fuit, quippe qui aduersarium errorum accusauit, quibus justi ac aequi horum rerum arbitri eundem liberassent. Quod in synodo *Suessionensi* II. a. 1136. et *Sirmiensi* a. 1140 propter inconuenientem circa personas S. Trinitatis sententiam damnatus, librumque suum ipse igni tradere ab Episcopis coactus, inque Monasterium detrusus fuerit, ipse fusius exponit in ep. hist. de suis calamitatibus, notante *Guil. Cave*, *hist. litter. scriptorum Eccl.* T. II. p. 237. Ex dictis patet, *Abaelardum* Socinianis non admodum fuisse dissimilem, quod rationem, mysteriorum atque articulorum fidei judicem et normam coluerit. CRELLIUS de *satisfactione Christi* aduersus *Grotium* p. 339. contendit, se praeclarius de vi mortis Christi docere, quam *Abaelardum*, qui defenderit, Christum ad amoris sui testificationem tantum mortuum esse. Vtrum *Sociniani* jure meritoque *Abaelardistae* vocari possint, quaestio excitata est, ad quam ex adductis responsio constat. Ipsi *Abaelardum* inter

teſtes ſuosque praedeceſſores referunt, quo reſpectu praeter alios *Lubieniecius* l. c. p. 7. eum celebrauit. V. J. W. JAEGERI *examen Theologiae nouae Poiretianae et Bourignonianae* p. 319. Habuit *Abaelardus* haud paucos defenſores ab eodem in initio cognominatos, qui poſtea *Scholaſticorum* titulo generaliori ſignificatu compellati; in ſpecie vero *Kathari* in *Gallia*, vel potius *Germania* nominati, qui de Deo et S. S. Trinitate, de Chriſti officio mediatorio, de juſtificatione etc. a veritate deflexerunt, et certo reſpectu ad myſticorum claſſem ſunt referendi. In Gallia *Kathari* dicebantur *Bons Hommes*, de quibus *Rogerius* apud *Baronium* ad an. 1179. judicat, quod M*anichaeis* et *Arianis* affines fuerint. Duorum maxime *Abaelardi* ſectatorum famam nobis ſeruarunt hiſt. eccl. ſcriptores, quorum alter fuit *Gilbertus Porretanus*, gente Aquitanus, patria Pictauienſis, quo loco tandem Epiſcopus fuit, Philoſophus et Theologus acutiſſimus, ſaeculi huius doctor celeberrimus, ob male adhibitas ingenii ſui vires fortunae ſuae ipſemet aduerſarius. Vſus eſt terminis ſcholae Ariſtotelicae receptis, quibus diuinas virtutes et proprietates, quas perſonales dicunt, a Deo, ſeu natura diuina differre, docuit, quare leuiter ab eorum errore diſtare putatur, qui *Tritheismi* notam ſibi conciliarunt. Bene quidem in ſynodo Lutetiis habita, praeſente *Eugenio*, P. R. mentem ſuam expoſuit, quod nimirum ſuis dicendi formulis ſolum indicare voluerit, aliam notionem de natura diuina, aliam de eius proprietatibus obuerſari animo, noſtroque concipiendi modo; quod a quouis orthodoxo conceditur. In ſermone tamen, quem in conuentu clericorum ſuae diaeceſeos habuit, ita S. Trinitatis articulum propoſuit, vt a veritate omnino receſſiſſe, et ad *Tritheitarum* terminos acceſſiſſe putandus ſit, ſi vera ſunt, quae referuntur. V. *Harduinus* l. c. T. VI. P. II. p. 1299. *Buddeo* tamen dogmata eius haud multum a Sabellianismo abfuiſſe videntur, in *Iſag. hiſt. theol.* p. 983. Eundem habuit aduerſarium, quem *Abaelardus, Bernhardum*, qui

ſuis accuſationibus eo rem deduxit, vt *Porretani* opinio a. 1148. *in ſynodo Rhemenſi* inquireretur ac condemnaretur. Leniſſimum de Gilberto tulit iudicium *Bruckerus* l. c. T. III. p. 768 ſqq. eum quidem receſſiſſe a recepta doctrinae formula & loquendi modo, licet ab ipſa doctrina ſana diſceſſum haud fecerit. Id ipſum conamen explicandi S. Scripturae myſteria ex legibus et dictamine rationis Socinianis locum fecit, vt *Porretanum* anteceſſorem diſciplinae ſuae ſummopere venerentur et eximiis encomiis praedicent. V. *Natalis Alexander* l. c. ſaec. XII. art. IX. p. 485 ſeqq. *Weiſsmannus* l. c. T. I. p. 1003. ſeqq.

Iidem, qui *Abaelardo* errores Arnaldo Brixiensi, illius *ſectatori* tribuuntur, qui vero non erroribus tantum, ſed impiis quoque ſceleribus famam, vel infamiam potius ſibi conciliaſſe fertur; quamuis haereſin propriis illius verbis expoſitam non habeamus, immo quae ipſi peculiaris tribuitur opinio, tantae haereſeos maculam non habeat. Eius diſcipuli *Arnaldini* vel *Arnoldiſtae* vocati ſunt. V. *Weiſsmannus* l. c. T. I. p. 1014. ſeqq.

De *Bogomilis*, haereticis Orientis, ſaec. XII. maximum ſcriptores ſignificant progreſſum. Auctor ſectae Basilius *medicus* ac Monachus fuiſſe, et *Conſtantinopoli* ab *Alexio Commeno Imperatore* crematus narratur, poſtquam LII annos per varias orbis prouincias praedicaſſet: *Non eſſe Trinitatem, et Chriſtum fuiſſe Archangelum* Michaelem. Nominis origo Bulgarorum vel Slauorum linguae debetur, quod graeci ita interpretantur, vt *Bogomilus* homo ſit, qui cum Deo conuerſatur, vel a Deo diligitur. Eadem voce in lingua Saracenica notatur gens, quae miſericordiam implorat, ex *Bog*, quod Slavonibus Deus, et Miloui, quod miſericordiae implorationem ſignificat. V. Fleury in *H. E.* T. XIV. p. 136. Multa graeci ipſis imputarunt flagitia, quod cultum publicum et ſacramenta exprobrauerint, Pentateuchum et alias S. Voluminis partes rejecerint, crucis figuram deſpexerint, quod in ea Salvator occiſus ſit, Deum humana forma praeditum dixerint,

et

et Trinitatis myſterium vel non crediderint, vt quidam tradunt, vel illud rationis humanae conceptibus accommodauerint, inaequalitatem perſonarum docendo. Ab aliis maxima ex parte excuſantur, nec tanta abominatione digni videntur, qua eos nonnulli auerſati ſunt. Id veriſimillimum, *Bogomilos* in *Bulgaria* et *Thracia* dictos fuiſſe, qui eadem cum *Arianis*, M*anichaeis* et *Paulicianis* de Deo et S. Trinitate crediderunt, quos in Germania et Italia *Katharos* dictos eſſe, notauere ſcriptores. Ob conuenientiam cum Arianis *Cedrenus* ſtatuit, *Bogomilos* a Chriſto nato Saec. IV. ſub *Valente* Imperatore exortos eſſe, nec negandum, haereſin ipſam aetatem iſtam tuluiſſe, quamvis *Bogomilorum* nomen recentius fuerit. V. SANDII *H. E.* p. 386. Jo. FABRICII *diſſ. de haereſi et moribus Bogomilorum; Noua litteraria Tigurina* de anno 1759. p. 219. 226. 234. SAM. ANDREAE de *Bogomilis*, in *Jo. Voigtii bibl. hiſt. haereſ.* T. I. *faſc.* 1. p. 121. ſeqq. J. WOLFII *hiſtor. Bogomilorum*, etc. De hoc opere ſuo ita WOLFFIUS ad *La Crozium*, *in theſ. epiſt.* T. II. p. 27. M*anum nunc ad reuocandam* BOGOMILORUM *memoriam admoui, quod antiquitatis eccleſiaſticae ſcriptores minus diligentes, quod ſine injuria dixerim, in hac haereſi conſideranda fuiſſe video. Nonnulli id ſchiſmaticorum inter Ruſſos genus, quod* ROSCOLNICORUM *nomine appellatur, Bogomilorum propaginem putant.* De his commentatus eſt NIC. BERGIUS *in exercit. hiſt. theol. de ſtatu eccl. religionis* Moſcouiticae, etc. Lubec. 1709. p. 69. ſeqq. HEINECCIUS in *delin. eccleſiae graecae antiquae et nouae* p. 30. appendicis. BEAUSOBRIUM *hiſtoriam quoque criticam Bogomilorum exaraſſe*, notatum alicubi legimus.

§. XIII.

Saec. XIII. *Joachimus* Florenſis, in Calabria Abbas, et *Almaricus*, vel ſecundum alios *Amalricus*, (gallice Amauri) Pariſienſis Theologiae doctor

quosdam circa ſormam doctrinae chriſtianae excitarunt motus, breui tamen tempore compoſitos. Poſt initium vero ſaec. XVI. quidam ex Germanis atque Italis, communia Antitrinitariorum dogmata diuulgarunt, ſparſisque in Italia, Helvetia, Germania ac Polonia opinionibus ſuis, inſignem famam nacti ſunt, quorum recenſionem alterum Voluminis hujus caput ſibi vindicabit.

* * *

Pauci *Saec. XIII. XIV.* et *XV.* in angulis delituerunt heterodoxi quoad S. S. Trinitatis doctrinam, qui, ſi minus recte ſenſerint, magis ſimplicitate ex diſciplinae receptae ignorantia, ſolidiorisque cognitionis defectu, quam obſtinata voluntate errarunt. Horum in numerum ponitur ineunte *ſaec. XIII.* JOACHIMUS, Abbas de *Caratio* in Calabria, ordinis Ciſtercienſis et Florenſis monaſterii fundator, qui craſſo et impolito fuiſſe ingenio, et minus circumſpecte loquutus dicitur, ac pro intentione bona, vt videtur, voluit; certo enim reſpectu vt teſtis veritatis in eccleſia Romana pro conditione iſtorum temporum aeſtimandus eſt. Ob varias rerum futurarum praedictiones magnam nactus eſt famam, de quibus V. FABRICII *Biblioth. Lat.* T. IV. L. IX. p. 107. et Altes aus allen Theilen der Geſchichte, T. I. P. II. p. 206. ſeqq. Homo ignarus, et non capax ſubtiliſſimarum diſtinctionum *Petrum Lombardum*, in explicatione dogmatis de tribus in eſſentia diuina perſonis, erroris arguit. Ipſe vero indebite atque incaute de eodem mentem expoſuit, vt ſibi haereſeos ſuſcipionem contraxerit, quamuis formulas obſcuras, quibus vſus eſt, non intellexiſſe videatur. Incidit in antiſtitum ſuorum cenſuram, partim, quod inique reprehenderit *Lombardum*, partim, quod *Arianismo*, vel ſecundum alios, *Tritheismo* propinqua docuerit. In ſpecie accuſa-

cuſatus, quod eſſentiam tribus perſonis communem negauerit, triumque perſonarum vnitatem ad ſolum conſenſum determinauerit. Damnata eſt ipſius doctrina in *Concilio Lateranenſi* IV. a. 1215. Aequiores tamen ſunt judices, qui formulas loquendi obſcuras in ipſo reprehendunt, quam qui eidem inter haereticos locum figunt. V. *Petauius* l. c. T. II. L. VI. C. XII. §. 4. p. 358. ſeqq. *Buddeus* l. c. p. 1143. *Lud. El. du Pin*, l. c. T. IV. p. 58 ſeqq. *Wolffius* in *lect. Memor.* T. I. cent. XII. p. 443—502. *Weiſsmannus* l. c. T. I. p. 1106. *Cottae notae ad Gerhardi L. L. Theol.* T. I. p. 217. ſeqq. *Obſerv. Hallenſ.* T. I. p. 206.

Almaricus, Theologus et Clericus Pariſienſis, non infimi ordinis Philoſophus, Lutetiis 1204. vita defunctus, multos habuit ſibi aſſentientes, qui et perſuaſione et moribus honeſtis magiſtri ſui cogitata pluribus commendarunt. Ipſe, quod Chriſtus nouam ſanciuerit legem, et morte ſua nobis exemplum modo reliquerit, credidiſſe fertur. Addunt alii, ſtatuiſſe eum, Chriſtum particulam, ſiue aliquid ex Deo, ſed hoc multo inferiorem eſſe; omnia quoque viſibilia ex ipſo Deo fluxiſſe, inque diuinam aliquando naturam reuerſura eſſe, ita vt recte dici queat, Deum eſſe omnia, creatorem et creaturam eſſe eumque, omnium creaturarum eſſentiam complecti, ac non aeternitate, ſed cauſſa et natura praecedere creaturas. V. HIERONYMI PETZII ſcriptores auſtriaci T. I. Quidam non male judicant, *Almarico* iniuriam inferri hac imputatione, et diſcrimen obſeruandum eſſe inter errores ab eodem in ſpecie propugnatos, et quos diſcipuli eius diſſeminauerint. In horum enim numero fuiſſe, qui opinionibus a Magiſtro traditis ſuas addiderunt, et quaedam non incongrue ab eodem dicta peſſime interpretatos eſſe; hoc ipſo tamen praeceptorem non ab omni culpa et temeritate eximendum ſtatuunt. Damnata eſt *Almaricana haereſis*, quae haud longo ſpatio a *Spinoſiſmo* abfuit, in *Concilio Lutet. Pariſ.* habito, a. 1209. et in *Lateranenſi* IV. a

1215.

1215. Sociniani eandem, de noua per Chriſtum lege lata opinionem tenentes, quam *Amalricus*, et de Chriſto pari modo ſentientes, huius ſectatores cenſendi ſunt. V. *Natalis Alexander* l. c. ſaec. XIII. C. XIII. Art. II. p. 36. *Pfaffius* in H. E. p. 607. *Walchius* l. c. ſub tit. *Almaricani.*

Circa medium *ſaec.* XVI. ſingularia quaedam, praecipue inter *Germanos* et *Italos* ingenia, triſti omine *Arianorum*, *Samoſatenianorum*, *Tritheitarum*, *Photinianorum*, aliorumque errores in lucem iterum reuocarunt. In horum numero *Mich. Servetus*, (quem Sociniani omnes fratrem et ſocium ſuum celebrant; *Theophilo* enim *Nicolai*, qui *Val. Smalcius* eſt, de *eccleſia*, c. XI. p. 22. *Frater* et *ſeruus Meſſiae* audit.) *Joannes Campanus*, *Jo. Paul. Alciatus*, *Jo. Valentinus Gentilis*, aliique plures fuerunt. Cum vero hi, ſectae, quae a *Socinis* poſthac nomen tulit, viam proxime parauerint, primaque reuireſcentis lolii ſemina ſparſerint, eorum hiſtoriam pro ordinis praefixi ratione proximo capite exhibituri ſumus.

Ex praeteritorum ſaeculorum hiſtoria plures poſſent allegari, ad quorum conſenſum ipſi Sociniani, quamuis veritate refragante, prouocant. Ita praeconcepta antiquitatis opinione faſcinati, *Eccleſiam orientalem* diſciplinae ſuae aliquando adſpiraſſe, judicant. Hoc fine ſuperbiunt epiſtola *Jo. Smerae*, Medici et Rhethoris Conſtantinopolitani a *Wolodimiro* Ruſſiae et Kioviae Principe, ad explorandam Chriſti ciuium in *Graecia* conditionem ablegati ad dominum ſuum a. c. 990. Alexandriae ſcripta, quam vel finxerunt, vel interpolarunt, vel ſi integra fuerit ſeruata, male interpretati ſunt. Hiſtoriam, vna cum ep. ex *Mſcto* codice polonico *Jo. Ryniovicii Trembecii*, (fortaſſis *Jac. Rynievicii Rhapſodiae* etc. notantur, de quibus in *B. A.* P. II. p. 739.) verbotenus latine redditam communicatamque accepit *Sandius* a *Bened. Wiſſowatio*, eamque *appendici Nuclei* H. E. p. 61 — 65 inſeruit, quam praeterea non *Andr. Wengerſſcius*, ſed Sociniani, qui huius

librum

librum ſub nouae editionis praetextu, nouo titulo et quadam appendice auctum in *Belgio* et *Anglia* diſtribuerunt, *Hiſtoriae eccleſiarum Slavonicarum* p. 499 — 503. adtexuerunt.

De *Wolodimiro*, negotiisque eius religionis cauſſa ſuſceptis, nec non acceſſione illus et totius Ruſſiae ad Chriſtianam religionem, ſecundum inſtituta eccleſiae graecae, occaſione matrimonii ſui cum principe foemina *Anaſtaſia*, ab aliis *Anna* appellata, *Baſilii* Imperatoris ſorore, *Müllerus*, e Chronico Theodoſiano Kiouienſi, in collectione hiſt. Ruſſ. germ. ſcripta, T. I. p. 107. T. II. p. 76. nonnulla memorabilia tradidit, absque tamen mentione epiſtolae à *Smera* ſcriptae. Miſiſſe vero Principem legationem quandam *Conſtantinopolin* a. 987. ad accuratius noſcendam religionem ac coetus Graecorum, *Theodoſii* Chronicon exponit. *Petrus* quoque *Petrejus de Erleſunda*, in *Chron. Moſcov.* Lipſ. 1620. p. 155. legationum fecit mentionem, quas *Wolodimirus* in exteras terras miſit, vt diuerſarum religionum conditionem ſcrutarentur; ſed de iis, quae *Sociniani* ad commendandam diſciplinam ſuam venditant, alium apud eundem eſt ſilentium, quod quoque a *Dlugoſſo* T. I. f. 110 edit. Lipſ. obſeruatur. Permagni interea fecerunt allegatam *Smerae* epiſtolam Sociniani, ex qua euincere credunt, coetum meliorem in *Eccleſia graeca* ſaec. X. ſecum conſenſiſſe, illumque, tanquam orthodoxe ſentientem, ab aliis, a veritate (vt putant) alienis afflictum atque oppreſſum eſſe. Pluribus id vrget STAN. LUBIENIECIUS *Sen.* in *Poloneutichia Mſc.* (B. A. P. II. p. 1091.) cuius verba BEN. WISSOWATIUS in *Narratione compendioſa Mſcta*, quae SMERAE epiſtolam, aliaque exhibet et in manibus meis eſt, exſcripſit. Ex iis vero, quae circa hoc argumentum proferunt, non, quod ipſorum coetus ſit apoſtolicus et orthodoxus; ſed quod *Arianiſmus*, erroresque ſimiles ante vtrumque *Socinum* ſuos habuerint defenſores, colligitur. Iſti enim, quos in Eccleſia graeca ſecum conſentientes allegant, ex *Arianorum*, *Manichaeorum*, *Paulicianorum*,

Katha-

Katharorum, aliorumque familia et propagine fuerunt, quorum ſequaces iſto tempore adhuc plures exſtitiſſe, *Sandius* in *Nucleo* H. E. ſatis fuſe monſtrauit.

§. XIV.

Qui cum Muhamedanis comparandos eſſe Socinianos arbitrantur ſeueriores orthodoxi, hos quoque cum recentioribus *Judaeis*, poſt Chriſtum humana carne indutum, ab Abrahamitica fide Apoſtatis, conferunt, huncque parallelismum propter rei naturam et quandam dogmatum vtriusque partis cognationem, non illegitimum et injurioſum judicant, quorum nimium feruorem ac zelum non omnes ſuo probant ſuffragio.

* * *

Non quidem tanta euidentia in ſacro V. T. codice, quanta in N. T. ſcriptis, aſt tamen luculenter pro iſtis temporibus, S. S. Trinitatis myſterium reuelatum eſt. Credebat eccleſia Judaica antiqua, promiſſum Seruatorem genitum ab aeterno Dei Patris Filium, propter quem ſolum acceptum ipſi eſſe cultum ſuum, firmo aſſenſu omnes genuini Abrahami filii perſuaſi erant, qui interiorem formam ac indolem religionis Judaicae non ignorabant. Quam antiquiſſimus coetus fidei ancoram tenebat, eandem amplectebantur Judaei accuratius informati paulo ante Chriſti tempora, et circa ipſius aduentum in orbem, ita vt ex libro ſapientiae, ex translatione Chaldaica, ex Caballiſticis Rabbinorum ſcriptis ſat clara veſtigia conſpici poſſint, quod ea fuerit patrum fides, quam Chriſti ciues profitentur, et in ſacris veteris foederis pandectis reuelatam animaduertimus. V. *Pelargus* de S. S. Trinitate V. T. inſignioribus teſtimoniis aduerſus Antitrinitarios et Arianos

nos recentiores euicta; PET. ALLIX. *antiqua V. E. judaicae testimonia aduersus Vnitarios;* JO. MEYER *de Mysterio S. S. Trinitatis ex solius V. T. libris demonstrato, et ex veterum ac recentiorum Rabbinorum praesertim Caballisticorum rarissimis monumentis illustrato;* JO. STEPH. RITTANGELIUS, *Veritas Religionis Christianae in articulo de Trinitate et Christo,* a. 1699. et in *Libro veritatis de Memra*, a. 1698. G. CH. SOMMER, *specimen Theologiae Soharicae cum Christiana amice conuenientis;* JO. ARNDIUS *de mysterio Trinitatis* e scriptis *Rabbinorum veterum;* H. WITSIUS, *Judaeus christianizans circa principia fidei et S. S. Trinitatem;* SCHOETTGENII, *Jesus verus Messias ex veteri ac pura Theologia judaica, germ. scriptus;* LAUR. ODHELIUS, *Synagoga bifrons, seu de scrutandis collapsae Synagogae ruderibus, Francof.* 1691. 4. ANDR. NORELLIUS *Phosphorus orthodoxae fidei veterum Cabbalistarum ex libro Sohar, Amstel.* 1719. quibus jungendi sunt *Raimundus, Müllerus, Hoornbeckius, Voetius, Carpzovius, Wagenseilius, Bebelius, Coccejus, Lighfootus, Hottingerus, Altingerus, Pfeifferus,* aliique, qui peculiaribus scriptis de hoc argumento bene meriti sunt. Tandem vero coelestis haec doctrina ita inter Judaeos recentiores obfuscata, vt iam non locum inueniat; immo hi diris ac calumniis Christum profitentes appetant, illosque blasphemiae accusent, qui Deum vnum in essentia et Trinum in personis adorant. V. NIC. VEDELIUS *de Deo Synagogae*, EISENMENGERUS *in Judaismo detecto*, P. I. C. I. seqq. Negata Messiae diuinitate, eum vel infra angelos collocant, vel pro quadam angelorum specie venditant. Credunt tamen esse Legatum nuntium ac Prophetam, insigni miracula patrandi virtute praeditum.

Ex his patet, non omnino ex figmentis argumentari, qui statuunt, cognatione quadam *dogmata recentiorum Judaeorum ac Socinianorum* se inuicem attingere. Jam EPIPHANIUS *Nazaraeos, Samosatenianos*, et *Photinum* genuinos vocauit Judaeos. Haer. 29. 65. et 71. ac his, quos

judaicis

judaicis ritibus minime deditos probe ſciebat, Judaiſmum obiecit. Ita enim inquit: „*At iſti Judaicam opinionem interpolantes, neque quicquam cum Judaeis habentes amplius, Judaei alteri nominandi ſunt, et Samoſateni; neque aliud omnino ſunt, ac ſolum nomen Jeſu prae ſe ferunt. Nam cum Deum ex Deo, vnigenitumque filium, ac verbum abnegent, eiusmodi ſunt, quales ii fuerunt, qui praeſentem eum reiecerunt, Dei ac Domini occiſores, Deique negatores.*" Et de *Photino* inquit: „*Nihil amplius excellentiusque de Chriſto profitetur, quam Judaei ipſi, qui eundem abnegarunt.*" Male ferri a Socinianis hanc cum Judaeis comparationem, nemini mirum videbitur; hinc ira commoti ignominiam hanc a ſe auertere allaborarunt. JON. SCHLICHTINGIUS in *Apol. pro veritate accuſatà*, p. 51. ſumma cum iniuria Socinianos aſſimilari Judaeis, conqueritur ſpecioſe inquiens: „*Dum nos cum Judaeis — — componunt,* (*Academiae Lugdunenſis Profeſſores*) *ipſi ſe Judaeorum affines eſſe manifeſte produnt. Neque enim Judaicum eſt, ſi quid cum Judaeis, quod falſum eſt; ſed ſi quid cum iisdem, quod verum et ſalutare eſt, non credas. Cum igitur Judaei Jeſum blaſphemiae damnarint et occiderint, quod Filium hominis a dextra Majeſtatis diuinae ſeſſurum, et in nubibus coeli maxima cum virtute et gloria venturum, aſſeruerit: quod ipſum etiam probo Martyri Stephano euenit: relinquitur, illos omnes cum Judaeis facere, qui idem de filio hominis aſſerere, impium et blaſphemum putant: e quorum numero ſunt cenſores noſtri, quandoquidem nos ob ipſiſſimam hanc confeſſionem impietatis ac blaſphemiae condemnant. Nec vllam aliam ob cauſſam Chriſtum ipſum altiſſimum Deum eſſe dicunt, quam quod illis blaſphemum et impium vna cum Judaeis videatur, de filio hominis tam diuina confiteri.*" Pergit eodem fine, quod Sociniani oblationem Chriſti bonae fragrantiae, ac munus ſacerdotale non negent, nec juſtificationem in propriis operibus collocent, atque in his cum Judaeis rem communem non faciant. Et p. 77. inquit: „*Non omne, quod Turcae, vel*

Judaei

Judaei agnoſcunt, protinus Turcicum eſt, vel Judaicum. Nam ſi quid veri agnoſcant, verum omnibus, et maxime Chriſtianis commune eſt. Non item omne, quod Turcae vel Judaei improbant, protinus chriſtianum eſt. Nam ſi jure meritoque improbant, multo magis id improbandum eſt a Chriſtianis. Nulla alia re magis diſcriminantur a Judaeis et Turcis Chriſtiani, quam quod illi vnum Deum agnoſcant, ſed vnum Dominum, qui Dei gratia in omnia dominatum obtineat, ab ipſo factum, propterea que diuino honore colendum, non agnoſcant: Chriſtiani vero vnum agnoſcunt Deum, et vnum Dominum ab ipſo factum, Jeſum Chriſtum. Ex hac regula diſcrimen inter Judaeos, Turcas, Ethnicos et Chriſtianos petendum eſt, et hinc aeſtimandum, vtri noſtrum, nosne, an Cenſores propius ad Turcarum et Judaeorum religionem accedant." His omnibus, non absque acumine pro auertenda criminatione excogitatis, euictum non dedit, nullum inter Socinianos et Judaeos eſſe conſenſum in iis, quibus hi a religione patrum ſuorum, illi a diſciplina apoſtolica et orthodoxa diſceſſerunt. Quod ipſe F. *Socinus* conſenſum hunc admiſerit, non in memoriam ſibi reuocauit *Schlichtingius.* Ille enim facilem eſſe et expeditum a *Judaiſmo* et *Muhamediſmo* ad ſectam ſuam tranſitum, ad eamque per abnegationem S. S. Trinitatis allici eos poſſe, ac debere, expreſſe judicat in *Explic. Part.* I. c. 1. Euangelii *Joannis.* De ſecta, quae *Franciſcum Dauidis* auctorem habuit, et quae in reliquis conſentientes habebat Socinianos, notiſſimum eſt, quod in hoc, de Chriſto domino, diuino cultu non adorando, dogmate, nonnullisque aliis, propior prae reliquis ad infidelem Judaeorum cohortem acceſſerit, et judaizantibus adnumerata fuerit. *Simon Budnaeus*, qui proximus Judaeis ſtetit, ab ipſo *F. Socino* in ſcripto aduerſus eundem, judaizantium numero expreſſe inſeritur. In aliis quoque momentis Judaeos inter hodiernos et Socinianos quaedam obſeruatur harmonia. v. g. in articulo de *Baptiſmo*, quem vtraque pars cauillationibus ſuis proſcindit,

de resurrectione mortuorum, etc. quae vltro praeterimus. V. *Calovius* l. c. P. I. p. 41. seqq. Ex hac vtriusque agminis in quibusdam doctrinae capitibus conuenientia, ratio petenda, cur familiae Socinianae principes in multis S. Scripturae locis explicandis, vel potius obscurandis et conuellendis, ad libros *Talmudicos*, ceterasque recentiorum Judaeorum *Caballisticas* nugas prouocarint; quod multis exemplis monstrauit Pet. Carolinus Pannonius, *in explicatione orthodoxae fidei de vno vero Deo, aduersus blasphemos Georgii Polandratae et Francisci Dauidis errores, Viteb.* 1571. 8. Haec dogmatum conuenientia rationem exponit, quod Judaei maximi faciant omnes Antitrinitarios, et praesertim Socinianos, adeo vt his inter eos, qui a Christo nominatur, primum locum deferant, iisque solis spem salutis aeternae relinquant. Hinc illi saepius colloquendi cum his occasionem quaesiuerunt; v. *Smalcii* diarium p. 1210; *Ganzius*, in Zemach Dauid, seu Chronologia sua ipsum *Seruetum* eximium sapientem appellauit. Reperiuntur Judaeorum amicissima de Socinianis judicia in Wulfferi *animaduers. ad Theriac. jud. Salom. Zebhi.* C. IV. §. 3. seqq. Nostra interim sententia de hoc parallelismo eadem est, quam circa comparationem cum Muhamedanis enuntiauimus. Non propterea systematis erronei conditio innocentior euadit, si cum peiori, vel pessimo comparatio, alioquin non omnino illegitima, omittitur.

§. XV.

Quamuis nemo vnquam Romano Catholicos in articulo de Mysterio S. S. Trinitatis, erroris et consensus cum Antitrinitariis accusauerit, quorum potius Doctores celeberrimi scriptis Dei Trinunius aduersarios fortiter debellarunt; attamen in illorum systemate quaedam occurrere momenta Socinianis

nianis accepta atque probata, Theologi Euangelici obſeruarunt. In *Anabaptiſtarum*, et *Mennonitarum* coetu haud paucos offendimus, qui aliquando cum Socinianis communem cauſſam fecerunt in oppugnando hoc myſterio, quod etiam de *Arminianis* et *Remonſtrantibus* ſentiendum, qui in quibusdam placidis Socinianiſmi partes olim ſaltem tenuerunt; cum recentiorum plurimi hanc maculam abſterſiſſe a ſe aequis rerum arbitris videantur. Qui publicas Eccleſiae Reformatae confeſſiones Socinianiſmi poſtularunt, ex ea ratione, quod quosdam coetus huius Doctores de Antitrinitariorum errore ſuſpectos putauerint, exorbitantem potius haereticandi alios animum, quam a partium ſtudio remotum veritatis amorem teſtati ſunt.

* * *

Maxime gloriantur Sociniani, quod curiae Romanae magnopere detrimento fuerint. Antiſtitem eius Antichriſtum et Eccleſiam Romanam Anti-Chriſtianam, idololatricam ac falſam appellant, ab eiusdem corruptelis toto ſe pectore abhorrere videri volunt, et a Pontificis dominatu ſe ſolos prorſus liberos venditant, reliquis Chriſti ciuium ſocietatibus ex parte ſaltem ſub eius jugo (quo nomine communem de S. S. Trinitate doctrinam inſigniunt) ingemiſcentibus. Quod ipſi Eccleſiae reformationem ab aliis inchoatam ſolide perfecerint, nec quidquam de fermentis diſciplinae Romanae in coetu ſuo remanſiſſe, tumidi praedicant. *Lutherum* Babyloniae tectum denudaſſe, *Zwinglium*, *Caluinum* aliosque parietes infregiſſe, *Socinum* vero funditus euertiſſe aedificium, perhibent; quos repurgatae eccleſiae gradus *Lubieniecius* l. c. L. I. c. IV. p. 11. ſeqq. effinxit. In hac vanae gloriae affectatione ni-

hilominus nonnullis Romanae doctrinae placitis, de perfecta legum diuinarum obseruatione, de bonorum operum merito, aliisque momentis adspirant. Vterque coetus in iis communem caussam facere videtur, quae ex *Pelagianismo* mutuauit. Vterque liberi arbitrii viribus in conuersionis negotio, ac omnis generis operibus, ad externam legis moralis litteram peractis, in justificationis actu multum tribuit, justitiamque Christi nobis imputari per fidem solam inficiatur. Vtraque pars concupiscentiam prauam habitualiter renatis inhaerentem, et primos malae concupiscentiae motus esse peccatum, negat. S. Scripturae textum autenticum corruptum, sensum eius incertum atque obscurum esse, huncque pro lubitu explicari posse, ab vtroque latere, diuersa licet intentione ac ratione statuitur. Pontificii canonicam diuinorum oraculorum auctoritatem per indirectum labefactant, dum ab ecclesiae testimonio eam pendere asserunt, et scriptoribus S. lapsus memoriae, aliaque errata in rebus fidei tribuere non abnuunt. In hunc quoque modum *F. Socinus* de *auctoritate S. Scripturae* p. 14 et 104., siue ex lapsu memoriae, siue alia ratione Euangelistas et Apostolos errasse, in scriptis suis prodidit. Non parum roboris caussae suae tribui Sociniani arbitrantur, quod ex principiis Ecclesiae Romanae verbum non scriptum, siue traditiones prorsus necessariae sint, ad propugnandum S. S. Trinitatis Mysterium, tantumque abesse, vt ex S. Scriptura probari, vt ne per consequentiam quidem infallibilem inde deduci possit; immo videri S. Scripturam in multis locis docere contrarium, nisi haec alio sensu ecclesia intelligi velit. Hanc ciuitatis, quae Praesulem Romanum caput Ecclesiae visibile veneratur, esse sententiam pluribus testimoniis praeter alios euictum dedit, *Sandius* in H. E. p. 141. seqq. item p. 152. 156. et in praefatione, libro, *scriptura*, *Trinitatis reuelatrix* (B. A. P. II. p. 751. N. 11.) praemissa, p. 4. seqq. *F. Socinus* in scripto, *quod euangelici se Photinianis coniungere debeant*, p. 30 scribit: „*Certe ex Pontificiis praestantissimi*

tiſſimi nonnulli Theologi non verentur fateri, in ipſis ſacris litteris Trinitatis diuinae myſterium expreſſum non eſſe." Et *Val. Smalcius* aduerſus *diſp.* 1. *Frantzii* p. 1. „*Faſſi ſunt ipſimet Pontificii, Trinitatis dogma ex S. litteris ſolis probari non poſſe.*" Allegantur praeterea quaedam Pontificiorum poſitiones, Socinianis acceptae, v. g. quod nomen *Jehouae* non ſoli vero Deo proprium ſit, ſed rebus creatis aliquando tribuatur; quoad in cultu, qui Deo debetur, gradus credant, eumque praeter Deum angelis et ſanctis praeſtari poſſe ſtatuunt, aliaque a ſingulis expoſita, quae toti coetui imputari nequeunt, quod aliquando Euangelici, et inter hos *Pelargus* l. c. odio ducti eidem imputare ſtuduerunt. Pluribus conſenſum vtriusque coetus monſtrare ſtuduerunt, non tamen absque improbando iniuriandi animo: Guil. Jameson in *Roma-Racoviana* et *Racovia-Romana*, etc. *Edinburg.* 1704. 4. de quo *vid. Journal ſçavans* a. 1705. p. 824; Jo. Gerhardus in *Photino-Papiſmo*, hoc eſt, *euidente demonſtratione, quod Photiniani vtut ab eccleſia Romana videri velint alieniſſimi, tamen errores quosdam papales in ſinu ſuo adhuc foueant; in diſſ. theol.* P. II. p. 1062. ſeqq. *Parallele du Socinisme et Papisme* 1687. 12. qui liber in *Catalogo Bibl. Dan. Salthenii* notatur T. II. p. 1008. In quem cenſum quoque venit Buddei diſſ. de *Pelagianiſmo in Eccleſia Romana per bullam Anti-Quesnellianam a Clem. XI. P. R. promulgatam triumphante*, in *Miſcell. ſacr. Ien.* 727. 4. Praeter hos Jo. Ge. Dorscheus in *Defectione malae fidei papalis, circa probationes S. S. Trinitatis, et ſigillatim Deitatis Filii Dei* etc. *Argent.* 1646. 12. quosdam e ſocietate Jeſu accuſauit, quod Socinianis in impugnanda S. S. Trinitate attulerint adminicula, nimirum quod loca quaedam alia ratione interpretati fuerint, vt, admiſſa hac explicatione, ad demonſtrandum hoc myſterium parum vel nihil conferant; quam ſententiam *Dorſcheo* non ſine omni jure exprobravit *Semlerus* in diſſ. I. Hal. Magd. 1772. qua *carmina quaedam Apoſtolica expenduntur, quibus euidentiſſime de-*

monstratur, Seruatorem J. C. esse verum Deum et verum hominem. p. 12.

Quae proxime antecessit Socinianismi natales ANABAPTISTARUM gens, multas Europae, inprimis Germaniae et regiones turbauit, et licet adeo opinionibus disjuncta, vt turris babelicae operariis dissimilis non sit; quoad quosdam tamen gregis sui coetus, vel horum principes et magistros cum Socinianis comparari potest, immo his certo respectu vexilla praetulit. Omnes quoque Antitrinatrii in initio dicti sunt *Anabaptistae*, nondum peculiari nomine a sectae suae auctoribus insigniti; Anabaptistis enim in contemtu Paedobaptismi et quibusdam huic sectae addictis, in negato S.S. Trinitatis mysterio adspirarunt. In ipsa *Conf. Augustana* impia Diuinitatis Christi abnegatio generaliori *Anabaptismi* titulo notatur. V. *Praef. T. XII. act. H. E. Vinar.* praemissa et quae de hoc argumento antea exposuimus. Praeter vniuersalem Anabaptistarum et Socinianorum de Paedobaptismo consensum, particulares quidam illorum coetus in praecipuis erroribus conuenerunt antea, (quae enim olim ipsis peculiaria fuerunt nonnulla, recentioribus Anabaptistis jam obsoleta sunt,) cum *Socinianis*, quod in dubium vocari nequit, cum certo certius constet, quosdam inter Anabaptistas defendisse, quod Christus passus non fuerit, vt pro hominum peccatis praestaret satisfactionem, sed vt exemplum praeberet, alioquin Christi passionem ad salutem nemini prodesse, nec illum iram Dei et inferni poenas sensisse. V. WIGANDUS *de Anabaptismo grassante in multis Germaniae, Poloniae, Prussiae, Belgiae et aliis locis*, p. 4 et 61. In vtroque coetu cum *Pelagianis* plus virium, ac par est, in spiritualibus tribuitur arbitrio humano, et peccatum originale, nec non quod sola fide in Christum, sine respectu meriti ad opera nostra justi coram Deo declaremur, negatur. Praeterea constat, quosdam familiae huius principes cum *Ario* veram Christi Deitatem vel impugnasse, vel alio modo in Antitrinitariorum castris arma conseruisse. Omnem quidem CONR. FUESLINUS in

actis

actis et docum. hist. reform. Heluet. T. III. adhibuit operam, vt euinceret, absque omni veritatis specie Anabaptistis omnibus crimen negatae Deitatis Christi impingi, cuius tamen rei contrarium patet. Ipse *Mich. Seruetus*, aeternae Christi Deitatis oppugnator, ab *Henr. Bullingero* in *opere aduersus Anabaptistas*, horum coetui, idque non immerito adiungitur, quamuis *Fueslinus* eum hoc numero excipere voluerit. V. *Musaeum Heluet.* T. II. p. 277. *Moshemii hist. noua de Serueto* p. 42. Cum isti merito appellandi sint *Anabaptistae*, qui Praedobaptismo impugnato, rebaptizandos esse defendunt in infantia baptizatos; *Seruetus* omnino, et Sociniani idem adstruentes Anabaptistis accensendi sunt. In *Catech. Racov.* c. IV. qu. 2. expresse statuunt, *ad infantes non spectare Baptismum*, (quem ritum appellant,) et quidem iisdem rationibus, (quod expresse declarant,) quibus vtuntur Anabaptistae, adducti. Non igitur *F. Socinus* habuit, quod demiretur, in libro *de Baptismo aquae* etc. nonnullis asseclis suis *Anabaptistarum* nomen inditum esse, quos contumeliose ita appellari censet. Qui enim ipsius disciplinam amplexi sunt, sanctissimi huius lauacri necessitatem et virtutem eneruantes, ordinarie istud jam adulti et saltim professionis doctrinae gratia susceperunt; quare plerique in Polonia et Transyluania de nouo, se hoc sacro fonte ablui passi sunt. *Arianos* a quibusdam scriptoribus Catholicis jam olim *Anabaptistas* esse vocatos, *Guil. Wallus* l. c. P. II. c. IV. p. 165. et c. VIII. p. 378. notauit, quod quidem nomen illis non inditum est, quia paruulorum baptismum oppugnauerint, quem potius ab iis seruatum esse scimus; sed quod perinde ac *Donatistae* denuo baptizare eos solerent, qui ab Ecclesia catholica ad se transirent, quippe quam adeo odio habebant, vt baptismum in hac collatum illegitimum reputarent. Hinc quoque Anabaptistae hodierni, qui vocis significatum intelligunt, titulum hunc recusant, negantes, repetitum esse, quem conferunt, baptismum.

Pagittus in *haeresiol.* notante *Sandio* l. c. p. 424. prodit, *Mennonitas Morauos* docuisse, Christum non esse verum Deum. Idem asserit de Anabaptistis Hutitis, quos auctore *Jo. Huta* productos esse narrat. Inter XXI. articulos *Anabaptistarum Monasteriensium*, quos *Cochlaeus* peculiari scripto, quod 1534. Lips. 8. pl. 3. apud *Nic. Fabrum* prodiit, confutauit, decimus, huius argumenti est: „*Oportet fratres sectae huius abrenunciare, et non tenere, quod Deus humanam naturam de Maria assumpserit.*" Quando vero idem originem et ansam huius erroris in Megalandri nostri scriptis inueniri, sibi aliisque persuadet, omnino fallitur. Id ipsum, quod primi Anabaptistarum principes circa Mysterium S. S. Trinitatis a vero aberrauerint, variis eorum testimoniis comprobatur; quod negotium expleuerunt *Philipp. Melanthon*, *Huldrich Zwinglius*, *Mart. Bucerus*, aliique perplures. In primis *Bullingerus* libris VI. *aduersus Anabaptistas*, *per Josiam Simlerum*, Tigurinum, e Germanico in latinum conuersis editisque *Tiguri* 1560. 8. p. 62 seqq. primos huius temporis Antitrinitarios *Mich. Servetum*, *Melch. Hoffmannum*, *Jo. Denckium*, *Ludov. Hetzerum* Anabaptistarum gregi adnumerat. Joannes Gastius, *Brisacensis de Anabaptismi exordio, erroribus, historiis abominandis, confutationibus*, *Basiliae* 1544. 8. p. 32. duorum mentionem facit, qui Diuinitatem Christi libera voce abnegauerint, Christumque merum hominem fuisse et permansisse, praedicauerint.

Accensiti sunt Anabaptistis *Sabbatharii*, qui teste Staphilo, *de latinorum inter se concordia*, sabbatum Judaeorum more obseruarunt, diem dominicum negligentes, solumque Patrem inuocarunt, Filio et Sp. S. eundem honorem denegarunt; de quibus V. *Lutherus* aduersus Sabbatenios, et *Sandius* l. c. p. 479. Quod haud pauci Antitrinitarii, *judaizantes* et *non inuocantes* adpellati, cum his consenserint, ipsa nostra historia alio loco probabit.

Inter

Inter Mennonitas notiſſima ſecta eſt, quae auctorem habet GALENUM ABRAHAMZ, *profeſſione Medicum* et *miniſtrum* mennoniticum, quam reliqui a *Mennone* appellati coetus ſuſpectam habent negatae Diuinitatis Chriſti, et ſatisfactionis per ipſum praeſtitae, reſurrectionis item et poenae aeternae damnatorum etc. de quo Schiſmate V. *Benthenius ſtat. eccl.* et Schol. Holl. p. 831. et HERM. SCHYN *Hiſtoriae Mennonitarum plenior deductio*, *Amſtel.* 1729. quod opus haud pauca antea incognita praecipue de libris et ſcriptoribus Mennonitarum exponit. Exoptatum Socinianis afferunt praeſidium Mennonitae, qui ab omnibus terminis in S. Scriptura quoad litteram non obuiis v. g. Eſſentiae, Perſonae, Trinitatis etc. abſtinendum non tantum eſſe ſtatuunt, ſed quoque eosdem illudunt, ſibique praerogatiuae ducunt, quod verbo diuino religioſe adhaereant. V. LOESCHERUS, *de ſecta Mennonitarum*, Sect. II. Membr. I. §. 1. Conueniunt *Mennonis* diſcipuli in placitis ſuis de jureiurando, de jure magiſtratus circa bella et poenas capitales, niſi cum omnibus Socinianae ciuitatis ſociis, ſaltem plurimis; conſentiunt, quod ad hominis regenerationem ſola verbi foris praedicati gratia, nulla autem interiori efficacique operatione Spiritus S. regenerantis opus ſit. V. OTTIUS *Annal. Anabapt.* p. 249. et CLOPPENBURGIUS, *gangraena theol. anab.* p. 258. HOORNBEECKIUS, l. c. p. 92. cui Anabaptiſtae videntur *indocti Sociniani*, hique *docti Anabaptiſtae.* Ex vtriusque coetus in quibusdam momentis conſenſu intelligitur ratio, cur quidam ex *Socini* agmine Mennonitarum coetui ſemet adjunxerint, et ab his tanquam fratres agniti fuerint, immo Sociniani maximam ſemper ſpem conceperint de plenaria cum Mennonitis vnione ineunda, ad quam perficiendam quaecunque contulerunt conſilia, quae ex *act. Mſpt.* alio loco in lucem protracturi ſumus. De ſtudio hoc Irenico nonnulla exponuntur in *Mart. Ruari* Epp. *edit. Zeltneri Cent.* I. Ep. 70. 71. 72. p. 304 ſeqq. a *Lubieniecio* l. c. p. 277. *Zeltnero* l. c. p. 167. 275. 1193. 1200. eiusdem *ad-*

 not.

not. ad *Ruari.* Epp. p. 250. *Arn. Poelenburgii* ep. ad *Gerardum Brantium* in *epp. Remonſt.* N. 611. p. 894. Noſtro tempore dominans Mennonitarum ſocietas Arminianismi principiis imbuta, haec acerrime defendit, ſuosque ciues ſtudio theologico dicatos ad *Remonſtrantium* ſcholas ablegat, vt in iisdem ad miniſterium praeparentur, quamuis hoc inſtitutum non ab omnibus probetur. V. RUESII *Hiſt. Mennonit.* p. 93. ſeq.

Arminiani, ſiue *Remonſtrantes* non omnino ſunt eximendi ex eorum coetuum chriſtianorum numero, qui nonnullis placitis quandam cum Socinianis conuenientiam ſuſtinent. Maxime id locum habuit eo tempore, cum ſeparatos a Reformatis coetus inſtruere coeperint. Non eadem enim omni tempore illorum fuit doctrina, quam in confeſſionibus ſuis (de quibus *Maſchius* l. c. P. VI. N. 126—128.) aliisque ſcriptis occultant, nec quid ſibi verum videatur, ſemper declarant; et plerumque, quae ab aliis coetibus pro certis affirmantur, ſcepticorum more in dubium vocant. Ante Synodum *Dordracenam*, in certaminibus cum *Gomariſtis* et *Contra-Remonſtrantibus* a reliquis Reformatis Arminiano-Remonſtrantes, non niſi in doctrina de praedeſtinatione et gratia diuina, ſiue in quinque articulis de voluntate Dei omnes homines ſaluandi, de electione ex praeuiſa fide, reprobatione ex praeuiſa incredulitate, de perſeuerantia ſanctorum, deque meriti Chriſti, et vocationis diuinae vniuerſalitate, ſe diſſentire profitebantur, in reliquis autem de natura Dei, Trinitatis myſterio, aeterna ac eſſentiali J. C. diuinitate, perfecta Chriſti pro peccatis noſtris praeſtita ſatisfactione, de peccatoris coram Deo juſtificatione, de fide ſaluifica, peccato originali, certitudine ſalutis, perfectione hominis in hac vita, ita ſe ſentire ac credere declarabant, vt priſcis Eccleſiae ſymbolis et confeſſione Reformatorum coetus definitum eſt.

Succeſſu vero temporis poſt ſynodum et nonnullorum remotionem ab officiis, *Arminii* veſtigiis relictis, haud

haud pauca *Socinianorum* dogmata vel aperte defenderunt, vel tanquam veri ſimilia, nec in ſacris litteris diſertis verbis damnata, toleranda eſſe judicarunt, quod ex ipſorum ſcriptis omnium nomine euulgatis, inprimis *confeſſione* 1621. publicata, et ex *Apologia aduerſus cenſuram Theologorum Lugdunenſium cum declaratione* inſequuta aperte conſtat. Itaque illis imputabatur, quod 1) Dei ſimplicitatem, omnipraeſentiam, omniſcientiam, adeoque futurorum contingentium cognitionem, itemque myſterii S. S. Trinitatis e S. litteris demonſtrationem negent; 2) Quod doctrinam de S. Trinitate ad ſalutem creditu eſſe neceſſariam, vllamque credentibus eam vtilitatem afferre, inficientur; 3) Subordinationem inter perſonas diuinas ſtatuant, Patremque Filio et Spiritu S. excellere ordine, dignitate et poteſtate doceant; 4) Quod apertam inuoluere contradictionem credant, vnum eſſe Deum, et tres Perſonas, ſi de vnitate eſſentiae numerica accipiatur, ac merum eſſe humanum cerebri figmentum, ſingulas perſonas non habere propriam eſſentiam; 5) Quod negent, electionem ex praeuiſa fide, et reprobationem ob mala opera, ab aeterno factam vtramque potius in tempore ſtatuant fieri; 6) Quod peccatum originale eſſe veri nominis peccatum, ac quemquam propter id damnari poſſe, inficientur, quod *Weiſsmannus* l. c. T. II. p. 1152. pro fundamento palmario conſenſus Arminianiſmi et Socinianiſmi declarat; 8) Chriſtum pro peccatis ſatisfeciſſe, aſſerere non audent, immo id ipſum oppugnant, Deumque ſalua juſtitia absque ſatisfactione peccata condonare; 8) Legem nouam Euangelicam a Chriſto eſſe ſancitam, admittant; 9) Fidem ſaluificam in Chriſtum ſub V. T. viguiſſe, et praeceptam fuiſſe, negent; 10) Hominem non juſtificari imputatione juſtitiae Chriſti in remiſſionem peccatorum, ſed fide, ceu actu et opere hominis, obedientiam operum Euangelicorum includente; 11) Homines etiam ſine cognitione Chriſti ſaluari poſſe; 12) Regenitos omnia praecepta diuina perfecte implere; 13) Paedobaptiſmum Chriſti et Apoſtolorum

rum praecepto non esse institutum, et S. Coenam commemorationi mortis Christi tantum inseruire; 14) Paucissima esse dogmata ad salutem necessaria, haecque absolui tribus capitibus, nimirum fide diuinorum promissorum, obedientia diuinorum praeceptorum, et debita erga S. Scripturam reuerentia; omnes proinde Christi ciuium coetus in his consentientes in vnum Ecclesiae corpus coire posse. Ab omnibus pari modo singula haec asserta statui, nemo vnquam ita demonstrauit, vt nulli dubio locus adhuc esse possit, immo quidam ciuitatis huius principes ab hac imputatione se liberarunt; nec tamen ex aduerso dogmata Socinianismum fulcrum admouentia, vel eidem conformia, per iniuriam toti ciuitati tribuuntur. Negari ab vniuerso coetu palam et dissertis verbis S. S. Trinitatis mysterium, dici nequit; interim quoque negantibus illud non aduersatur, nec errorem fundamentalem judicat.

De Doctoribus inter Arminianos celeberrimis laudeque dignissimis, *Weissmannus* l. c. T. II. p. 1146. succincte tractauit, fusiores in hac materia sunt auctores ibidem allegati. Historiam *Arminii* et *Arminianismi* in compendio tradidit *Walchius*, in *illustr. Encyclop. tit. Arminius.* Conr. Vorstius, *Gymnasii Steinfurtensis* Professor, deinde loco defuncti *Arminii*, infellicissimo fato, ad professionem Lugdunensem vocatus, libro suo de *Deo*, quem *Jacobus M. Britanniae* Rex publice comburi jussit, Socinianismum satis clare prodidit, ita vt Jo. Uytenbogardus, qui vocationem eius ad Professionem academicam ante promouerat, paulo post ad eum scripserit: *Academia, Ecclesia, Curatores, Ordines denique ipsi, Christianum exspectant professorem, non Ostorodianum.* V. *Epp. Remonstrant.* p. 275. Socinianos magistros in Theologia adsciuit; hinc *Jo. Crellius* aliique illum doctoris sui honore exornant, immo ad suscipiendum munus scholasticum aliquando ad se in Poloniam inuitarunt. Remoto ab officio Academico successit *Simon Episcopius*, vir maximis naturae ornamentis instructus, rationi tamen et perspicaciae

suae,

ſuae, vt videtur, nimium indulgens, Socinianis in Belgio ſe hoc tempore inſinuantibus, quamuis ipſe Socinianismi palam argui nequeat, non parum profuit. Idem dicendum de *Steph. Curcellaeo*, cuius animum et dotes naturae, nimius in Socinianiſmum amor corrupit, cui in primis obſtetrices manus N. T. graeci editione admouit. In permultis doctrinae capitibus, e. g. de Deo et Chriſto frigidos Socinianorum conceptus tuetur, et tales quidem, vt judice *Weiſsmanno* dubium ſit, an SCHLICHTINGIUS *aliquis, aut* RUARUS *multo peiorem* CURCELLAEO *ipſo Theologiam habuerit?* V. Jo. GOTTL. MOELLERUS de *Steph. Curcellaei editione N. T. Socinizante.* Roſtoch. 1696. Id negari nequit, *Arminium* in loco de S. S. Trinitate erroris ab inimicis tantum accuſari, nec talia aduerſus eum in lucem prolata eſſe argumenta, quae eum merito arguere poſſint. Plurima enim *F. Socini* placita vel in dubium vocauit, vel non accurate ex mente auctoris intellexit, vel non amplexus, ſaltem non ita profeſſus eſt, ac eius ſucceſſores, ita vt a Socinianiſmi criminatione abſolui debeat. Fratres interim Polonos magni ſemper fecit, ita vt hi eum, licet ipſo recuſante, inſtar Patroni ac fratris coluerint, quod *Pareus* vrget in *ep.* ad Theologos reform. a. 1611 ſcripta, quae in *H. E. Baudartii*, L. V. legitur. Ipſius vero diſcipulos ac ſucceſſores a veritatis tramite longius receſſiſſe et puriori doctrinae calculum ſuum omni ex parte non adieciſſe, cuius ipſorum ſcripta legenti patet. Non refragante veritate in ſpecie accuſantur, quod ſubordinationem inter Deitatis perſonas et inaequalitatem in diuinis, Filiumque Patre, Spiritum vtroque inferiorem crediderint. V. *Limborchii Theol. Chriſt.* L. II. c. XVII. §. 25. et *Epiſcopii* Inſt. relig. Chriſt. Sect. II. c. 32. *Curcellaei* Inſtit. rel. Chriſt. L. II. c. 19. §. 9. ſeqq. *Clericus* in Epp. Theol. tres Deitatis perſonas, tanquam tres cogitandi modos ſibi effinxit, quam ob cauſſam, qui eandem defendunt ſententiam, *Modaliſtae* appellantur; cumque cogitandi modus perſona eſſe nequeat, hi ipſi *Sabellianiſmum*

in

in orbem reuocare contenderunt. Eosdem non orthodoxe de Filii Dei diuina natura ſtatuiſſe, inprimis *Adolph. Venatorem*, alio loco euicturi ſumus.

In articulo de imagine diuina vterque coetus communem ſententiam tenet, illam non in ſimilitudine cum Deo, quoad ſapientiam, juſtitiam et ſanctitatem, ſed potiſſimum quoad dominium in animalia, reliquaque viſibilia eſſe quaerendam. V. *Epiſcopius* l. c. L. IV. Sect. III. c. 8. Ita Arminiana fidei confeſſio eſt adtemperata, vt eam quoque *Socini* placita amplectens, ſalua coetus ſui diſciplina, profiteri ac ſuam facere poſſit. Adeo paucos fidei articulos fundamentales conſtituit, vt Socinianis facilis ad comunionem et fraternitatem ſit aditus. Omnes a Chriſto appellatos, quantacunque etiam dogmatum diuerſitate disjuncti ſint, et in rebus maximi momenti diſſentiant, vnam re vera eſſe familiam, Deique domum judicant. Chriſti ciues eſſe, qui diuinos N. T. libros, pro religionis norma ſuſcipiunt, quomodocunque etiam eosdem interpretari, et intelligere velint; dummodo a plurium Deorum cultu abſtineant, Chriſtum Meſſiam venerentur, vitam honeſtam agant, et diſſentientes in rebus ſacris non diuexent. *Curcellaeus* l. c. L. I. c. X. inquit: „*Neceſſe eſt credere de Deo, quod exiſtat, item, eſſe ipſum vnum Deum etc. non eſt tamen neceſſarium, credere Deum ita ſimplicem, vt in eum ne mentalis quidem compoſitio cadat, etc. neque neceſſe eſt, credere in Deo tres* ὁμοουσιους, *ſeu conſubſtantiales perſonas.*" Idem in praefat. operibus *Sim. Epiſcopii* praemiſſa: „*Nullumne ergo, inquies, inueniri poteſt balſamum, quo vulnera Chriſtianiſmi leniantur, et labia eorum hiantia conglutinentur, atque ad cicatricem perducantur? Immo, inquam ego. Balſamum illud ſalutare eſt mutua tolerantia. Summa huc redit. Cum Chriſtiani in praecipuis et fundamentalibus religionis Chriſtianae dogmatibus conſentiant, eum, qui ſupereſt in aliis minoris momenti diſſenſum impedire non debere, quo minus iu vnum eccleſiae corpus redeant, et ſe vt fratres mutua in Chriſto chari-*

charitate prosequantur, si modo, qui ista magni aestimant, ceteros diuersum sentientes ad ea suscipienda non cogant. — — — — *Omnes autem in fundamento conuenire, inde liquet, quod nulla sit inter Christianos secta, quae articulos fidei symbolo Apostolico contentos non amplectatur, et vitam ad Christi praecepta de moribus componendam esse, non statuat, quibus duobus capitibus vniuersa religio christiana comprehenditur. Vnde liquere puto, nihil ad salutem aeternam obtinendam scitu et creditu esse necessarium, nisi absque eo fides promissis et comminationibus haberi aut obedientia mandatis praestari non possit.*" Cum eodem consentit *Limborchius* l. c. L. VII. C. 21—23. V. CHR. M. PFAFFIUS *de fidei Christ. artic. fundament.* p. 11. Non male hinc judicauit *Weissmannus*, qui saepius dixisse fertur: Der Remonstrantismus sey das Nadelöhr, mit welchem man viele andere Dinge, den Socinismum selbst einfädeln könne, wenn man nicht gerade zu dort hinaus will. Facilis hinc semper fuit aditus Socinianis ad Arminianorum communionem; quam ob rem *Sandius* l. c. p. 151. ita eos maxime laudauit: „*Laudabiliter agunt Remonstrantes, qui Socinianos in ecclesiam et communionem recipiunt, non solum, quia pro virili annituntur esse integri vitae scelerisque puri; sed et quia S. scripturam integram in textu originali, hebraeo et graeco recipiunt; Symbolum quoque Apostolicum sine vlla additione credunt, nec ei quidquam addere necesse habent.*" Ex Arminianis recentioribus quosdam propiores accessisse ad Socinianorum castra, *Moshemius* monstrauit, in *Jo. Halesii hist. concilii Dordraceni*, aduersus quem Remonstrantium apologiam suscepit *Corn. Westerhaan* in belgica libri huius versione.

Inter primos Parallelismum Arminianismi et Socinianismi instituit *Festus Hommius*, in libro, cui titulus: *Specimen controuersiarum Belgicarum, s. Confessio ecclesiarum reformatarum in Belgio* etc. Lugd. Batav. 1618. 4. Mala vero eum fide in citandis Arminianorum scriptis egisse, *Episcopius* docuit *dispp. Theol. Dordrechti* 1614. 4.

HOM-

Hommium excepit Nic. Bodeckerus, Ecclesiastes Alcmarianus, in *Sociniano-Remonstrantismo*, a. 1624. cui, teste *Crenio* in *animadv. Philolog.* P. XV. p. 95. eodem anno *Simon Episcopius* meliore stilo, quam argumentorum pondere opposuit, *Bodeckerum* ineptientem. Hunc sequutus est *Jo. Peltius, Ecclesiae Schiedamensis minister, in Harmonia Remonstrantium et Socinianorum.* Lugd. 1633. 4. Tractauit quoque hoc argumentum Christoph. Franckius in *exercitat. Anti-Limborchianis*, qui pluribus notauit, quantum Arminiani a Socinianis mutuarint, et quousque vel ad eos accedant, vel ab iis discrepent. Nic. Vedelio, Professori scholae Dauentriensis, *de Arcanis Arminianismi*, Lugd. 1631. 4. opposuit Episcopius *Vedelium Rhapsodum*, seu *vindicias doctrinae Remonstrantium a criminationibus et calumniis Vedelii*, Hardevorici 1633. V. Bayle diction. sub voce *Vedelius.* In his controuersiis satis fuse, ast parum modeste versatus est *Vedelius*, quod de aliis quoque Remonstrantium aduersariis judicandum. Euincere nimirum conatus est, omnes Arminianos ministros Socinianorum disciplinae ex animo esse addictos, quamuis orthodoxam de S. S. Trinitate doctrinam in confessionum formulis simulent; hosque simulatores Antitrinitarios magis ciuitati Christianae nocere, quam haeresin istam aperte profitentes, non secus ac hostis occultus aperto perniciosior est.

Quo coetum Arminianum a Socinianismi criminatione liberaret Hadr. a Cattenburg *specimen controuersiarum inter Remonstrantes et Socinum eiusque asseclas, Bibliothecae scriptorum Remonstrantium*, Amstel. a. 1728. 8. subiunxit, in quo familiam suam, a suspicione hac, instituta scriptorum vtriusque coetus collatione, vindicare omnem adhibuit operam; quam ob rem ipsa Remonstrantium ac Socinianorum verba de singulis doctrinae capitibus protulit, vt maximum vtriusque societatis sensum monstraret. Septem id capitibus perficere allaborauit, primum 1) De demonstratione existentiae Dei; 2) De

De omnipraesentia Dei; 3) De Dei praescientia; 4) De tribus personis diuinis; 5) De satisfactione; 6) De cultu et inuocatione J. C.; 7) De Baptismo. Contrarium autem euincere jam antea studuerunt DORSCHEUS *in interuentione pro mysterio S. S. Trinitatis.* Argent. 1645. 12. LEONH. RYSSENIUS in *Synopsi impurae Theol. Remonstr. ipsorum verbis, tum expressa, tum saepe refutata.* Vltrai. 1661. 8. aliique complures.

Recentissimo tempore maximam Remonstrantium doctorum partem a Socinianismi imputatione, quam sibi contraxerunt superiore aetate coetus huius antistites, semet liberasse certum est. Ex *Clerici* saltem et *Wetstenii* exemplo, qui ab Arianis et Socinianis opinionibus parum alieni fuerunt, colligitur, Arminianos Belgicos nolle sanctiorem disciplinam in publicis scholis suis ab iis tradi, qui tam grauiorum errorum suspecti sunt.

§. XVI.

Quae hoc saeculo *Herrnhuthanorum* societas famam et amatorum numerum consequuta est, magnas in ecclesia excitauit turbas. Morauorum quidem vel Bohemorum fratrum nomen ac disciplinam adfectat, in quibusdam tamen momentis, maxime in modo docendi S. S. Trinitatis mysterium Socinianis suffragium suum ferre visa est. Hoc respectu coetus huius disciplinam cum Socinianismo quidam compararunt, in quo tamen negotio *Herrnhuthani* priores a recentioribus distinguendi sunt.

*   *
*

Auctor religiosae societatis, quae sub nomine fratrum Morauorum *Herrnhuti* in Lusatia supriore primum formata, deinde per emissarios et legatos passim, impari

licet ſucceſſu, per multas Europae plagas, immo in India orientali et occidentali propagata, cuius ſimilem chriſtiana ciuitas non vidit, *Comes* NIC. LUDOV. *de* ZINZENDORF et POTTENDORF fuit. Erat is verſatilis ingenii, affectator Apoſtolatus, Indifferentiſmi ſuſpectus, vagus, inſtabilis, animo et corpore feruidus, ſtili Theologici noui inuentor, rerumque ſuarum propugnator. Vid. *C. G. F. Walchius* in H. E. recentiſſ. p. 240. ſeqq. et *Carpzovius* in disquiſ. relig. Bohem. et Morav. F. F. germanice ſcripta. In paedagogio Halenſi litteris operam dedit, poſtea ſe in Academiam Wittebergenſem contulit, fecitque itinera in Belgium et Galliam. Redux in patriam munere politico ornatus eſt, quo tamen ſe abdicauit, et moleſta pro colligendo coetu ſuſcepit itinera. Ipſe cum ſuas, tum ſocietatis ſuae res geſtas in commentarios, ac ephemerides ſub indice, der Büdingſchen Sammlungen, quocunque partium ſtudio compilatos redigi curauit, cum quibus contrariae aliorum narrationes, vt et altera pars audiatur, conferendae ſunt, in primis *Freſenii:* Nachricht von Herrenhutiſchen Sachen. Ortum traxit haec familia a quibusdam exſulibus *Morauis*, a pontificiis propter exercitium purioris ſacri cultus in patria vehementer afflictis, deinde vel patria pulſis, vel ſponte in *Luſatiam* diſcedentibus, quos in terras ſuas prope *Berthelsdorfium*, quibus a cuſtodia Dei, Germanice Huth des Herrn nomen deinde impoſitum eſt, *C. de Z.* ſuſcepit, quibus poſt formatum exſulum inſtitutum et diſciplinae rationem, plures ſe aſſociarunt diverſae conditionis, religionis, ac patriae, qui antiquum nomen F. F. Morauorum retinuerunt, quia in communes regulas et principia ab his ſuſcepta conſenſerunt; quamvis maximum inter hanc ſocietatem et antiquiores fratres Bohemos intercedat diſcrimen.

Hi primi exſules erant homines ſimplices, obtemperantes, illiterati, et nouae manuductionis obſequioſiſſimi, quibus C. de Z. ſuam peculiarem religionis formam, et ſententias vel proprio ingenio excogitatas, vel ab aliis recep

receptas, quas in ſcriptis quoque tradidit, facile perſuadere potuit, cum has ad veterum F. F. Bohemorum et Morauorum diſciplinam et inſtituta eſſe accommodatas, fucum rudibus faceret. Semet ipſum ita his exhibuit, vt clementiorem, ſinceriorem, promtiorem, humilioremque ne optarint quidem Nutricium et Protectorem, qui in juuanda hac familia indefeſſus, in parandis ac exſtruendis pro peregrinis aedificiis priuatis ac publicis, nec non in ordinandis rebus ſcholaſticis et eccleſiaſticis ſtudioſiſſimus fuit. Conſtituti ſunt ab ipſo *Seniores*, *Conſeniores*, *Diaconi*, *Eleemoſynarii*, *Inſpectores* etc. Totam ſocietatem, nec non vtrumque ſexum in certas claſſes diſtribuit, aliasque ordinationes formauit. V. Verfaſſung der Herrenhutiſchen Mähriſchen Brüdergemeine, wie ſolche 1733. dem Paſtori übergeben worden. His aliae leges ſucceſſu temporis in ſupplementum additae ſunt, in initio prouide occultatae, jam ab aliis in pudorem huius ſodalitatis publicatae. V. Unpartheyiſche Nachricht von der Gemeine zu Herrnhut in der Ober-Lauſitz.

Omni modo annisus eſt Z. vt coetus collectus, et quotidie auctus, conſentire videretur quoad doctrinae compagem cum Euangelico-Lutherana, quo ſub hac ſpecie maiora caperet incrementa. Annuente Sereniſſ. Boruſſorum Rege FRIDERICO GUILIELMO, nouae ſocietatis ſtator per *D. E. Jablonsckium* Epiſcopus eccleſiarum F. F. Morauorum, et Bohemicorum a. 1727. *Berolini* ordinatus, a. 1739. et 41. bis in *Americam* migrauit, 1743. *Rigae* in cuſtodiam traditus, poſtea in *Angliam* conceſſit, et poſt varias peregrinationes ad coetus ſui amplificationem firmioremque ſtatum promouendum ſuſceptas, a. 1760. d. 9. Maji *Herrnhuti* vita defunctus eſt.

Quantum ad doctrinam huius coetus attinet, quam Socinianae adfinem eſſe quidam judicarunt, difficile eſt, toto illam ambitu adcurate explicare, cum minus determinate loquuti fuerint eius doctores, nec certam quandam ſtabilemque loquendi formam perpetuo ſeruauerint; im-

mo reuocauerint antea ab ipſis dicta, vel alium ſenſum cum dictis et ſcriptis ſuis necti velint, quam communis verborum conceptus et vſus poſtulant. Nullam quoque proprie habuerunt confeſſionem, omnium conſenſu probatam, ex qua doctrinae ſumma praeciſe efferri ac proponi poſſit; nec talem edere voluit Z., ne cuidam, cuiuscumque religionis fuerit, ad ſacra ſua et communionem cum ſocietate praecluderetur via. Scatent interim varia ſectae in primis auctoris eiusdem ſcripta tot erroribus nullo inter ſe vinculo copulatis, quod ipſis cum ceteris fanaticis commune eſt, vt inter illos et Socinianos certo reſpectu Parallelismus inſtitui queat, quamuis alias diuerſa ab vtraque parte placita defendantur. Catechiſmus quidem Herrnhuthanus prima vice editus *Buding.* 1740. prodiit ſub titulo: Probe eines Lehr-Büchelchens für die ſogenannte Brüder-Gemeine; ſed immutatus in lucem aſſurrexit a. 1742. hac inſcriptione: Die andere Probe, ſowohl die Grundlehren der evangeliſchen Gemeinen, die man ſeit drey-hundert Jahren die Brüder nennet; als ihren übrigen Verſtand von der H. Schrift in Fragen und Antworten zu faſſen. Vtriusque libri poſitiones notarunt *Kromäyerus*, *Bennerus*, *Carpzovius*, *Schultzius*, aliique: maxime vero ſectae doctrina perſpicitur ex *Aug. Anton. Rhodii* Schlüßel zu Herrenhuth, oder entdecktes Lehr-Gebäude der Herrnhüter, *Berol.* 1755. Socinianiſmi et coetum ipſum et eius architectum accuſauit *Jo. Pet. Sigm. Wincklerus* in peculiari opuſculo, *Stolbergae* 1745. ſub tit. Socinianiſches Weſen des Herrn Grafen Nic. Ludw. v. Zinzendorff.

Quemadmodum *Sociniani* rationem humanam, explicationis S. Scripturae normam ac judicem conſtituunt, et myſteria diuina ita proponenda judicant, vt ingenii modulo comprehendi queant; ſic *Herrnhuthani*, poſthabitis hermeneuticae S. adminiculis neceſſariisque explicandi textus regulis ac mediis, *vnctionem*, de qua omnes magna praeſumtione inflati gloriantur, vnicum cognoſcendi ſenſus S. Scripturae principium venditant, ſub qua

ſpecie,

ſpecie peculiares diſciplinae ſuae opiniones ex ipſa S. Scriptura deriuant. Sociniani omnem libris V. T. diuinis obligandi vim denegant, et N. T. ſcripta tantum pro lege Chriſtianos obligante agnoſcunt, illisque nullam praeterea vtilitatem concedunt, niſi quod veritatem foederis diuini cum hominibus antiquitus inſtituti, hiſtorice eloquantur. Pari modo *Herrnhuthani* cum Socinianis conſentiunt, totam V. F. legem, et in ſpecie moralem ſublatam, nouamque plane in N. F. eſſe latam propugnant. In hoc ſolo differunt, quod *Sociniani* Chriſtum, *Herrnhuthani* Patrem Domini noſtri J. C. nouum hunc legislatorem praedicent. V. *Siegfriedii* Beleuchtung des Baumgartſchen Bedenkens. p. 109. et *Baumgartenii* Bedenken. P. IV. p. 626. Circa S. Trinitatis myſterium non quidem eodem modo a veritatis diuinae regula aberrarunt, quo *Sociniani;* interim tamen ab omni heterodoxia liberari nequeunt, Non expreſſe *Zinzendorffius* Myſterium S. S. Trinitatis negauit; ita autem mentem expoſuit, vt a negatione haud longe abeſſe videatur, quemadmodum quoque in teutonica librorum N. T. verſione ad Jo. X. 30. ſuum cum Arianis et Socinianis conſenſum haud obſcura teſtatus eſt. In genere proterua leuitate de eodem judicauit, orthodoxam illud ad S. Scripturae dictamen explicandi rationem, non humanum tantum, verum quoque diabolicum inuentum adpellauit, idque Ethnicis, haereticis, vel ſtolidis ingeniis originem debere, calumniatus eſt. Accedit, quod coetui ſuo adſcriptis in contemtum ipſius doctrinae perſuaſerit, notitiam eiusdem ad ſalutarem Dei cognitionem et neceſſarios fidei articulos non pertinere, eamque ante Chriſti in terram aduentum Patribus fuiſſe incognitam, veterisque Oeconomiae fideles Patrem Domini noſtri J. C. omnino ignoraſſe. Quae in veteris Inſtrumenti libris de *Jehoua* enuntiantur, non de tribus in diuina eſſentia perſonis, ſed de ſolo Chriſto generis humani Reparatore eſſe intelligenda, nec niſi vnam in Deitate perſonam, credentibus in V. T. fuiſſe reuelatam.

Omnia oracula, vnum Deum declarantia, Christi personam innuere, non autem essentiae diuinae vnitatem notare. Cognitionem Dei Patris non esse necessariam, cum coetus Christiani ciuibus, in persona Christi solum ita sit acquiescendum, ac si eius Pater non existat; Spiritum vero S. ex Christi sanguine esse progenitum, etc. V. *Fresenius* l. c. P. II. p. 403. Anonymi Nöthige Prüfung der Zinzendorfschen Lehrart von der Dreyeinigkeit, darin gezeiget wird, 1) daß des Herrn Grafens Lehrart wider die H. Schrift A. und N. T. sey; 2) daß sie gantz neu sey; 3) daß dieser Vortrag von großen mißlichen Folgen sey. *C. G. Hoffmann* gegründete Anzeige derer Herrnhutischen Grundirrthümer in der Lehre von der H. Dreyeinigkeit und von Christo. *Mehrlingii* Beweiß, daß der Graf von Z. in allen Hauptartickeln der Christlichen Glaubenslehre höchst irrig sey. *Jo. Leon. Froereisenii* breuis commentatio germ. scripta, *qua Zinzend. Muhamedi simillimum esse significauit.* Horum quidem omnium criminationem a coetu Herrnhuthana declinare studuit auctor scripti 1754. editi: Nacherinnerung zu der in der H. Schrift festgegründeten Lehre der Brüder-Gemeinen von der H. Dreyeinigkeit; sed omnem ab eodem amoliri suscipionem non potuit, quam *Spangenbergius* in scripto Darlegung richtiger Antworten certa ratione potius auxit. Herrnhuthanus igitur coetus peculiaris Antitrinitariorum familia quibusdam adparuit, quae a Socinianis specie et respectiue differt, Filium Dei solum summum Deum praedicans. Quidquid Sociniani Patri tribuunt, illi de Filio profitentur, quem vnicum Deum, omnium fidelium Patrem nominant, cui pro modo loquendi Herrnhuthanis recepto Pater et Mater (Sp. S.) ministrant, et in omnibus eius operibus praesto sunt. Consensit Z. cum Socinianis, Christum tempore visibilis in terra commorationis nudum tantum fuisse hominem, de quo multa in Maiestatem eius diuinam blasphema enuntiauit. Proprium quoque ipsis est, vt de Christo homine vnice testentur, diuinaeque ipsius naturae nullam fere faciant

ciant mentionem. V. *Hollatzii Praef.* ad Tractatum: Erläuterung der Meßianischen Religion. Ex mente *Zinzendorffii* Christo non vt summo Deo, sed tanquam Seniori generali fidelium, hisque simillimo, cultus religiosus exhibendus est; quo posito impii in loco de Christi persona et officio sequuntur errores Socinianismo simillimi, quamuis istis consequentiis non palam suffragium suum tulerit, ne societati suae implacabile contraheret odium. Mentis suae cogitata adeo indeterminate profert, vt omnes in vniuersum haeretici doctrinam ipsius amplecti possint, seruatis suis circa fidei articulos conceptibus. Veritates doctrinae euangelicae distinctiuas studio praetereunt omnes ex fraternitate, nec errores cum illa pugnantes data occasione detestantur; quo ipso Socinianos imitantur. Ad quem modum hi in confessionum suarum formulis, scripturae verbis quidem concinnatis, sed ad disciplinae suae amussim intellectis, erroneam mentem occultant, ac orthodoxiae praetextum affectant; ita *Herrnhuthanorum* Antistes suis fidei explicationibus, quibus nil certi determinauit, quasque pro lubitu retractauit, mutavit et limitauit, animi sui cogitata conuestiuit et occultavit, quod ex formulis *Tubingae*, *Dresdae*, *Berolini*, aliisque locis exhibitis facile demonstrari posset, si plenam sectae huius descriptionem tractatio admitteret. Socinianos suum cum Symbolo Apostolico consensum praeferentes, ac inde caussae suae speciem conciliantes, imitantur Herrnhuthani, suam cum libris symbolicis Ecclesiae euangelico-Lutheranae harmoniam obuertentes, quam tamen adiecta limitatione et explicatione ita declarant, vt placitorum suorum professio cum Corani et Talmudis argumento conciliari possit. V. *Baumgartenii* Bedenken P. IV. p. 557.

Exposita euincunt, Societati huic non inferri iniuriam, quod ab orthodoxae doctrinae defensoribus consensus in quibusdam momentis cum Socinianis accusentur. Ipsi adeo publice promtitudinem suam *Socinianos, Arianos,*

 Ana-

Anabaptiſtas, *Mennonitas*, aliosque in ſuam communionem ſuſcipiendos declararunt. V. *Siegfriedii* Beleuchtung etc. p. 27. Hoc ipſum quauis occaſione praeſtiterunt, ad quod praeſtandum animum promtum teſtati ſunt. Multi enim ex *Collegiantibus* et *Anabaptiſtis* ad illorum fraternitatem acceſſerunt, ita vt hoc acceſſu coetus, cui antea jam addicti fuerunt, ſocii manſerint. Publice notum fecit, quod Herrnhuthani omnes in religione diſſentientes, et confeſſione toto coelo diſiunctos in complexus ſuos recipiant, *Ordinarius fratrum* in libro: 34 Homilien über die Wunden-Litaney zu Herren-Haag gehalten, p. 325. his verbis: *Si quis Socinianus vulneribus creatoris ſui fidem habet, frater jam eſt noſtrae fraternitatis.*" Hoc judicio commoti *Sam. Crellium* ſuo coetui vindicandum eſſe, praeter omnem veritatis ſpeciem putarunt. V. *B. A.* P. I. p. 168.

Recentiſſimo tamen tempore haud pauca non tantum in diſciplina, et externis ordinationibus, ſed etiam in corpore doctrinae huius coetus, qui tam titulum *fraternae vnitatis Auguſtanae Confeſſionis* adſciuit, emendata eſſe, ipſi ſodalitatis huius Antiſtites declarant, qui ſingularia placita *Ordinarii* olim ſui fanaticismi et Skoliodoxiae plena amplius tueri recuſant, vſu cantionum obſcoenarum et ludicrarum, quibus pridem peſſimam ſibi contraxerunt notam, abſtinent, ſeque Auguſtanae Confeſſioni adſtrictos profitentur. V. *Walchii* Neueſte Religionsgeſchichte. P. III. p. 41. ſeqq. Quam nuper in lucem emiſit *Spangenbergius*, noviſſimus *Herrnhuthanorum* epiſcopus, *Idea doctrinae fratrum* germanice concinnata, (Kurzer Begriff der Chriſtlichen Lehre in den Evangeliſchen Brüdergemeinen von A. G. Spangenberg 1779.) doctrinam in S. Scr. et libris eccleſiae noſtrae Symbolicis expoſitam, in plurimis momentis adcurate et ſobrie prodidit, vt paucissima et magna ex parte leuioris momenti in Theologia dogmatica et morali coetus huius ſint emendanda. V. *Noua litter. Goettingenſia* a. 1779. p. 1050. et *Acta hiſt. eccl. n. 8. Tom.* VI.

VI. p. 431. Non absque prouida ſapientiſſimi Numinis cura et directione accidit, quod ipſo hoc tempore, quo a Neotericis haud paucis in Germania aliisque Europae prouinciis, palmaria coeleſtis veritatis fundamenta de canonica S. Scr. auctoritate, de S. S. Trinitate, de aeterna atque eſſentiali J. C. deitate, de munere ipſius expiatorio et vicaria ſatisfactione, de generis humani corruptione, de operationibus et actibus gratiae Sp. S. etc. oppugnantur et eliduntur, veritatum iſtarum ſemina in vltimis hujus orbis finibus, in vtraque India per Herrnhutanorum Miſſionarios ſpargantur, et a remotiſſimis gentibus vltro excipiantur. Auertat diuina clementia augurii Zinzendorfiani complementum: *Eccleſiam Euangelicam*, (*extincta et obſoleta in eadem doctrina alimenti ſpiritualis et ſolatii plena, de J. C. generis humani Vindice vicario*) *in caput mortuum* conuerſam, apud Herrnhutanos vitae coeleſtis panem quaeſituram.

§. XVII.

Abſoluta de Socinianiſmo ante *Laelium* et *Fauſtum*, *Socinos*, et de ſocietatibus, cum his quoad nonnulla diſciplinae momenta comparandis, tractatione, luce meridiana clarius eſt, vanum eſſe Socinianorum de ſuo cum Euangelicis conſenſu gloriandi conamen; qui potius harmoniae cum haereticis et incredulis ſunt arguendi. Pari modo nullo nititur fundamento Pontificiorum quorundam criminatio, qui vel Eccleſiam Reformatam, vel Euangelico-Lutheranam Socinianiſmi accuſarunt, quorum peſſimum exemplum quidam coetuum Euangelicorum ſcriptores aliquando imitati ſunt, qui ſibi inuicem, infeſto odio excitati, notam Socinianiſmi inurere non erubuerunt.

* * *

Mirandae temeritatis documentum eſt, quod, cum manifeſtus inter Socinianos et Euangelicos liqueat diſſenſus, illi conſenſum cum his ſibi finxerint. Venditarunt hunc, quoties vnionem cum Eccleſiis euangelicio adfectarunt, quod, vt antiquiora conamina praetereamus, a. 1612. in ſynodo *Lublinenſi* et *Belzicenſi* in Polonia, nec non ex parte in *Thorunienſi colloquio* tentarunt. Omnis conſenſus mutuum ad duas partes reſpectum habet, et ſine alterius approbatione et conceſſione fruſtra cogitatur. Negant et impugnant Sociniani, quae Euangelici affirmant et confitentur; ſicque vice verſa. Qui igitur ſibi imaginatur, conſenſum dari inter illos, contradictoria cogitet, vel quidquid abſurdi credat neceſſum habet, quod in tract. Polon. cui titulus eſt: *Ignis cum aqua* Jacobus Zaborovius demonſtrauit. V. *B. A.* P. II. p. 879. Ipſi Sociniani Euangelicos maximorum cum ſalutis aeternae diſpendio coniunctorum accuſantes errorum, ſibi ipſis, harmoniam hanc ſomniantibus, aduerſantur. Ita autem Smalcius *de Chriſti Deitate*, libro huic finem facit: „*Nos audacter affirmare non dubitamus*, *neminem omnium eorum*, *qui credunt Jeſum Chriſtum a ſe ipſo Deum eſſe*, *et diuinam poteſtatem habere*, *vmquam poſſe omnino certam vitae immortalis ſpem*, *vi ſententiae ſuae de Chriſto*, *habere*." Idem judicauit *F. Socinus* in tract.: „*Quod homines vulgo euangelici dicti* etc., quippe effuſis in euangelicos calumniis, hos maximorum in veritatem reuelatam offendiculorum criminatur, ſicque apertum inter vtrumque coetum diſſenſum ipſe comprobauit. Tanto igitur ex aduerſo exiſtente hiatu vnio inter Euangelicos et Socinianos! nullo modo cogitari poteſt, niſi alterutra ex partibus oppoſitis ſua recantauerit dogmata. Non autem *Theologi* tantum orthodoxi, qui antiquo zelo incitati praeſumuntur, aduerſati ſunt coalitioni et animorum compoſitioni; ſed aequi etiam Politici pacem cum Socinianis diſſuaſerunt. Quid *Leibnitius*

tius ſenſerit, ſupra notaui. *Sam. Puffendorffius*, qui de conjungendis circa religionem diſſentientibus conſilia ſua expoſuit in *jure feciali diuino*, §. 14. veſaniae proximum et plane inutile judicauit ſtudium, iſtos cum Euangelicis vniendi, qui per totum diuinae ſcientiae ſyſtema a ſe invicem diſcrepant, quales in relatione ad Proteſtantes, Socinianos expreſſe reputat. Pacem hinc petentibus Socinianis et vnionem, reſpondendum eſt verbis HIERONYMI ep. ad *Theophilum*: „*Volumus et nos pacem, pacem vero Christi, pacem veram, pacem ſine inimicitiis, pacem, in qua non ſit bellum inuolutum, pacem, quae non aduerſarios ſubjiciat, ſed vt amicos jungat.*" Hac pace non obtenta eundem cum LUTHERO in *ep. ad Galatas* ſenſum teneamus: „*Maledicta ſit Caritas, quae ſeruatur cum jactura doctrinae fidei, cui omnia cedere debent: Caritas, Apoſtolus, Angelus e coelo.*

Praeceps hinc prodiderunt conſilium, qui operam ſuam ad vniendos omnes coetus chriſtianos collocando, Antitrinitarios in hanc communionem ſuſcipiendos commendarunt. Praeter quosdam alios, in quorum numerum *Dav. Nerreterus*, in *relat. innoc.* a. 1726. p. 593. refertur, hoc impetu abreptus fuit *Leo Guitonerius*, qui apologiam pro ſuſcipiendis in ſinum Eccleſiae Reformatae Socinianis conflauit in libro gallico, cui titulus: *Proteſtans pacificus, ſiue tractatus de pace Eccleſiae: in quo ſecundum principia Reformatorum oſtenditur, quod fides eccleſiae Catholicae non labefactet fundamenta ſalutis, et quod Reformati tolerare in communione ſua debeant omnes, qui in orbe ſunt Chriſtianos, etiam Socinianos, et Quackeros, quorum religio explicatur aduerſus Dn.* JURIEU, Amſt. 1684. In quo opere, ſi recte judicamus, auctor non magis pacem et vnionem ſuaſiſſe, quam omnem pietatem et religionem ſubuertere voluiſſe, ſpeciem prae ſe tulit. De *tolerantia* diſſentientium in religionis capitibus ciuili, aequis et charitatis humanae ac Chriſtianae non expertibus dubium nullum eſt.

Accu-

Accusatos vero animaduertimus Euangelicos eorundem, quos recentiores Antitrinitarii resuscitarunt errorum. Ita adeo *Neophotiniani* euangelico coetui consensum cum *Ario*, non sine manifesta iniuriae nota imputarunt. Jo. PREUSSIUS in *Theologia* etc. (V. *B. A.* P. II. p. 653. p. 58. N. 11.) hoc modo eundem calumniatur: „Arius soll geglaubet haben, daß Christus der Sohn Gottes zweymal worden; einmal vor der Welt, das andre mal unter dem Kayser **Augusto**, das glauben auch die **Lutheraner**, nicht die **Unitarier**. Arius hat in Christo zwo Naturen geglaubet, das glauben die **Lutheraner** auch. Arius glaubte, daß Christus vor der Welt persönlich gewesen, und also älter, als seine Mutter sey, die **Lutheraner** auch." Idem ingenii figmentum in auxilium vocat *Joach. Stegmannus*, qui in libro: Probe der einfältigen etc. p. 21. (B. A. P. II. p. 954.) Ecclesiam euangelicam criminatur, quod propior accedat ad Arianismum, quam coetus Socinianus.

Quidam Ecclesiae Romano-Catholicae scriptores omnium fere errorum, qui vnquam excogitati sunt, Euangelicos accusarunt, nec eos Antitrinitariorum Societate eximendos judicarunt. *Jac. Moronessa*, Monachus, italico sermone *Venetiis* a. 1555. euulgauit *typum Martini Lutheri*, in quo p. 373. omnes a Pontificiis dissentientes criminatur esse Antitrinitarios, omnes vel in totum, vel ex parte blasphemare S. Trinitatem et Christum, negare Seruatorem esse Deum etc. euertere et abrogare S. Biblia etc. et peiores esse Turcis et infidelibus. *P. Coronelli* in Atlante Veneto T. I. p. 31. Protestantibus accensuit *Socinianos*, quasi cum illis vnam constituant classem. BELLARMINUS *Lutherum* atque *Melancthonem* Arianismi postulauit, quam ab his maculam plane abstersit CHLADENIUS de *haeresibus antiquis falso nobis imputatis*, p. 18. seqq. ANTONII POSSEVINI calumnias, quibus Euangelico-Lutheranos *Arianorum* simias esse, aliis persuadere ausus est, *Christoph. Pelargus* l. c. p. 25. seqq. refutauit. [Librum

PASSE-

PASSEVINI, *Atheismus Lutheri* etc. *Vilnae* 1586. 8. *Maschius* recensuit, in den Beyträgen etc. P. VI. N. CXX. Ridiculam praestitit operam *Ge. Wicelius*, qui in libello de ***moribus veterum haereticorum*** affinitatem Lutheri cum *Ario*, eiusque sectatoribus, variis argumentis, immo anilibus nugis euictam dedisse, somniat. Nec priscis saltem temporibus, verum quoque recentiori aetate Euangelici tanquam propinqui Arianis aestimati sunt. Post tristissima, quae nostro saeculo Euangelicos Thorunienses afflixerunt fata, Pontificius quidam *Ariani* personam induens sua paraenesi Lutheranos pariter ac Reformatos prouocavit, vt cum Arianis animos et arma coniungerent. Pessimum eius propositum, quo omnibus in Polonia dissidentibus, in Arianorum ordinem relatis, internecionem conflare studuit, LAUTERBACHIUS in *praef. hist. Ariano-Socinismi in Polonia* detexit, ac ficulnea auctoris tela infregit.

Non tantum Pontificii Euangelicos coetus Arianismi accusarunt, verum quoque ipsi Euangelici sibi inuicem harmoniam cum Antitrinitariis variis scriptis imputarunt, quae in opprobrium auctorum ac triste monumentum, quantas odium inuicem procreare possit criminationes vanas, ab aequis vtriusque ciuitatis harum controuersiarum arbitris, non sine indignatione lustrantur. Praetereo FRANC. STANCARUM, qui *Melanthonem* et *Orthodoxos* consensus cum Arianis reos arguit, de quo alio loco. In hunc censum autem veniunt, *Philippus Nicolai* apud Herdecanos ecclesiae minister, in libro, cui titulum fecit: *Fundamentorum Caluinianae sectae cum veteribus Arianis et Nestorianis communium detectio et collatio, qua demonstratur, neminem Christianorum Caluinianis adhaerere posse, quin vna Arianismi et Nestorianismi suscipiat defensionem, Tubingae ap. Ge. Gruppenbach*, 1586. et *Hamb.* 1609. 8. *Jo. Modestini* Beweiß auß H. Schrift, daß die Sacramentirer, Zwinglianer und Calvinisten nicht Christen sind, sondern getauffte Juden und Mahometisten. 1591. 8. Ita *Alb. Graverus* in opere, cui indicem fecit: *Harmonia*

prae-

praecipuorum Caluinianorum et Photinianorum, Jenae 1613. 4. et in *Praefat. apolog.* libro, cui titulus: *Abſurda, abſurdorum abſurdiſſima, Caluiniſtica abſurda* etc. praefixa, inque ipſo hoc libro non absque deteſtando in coetum reformatum odio orbi perſuadere ſtuduit, *Caluinum* omnesque, qui ex eius partibus ſteterunt, arianizare. Vix alia ſpecie excuſandi ſunt, qui ex coetu Lutherano hoc argumentum tractarunt, quam quod in eiusmodi criminationibus jure retorſionis, quo tamen abſtinendum fuiſſet, vſi fuerint, quippe jam antea Reformati Lutheranos accuſarunt, quod per aſſertionem de reali diuinorum idiomatum communicatione, humanae Chriſti naturae facta, iis, qui coeſſentialem Chriſti Deitatem inficiantur et Neophotinianiſmo, viam parauerint. V. *Andr. Caroli* l. c. T. I. q. 327. Nec praetereundum, *Grauerum* aliosque ex Lutheranorum partibus non vniuerſo Reformatorum coetui conuenientiam et harmoniam cum Antitrinitariis imputaſſe, ſed quibusdam doctoribus, qui prae aliis argumentum de praedeſtinatione non ſatis caute tractarunt, vel alia ratione Neophotinianorum placita probarunt, quorum axiomatibus et explicationibus ſaluis, Socinianos ſolide refutari non poſſe, noſtrates judicarunt; quamuis ipſi confeſſi ſint, a quam plurimis Reformatae Eccleſiae Doctoribus Socinianiſmum publicis ſcriptis ſolide eſſe confutatum. Nemo ſanus alteram partem ex fidei ſuae receptis formulis Arianiſmi vel Socinianiſmi accuſauit. Conſequentiis alterius confeſſionis ſocios onerare, quarum nexus difficile animaduertitur, quasque nemo vult ſibi imputari, iniquum eſt. Nec quis pro Sociniano habendus, qui innocuis quibusdam ſyſtematis Sociniani conceptibus, vel ſcripturae explicationibus, a Socinianis auctoribus ſubminiſtratis ſuffragatur. Nemo enim niſi inſipido zelo captus, judicabit, omnia eſſe falſa, periculoſa, et Orthodoxiae aduerſa, quae a Socinianis proficiſcuntur. Quam ficulneis in hoc infelici ſtudio rationibus aduerſae partis criminatores vſi fuerint, vnico

ſaltim

ſaltim exemplo ſignificamus. *Steph. Gerlachius*, Theologus Tubingenſis, *Neuſerum* inter Turcas verſantem ſibi dixiſſe narrat: „*Qui timet, ne fiat Arianus, caueat, ne fiat Caluinianus;*" quam relationem in dubium vocauit HENR. ALTINGIUS, in *H. E. Palat. in monum. pietat. et litterar.* etc. P. I. p. 211. ex ea potiſſimum ratione, quia *Wenzesl. Budowez*, qui *Neuſeri* extrema fata expoſuit, effati huius non meminerit. Sed, quod ſi dixiſſe id *Neuſerum* indubitatum fuerit, ex hoc tamen judicio parum ſolide aduerſus Reformatos colligeretur. Solemne enim eſt Apoſtatis, ſuum, quem deſeruerunt coetum, calumniari. Immo ex *Lutheranis* quidam ad *Socini* partes tranſierunt, quamuis plures ex Reformatis. Male proinde ex hac *Gerlachii* narratione *J. A. Smidlinus* anſam arripuit cauillationis, quaſi Reformatorum diſciplina magiſtra ſit *Arianiſmi* et *Muhamediſmi*, qua diffamatione Theologi Reformati, inprimis Palatini, variis fidem ſuam ſcriptis liberarunt.

§. XVIII.

Non inique *Socinianiſmi* indolem notarunt, qui eundem re ipſa *Naturaliſmum* ſuo complecti ambitu ſentiunt. An proterea Socinianis venerabilis Chriſti ciuium titulus denegari debeat, in vtramque partem diſputatum eſt, quo, noſtro judicio, privandi non ſunt, quos quoque in republica tolerandos, limitibus vero circumſcribendos eſſe, putamus, ne recte ſentientibus praecipue parum inſtructis ab illorum perſuaſionibus ſeductionis periculum contrahatur.

* * *

Naturalismum a primis initiis per Socinianorum placita in altum elatum eſſe, ſpecialis dogmatum ipſorum diſcuſſio

discussio docet. Nihil enim, nisi quod rationi probatur, statuunt; ex quo mysteriorum oppugnatio et negatio sequitur. Ipsi subtilissimorum ingeniorum famam aemulantes hostilitatis accusandi sunt in S. Scripturam, ad quam pro fulciendis erroribus suis explicandam, rationis ministerio abutuntur. Non quidem proprie diuinae reuelationis contemtus ipsis jure imputari potest; quin potius omnem prae se ferunt speciem, quod terminis eius ac phrasibus inhaerere, litteramque sibi curae cordique esse cupiant. Nihilo tamen minus *Naturalismo* fauent, dum rationis judicia, non ad S. Scripturae trutinam, sed hanc secundum illius dictamina exanimant ac exponunt. Ex verbis quidem, si eos metimur, rerum sacrarum cognitionem ex S. codice hauriendam esse, concedunt; ipso vero facto totum religionis negotium rationi subiiciunt, rationi frena in rebus fidei laxant, et diuina oracula ad suum systema peruertunt. Suprema ipsis lex est, nullum dari religionis dogma, cuius ambitus intelligendi hominum facultate non comprehendatur. Quae de diuina natura consiliisque Dei, et oeconomia salutis reuelatio tradit, ita sunt limanda, corrigenda, mutanda, transponenda, vt cum intelligentia humana prorsus conspirent, et ab eadem adprobentur. Excultam quidem ac ornatam hanc exponunt legem, cardo autem eius in decreto, quod proposuimus, vertitur. F. SOCINUS in articulo de *Satisfactione per Christum praestita*, ad rationis judicium sibi confugiendum esse, in tractatu *de Seruatore* p. 22. disertis verbis profitetur. „*Se non credere velle, Christum satisfecisse, etsi id non semel, sed saepe scriptum exstaret.*" Et in *Fragm.* de *Christ. nat.* p. 17. „*Etsi diserto scriptum extaret, Deum hominem esse factum, aut humanam carnem induisse, vel assumsisse, tamen ea verba non statim, vt sonant, accipienda essent.*" Idem contestatur SMALCIUS Homil. VIII. in Cap. I. *Jo.* p. 89. „*Etsi satis crebro et apertissime scriptum extaret, Deum esse hominem factum, multo satius esset, modum aliquem dicendi comminisci, quo ista*

de

de Deo dici possent." Et in *disp. contra Franzium* p. 137. „*Nulla est christianae religionis particula, quae cum ratione non conueniat, et quae cum ratione non conuenit opinio, ea etiam in Theologia nullum locum habere potest.*" Ad eundem modum OSTORODUS in *Instit.* CIV. p. 30. So denn nun die ratio, das ist Vernunft oder Verstand ausdrüklich beweiset, die Dreyheit der Personen in Gott falsch zu seyn, wie soll denn immermehr einem verständigen Menschen in Sinn kommen, daß dieselbe gleichwohl könne wahr seyn, und mit Gottes Wort bewiesen werden? Prodita itaque sunt pessima intentione, quae RICH. SIMON in *hist. crit. V. T.* L. III. C. XVI. p. 448. perhibet, quod Protestantium ac Socinianorum coetus eadem religionis principia, S. videlicet Scripturam agnoscant. Sociniani enim ad hanc prouocantes, eam ingenii sui judicio et regimini subjiciunt, quod idem est, ac verbo Dei scripto omnem auctoritatem denegare, eamque humana superare perspicacia. Iidem propiores ad religionem naturalem, quam euangelicam accedunt, quod homines viribus a natura insitis salutem posse consequi aeternam, sibi persuadeant; qua ratione naturam gratia excellentiorem judicant. Huc pertinet, quod omnem in Sacramentis virtutem diuinam, salutiferumque effectum tollant, et indifferentismo religionum viam recludant. Jo. PREUSSIUS l. c. p. 100. expresse hunc adstruit coetui suo indifferentismum, inquiens: „*Vnitarii palam profitentur, quod omnes omnino coetus et Christianorum sectae veritatem saluificam toto ambitu in sinu suo teneant.*" Argumentum hoc exposuit Jo. EDWARD, in opere jam allegato.

Ob *Socinianismi* cum *Naturalismo* conuenientiam, et in quibusdam cum *Judaismo* et *Muhamedismo* concentum, dubium excitatum est, an vllo jure postulare queant disciplinam hanc profitentes, vt Christianorum titulo compellentur, quamuis ipsi omnibus a Christo denominatis palmam praeripere sibi videantur. Non rationibus

 desti-

destituuntur, qui illis concedendum esse a Christo nomen inficiantur. Qui negant distinctiua religionis christianae dogmata, ad verbi diuini praescriptum creditu necessaria, Christumque fidei et Christianismi fundamentum (1. *Cor.* III, 11.) per negationes et assertiones conuellunt, semet Christianorum nomine ipso facto abdicarunt. SOCINUS contra *Wujeckum* c. II. p. 47. asserit: „*Franciscum Dauidis recte a suis haereticum, immo plus quam haereticum et Christiano nomine indignum esse judicatum, quia Christo inuocationis cultum denegauerit*; annon potius pro non Christianis habendi, et ad idolorum cultores ablegandi, qui inuocationis cultum Christo vindicant, vel concedunt, quem tamen Deum esse negant? Hoc respectu MART. SMIGLECIUS *de erroribus novorum Arianorum* L. I. C. I. p. 1—14. Socinianos ethnicismi accusauit, quod *unum* Deum summum; *alterum* vero subordinatum adorent. Idem quoque PET. JURIEUS fecit, qui Socinianos et Atheismi et Paganismi postulauit. V. BAILII *Pensees diverses*, in Opp. T. III. f. 303 et 311. T. II. f. 893. In primis JURIUS aduersus eos pugnauit, qui Socinianos in Christi ciuium societate tolerandos judicant, in specie aduersus auctorem scripti gallici: *De reunione Christianismi*, in libro, cujus index: *Tableau du Socinianisme.*

Nemo tamen NIC. CICHOVIO S. J. calculum suum dabit, qui irrationali prorsus zelo Neo-Arianos accusavit, quod malum genium pro Deo colant, cui JON. SCHLICHTINGIUS respondit. Vid. *B. A.* P. II. p. 815. N. 23. 24.

Quemcunque Christi confessorem oportet recte ad diuinae veritatis amussim credere, et sincere confiteri: *Rom.* X, 9. 1. *Pet.* III, 15. Sociniani vero non recte credunt et confitentur de Deo Trinuno, de Christo, et Sp. S. nec de aliis fidei articulis a Christo et Apostolis traditis; ergo jure stricto Christi ciues appellari nequeunt. H. GROTIUS adeo *Socini* sectatores ex albo Christi ciuium delendos esse, aliquando statuit, in libro *de pietate Ordd. Holland.*

Holland. his verbis: *Cum haeresis sit venenum ecclesiae, et quidem praesentissimum: sed tamen haereseos aliqui sint gradus, vt sit haec illa nocentior, peiorem aliam non reperiri haeresi Socini, ad cuius etiam mentionem pii omnes exhorreant.* Hinc *Polonia* pulsi, cum de violentia sibi illata conquererentur, rempublicamque accusarent, quod sibi ipsis jure, dissidentibus in religione concesso, frui non concederetur, pro *non Christianis* habiti sunt, quod ex IGN. SCHLICHTINGII *ep. apologet.* (V. B. A. P. II. p. 810. N. 20.) idibus Juliis, 1650 scripta p. 2. patet.

Sociniani ipsi sententiam tulisse videntur, quod Christianorum nomen sibi vix vindicare possint, cum in *Catech. Racov. Qu.* 75. eos judicent appellari Christianos, *qui non solum Patrem, verum etiam Filium, et Sp. S. personas esse in vna Deitate, credunt.* Qui vero negat Filium Dei, nec Patrem habet. Qui recedit et non perdurat in doctrina Christi, Deum non habet; qui vero permanet in eius doctrina, et Patrem et Filium habet; et si quis spiritum Christi non habet, eius discipulus non est. 1 *Jo.* II, 23. *Rom.* VIII, 10. Prouocant, qui Socinianis a Christo denominationem denegant, ad veteris Ecclesiae morem, cui haeretici et Christiani sibi inuicem fuerunt oppositi. *Tertullianus* enim de *Praescr.* c. 7. inquit: „*Quid Haereticis et Christianis?* et c. 37. *Si Haeretici sunt, Christiani esse non possunt.* Argumentum hoc fusius exposuerunt RAMBACHIUS *Introd. ad Controv. cum Socin.* T. I. c. X. p. 320. CALOVIUS l. c. P. II. p. 11. seqq. C. G. ENGELSCHALL *de saeculi moderni praeiudiciis*, qui N. X. et hoc castigauit praeiudicium: *Religio Socinianorum melior est, quam vulgo existimatur.*

Non igitur rationes ac exempla desunt, quibus judicium de non concedendo Socinianis Christi ciuium titulo fulciri potest; nemo tamen eum idcirco fauoris erga illos, vel indifferentismi in religione accusabit, qui sectae huic deditos nomine hoc insigniri posse censet. Dicti olim sunt *Judaei* populus Jehouae, cum essent non popu-

 lus,

lus, *Hos.* I, 9. jactabantque Patrem Abrahamum, cum mali genii essent filii, *Jo.* VIII, 44. Cur non pari modo Sociniani Christianorum nomine comprehendantur, quatenus hoc opponitur gentilibus, vel Judaeis ac Turcis. Includantur spatiosis Christianae gentis terminis, qui ipsi nomen hoc recolunt, eoque ornari cupiunt, quamuis fidem Christianam in palmariis articulis declinent. Toleretur in Ecclesiae agris ad diem vniuersalis messis, quicquid lolii instar in iisdem inter triticum excrescit. Primo tempore, qui vtriusque *Socini* disciplinam susceperunt, a quibusdam *Noui Christiani* appellabantur, quod nomen ipsis Socinianis gratum et acceptum erat. ABBADIE, acerrimus alias Vnitariorum antagonista, quo nemo fortius teste SAM. CRELLIO *Socinum* aggressus est, huius asseclas *fratres errantes*, in initio operis, de *diuinate Christi*, vocare non dubitauit. V. *Thes. ep. La Crozianus*, T. I. p. 110. Nostra interim parum refert, plura quae de hac materia in vtramque partem disputata sunt, vel adhuc disputari possunt, in medium proferre. Digna tamen lectu sunt, quae auctor epistolae, insertae den neuen critischen Nachrichten, T. IV. p. 9. seqq. exposuit, quibus eos defendit, qui Socinianis Christianorum titulum non esse denegandum judicant, quod judicium quoque aduersus Programma Academiae Rostochiensis l. c. p. 321. seqq. tuitus est.

De tolerandis in republica christiana Antitrinitariis et Socinianis nemo fortassis inter Protestantes nostro tempore dubitabit. Tolerantur *Judaei* et *Muhamedani*; quae igitur ratio, cur non eadem jura *Vnitariis* concedi possint, qui ciuili virtute et morum probitate se omnibus honestis adhuc commendarunt. Transierunt tempora ista horrenda, cum etiam Theologi haud pauci purioribus sacris dediti judicarint, haereticos esse occidendos. Atrocissima haec consilia haeresin recens ortam promouerunt potius, quam eradicarunt. V. SEMLERUS in *Instit. brev. ad liber. erud. Theol.* L. II. p. 170. LUTHERUS aliquando ad quaestionem: *An liceat Magistratui* occidere

Pseu-

Pſeudoprophetas? ita a. 1528. Tom. II. Epp. p. 381. b. reſpondet: „*Ego ad judicium ſanguinis tardus ſum, etiam vbi meritum abundat. Tum in hac cauſa terret me exempli ſequela, quam in Papiſtis, ac Antichriſtis et in Judaeis videmus: vbi cum ſtatutum fuiſſet, Pſeudoprophetas et Judaeos occidi, ſucceſſu temporis factum eſt, vt non niſi ſancti Prophetae et innocentes occiderentur, auctoritate eius ſtatuti; quo impii Magiſtratus freti, Pſeudoprophetas et haereticos fecerunt, quosquos voluerunt. Idem ſequuturum eſſe timeo, et apud noſtros, ſi ſemel vno exemplo licitum probari poterit, ſeductores eſſe occidendos, cum adhuc apud Papiſtas videamus huius ſtatuti abuſu innocentem ſanguinem fundi pro nocente. Quare nullo modo poſſum admittere, falſos doctores occidi: ſatis eſt, eos relegari: qua poena ſi poſteri abuti volent, mitius tamen peccabunt, et ſibi tantum nocebunt.*" Ipſum tamen *Lutherum* aliquando nimium irae ſuae indulſiſſe, cum perſequeretur *Caroloſtadium*, non ego negarem. Plures, qui tolerantiam poſtularunt a Pontificiis, haud raro non tolerantes ſe exhibuerunt. Antitrinitarios vero limitibus eſſe circumſcribendos, ne placita ſua vltro diſſeminent, errorisque ſocios conducant, nemo negabit, qui peſte facile infici poſſe ſanos, recordatur.

Controuerſia olim inter JURIEUM et BAYLIUM agitata eſt: *An Sociniani ſaluari poſſint?* Circa eandem *Jurieus* ſtatuit, ſaluari illos poſſe, ſi maior eorum fuerit numerus, et quod aduerſus articulos fundamentales non impingant, reiiciendo S. Trinitatis myſterium. V. *Opp. Bailii* T. II. f. 861. ſeqq. et 875. Cum fidei fundamentum euertant, veritates creditu neceſſarias perfricte impugnent, et ſubuertant, quatenus ſyſtematis huius defenſores, aliorumque corruptores non reſipiſcunt, et a via erroris non reuertuntur, ex ſententia Theologorum orthodoxorum, exceptis iis, qui Deo ſoli judicium hoc committunt; ſalutem obtinere nequeunt. Non tamen omnem ſpem conuerſionis et melioris conditionis, re-

ſpectu ſeductorum eſſe abjiciendam credunt, quamuis de iis, qui aliis viae duces ad perniciosa placita exiſtunt, ac argumentis, quibus conuinci poſſint, pertinaciter reſiſtunt, vix ſpes vlla melioris mentis ſuperſit, ita tamen, vt pro his quoque gratia diuina conuertens et illuminans animum, a Deo ſit expetenda. Extitiſſe tamen et adhuc inter illos exiſtere nanciſcendae conuictionis de veritate cupidos, negari profecto nequit, niſi ab eo, qui haeretico fidem non eſſe habendam contendit. Quod igitur a Theologis Euangelicis Socinianis *omni ratione* ſpes vitae aeternae auferatur, male colligit *Godofr. Arnoldus* in H. E. et haereſ. T. II. p. 558. Ita autem *Facultas Theolog. Witteberg.* de hoc argumento in *Praef. refut. Catech. Racov.* ſentit: „Bey den öffentlichen Lehrern des Photinianiſchen Hauffen iſt wenig Hoffnung ihrer Bekehrung; ſie haben ihnen vorgeſetzt, nicht nur vor ſich zu irren, ſondern auch andere in Irrthum zu verführen. Bey denen mag wohl alle unſere Arbeit vergebens ſeyn, ſie hören und ſehen nicht, was man ihnen ſaget, ſondern erdenken nur eines über das andere, damit die gezeigte himmliſche Wahrheit vor der Welt eludiret werde, und ſolches, (wie es ſcheinet,) in vielen Puncten wider ihr Gewiſſen. Welches denn ſonder Zweifel aus gerechtem Gericht Gottes geſchieht, der ihnen den H. Geiſt, der in alle Wahrheit leitet, entzeucht, um der vielfältigen Läſterungen willen, damit ſie Gott, die H. Dreyfaltigkeit, und in derſelben ſonderlich den Sohn Gottes ſchänden. Dieſe Leute haben wir ſchon dem gerechten Gericht Gottes befohlen, der ſie einmal wohl finden wird. Aber um die arme verführte Seelen iſt uns leid, die ihnen bey ſo hellen Licht des Evangelii laſſen die Augen blenden; vor die bitten wir, Gott wolle ſie erleuchten, daß ſie erkennen lernen, wie übel ſie bisher von dieſen blinden Leitern ſind angeführet worden. Denen zu gut wird der Irrthum ihrer Verführer aus Gottes Wort gezeiget und widerleget. Wir hoffen auch zu dem lieben Gott, es werde ſolche unſere Arbeit bey ihnen nicht allerdings ohne Frucht abgehen,

darum

darum wir seine Majestät von Grund unserer Herzen zu bitten nicht unterlassen. Nur allein ist daran gelegen, daß sie ihnen auch helfen lassen, ihrem vorgefaßten Wahn, oder denen Leuten, so sie verführet haben, in ihrer Scheinheiligkeit nicht zu viel trauen; sondern in wahrer Furcht Gottes und herzlicher Begierde, die Wahrheit zu verkündigen, eines gegen das andere fleißig halten, und Gott um rechten Verstand bitten, sich auch gerne mit ihrer Vernunft dem Wort Gottes gehorsamlich unterwerfen.

§. XIX.

Argumentum et conſpectum operis Mſcti *Samuelis Crellii* in B. A. P. p. 198. N. 24. recenſiti, et in hac ipſa tractatione ſaepius allegati ad huius capitis calcem exponere juuat, vt de vniuerſo opere ex inſcriptionibus diſſertationum et Paragraphorum nonnullisque tractatus ipſius particulis ferri poſſit judicium. Quaedam in eodem expoſita eſſe falſa, et ex opinione praeconcepta pro veriſſimis habita, haud pauca exactiori examine, quod noſtrarum partium non eſt, omnino digna, nonnulla quoque adhibitis criticae artis ſubſidiis ab auctore eruditiſſimo in lucem protracta, debita laude non eſſe fraudanda, operis contenta comprobabunt.

*
* *

Prolegomena I. Diſſidentes ab eccleſia Romana, vt ex J. E. GRABE verbis liquet, argumentis ſuis ex ſcriptura deſumptis magis magisque diffidunt, et ad antiquitatem Eccleſiaſticam prouocant, quam tamen ARTEMONITAE, ſaec. 3. florentes, jam pro ſe allegauerant. II. CAJI contra *Artemonitas* agentis verba producuntur,

 tur,

tur, quae ipſe MATTHAEUS de LARROQUE contra PEARSONUM vrget. III. Effugium PEARSONI miſerrimum. IV. IGNATIUS contra *Artemonitas* allegari non potuit. V. *Cajus* in ſua *Artemonitarum* refutatione debilitatem ſuae ipſius cauſſae prodit. VI. *Artemonitis* OMNES antiquos pro ſe allegantibus, *Cajus* QUOSDAM, et quidem recentiores opponit. VII. *Pſalmi* et *cantica fratrum*, a *Cajo allegata* nihil eius cauſſam juuant. GEORGIUS BULLUS refutatur. VIII. De hymnis veteribus matutino et veſpertino ſententia VSSERII, THOMAE SMITHI, et J. A. FABRICII ventilatur. *Chriſto quaſi Deo carmen dicere*, quid in PLINII epiſtola ſignificet? Hymni iſti corrupti et interpolati ſunt. IX. Omnia, quae contra *Artemonitas* allegantur, JUSTINO MARTYRE antiquiora monumenta, aut ſuppoſititia, aut falſa ſunt omnino, aut nihil re ipſa tale continent.

Diſſ. I. JOANNES *Apoſtolus*, *quam diu vixerit*, *et quando ſcripſerit.* I. Non JOANNES Apoſtolus, ſed alter JOANNES, dictus PRESBYTER in viuis adhuc erat primis TRAJANI annis, vt ex PAPIA probatur. II. JOANNEM illum, qui PASCHA eodem tempore *cum Judaeis* celebrari volebat, non fuiſſe Apoſtolum, probatur. POLYCARPI cum ANICETO ex de re colloquium. III. POLYCARPUM JOANNI Apoſtolo fuiſſe familiarem, eumque vidiſſe, ex verbis IRENAEI, duos JOANNES confundentis, probari nequit. POLYCARPUS non fuit ab Apoſtolis ordinatus Epiſcopus, adeoque nec a JOANNE Apoſtolo. *Irenaei* ea de re verba diſcutiuntur. Veteres confundebant Euangeliſtas cum Apoſtolis, vt in exemplo PHILIPPI patet. TILLEMONTIUS et DODWELLUS refutantur. IV. *Polycratis* Epheſini verba, de *Joanne*, dicto Presbytero, non de Apoſtolo intelligenda eſſe, probantur. Error eius, non JOANNEM Apoſtolum, ſed *Presbyterum in ſinu Domini recubuiſſe*, *vnde?* STEPHANUS LE MOYNE et HENR. VALESIUS notantur. V. Agitur de DUOBUS MONUMENTIS EPHESINIS, *Joanni* adſcrip-

adſcriptis. HIERONYMUS illuſtratur. *Joan. Martianay* refellitur. Apoſtolum JOANNEM EPHESI DIU VIXISSE, valde eſt improbabile. EUANGELIUM IBI SCRIPSISSE non conſtat. Num eius AUTOGRAPHON adhuc ſec. IV. exiſterit? VI. Apoſtolos omnes ante tempora DOMITIANI viuere deſiiſſe, ex *Herma* colligitur, vt et ex *Corinthiorum* ad Romanam eccleſiam, et CLEMENTIS ad eos epiſtola. VII. Alius locus HERMAE a DODWELLO in contrarium obiectus explicatur, et emendatur. VIII. Ad obiectionem, JOANNEM tunc forte apud PARTHOS egiſſe, quum CORINTHII inter ſe litigarent, reſpondetur. Cur EPISTOLA eius ad PARTHOS vocetur, et in epiſtolis nomen ſuum reticeat? ELECTA DOMINA quid ſignificet? IX. CLEMENS *Romanus* non ſcripſit ante excidium Hieroſolymae, quod contra J. E. GRABE aliosque aſſeritur; vti nec auctor epiſtolae ad DIOGNETUM, cuius verba Clementinis ſimilia. Auctor iſte, quo ſenſu *Apoſtolorum diſcipulis?* EUSEBIUS et ITTIGIUS notantur. IRENAEUS illuſtratur. X. Quo ſenſu CLEMENS PETRUM et PAULUM *nuperrimos athletas* vocet. GRABE et DODWELLUS notantur. XI. HEGESIPPI quoque verba, ab obiectione ITTIGII vindicata euincunt, *Joannem*, aliosque Apoſtolos longe ante finem primi ſeculi fuiſſe denatos. XII. Et FIRMILIANI et CLEMENTIS *Alexandrini*, XIII. Et *Chronici Alexandrini*. DODWELLUS refellitur. Qua fide dignus IRENAEUS et coaeui patres. XIV. Opinio de *Joanne Apoſtolo*, vsque ad TRAJANI initia viuente, etiam inde concepta, quod in *Patmo fuerit*. Num neceſſe eſt, id DOMITIANI juſſu vel tempore demum accidiſſe? XV. *Joannis* cum *Cerintho* in balneo congreſſus, alteri *Joanni* non Apoſtolo conuenit. Illuſtrantur loca 1 *Cor.* XVI, 22. XII, 1. ſeqq. 2 *Joan.* 9. 10. 1 *Cor.* V. 2. ſeqq. et vlt. XVI. Demerſio *Joannis* Apoſtoli in *oleum igneum* fabuloſa. XVII. *Prima epiſtola Joannis*, ante excidium Hieroſolymorum ſcripta. Illuſtrantur 1 *Jo.* II, 18. et

Matth. XXIV, 3. 11. 12. XVIII. Etiam 1 *Pet.* IV, 7. 8. 9. confertur et explicatur. XIX. Et 2 *Cor.* XI, 1. 4. 5. *Arthuri Burii* explicatio laudatur. XX. Posteriores *duae epistolae* circa eadem tempora a *Joanne* Apostolo exaratae. PAPIAS eas ab alio *Joanne* scriptas fuisse perperam credebat. Causa huius erroris. Cum *Joanne* Presbytero *Papias* ipse non contulit. Num cum Apostolo vmquam re ipsa contulerit, incertum. EUSEBII et IRENAEI ea de re opinio erronea, vnde? XXI. Quo sensu sese Apostolus *Presbyterum* vocauerit? DODWELLUS laudatur et notatur. MILLIUS refutatur. XXII. *Euangelium* a *Joanne* postea est editum, sed non ad DOMITIANI et TRAJANI tempora rejiciendum. Stantibus Hierosolymis exaratum fuisse, probat BASNAGIUS, ex Jo. V, 2. *Epistolam primam* prius, quam Euangelium fuisse scriptam, alio argumento probatur. SAM. CLARKE in eam rem allegatur. XXIII. XXIV. Apocalypsin *Joanni* sub VESPASIANO contigisse, JOAN. BIDELLUS ex *Cap.* XVII. deducit, istaque sententia BIDELLI confirmatur. XXV. Eius tamen et HAMMONDI ex IRENAEO errante opinio, de tempore euulgatae apocalypseos, refellitur. LIGHTFOOTI de tempore apocalypseos sententia. Eam ad CLAUDII tempora referre, non cogit narratio EPIPHANII duas de *Joanne* contrarias traditiones confundentis. *Non in Patmo* fuit in lucem edita. Num EPHESI, incertum est. Imo contrarium certius. XXVI. POLYCRATES et JUSTINUS MARTYR, primae confusionis duorum *Joannum* caussae. XXVII. Coniecturam istam de JUSTINO commendant loci aliquot apud IRENAEUM, vbi Presbyter, seu doctor anonymus ab IRENAEO non semel allegatus, JUSTINUS *Martyr* fuisse ostenditur, qui dicebat, *se audiisse ab his, qui Apostolos viderant*, nempe *Joannem Apostolum* per enallagen numeri, re ipsa autem alium *Joannem* dictum Presbyterum, Domini discipulum. JUSTINUS *Martyr*, Clericusne, an Laicus fuerit? XXVIII. JUSTINUS M. qui ibidem ab IRENAEO, *dilectionem in Christum auxisse dicitur*,

citur, nouam doctrinam *de Christo* protulit. (BASNAGIUS et ALLIXIUS refutantur. LUCIANUS in *Philopatride* JUSTINI nouam Theologiam irridet.) Idem ergo est cum isto PRESBYTERO Anonymo apud IRENAEUM. Verba in eam rem ex *Iren.* L. IV. Cap. XLV. etc. et L. I. c. II. et IV. allegantur. (Vid. *Jac. Ge.* de *Chaufepie* Diction. Hist. et Crit. Tit. PET. ALLIX. T. I. p. 265. Not. k)

Ita autem inter alia hoc de argumento, CRELLIUS in *Mst.* p. 99. differit: Addamus hic aliqua in *Vnitariorum* gratiam, quo magis pateat, *Justinum* fuisse martyrem illum Presbyterum, de quo L. IV. c. XLV. et in sequentibus *Irenaeus*. *Justino* enim *martyri*, cum *Tryphone* differenti, cum Filium Dei, Deum quendam praeaeternum, in *Maria* postea incarnatum, Judaeis credendum, magna contentione proponeret, et quaedam loca scripturae eo detorqueret, *Trypho* iste doctrinae Christianorum minime imperitus dixit, p. m. 77. „Nos imparati sumus ad tam periculosas responsiones: quandoquidem talia scrutantem, aut quaerentem, aut declarantem audiuimus antea neminem. Quorum similia alibi etiam profert, et ostendit, sibi *Justini M.* paradoxa plane esse inaudita. Vnde patet, ante *Justinum* istum, neminem Christianorum talia docuisse. Et sane *Justinus* M. sibi gratiam quandam singularem a Deo datam scripturas intelligendi profitetur, adeoque non diffitetur, se vulgo nondum animaduersa proferre. Et frustra BASNAGIUS, *Hist. des Juifs* T. IV. p. 1160. *Tryphonem* istum non esse illum celebrem *Rabbi Tarphonem* exinde probat, quod languide contra *Justinum* disputet, et nihil fere ad loca e scriptura S. allegata respondeat. In causa certe fuit, non quod non esset Rabbi in responsionibus Judaicis aduersus Christianos bene versatus, sed quod ad ista plane noua, et antea inaudita *Justini* paradoxa, imparatus omnino accesserat. Nam hoc certe nostro tempore, etiam vulgares Judaei, qui minime sunt Rabbini, multo fortius, quam *Trypho* ad ista *Justini* argumenta respondere

dere possunt, et ipse innuit *Basnagius*, fortius ad ea responderi posse. Et mirus est *Pet. Allixius*, qui in libro *The Fathers vindicated* p. 14. 15. exinde probare vult, *Justinum* non protulisse noua, quia in libro quodam rabbinico, triginta annis post istam *Justini* disputationem conscripto, responsiones inueniuntur judaicae ac talia pro incarnato Deo argumenta, qualia protulit *Justinus*. Quasi Judaei statim post eius cum *Triphone* colloquium, non fuerint solliciti, de refutandis *Justini M.* eiusque sectatorum paradoxis, et non statim capita secum contulerint, aliosque dissitos doctores, qua meliori ratione noua ista S. Scripturae interpretamenta refelli deberent, statim consulere potuerint, responsionesque ad ea accelauerint; adeoque ex responsionibus eorum trigesimo anno postea exstantibus sequi debeat, jam ante *Justinum* eiusmodi argumenta a Christianis, genti judaicae fuisse objecta. Quae consequentia? Sic *Luciani* in *Philopatride* scommata contra Christianos, et illa verba, *Vnum ex tribus et ex vno trias* ad *Athenagorae*, qui *Justini M.* dogmatum susceptor fuit, Apologiam, *Marco Antonino* oblatam, alludere sane videntur. Qua de re etiam alibi pluribus agendum est. Adeo vt ex *Luciani* isto dialogo minime sequatur, doctrinam, quam perstringit, de isto ex tribus vno, tunc fuisse antiquam, et non recentissimam potius, quam isto dialogo tanquam commentum recentissime exortum, exsibilare voluerit. Cum itaque verum sit, *Justini M.* doctrinam omnino fuisse nouam, (qua de re hic latius differendi locus non est,) hinc ipsum habemus *Justini* discipulum *Irenaeum* confitentem, quod Presbyteri ecclesiae dilectionem in Christum augerent, adeoque noua de Christo proferrent; et per consequens omnino veri simile esse, presbyterum illum, de quo L. IV. c. XLV. et seqq. tam multa habet *Irenaeus*, a *Justino M.* alium non fuisse. Ita enim loco isto Irenaeus: Vbi igitur Charismata Domini (quorum plenus creditur fuisse *Justinus*,) posita sunt, ibi discere oportet veritatem, apud quos

(Docto-

(Doctores), est ea, quae est ab Apostolis, successio. Quae vero successio? Presbyter iste, vt mox dicet *Irenaeus*, audierat ab iis, qui Apostolos, id est *Joannem* Presbyterum viderant. Hi enim et eam, quae est in vnum Deum, qui omnia fecit fidem nostram custodiunt, et eam, quae est in filium Dei dilectionem *ADAUGENT*, qui tantas dispositiones (*OECONOMIAS*) propter nos fecit, et scripturas sine periculo nobis exponunt, (Deum incarnatum non esse ab vno illo Deo hactenus credito diuersum ostendere conantes) neque Deum blasphemantes, neque Patriarchas exhonorantes, neque Prophetas contemnentes. Quemadmodum audiui a quodam Presbytero, qui audiuerat ab his, qui Apostolos viderant, et ab his qui didicerant, etc. quem *Justinum* esse jam vidimus. Ecce ergo Presbyterum nostrum, fidem christianam adaugentem, *Justinum M.* Ille dilectionem in filium adaugebat. *Quomodo?* per tantas dispositiones seu oeconomias, quas eum propter nos fecisse, excogitauit *Justinus.* Antea enim ecclesia catholica, ab Apostolis edocta, credebat simpliciter, J. C. Dei filium, hominem e Spiritu S. conceptum, ex Maria natum, sese pro nobis vltro morti imfami obiecisse, quo ad dilectionem eius maxime mouebatur. Felix vero *Justinus M.* praeco veritatis, nouus ille praeco inauditae antea veritatis auxit istam dilectionem in Christum, docendo eum jam ante natiuitatem suam in variis dispositionibus et oeconomiis humano generi adfuisse, et Patriarchis jam adparuisse; postea amore humani generis, virginis vterum subiisse, quo sane dilectionem nostram in Christum adaugere voluit bonus noster *Justinus.* etc.

Diss. II. De CERINTHO et NICOLAITIS JOANNIS *aduersariis.* I. *Cerinthum Nicolaitis* multo posteriorem statuit *Irenaeus*, sed perperam et qua occasione? *Cerinthus* jam ante excidium Hierosolymae fuit exortus, et *Carpocrate* antiquior. *Basnagius* notatur, *Tillemontius*, *Ittigius*, *G. Bullus* laudatur. II. *Nicolaitae non ab vno aliquo Nicolao*, nedum illo

septem-

ſeptemuiro exorti ſunt. Factio iſta plurimum hominum, quare ſibi Nicolaitarum nomen tribuebat. *Apoc.* II. 14. 15. 1 *Jo.*V. 5. IV. 4. 5. illuſtratur. Vnde ille error de *Nicolaitis* a Nicolao ſeptemuiro deſcendentibus? III. *Cerinthi errores* ab *Irenaeo* memorati. IV. De ſenſu verborum *Irenaei: et tunc annunciaſſe incognitum Patrem et virtutes perfeciſſe.* V. VI. *Cerinthus* et *reliqui Nicolaitae*, quibus in rebus conſentiebant et diſſentiebant? VII. Verba in *Irenaeo: Initium eſſe Monogeni*, explicantur. Monogeni eſſe accuſatiuum μονογενῆ obſeruat *Phil. Jac. Spenerus.* VIII. Cur *Cerinthum* dicamus eſſe *Nicolaitam?* Quae *Crellius* de *Nicolaitis, et compluribus antiquae Eccleſiae haereticis expoſuit*, in ſpecie quae de *Nicolaitis diſſeruit in Initio Euang. Joannis* etc. T. II. c. X. et XV. praeter alios multos *ſub examen vocauit Buddeus*, de *Eccleſia Apoſtolica* p. 378. ſeqq. IX. *Cerinthus* illam doctrinam: *Initium eſſe Monogenem, et* λογον *filium vnigeniti*, peruerſa explicatione *Joannis* Apoſtoli verborum, ad initium eius epiſtolae primae referebat, et ex ea deducebat. *Marc. I*, 10. per ſpiritum de coelo deſcendentem, Chriſtum ſpiritualem intelligebat. X. *Joannes* iſtam explicationem epiſtolae ſuae, in initio Euangelii aliud agens, refellit. Cur initio Euangelii ſolummodo de λογῳ egerit, et poſtea in toto libro nullam eius mentionem faciat? *Nicolaitae* quomodo epiſtolam *Joannis* ad ſuam hypotheſin accommodare cogebantur? XI. Refutatur *Colbergius*, qui in *Irenaei* verbis: *Jeſum paſſum eſſe et reſurrexiſſe*, legi vult *nec* pro *et*. Confirmatur ſententia quorundam, ſequentia apud Irenaeum ita legentium: *conſimiliter vt Cerinthus* et *Carpocrates* opinantur. *J. A. Fabricius* et *Guil. Spenerus* refellitur. XII. Prolixus locus in *Ignatii* ad *Magneſios* epiſtola, contra *Cerinthi* aſſeclas directns, illuſtratur, et emendatur. Non probat *Nicolaitas Cerinthum*-

ve

ve mortem et resurrectionem Jesu negasse. Quare *Ignatius* contra *Cerinthum* vrgeat, Jesum sub *Pontio Pilato* passum esse et resurrexisse? XIII. Judaizasse Cerinthianos sui temporis *Ignatius* h. l. testatur. Locus *Gal.* VI. 12. 13. vulgo male intellectus explicatur. XIV. Verba *Ignatii* ὅς ἐςι λόγος ἀυτȣ̃ ἀΐδιος ȣ̓κ ἀπὸ σιγῆς πϱοελθὼν *Cerintho* opposita. Sensus eorum verus *Artemonitis* minime contrarius ostenditur. XV. Explicatio quorundam verborum *Irenaei* huc pertinentium. *Grabe* refellitur. XVI. Verba *Ignatii* ὅς ἐςι λόγος ἀυτȣ̃ ἀΐδιος etc. iterum explicantur. *Jo.* I, 4. illustratur. XVII. *G. Bullus* perperam ista *Ignatii* explicat. XVIII. *Ignatius* hic σιγην, s. silentium, sensu proprio, non figurato de coniuge *Bythi* vsurpat. *Errare* ostenditur *Bullus* coniugium *Bythi* et *Siges* jam *Ignatii* tempore a Gnosticis creditum fuisse, cum *Pearsono* contendens. XIX. Respondetur ad loca in eam rem a *Pearsono* adducta a *Larroquano* praeterita, et primo quidem ad verba in praefat. *Irenaei* ad librum suum II. XX. Responsio ad locum ex *Iren.* L. I. c. XXXIV. *Irenaeus* emendatur. Quinam sint matres et patres et proaui *Valentini?* XXI. Respondetur ad locum *Irenaei*, L. I. c. XIX. *de sublimissimo eorum Bytho.* Quisnam sit apud *Eusebium impius haereticorum princeps?* XXII. Responsio ad locum *Irenaei* L. I. c. V. §. III. *Perfectiores perfectis*, et *Gnosticis magis Gnostici* quinam sint? Respondetur et ad *Epiphanii Haeres.* XXXIII. §. 1. qui emendatur. XXIII. *Basiliden* coniugium *Bythi* et *Siges* docuisse, ex *Irenaeo Pearsonus* probare nequit *Grabio* judice. *Clemens Alex.* a *Pearsono* allegatus, rectius explicatur et illustratur. XXIV. Frustra ex *Gregorio Nazianzeno* pugnat *Pearsonus.* XXV. Concluditur ergo etiam hinc, recte nos illa *Ignatii* verba ὅς ἐςι λόγος ἀυτȣ̃ ἀΐδιος etc. explicasse. Verba *Irenaei* praefat. L. IV. de

de solo *Iustino Martyre*, prius quam *Irenaeus* contra *Valentinum* scribente, agere ostenduntur.

Diss. III. De *Alogis*, *Euangelium* et *Apocalypsin Ioannis Cerintho adscribentibus.* I. Quosdam (i. e. *Montanistas*) totum Euangelium *Ioannis* reiicere, testatur *Irenaeus*. Non recte coniicit etiam *Paulum* ab ipsis fuisse reiectum. *Tillemontius* refutatur. II. Afferuntur rationes *Montanistarum*, *Irenaei* tempore, et *Alogorum* postea, cur *Ioannis* Euangelium reiicerent. *Irenaei* tempore nondum a Montanistis *Cerintho* adscribebatur, licet reiiceretur. Non omnia tamen prorsus in hoc Euangelio reiiciebant *Alogi*. III. *Apocalypsin Ioanni* nullus abjudicabat Montanista *Irenaei* tempore. *Cajus* romanus presbyter apud *Eusebium*, non librum alicuius Apocalypseos diuersum ab Apocalypsi *Ioannis*, sed ipsam *Ioannis* Apocalypsin *Cerintho* adscribebat. Refutatur *Basnagius*, *Fabricius* et *Tillemontius*. IV. *Epistolas Ioannis* non rejiciebant *Alogi*. Refutatur *Epiphanius* et eius interpres *Petauius*. V. Verba *Epiphanii* de tempore *Montanistarum Alogorumque* exortorum et *Thyatiris* extinctorum emendantur. *Dodwellus* notatur. VI. Alogi sec. 3. ante annum 249 exorti sunt. VII. VIII. *Alogos* fuisse Montanistas seu *Cataphrygas*, quoad dogma de Trinitate suo tempore orthodoxos, demonstratur. *Fabricius* notatur. IX. Non ergo veteres *Vnitarii*, sed *orthodoxi* Euangelium *Ioannis* reiiciebant et *Cerintho* adscribebant. Error ea de re recentium quorundam in Anglia Vnitariorum. X. Refellitur *Epiphanius*, a *Theodoto Coriario* Euangelium et Apocalypsin *Ioannis* reiectum fuisse scribens. Negat *Crellius* *Theodotum* Coriarium habuisse sectatores, *Theodotianos* dictos; hoc enim nomine insignitos fuisse ingenuos *Artemonitas*, aduersus *Epiphanium* adstruere conatur. XI. Pone reiectum fuisse, praeeuntibus sibi orthodoxis, imprimis *Cajo* Pres-

Presbytero ecclesiae Romanae reiiciebat. Qui primus etiam cum ecclesia sui temporis *Artemonitarum* obiectionibus pressa, epistolam ad Hebraeos reiiciebat. *Eusebius* et *Philastrius* illustrantur. *Stephanus Gobarus* et *Jo. Millius* refutantur. Verba illa: *Et tu Domine in principio terram fundasti.* etc. non poterant, a *Nouatiano Artemonitis*, aut ab *Irenaeo Ebionaeis* obiici. XII. Tres *Alogorum* contra *Joannis* Euangelium obiectiones in *Epiphanio.* XIII. Alogi Euangelium *Joannis Cerintho* adscribentes, dictum illud et *Deus erat verbum*, de minore Deo explicabant. XIV. Verba illa, *omnia per ipsum facta sunt*, ex mente *Cerinthi* de vetere creatione explicare non poterant. XV. Per *principium* v. 1. intelligebant personam quandam diuinam, Patrem verbi, ex sensu *Cerinthi.* XVI. v. 10. *Et mundus per ipsum factus est*, de noua creatione explicare, necesse habebant Alogi. Reliquiae doctrinae antiquae et verae *de noua creatione*, in doctrina *Valentinianorum* apparent, in alium sensum a *Valentinianis* detortae. XVII. Quomodo *Alogi* v. 14. *Et verbum caro factum est*, ex mente *Cerinthi* explicabant. XVIII. *Alogi* ex connexione versus 14. cum sequentibus de *Joannis* Baptistae testimonio verbis, probare volebant *incarnationem* verbi juxta sententiam *Cerinthi*, demum *apud Jordanem* post Jesu baptismum accidisse. XIX. Refutantur *Alogi*, vocem *principii* non de tempore, sed persona quadam diuina explicantes. XX. *Artemonitae* aliique *Vnitarii* multo fortius, quam orthodoxi *Alogos* refutare poterant, vel ex solo versu 14. *καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο*, cuius verus sensus adeoque et totius principii *Joannis* Euangelii exponitur. XXI. Cur vox εγενετο v. 3. et 10. non debeat verti *facta sunt*, sed *fiebant* aut *fiebat*. Verba v. 5. *Et lux in tenebris lucet*, illustrantur. XXII. *Theodotus Coriarius*, quia quaedam cum Alogis in explicatione *Joannis* Euangelii habebat communia, hinc ab *Epiphanio Alogis*, ab

aliis *Montani* asseclis accensetur. XXIII. Vnde profluxerit error *Alogorum*, non fuisse *Thyatiris*, tempore *Joannis* Apostoli, ecclesiam? Obiectio eorum ab *Epiphanio*, quem *Petauius* hic non intellexit, iculariter refutata. XXIV. Ex ipsa ista *Alogorum* contra Apocalypsin *Joannis* obiectione euincitur, eam a *Cerintho* non fuisse scriptam.

Diss. IV. Num principium Euangelii JOANNIS *ab alio praefixum, aut saltem falsatum fuerit?*

I. *Prima* auctoris *Du Tombeau du Socinianisme* ratio, principium hoc non esse *Joannis*. Ea confutatur. II. *Secunda* ratio eiusque refutatio. *Photinus*, quo modo et sensu primum versum Euangelii huius distinguebat. III. *Tertia* ratio non nos, sed *Alogos*, aliosque Orthodoxos, in specie *Philippum Mesnardum* nequicquam se expedientem, vrget. IV. Quemadmodum et *quarta*. Quae tamen etiam a nobis refutatur. V. Etiam *quinta* eosdem solos Arianosque premit. VI. *Sexta* ratio refutatur. Nulla vnquam existebant exemplaria hoc principio carentia. VII. *Septima* obiectio diluitur. Autor iste *Alogos Artemonitarum* fuisse homodoxos; hosque *verbum Joannis* reiecisse, falsissime asserit. VIII. *Octaua* ratio confutatur. IX. Nulla probabilitate asseritur, *Joannis* Euangelium post eius demum mortem ab eius discipulis, cum eorum additionibus editum fuisse. X. Exemplum de historia adulterae cap. VIII. non probat, etiam principium ab alio fuisse additum. (Desiderabatur etiam olim major pars capitis XVI. Euangelii *Marci*, genuina tamen.) Praesertim cum sit res euicta, historiam istam de adultera, non esse adulterinam. Contrarium probat *Lenfantius*. XI. Quod *Marcus* euangelicam historiam a baptismo *Joannis* inchoet, inde nulla ratione *Joannis* principium, aut *Matthaei Lucaeque* priora duo capita suspecta reddi possunt. Frustra autor *du Tombeau Marcioni* tela suggerit. XII. Euangelium

gelium *Joannis* in exemplaribus eius primis, et quidem ab ipſis *Joannis* diſcipulis, praefixione exordii adulterini, falſari non potuit. XIII. Vox tamen vna in hoc exordio, et quidem longo poſt Joannis mortem tempore mutari potuit. *Pſeudo-Baſilius Ancyranus* ab autore *du Tombeau* productus, putat, *Joannem* ſcripſiſſe, *et Jeſus erat verbum, non autem, et Deus erat verbum.* XIV. Iſta emendatio, et Deus erat verbum, reiicitur. XV. Reiicitur et alterius anonymi in libro, *les raiſons des ſcripturaires*, ſententia, *Joannem* ſcripſiſſe *et Deus* (erat) *in verbo.* Noſtra eſt, Joannem ipſum poſuiſſe: *Et Dei erat verbum.* XVI. *Primum* in eam rem argumentum noſtrum ex allegationibus *Valentinianorum* apud *Irenaeum* deſumitur. *Maſſuetus* refellitur. Ad marginem in initio huius paragraphi *Crellius* verba adſcripſit: *Haec et ſequentia accuratius in libro: Initium S. Joannis Euangelii ex antiquitate eccleſiaſtica emendatum* etc. pertractata ſunt; ideo hic omittuntur. XVII. Verba *Valentinianorum* in *Irenaeo* corrupta eſſe probantur, reſtituuntur. XVIII. Totus locus in *Irenaeo*, quemadmodum ſe primitus habebat, ob oculos ponitur. XIX. *Secundum* argumentum, ex verbis ipſius *Irenaei*, quibus *Valentinianorum* explicationem initii *Joannis* Evangelii refellit, habemus. XX. *Tertium* noſtrum argumentum ex aliis *Irenaei* locis deſumptum. Nullibi ille τo *et Deus erat verbum*, occaſione licet maxime vrgente, allegat, vbi Chriſtum *Deum* eſſe e ſcripturis ex profeſſo demonſtrat. *Quartum* argumentum maximi momenti ex eodem. XXI. *Quintum* e verbis *Celſi* apud *Origenem*, *Joannem* ſcripſiſſe, *et Dei erat Verbum.* XXII. *Sextum*, ex *Theophilo Antiocheno.* XXIII. *Septimum*, ex aſſertione *Artemonitarum*, Chriſtum in ſcriptura non vocari Deum. XXIV. Quid ad locum illum: *Dominus meus et Deus meus*, vt et ad *hebr.* I. *Artemonitae* reſpondere potuerint? Loci huius

M 2 *Jo.*

Jo. XX, 28. noua explicatio. XXV. XXVI. XXVII. *Octauum*, e libro *Nouatiani* de Trinitate, XXVIII. *Nonum* nostrum ex verbis *Caji*, presbyteri Romani apud *Eusebium*. XXIX. *Decimum*, ex Paulo Apostolo desumptum, qui Patrem Deum appellans, Filium non appellat eodem loco et tempore Deum. *Tertulliani* in eam rem verba. XXX. *Vndecimum*. Nullibi in scriptura N. F. Christum expresse vocari *Deum*, ergo nec *Joannem* scripsisse, *Et Deus erat verbum*. *Rom.* IX. 5. *qui est super omnia Deus benedictus in secula*, noua ratione explicatur. *C. M. Pfaffius* refutatur. *Irenaeus* illustratur et emendatur. *Juliani Apostatae* verba notantur. Christus licet *Deus* non vocetur expresse, adoranda tamen et inuocanda Majestate diuinitateque pollet. Quid sit nomen supra omne nomen?

Ita autem ad locum Rom. IX. 5. *Crellius* inquit in Msc. Ἐξ ὧ. non ad patres in specie, sed ad *Israelitas* est referendum; quod indicat praemissa vocula καὶ. Nam si ad patres id referendum esset, scripsisset potius Apostolus ita: ὧν οἱ πατέρες ἐξ ὧν ὁ χριστὸς. Nemo non videt, articulum hic toties repetitum omnino esse emphaticum, *Paulique* orationem versu 5. adscendere a patribus vsque ad Deum, qui est super omnes. *Quorum* (Israelitarum) inquit, sunt patres illi in scriptura celebratissimi; *ex quibus*, (Israelitis) ille ipse Christus tam diu expectatus procedit secundum carnem, et quod maximum est, *quorum* est ille, qui est super omnes, et Patres et Christum ipsum, Deus nempe benedictus in secula. Adeo, vt sit hic ἀπὸ κοινοῦ subintelligenda et repetenda vox ὧν, nempe ὧν ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς, quorum est ille, qui est super omnes Deus. etc.

XXXI. *Duodecimum* argumentum, ex scopo *Joannis* contra *Cerinthum* scribentis, demonstrat, eum non scripsisse *et Deus erat verbum*; imo nullo sensu ita scribere potuisse, sed τὸ *et Dei erat verbum Cerintho* e diametro esse aduersum. XXXII. Omnia, quae primis

quatuor

quatuor versibus *Joannis* continentur, *Cerintho* quam maxime aduersantur; exceptis istis verbis: *et Deus erat verbum;* non ergo ita *Joannem* scripsisse apparet. *Principio Joannis* lux iterum affunditur. XXXIII. Responsio ad obiectionem: Nullum reperiri exemplar, in quo legatur, *et Dei erat verbum.* Emendatio nostra canonibus criticis *Pfaffii* defenditur. *Mart. Czechovicius*, qui exemplaria latina cum lectione, *et Dei erat verbum*, vidisse se afferit, aliique allegantur. XXXIV. Corruptio ista principii *Joannis* inter annum Christi 150 et 170. a *Valentinianis* facta fuisse ostenditur. Locus ex excerptis e *Theodoto* illustratur. Lectio illa *Jo.* I. 18. *Vnigenitus Deus, qui est in sinu Patris* etc. etiam a *Valentinianis* profecta est. Qua occasione? Quis sensus sit tituli illorum excerptorum *e Theodoto et orientali doctrina circa Valentini tempora. Godofr. Arnoldus, Combefisius, Grabius* notantur.

Diss. V. Num caput vltimum in Euangelio Joannis vel saltem duo vltimi versus adiecti sint ab aliis.

I. Contra *Grotium* probatur, conclusionem *cap.* XX. non esse conclusionem totius libri euangelici; et a conclusione *cap.* XXI. longe diuersum. Cur cap. XXI. ab ipso *Joanne* fuerit adiectum? II. Licet conclusio cap. XX. esset conclusio totius libri euangelici, non inde sequeretur cap. XXI. ab aliis esse Euangelio isti adiectum. *Paulus Apostolus* bis ipse suam ad Romanos epistolam conclusit. *Millius* laudatur et notatur. III. *Cap.* XXI. non eo fine scriptum est, vt ostenderetur, impletum quod de longaevitate *Joannis* Dominus praedixisse supponitur a *Grotio.* Eius opinio de isto capite ab *Ephesina Ecclesia* adiecto, nititur fundamento jam a nobis euerso. IV. Ostenditur cap. XXI. eo fine scriptum esse praecipue, vt appareret *Petro dignitatem*, quam trina Christi abnegatione perdiderat, plenissime a Christo fuisse *restitutam*, quod cap. XX. 21—22 nondum factum fuisse probatur. V. Quam cap. XXI. *Pe-*

trus ipse occasionem dederit Domino restituendae sibi dignitatis, ostenditur. Verba, *Simon Jonae*, num me plus, quam alii diligis etc. explicantur. VI. Explanatio verborum v. 19. 20. 21. 22. VII. Verbis, *donec veniam*, non designatur Christi aduentus ad judicium viuorum et mortuorum. Illustratur *Matth.* X. 23. *douec veniat filius hominis.* Aduentus Domini excidium Hierosolymae nullibi significat. Verba *Matth.* *XXIV.* 19. confestim autem post afflictionem dierum illorum, sol obscurabitur etc. explicantur. VIII. Qui Jo. XXI. 23. illa verba, *si volo illum manere*, donec veniam, perperam explicabant, *το donec veniam*, non intelligebant, nisi de aduentu secundo proprie dicto, ad judicium viuorum et mortuorum. Vnde iste error, quod crederent, *Joannem* nunquam moriturum? Explanatio verborum v. 19. *sequere me*, et v. 20. *Petrus vidit Joannem sequentem*, et v. 21. *Hic autem quid?* Non quaerit *Petrus*, qua morte *Joannes* mori deberet. Quid quaesiuerit, explicatur. *Joannes* Apostolus videtur violenta morte sublatus fuisse. *Heracleonis* de morte Apostolorum testimonium. Et *Eusebii Caesariensis*. IX. Verba v. 18. 19. *Cum esses junior, te ipsum cingebas* etc. explicantur. Non designat Christus vllam speciem violentae mortis *Petri* Apostoli; sed in genere tantum praedicit, eum violenta morte moriturum esse. Crucis mortem *extensio manuum* hic plane non probat. Exploditur fabula de *Petri* capite deorsum verso crucifixione. X. *Petrum* crucis mortem passum esse, incertum est. *Romae non fuisse* passum, neque vmquam ibi docuisse, ex *Clementis* ad Corinthios epistola probatur. *S. Basnagius* refellitur. *Salmasius* contra *Pearsonum* defenditur. XI. Ex *Ignatio* et *Papia* *Pearsonus* probare non potest, *Petrum* vnquam *Romae fuisse*. Exponitur 2 *Pet.* I. 15. et 1 *Cor.* I. 2. XII. Nec ex auctore *Praedicationis Petri.* XII. Neque ex *Dionysio Corinthio.* Explicatur *Gal.*

Gal. II. 6. 9. IV. 13. 16. Refellitur *Ludov. Cappellus*, quoad tempus ſcriptae ad Galatas epiſtolae. XIV. Ne quidem *Corinthi* Petrum fuiſſe probare poteſt *Pearſonus* ex *Dionyſio Corinthio.* XV. Demonſtratio, quod verba: *Si volo eum manere, donec veniam*, non ſignificant, *ſi volo eum manere in vita donec veniam*, ſed id, quod §. *VI.* et *VIII.* jam deductum eſt. XVI. *Hammondi* opinio de duobus ſolummodo verſibus capiti Euangelii vltimo adiectis refutatur. XVII. *Grotii* ſententia de toto capite XXI. ſuppoſititio iterum euertitur. XVIII. *Theod. Mopſueſteni* ſententia de vltimo ſolummodo verſu a neſcio qua manu adiecto refellitur. *Fabricii* aliorumque hyperbolicus dicti ſenſus reiicitur, *Origenis* proponitur et paraphraſi illuſtratur. Etiamſi comma iſtud ab alio auctore adiectum fuiſſet, non inde ſequeretur, etiam exordium *Joannis* Euangelio ab alio quopiam praefigi potuiſſe.

Diſſ. VI. Verba de tribus in coelo teſtibus 1. Io. V. 7. JOANNIS *non eſſe probantur.*

I. Senſus verborum v. 5. ſeqq. *Hic eſt, qui venit per aquam et ſanguinem* etc. indicatur. II. Verba, *quia tres ſunt, qui teſtantur, ſpiritus, aqua et ſanguis* etc. explicantur. III. Ex quo patet, verba de tribus in coelo teſtibus, nihil quicquam ad rem facere. IV. *Grabii* rationes in contrarium refelluntur. V. Voces *in terra*, v. 8. in quibusdam exemplaribus exſtantes, non euincunt, comma ſeptimum de tribus in *coelo* teſtibus, a *Joanne* ipſo fuiſſe ſcriptum. VI. Quaedam aliorum defenſiones verſus ſeptimi refutantur. VII. Probatur, *Tertullianum* tres iſtos in coelo teſtes in *Joanne* non vidiſſe. VIII. Neque *Cyprianus* eos expreſſe legit, ſed allegorice ex v. 8. deduxit, vt jam ab aliis demonſtratum. *Facundi Hermianenſis, Auguſtini* et cuiusdam *Anonymi* explicatio. *Pfaffius* refutatur. IX. X. XI. Refelluntur *Thomae Ittigii* contra *Rich. Simonium* argumenta, proba-

re conantis *Cyprianum* totidem verbis de tribus in coelo teſtibus in Joanne legiſſe. XII. *Jo. Millii* argumenta pro his tribus in coelo teſtibus confutantur. *Pfaffius* notatur. XIII. Si *Fulgentius Ruſpenſis* eos expreſſis verbis in *Joanne* exſtare vidiſſet et vſiſſet, non id latuiſſet *Facundum* aliosque eius contemporaneos. *Fulgentii* locus circa finem libri contra Arianos corruptus eſt. XIV. Locus iſte *Fulgentii* emendatur. XV. XVI. Ex aliis libris *Fulgentii* probatur, eum expreſſis verbis in *Joanne* tres illos in coelo teſtes non legiſſe. XVII. *Hincmarus Remenſis*, qui *Fulgentium* legerat, Patrem, Filium, et Spiritum S. ex v. 8. allegorice deducit. Nihil aliud in ſuo *Fulgentio* repererat. XVIII. Locus quidam ex *Fulgentio* producitur, ex quo clare patet, eum tres in coelo teſtes nonniſi ex octauo verſu allegorica ratione deduxiſſe. Vnde euidenter conſtat, verba eius in libro contra Arianos eſſe corrupta ac interpolata. XIX. XX. Fruſtra alia opera *Fulgentii* allegantur, quae partim etiam interpolata eſſe probantur. XXI. *Victor Vitenſis* ſeptimum iſtum verſum non legiſſe, ſed textus eius interpolatus eſſe probatur. XXII. In operibus *Vigilii Tapſenſis* indubitatis non allegatur ſeptimus iſte verſus. XXIII. XXIV. Prologus *Hieronymi* explicatur. Verus eius ſenſus oſtenditur. Verſum ſeptimum non eſſe ab Apoſtolo profectum, autor iſtius prologi indicat a falſatoribus corrupti. XXV. Refutantur, qui putant verſum ſeptimum a negligentibus vel feſtinantibus librariis fuiſſe omiſſum. XXVI. Si reuera a principio in exemplaribus huius epiſtolae exſtitiſſet, poſtea vero negligentia quorundam librariorum omiſſus eſſet, non fuiſſet ab omnibus graecis patribus per vndecim ſecula in allegatione ſcripturae praetermiſſus. *Lenfantius* auctorem diſputationis in ſynodo Nicena optime explicat. XXVII. Refelluntur adhuc, qui eum vitio librariorum omiſſum fuiſſe contendunt.

dunt. XXVIII. Ab haereticis non fuiſſe eraſum ipſe *Millius* probat. Ab orthodoxis intruſus eſſe probatur. XXIX. Fruſtra *Artemonitae* inſimulantur, verſum iſtum 7 e contextu *Joannis* eieciſſe. XXX. XXXI. *Caji* verba *Artemonitas* falſatae Scripturae accuſantis. Vt maxime Scripturam falſaſſent, huius tamen verſus 7. e *Joannis* textu ejecti inſimulari eos non poſſe, euidenter probatur. XXXII. XXXIII. XXXIV. Falſum eſt, *Artemonitas* Scripturae fuiſſe falſatores. Eam ex codicibus antiquioribus emendaſſe probantur. XXXV. Etiam veteris Teſtamenti ſcripturam, e. g. *Eſ. IX. 6.* vbi verſio LXX. interpretum, quoad illa verba magni conſilii angelus, defenditur. Quare verba illa *Conſiliarius, Deus fortis*, a *Nouatiano* non vrgentur contra *Artemonitas.* XXXVI. *Caji* ingenium etiam ex narratiuncula de *Natali* apparet. Quae ventilatur. *Theodotus Coriarius*, quo ſenſu non *Deum*, ſed *hominem* ſeſe negaſſe dicere potuit. XXXVI. Qua occaſione et quando verſus 7. in cap. V. 1 Epiſt. *Joannis* intrudi coeperit? *Grabe* refellitur. XXXVIII. Concluditur verbis *Lutheri* e libro eius nuper demum edito.

Diſſ. VII. Quinam fuerint Ebionaei, contra quos JOANNES *dicitur ſcripſiſſe.*

I. *Ebionaei* duorum generum. *Ebionem* quendam Ebionaeorum auctorem nunquam exſtitiſſe, contra *Ittigium* et *Sagittarium* euincit *Phil. Jac. Hartmannus.* II. Ex *Talmude Ebion* talis probari nequit. III. *Ebion*, de quo *Hieronymus* ad *Gal. III.* non fuit ſectae Ebionaeorum auctor. IV. Ipſi *Ebionaei* talem *Ebionem* minime agnoſcebant. *Irenaeus* multa de *Ebionaeis*, nihil de *Ebione* habet, licet vbique fere auctores haereſium indicare ſoleat. *Tertulliani* error de *Ebione* vnde profluxerit? *Origenes*, *Euſebius*, *Cyrillus Hieroſol.* *Ebionem* non agno-

ſcunt. V. Origo tituli *Ebionaeorum* a Judaeis infidelibus profecta. Sic omnes Chriſtiani a Judaeis jam inde a principio Euangelii fuerunt vocati, quod pauperem Meſſiam, pauperes etiam ipſi ſectarentur. Quod cum traditione ipſorum *Ebionaeorum* apud *Epiphanium* probe convenit. *VI. Ebionaei* a paupertate proprie dicta nomen habent. *Ge. Bullus Ebionis* denominationem cum dicto Spiritus S. de *Nabale* 1 *Sam. XXV*. 25. male confert, et nomen *Ebioni* a parentibus Spiritu prophetico inditum eſſe, affirmat. *VII. Ebionaei* viciſſim a Chriſtianis vocati fuere omnes *Judaei*, quod paupertati legis Moſaicae adhaererent. Quo ſenſu etiam Chriſtiani e *circumciſione Ebionaei*, a Chriſtianis gentilibus antiquitus ſunt vocati, vt ex *Origene* patet. *VIII*. Succeſſu temporis ſoli illi *Judaei Chriſtiani*, qui Jeſum e ſemine *Joſephi* deducebant, *Ebionaei* appellabantur; non autem a Judaeis infidelibus, neque a Nazaraeis Chriſtianis, ſed ab iis, qui praeexiſtentiam Chriſti ante *Mariam* credebant. *IX*. Et quidem, vt ex *Irenaeo* et *Euſebio* colligitur, a *Juſtino M.* omnium primo. A quo etiam ſolo fabula de ſtatua *Simonis Magi* profluxit. *Tillemontius*, *Grotius* et *Ittigius* refutantur. *X. Irenaeus* et *Tertullianus* nullos alios Chriſtianos pro *Ebionaeis* habent, quam qui Jeſum a *Joſepho* deducerent. Qui vero eum e Spiritu S. conceptum, absque eius ante Matrem exiſtentiam credebant, ab *Irenaeo* non memorantur, et quare? *Theodoretus* explicatur. *XI. Origenes* primus nobis *duplices* finxit *Ebionaeos*, adeoque et eos, qui Jeſum e Spiritu S. conceptum eſſe credebant, ſed eius anteſecularem diuinitatem negabant, *Ebionaeos* vocauit jam ſenex; junior enim *Joſephitas* ſolos pro *Ebionaeis* habebat. Verba eius emendantur. *XII*. Continuatio eiusdem argumenti. *Berylli* de Chriſto ſententia. Differentia inter eius et *Artemonis* ſeu

[*Naza-*

Nazaraeorum ſententiam. *XIII. Origenes* non ita male ſentire videtur, de iis, qui Chriſto, vti Beryllus diuinitatem, ſtatim a natiuitate ex Maria adſcribebant, ac quidem de *Nazaraeis* et *Artimonitis*. *XIV.* Verba *Origenis*, omnes, qui Chriſto nomen dederant, Judaeos, *Ebionaeos* vocantis. *XV.* Inter quos etiam eos alibi recenſet Chriſtianos Judaeos, qui Chriſti e virgine natiuitatem absque eius ante matrem praeexiſtentia credebant. *Petauii* de quorundam *Ebionaeorum* orthodoxia error. *XVI.* Auctoris libri *le Platonisme devoilé* de *Ebionaeis* ſententia confutatur. *XVII.* Error huius auctoris ex *Conſtitutionibus Apoſtolicis* et appendice ad *Praeſcript. Haeret. Tertulliani* et *Theodoreto*, qui refutatur, conceptus eſt. *XVIII. Caroli Daubuz* in libro, pro teſtimonio *Flauii Joſephi* de Chriſto p. 133. ſimilis error refellitur. *Ebionaei* Chriſtum adorabant et inuocabant. *XIX.* Quinam pro veris habendi ſunt *Ebionaeis?* Exceptis *Matthaei*, noſtri canonici, *Lucae* et *Pauli* ſcriptis non repudiabant caeteros N. T. libros. *XX. Epiphanius Elceſaeos*, aliosque perperam cum *Ebionaeis* confundit. *Irenaeus* illuſtratur et refutatur. *XXI. Elceſaeos* ſeculo demum tertio et jam adulto exortos, ex *Origine* et *Euſebio* probatur. *XXII.* Vnde error *Epiphanii*, de ortu *Ebionaeorum* et *Elceſaeorum?* Sibi ipſe contradicit alibi, Ebionaeosque jam ante excidium Hieroſolymae exſtitiſſe ſtatuit. *XXIII.* Differentia inter *Ebionaeos* et *Elceſaeos*. Perperam ab *Ittigio*, *Epiphanio*, *Rich. Simonio* et *Clerico* confunduntur. *XXIV.* Auctorem *Clementinarum homiliarum* non fuiſſe *Ebionaeum*, ſed *Elceſaeum*, contra *Clericum* probatur. *Cotelerius* notatur. *XXV. Elceſaei* non erant *Anthropomorphitae*. Refutatur *Clericus*. *XXVI. Methodius* etiam inter alios confundit *Elceſaeos* cum *Ebionaeis*. *XXVII.* Chriſtiani *Ebionaei*

naei, qui Jesum e semine Josephi deducebant, a *principio Euangelii* exstiterunt. *Maria* virgo in principio *Ebionaea* fuit. Primi Christi discipuli *Ebionaei*. De hoc argumento ita *Crellius*: „*Jam quaeritur quo tempore praecise isti proprie sic dicti Ebionaei*, (*cum Elcesaeis minime confundendi*,) *Jesum pro Josephi Filio habentes fuerint exorti? Jesum et antequam praedicare inciperet, et in principio euangelii praedicati pro Filio Josephi ab omnibus, si virginem matrem, eius maritum Josephum, Joannem Baptistam, eiusque parentes excipias, pro Josephi filio habitum fuisse, ex historia euangelia liquet. Primi itaque Christiani et discipuli Christi erant procul dubio Ebionaei.* Ipsa Jesu mater virgo, antequam ab angelo *Gabriele* de ratione futurae Christi conceptionis fuisset edocta, Messiam illum promissum hominem ex hominibus fore credebat. Postquam enim ei dixisset angelus. *Ecce* (statim hac ipsa hora) *concipies in vtero et paries filium, et vocabis nomen eius Jesum; hic erit magnus et Filius altissimi vocabitur*, (ille de quo legisti: Filius meus es tu, ego hodie genui te) *et dabit ipsi Dominus ille Deus Thronum Dauidis Patris eius, et regnabit supra domum Jacob*, (omnes tribus Israelis) *in secula, et regni eius non erit finis:* Maria his verbis auditis procul dubio intellexit de illo promisso Messia, Dauidis filio et Rege verba facere angelum: *Dixit autem Maria ad angelum: quomodo hoc erit, quoniam virum non agnosco?* quomodo ego concipiam filium illum Dei promissum Messiam, Regemque Israelis, absque coitu viri, cum innuas, me statim concipere debere. Credebat ergo hucusque Maria firmiter, Messiam ex coitu viri cum sua vxore exoriturum esse. Nihil enim aliud de conceptione futuri Messiae in Synagoga Judaica vnquam audierat. Post aliquot a Baptismo suo septimanas *Jo. I*, 44. reperit *Christus Philippum*, eique dixit, *sequere me*, eumque procul dubio se esse Messiam illum

illum promiſſum docuit. Niſi enim docuiſſet, vnde ergo *Philippus* in *Nathanaelem* incidens dicere huic potuiſſet: *De quo Moſes in lege et Prophetae ſcripſerunt, inuenimus Jeſum filium Joſephi, ex vico Nazareth.* Vnde ſequitur Jeſum *Philippo* indicaſſe, quod eſſet Meſſias filius ille Dei, *Pſ. II.* promiſſus, aut *Philippum id a Joanne Baptiſta edoctum crediſſe;* et ſimul tamen ipſum a Chriſto in ea opinione fuiſſe relictum, *quod eſſet Filius Joſephi.* Poterat ergo tunc credi, Jeſus fuiſſe filius Dei, et Chriſtus ille, licet crederetur eſſe filius *Joſephi* ex eius ſemine conceptus. Filius quidem Dei credebatur, propter illa verba *Pſ.* II. *Filius meus es tu, ego hodie genui te, poſt Baptismum apud Jordanem in eo impleta; non propter natiuitatem e virgine tunc prorſus incognitam.* Patet ergo hinc, in principio quidem Euangelii, Jeſum tanquam Meſſiam et illum Filium Dei fuiſſe annunciatum, articulum vero de eius extraordinaria conceptione non ſtatim fuiſſe inculcatum, *Judaeosque cum opinione de Jeſu e ſemine Joſephi concepto, pro Diſcipulis Chriſti agnitos fuiſſe, modo Jeſum eſſe Chriſtum agnouiſſent.*, idque tunc temporis ad ſalutem ſuffeciſſe. Poſtquam enim *Nathanael Philippo* aſſenſum praebuit et Chriſtum ſic fuiſſet alloquutus, *Rabbi* (tu fili Joſephi) *es ille Filius Dei, tu es ille Rex Iſraelis,* recepit eum Chriſtus cum iſta fide in numerum diſcipulorum, fidemque hanc tanquam tunc ſufficientem omnino approbauit; ita enim ei reſpondet: *Quia dixi, quod te viderem ſub ficu, credis,* nimirum *Philippo, me (filium Joſephi)* eſſe filium illum Dei; *maiora his videbis.* Sequitur inde, et tunc et longo ante tempore omnium Judaeorum communem et vniuerſalem fuiſſe opinionem, at non poſt excidium Hieroſolymitanum inter Judaeos exortam ac a quibusdam ſolummodo admiſſam, quod nempe Meſſias ille filius Dei promiſſus, futurus eſſet homo ex hominibus,

nibus, ex vtriusque ſexus coitu oriundus, nedum vt pro Deo quodam praeaeterno a Synagoga judaica habitus fuiſſet. etc.

XXVIII. Chriſti tempore et antea communis erat Judaeorum ſententia de Meſſia e ſemine viri prodituro. *Basnagii* contraria de Judaeis opinio refellitur. *XXIX.* Mutabilem veterum Judaeorum mentem, *Car. Daubuz* ex libro *Zohar* non poteſt probare. Erat exiſtimans Judaeos olim duos Meſſias, alterum *Dauidis*, alterum *Joſephi* fabri filium ſtatuiſſe. *Basnagius* refutatur. Verba *Tryphonis* in *dialogo cum Juſtino M.* illuſtrantur. *P. Allixius* notatur. *Philo* Judaeus et Paraphraſtae Chaldaei per *logon* et *Memra* non deſignant Meſſiam. *XXX.* Non mirum Judaeos jam ante tempora Chriſti in explicatione τȣ *Ecce virgo concipiet.* etc. coecutiiſſe, cum et alia prophetarum dicta de Chriſto non intelligerent. Illuſtrantur dicta *Jo.* I. 21. VI. 14. VII. 40. 41. *XXXI.* Refellitur *P. Allixius* Judaeis tempore Chriſti magnam ſcripturae intelligentiam tribuens. *XXXII.* Toto tempore Chriſti in terris verſantis, vulgo ignota erat eius miraculoſa conceptio. Et vix vllos tunc alios, quam *Ebionaeos* habuiſſe videtur diſcipulos. Allegatur in eam rem *Theodorus Mopſueſtenus.* Ad quaeſtionem: Quare Chriſtus, quoad in terris vixit, conceptionis ſuae miraculoſae e Sp. S. nullam omnino fecerit mentionem? non quouis reſpectu male judicat *Crellius* adfuiſſe rationes, cur non omnibus hoc Myſterium patefecerit; omnibus autem fuiſſe ignotum, ex ſilentio Euangeliſtarum, qui Chriſtum de hac conceptione teſtatum eſſe non indicant, ſolide colligi nequit, multo minus Apoſtolos miraculoſam eius natiuitatem ignoraſſe, imo adeo eosdem de Chriſto Dei filio cum Socinianis paria ſenſiſſe. Ita autem ad quaeſtionem reſpondet: „*Nondum erat tempus, neque commoditas, hocce reuelandi Myſterium,*

omnium

omnium Judaeorum opinioni de Meſſia ex coitu matrimonii oriundo contrarium. Sufficiebat ergo tunc ad ſalutem, ſi quis Jeſum Nazarenum, qui pro filio Joſephi ab omnibus alte radicato veterique praejudicio habebatur, credebat, per ſanctificationem et deſcenſum illum Spiritus S. poſt Baptiſmum, ſine menſura in eum collati ſingularem, extraordinarium adeoque Filium Dei vnigenitum euaſiſſe. Nam Deus per Spiritum ſuum ſibi gignit filios. Veritas ergo illa de miraculoſa Meſſiae conceptione tempore comodiori reſerrabatur manifeſtanda. Adeo vt ipſi Apoſtoli ſaltem ex parte, antequam effuſione Spiritus S. poſt Chriſti in coelum aſcenſionem, in omnem perducti eſſent veritatem euangelicam, Ebionaei fuiſſe videantur. Sane etiam hoc dogma, de conceptione e Spiritu S. vices viri ſupplente, inter illa multa, quae tunc portare non poterant, Jo. XVI. 12. ponendum videtur." His *Crellius Theodori Mopſueſteni* verba ex *Facundi Hermianenſis* defenſ. ſubiungit, ex quibus conſtare putat: Chriſtum, cum in terris verſaretur, ne ab Apoſtolis quidem ipſis, pro Deo et Dei Filio ſenſu Homouſiano, ſed pro homine tantum habitum fuiſſe, Filio nempe *Joſephi.* *XXXIII.* Confeſſio *Petri*, *Tu es ille filius Dei viuentis*, non probat, eum jam tunc Chriſti conceptionem ex Virtute Altiſſimi credidiſſe. Etiam *Ebionaei* ita confitebantur ex Pſ. II. *Filius meus es tu*, etc. *XXXIV.* In *actis Apoſtolorum* nulla mentio Chriſti miraculoſe concepti. Dictum illud *act.* XIII. 32. ex Pſ. II. quomodo *Ebionaei* explicauerint. *XXXV.* In *epiſtolis Apoſtolorum* nulla quoque eius rei mentio. Verba *Rom.* VIII. 32. *Gal.* IV. 4. et *Rom.* I. 4. *Ebionaei* ambabus vlnis amplecti poterant. *XXXVI.* Publice Apoſtoli conceptionem iſtam miraculoſam non annunciabant. Et exemplo Chriſti *Ebionaeos* in eccleſiam admittebant ſemper atque tolerabant. Quare? *XXXVII.* Solus auctor *epiſtolae ad haebraeos* alicubi Chriſti miraculoſam conceptionem,

ſed

ſed obſcuriſſime tradit; idque eo demum tempore, quo *Lucas* etiam Euangelium edebat. *XXXVIII. Lucas* atque *Matthaeus* multis demum poſt Chriſti aſcenſionem annis rem iſtam palam et clare proponunt, ſed Eccleſia jam a ſuis primordiis *Ebionaeorum* plena. *Lucas primus* ſuum edidit Euangelium. Exordium eius Euangelii explicatur. *XXXIX.* Etiam collatio hiſtoriae de Chriſti in deſerto tentatione, a *Luca* et *Matthaeo* deſcriptae, innuit *Lucam prius quam Matthaeum* ſuum ſcripſiſſe Euangelium. *XL. Lucas* Euangelium juxta *Dodwelli, Millii, Eſtii* ſententiam *ſimul cum actis Apoſtolorum* edidit anno poſt Chriſti aſcenſionem circiter 31. *Jo. Clerici* ſententia examinatur. *XLI. Marcus* Apoſtolorum praedicatione in mundo jam finita, adeoque poſt *Petri, Paulique* mortem ſcripſit Euangelium. *XLII. Cur poſt Lucam Matthaeus* ipſe et non alius aliquis Apoſtolus Euangelium cum conceptione Chriſti miraculoſa edidit? *XLIII. Cur poſt Matthaeum Marcus* cum ſuo euangelico libro, in quo nulla mentio Chriſti miraculoſae conceptionis, prodierit? *Epiphanius* allegatur. *XLIV.* Qui fieri potuerit, vt *Ebionaei poſt Lucae Matthaeique* edita *euangelia, tamen in opinione ſua,* de Jeſu e ſemine *Joſephi* concepto perſtiterint? Num eo conſilio tunc Euangeliſtae ſcriberent Euangelia, vt ſtatim ab omnibus publice neceſſario legerentur? *XLV. Joannes abſque vlla mentione conceptionis Chriſti miraculoſae,* eo conſilio, quo *Marcus* Euangelium ſuum ſcripſit. XLVI. *Grabe* magnam partem a nobis dictorum confirmat.

Diſſ. VIII. *De Nazaraeis*, altero, vt quidam voluerunt, *Ebionaeorum* genere.

I. *Nazaraei*, qui miraculoſam Chriſti conceptionem, abſque tamen praeexiſtentia ab aeterno, ſtatuebant, jam apoſto-

apoſtolicis quoque exſtiterant temporibus, non vero demum poſt eorum tempora exorti. II. *G. Bulli* ſententia contraria refellitur. III. Sententia noſtra teſtimoniis *Hieronymi* et *Auguſtini* et *Cyrilli Alexandrini* confirmatur. IV. *Epiphanius*, *Nazâraeos* poſt diſcipulorum ab Hieroſolymis ſeceſſionem *Pellae* exortos eſſe, tradit. V. Alibi tamen jam antea exſtitiſſe docet. VI. Prior ſententia *Epiphanii* refellitur. VII. *Epiphanius Nazaraeos*, jam ante Hieroſolymae excidium, in fide de perſona Chriſti non fuiſſe orthodoxos aſſerit. *Petauius Epiphanium* non recte interpretatur. VIII. Refutatur iſta *Epiphanii* aſſertio. *Nazaraei* ſuam de Chriſto ab aeterno non praeexiſtente ſententiam *Pellam* Hieroſolymis ſecum attulerunt. IX. Origo tituli *Nazaraeorum*, ſimilis origini tituli *Ebionaeorum*. *Tillemontius* et *Dodwellus* refutantur. X. *Origenes*, *Ambroſius*, *Fauſtus Manichaeus* et *Auguſtinus* teſtantur, *Nazaraeos* ſibi *Chriſtianorum* nomen tribuiſſe. XI. Num *Nazaraei* legis fuerint *Zelotae?* *Origenes* mentem *Celſi* non percipit, aſſerentis, Judaeos Chriſtum ſequutos legem patriam deſeruiſſe. *Celſus* optima methodo librum ſuum peſſimum concinnauerat. XII. *Nazaraei* legem *Moſis* gentilibus non impoſuiſſe probantur verbis *Hieronymi*. *Auguſtini* hac de re error. XIII. Moderatio iſta *Nazaraeorum*, praecipue *Symmachi*, *Nazaraei* tempore enituit. Qui in *Matthaei* Euangelium commentarios ſcripſit. Quo conſilio? Non obſtat, quod in *Eſaia* verterit, *Ecce juuencula pariet filium*. Cur ſic vertit etiam ante eum *Thedotion?* XIV. *Nazaraeos* ſolam legem abſque ſeniorum traditionibus obſeruaſſe, ex *Hieronymo* probatur. XV. *Ebionaei* e contra etiam harum erant tenaciſſimi. Verba in *Ignatio: Si non in veteribus inuenio, in euangelio non credo* etc. Ebionaea ſunt. *Iſaaci Voſſii* explicatio horum verborum,

borum ex parte laudatur. Verſio LXX. interpretum jam ante tempora *Hadriani* a Judaeis rejecta. Locus in eam rem ex dialogo *Jaſonis* et *Papiſci* allegatur. *Pfaffii* falſa *Ignatii* verborum explicatio refellitur. XVI. *Ebionaeos* ſecundum traditiones ſeniorum ſcripturam V. F. explicaſſe, *ne per eam extra viam abriperentur*, conſtat ex ſcripto *Ebionitico* apud *Coteleriu*m. P. *Allixius* notatur. XVII. Num *Nazaraei* etiam *Pauli Apoſtoli* epiſtolas reiecerint? Ex *Theodoreto* nihil hic probari poteſt. Cuius mira figmenta diluuntur. XVIII. Non reieciſſe, patet ex *Hieronymi* verbis. XIX. Si *Paulum* non damnabant, quomodo adhuc legi ceremoniali addicti eſſe potuerint *Nazaraei?* *Hieronymus* et *Basnagius* in eam rem allegantur. XX. Cum eiusmodi moribus et conſuetudinibus tolerari debebant in Eccleſia catholica *Nazaraei*. Quis inde fructus in rem chriſtianam redundaſſet? XXI. Euangelium *Matthaei* canonicum admiſiſſe *Nazaraeos* ex *Hieronymi* verbis colligitur. Quid vere fuerit illud πληρέϛατον *Matthaei* Euangelium apud *Epiphanium*, et cuinam *Matthaei* imperfecto opponatur Euangelio? Dubitatio *Epiphanii*, an hoc πληρέϛατον Euangelium genealogiam Chriſti contineret, inepta et abſurda. XXII. *Ittigii* contraria ſententia refutatur. XIII. *Nazaraeos* etiam *Lucae* Euangelium admiſſiſſe, ex *Africani* verbis apud *Euſebium* colligitur. XXIV. *Nazaraei* Chriſtianorum baptiſmum obſeruabant, et per conſequens etiam S. Euchariſtiam. Diem dominicum itidem. Chriſtum Jeſum Mediatorem inuocabant, quod verbis *Nouatiani* de eorum homodoxis probatur. XXV. *Ebionaeos* non excommunicabant, et quare? XXVI. Cur a *Nazaraeis Ebionaei* ſententiam veram de Chriſti e Spiritu S. conceptione non didicerint, inquiritur. *Filiatio Chriſti* in conceptione iſta conſiſtens, cum filiatione apud Jordanem per deſcenſum

ſcenſum Spiritus S. effecta, quam *Ebionaei* agnoſcebant, inter ſe conferuntur. XXVII. Cur ex *Euangelio Nazaraeorum*, dicto *ſecundum hebraeos*, quod recipiebant etiam *Ebionaei*, conceptionem Chriſti miraculoſam non didicerint? *Nazaraei* in coetibus ſuis publice non Euangelia, ſed legem et prophetas praelegebant; etiam gentiles Chriſtiani in ſuis publicis coetibus, non ſtatim poſt Apoſtolorum tempora, omnia N. F. canonica ſcripta legebant. *Humphr. Hodius* et *Jo. Alph. Turretinus* laudantur. *Dodwellus* notatur. XXVIII. *Nazaraeorum* humanitas et beneuolentia erga alios Chriſtianos diſſidentes in religione. XXIX. Quid *Nazaraeis* poſt tempora *Hieronymi* euenerit, disquiritur. *Lud. Cappellus* et auctor *des diſſertations hiſtoriques* refellitur. XXX. XXXI. *Jo. Clerici* ſententia de *Nazaraeis*, eorumque origine confutatur.

Diſſ. IX. *Qua reſpondetur ad* OBIECTA *contra praecedentis diſſertationis aſſertiones de* NAZARAEIS.

I. *Pauli Pezronii* ſententia de *Nazaraeis*, Pellae poſt excidium Hieroſolymae exortis, et ibi Apoſtolorum decreto propter Judaismum ab Eccleſia ſeparatis, refutatur. II. *Tillemontius* ſeparationem iſtam poſt vltimam Judaeorum ſub *Adriano* cladem contigiſſe ex *Severo Sulpicio* et *Juſtino M.* colligit. III. Pellenſes gentiles non cogebant Judaeos aduenas Judaismum abiicere. IV. Ipſe *Pezronus Nazaraeos* antequam Pellam veniſſent, jam praeter Judaismum grauibus erroribus deditos fuiſſe aſſerit. V. *Stillingfleeti* opinio de Chriſtianis, qui Pellae remanſerant haereticis, qui vero Hieroſolymam inde reuerſi ſunt, orthodoxis, in *The Vindication of the doctrine of the Trinity* c. III. p. 21. confutatur. VI. Verior ſententia proponitur. Duae migrationes *Pellam* inſtitutae. VII.

Non tam Judaei credentes, ethnicos, quam hi potius illos tantum excommunicauerunt. *Excommunicatio* a gentilium ſacris, non a Judaeorum Synagoga in Eccleſiam Chriſtianam inuecta. VIII. *Stillingfleeti* opinio de *Nazaraeis* haereticis Pellae demum exortis iterum exploditur. IX. *Jo. Richardſoni* opinio de *Ebionaeorum* duplici genere ex *Nazaraeis* Pellae remanentibus exorto, et tota tandem Pellenſe Eccleſia alterutrum *Ebionaeorum* genus ſequuta. X. Confutatio huius ſententiae. XI. *Bulli* obiectiones ventilantur. Ex *Philaſtrio* Nazaraeorum orthodoxia probari nequit. XII. Ex *Auguſtini* libro de *haereſibus*, *Bullus* adſtruere non poteſt, *Nazaraeos* fuiſſe Homouſianos; etiamſi ita de iis *Auguſtinus* reapſe ſenſiſſet. XIII. Sed non ſenſiſſe probatur, ex aliis ſuis verbis, conſentiente *Hartmanno*. XIV. Explicantur verba *Auguſtini* de *Nazaraeis* in libro de *Haeres.* XV Capita duo in eo *Auguſtini* libro tranſpoſita, in ſuum locum reponuntur. XVI. Ad obiectionem *Bulli*, *Auguſtinum ſuo ſenſu loqui*, quando dicit, *Nazaraeos* confiteri Chriſtum Filium Dei, reſpondetur. XVII. *Auguſtinus* non loquitur exacte, nec cuiusque haereſeos terminos loquendi proprios vbique obſeruat. XVIII. Cum *Auguſtinus* libro de haereſibus, aut *Epiphanium* ipſum aut *Epiphanii* auctorem ſequatur, ex *Epiphanio* potius, explicatius de haereſibus ſcribente, cognoſcenda eſt *Auguſtini* de Nazaraeis ſententia. *Nazaraeorum* doctrina in *Epiphanio* illuſtratur, non bene in *Auguſtino* repraeſententa. XIX. XX. XXI. *Nazaraeos* non credidiſſe Chriſti ante matrem praeexiſtentiam, ex *Epiphanio* ad oculum aliquot argumentis demonſtratur. D. *Huetius* notatur. XXII. *Bulli* obiectio ex *Hieronymo* proponitur. XXIII. Verus ſenſus *Hieronymi* verborum indicatur. XXIV. XXV. Nihil ex illis *Bullum* de fide homouſiana Nazaraeorum probare

probare posse, ostenditur. XXVI. Ipsa *Hieronymi* verba probant eum *Nazaraeorum* fidem de Christo pro maxime imperfecta habuisse. XXVII. XXVIII. XXIX. Dato, non concesso; *Hieronymum* hic *Nazaraeos* tanquam orthodoxos introducere; eius tamen hoc loco testimonium, iniquissimam caussam contra *Augustinum* temere, ac affectu coeco, et non vt candidum virum decuit, propugnantis, nullam fidem meretur. *XXX. Bulli* figmentum de *Ebionaeis* latiori sensu dictis post medium tertii seculi exortis, homousianae fidei de Christo et legi *Mosis* addictis, *Rufino* aliisque contrarium exploditur. *XXXI. XXXII.* Insignis locus *Origenis* allegatur, ex quo patet, omnes Judaeos Christianae simul fidei et legi cerimoniali addictos, ab Apostolicis inde Christique temporibus, sententiam fouisse Christi anteseculari diuinitati contrariam. *XXXIII.* Idem ex *Theodoreto* probatur. *XXXIV.* Respondetur ad obiectionem *Bulli* ex *Epiphanio* petitam. *XXXV.* Refelluntur *Bulli de Nazaraeis* quibusdam antea homousianis, postea demum tertio seculo, *Ebionaeorum* haeresi infectis coniecturae. *Jo. Pearsoni, Humfredi Hodii, Petri Jurieu* etc. imo *Justini* M. ipsius judicia de *Nazaraeis Bullo* contraria. *XXXVI. XXXVII. Allixii* opinio de *Nazaraeis* confutatur. *XXXVIII.* Epilogus.

Diss. X. Joannes *non scripsisse contra* Ebionaeos *probatur.* I. *Irenaeus* statuit Euangelium *Joannis Cerintho Nicolaitisque* fuisse oppositum. De *Ebionaeis* id non dicit, vti nec *Eusebius. Hieronymus* demum id asserit, et circumstantias ridiculas ex *Pseudo-Prochoro* admiscet. *Epiphanii* ea de re traditio. II. Absurditas assertionis *Hieronymianae* et *Bulli* demonstratur. III. Solus *Irenaeus* in hac traditione sequendus est. Cujus caeteroquin commenta distinguenda sunt a vete-

ri, quam aliunde hauserat, traditione historica. IV. *Irenaeus Ebionaeos* post versionem *Theodotionis* exortos statuit, adeoque *Joannem* eis Euangelium suum opposuisse dicere non potuit. *Aquila* et *Theodotion* sub *Adriano* interpretati. *Theodotion* non Ebionaeus, sed *Nazaraeus fuit.* Cur versio *Danielis* ab eo facta, ab Ecclesia catholica fuerit recepta. *Henr. Dodwellus* refellitur. V. *Cerinthus* et *Nicolaitae* crassissimi erant Antichristi. *Ebionaei* non item. Contra illos ergo, non contra hos scripsit *Joannes.* VI. Falsa *Bulli* assertio, *Ebionaeos* Jesu Christo titulum τȣ̃ λόγȣ non tribuisse, aut tribuere non potuisse. VII. *Joannes* non scripsit contra *Ebionaeos*, quia de miraculosa Chisti conceptione nihil scripsit. *Ebionaei* contra *homousianos* de incarnatione τȣ̃ λόγȣ discursus. Vera ratio, cur Christus non e semine viri, sed e Spiritu S. concipi debuerit. VIII. Respondetur ad obiectionem ex *Jo.* I. 13. juxta allegationem *Irenaei* et *Tertulliani.* IX. In *controuersia Joannis* cum *Cerintho* non consideratur, num Jesus e Spiritu S., an vero ex *Josepho* fuerit conceptus; sed num Jesus sit Christus, an vero persona a Christo distincta. *Ebionaei* in hac controuersia *Joanni* erant homodoxi. X. *Bulli* imperfecta *Antichristorum* definitio. XI. *Ebionaei* non negabant Patrem et Filium. XII. Probatur *Joannem non credidisse* incarnationem τȣ̃ λόγȣ in vtero mulieris. XIII. XIV. *Sociniani* multo sunt remotiores a *Cerinthi* Nicolaitarumque dogmate, quam *Ariani* et *Homousiani.* Iniqui, qui eos rejiciunt, cum ipsa apostolica Ecclesia *Ebionaeos* cum eorum errore, crasso licet, semper tolerauerit.

Diss. XI. De Euangelio secundum hebraeos, seu XII. Apostolorum, quo vtebantur Nazaraei.

Non adiecit *Crellius* huic dissertationi nec diss. XII. XIII. et XIV. contenta, nec dissertationes istae sectionibus

bus et paragraphis diſtinctae ab eodem ſunt. In diſſ. XI. poſt breuem de Euangelio ſecundum hebraeos tractationem, loca ex eodem a diuerſis patribus allegata profert, et quidem eo ordine, quo in canonicis noſtris euangeliis ſimilia hiſce fragmentis et allegatis reperiuntur; quem quoque ordinem iſtud Euangelium Apocryphum tenuiſſe *Crellius* obſeruat, ita vt primo Chriſti baptiſmus in eo fuerit deſcriptus, poſtea miracula atque dicta; deinde paſſio eius et reſurrectio.

Diſſ. XII. De Euangelio Ebionaeorum, quod ſecundum Matthaeum vocabant.

In lucem protractis et collectis ex *Epiphanio* aliisque antiquioris aeui ſcriptoribus, euangelii huius fragmentis, quae de *Ebionaeis* ſtatuit *Crellius*, confirmare allaborauit, ſimulque probare: *Ebionaeos* non deſumpſiſſe ſuum Euangelium ex Euangelio *Matthaei* jam conſcripto et edito; ſed antequam vllum canonicum exſtaret, ſuum hoc Euangelium ex orali potius traditione *Matthaei* Apoſtoli conſcripſiſſe; quod hoc modo adſtrui poſſe putat. Poſtquam *Matthaeus* ipſe ſuum ediderat Euangelium, iſtud, *Ebionaei* odio tunc habentes *Matthaeum* non adhibuiſſent, vt ſuum inde conſarcinarent, ideo ante noſtrum carnonicum editum fuiſſe oportet, *Matthaeum* vero huic Ebionaeo Euangelio ſuum poſtea oppoſuiſſe, quia illud ſub eius nomine venditabatur; hinc famae ſuae conſulere et euangelicae hiſtoriae veritatem proprio ſcripto aſſerere voluit.

Diſſ. XIII. De Euangelio ſecundum Aegyptios. Hoc a fratribus aegyptiis conſcriptum et in aegypto editum vnum fuiſſe ex his, ad quae *Lucas* in prooemio Euangelii ſui digitum intendit, ac proinde omnibus canonicis antiquius eſſe cenſet. Huius Euangelii fragmenta varia ex *Clementis* Ep. II. ad Corinth. §. XII. ex *Pſeudolino* de Petri Apoſtoli paſſione, ex *Clemente Alexandr.* ſtromat. L. III. profert, in primis ex illo, quod in *Epi-*

phanii haeref. LXII §. 2. occurrit, vbi in euangelio fecundum aegyptios, Seruator introducitur declarans difcipulis: *Eundem effe Patrem et Filium et Spiritum S.* *Crellius* euincere ftudet, Vnitariorum et Socinianorum doctrinam effe antiquiffimam, et verba inftitutionis baptifmi ex *Matth. XXVIII.* in hoc euangelio ita lecta fuiffe: *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Idem enim eft Pater, idem eft Filius, idem Spiritus S.* Dici autem (*Crellius* addit) Patrem, Filium et Spiritum S. *eundem*, fcilicet, quoad fubiectam materiam, nempe *doctrinam*, ad quam homines per baptifmum obftringi jubentur. Vnitarios igitur fuiffe iftos Chriftianos aegyptios, qui poft adfcenfionem Chrifti ante *Lucam* euangelium hoc ediderunt. Non dubitat, quin in hoc euangelio plura et euidentiora *Nazarenae* aut *Socinianae* doctrinae indicia exftiterint; quandoquidem etiam hoc Euangelium, aeque ac illud fecundum hebraeos *Nazaraeorum*, *Origenes* cum *Hieronymo* inter principia haerefeon retulerunt. Nempe erant ibi talia, quae cum praeexiftentia Dei incarnati nullo modo conciliari poterant.

Diff. XIV. De dictis Chrifti; quae olim exftabant in Euangeliis, aut libris quibusdam auctorum orthodoxorum nunc ignoratorum, aut incertorum.

Cum *Lucas* dicat multos ante fe confcriptos fuiffe libros de rebus Chrifto geftis, inter quos *Matthaeum* et *Marcum* non effe numerandos *Crellius* judicat; plures putat fuiffe, quam tres iftos libros, quos Diff. XI. XII. XIII. tractauit; fed intercidiffe illos cum aliis. Quae tamen ab antiquis citantur dicta Chrifti; quae putat in quodam horum trium Euangeliorum, inprimis in Euangelio fecundum aegyptios exftitiffe, allegat *Crellius* et pro fine fuo in vfus fuos conuertit. Vnicum fpeciminis gratia in compendio proferimus, nimi-

nimirum fragmentum ex *Barnabae epist. cathol.* C. IV. *Dicit filius Dei, resistamus omni iniquitati, et odio habeamus eam.* Ita *Crellius* circa illud inquit: „Continet hoc fragmentum admonitionem, qua Filius Dei non tantum discipulos suos, verum etiam se ipsum hortabatur, ad resistendum omni iniquitati, et ad odio eam habendam. Num vero Deus praeaeternus, qui peccare nullo modo potest, sese ipsum ad fugiendum peccata adhortari potest? Quid, si quis diceret, Deum Patrem, vel Deum Spiritum S. sese hortari ad omnes iniquitates vitandas et fugiendas? Nonne absurdus et blasphemus esse diceretur? Dicesne secundum humanitatem ista loqui Filium Dei? At vero 1. Cum humanitas in vna persona cum deitate subsisteret, non magis talis humanitas peccare potuit, aut adhortatione indigebat, atque ipsa diuinitas. Nisi forte statuas, personalem vnionem etiam hac in parte nostrae animae cum corpore vnioni esse similem, vt, quemadmodum non obstante ista personali vnione, homo exstasin pati et anima a corpore, nondum per mortem dissoluto, aliquamdiu separari possit; sic et homo Jesus Christus cum diuinitate personaliter junctus aliquam aliquando exstasin pati, sibi soli relinqui, et vere tentari, adeoque adhortatione sui ad non peccandum indigere potuit. Sed 2. hac ratione statueres Christi humanam naturam in vnione quidem cum diuina consideratam, nullam habere propriam subsistentiam, habere tamen durante tali exstasi. 3. Statueres etiam, Christum secundum humanitatem non prorsus fuisse impeccabilem, id est, licet reipsa non peccauerit, peccare tamen potuisse, nisi sibi cauisset, et magno studio iniquitati restitisset. Apparet istos auctores, qui hoc dictum a *Barnaba* prolatum inculcarunt, aut scripto consignarunt, et *Barnabam* ipsum, imo Christum, qui talia loquutus est, plus, quam Socinia-

num fuisse. Nec enim *Socinus* vnquam dicere vel scribere fuit ausus, *Christum fuisse peccabilem, vel peccare potuisse, licet re ipsa minime peccauerit.*

Eodem tramite adhuc XII. fragmenta pertractat, ac dissertationem his verbis claudit: „*Ex his huc recensitis* (fragmentis et dictis) *patet, nullum esse Christo indignum, nisi, quod dices, quaedam esse Sociniana aut Ebionaea. Sed id ipsum nunc ostendere instituimus, totam antiquitatem Christianam fuisse Socinianam, aut Ebionaeam, quoad articulum de Jesu Christi persona. Adeo vt isto nomine dicta repudiari nec possint nec debeant.*"

Dissertationis XV. conspectus in *Supplementis ad B. A.* P. II. p. 1085. jam expositus legitur.



TOMI

TOMI SECUNDI.

CAPUT II.

DE PRIMIS ANTITRINITARIORUM IN GERMANIA, ITALIA, HELVETIA ALIISQUE EUROPAE PROVINCIIS SAECULO XVI. MOTIBUS.

CAPUT SECUNDUM.

De primis Antitrinitariorum in Germania, Italia, et Helvetia aliisque Europae provinciis Saeculo XVI. motibus.

Synopsis.

§. I. Antitrinitariorum disciplina non a Christo eiusque Apostolis est repetenda.

§. II. Nec a saluberrimo reformationis Ecclesiae negotio, vel ipsis reformatoribus.

§. III. Primi Saec. XVI. in Germania fuere *Mart. Cellarius*, *Ludov. Hetzerus*, *Jo. Denckius*.

§. IV. *Jo. Campanus*, *Ge. Wicelius*, de quo tamen dubitandum, *Adamus Pastoris*, *S. Rudolph. Martinus*, et *David Joris*, *s. Georgius*.

§. V. *Melchior Hoffmannus*, et *Claudius*; *Casp. Schwenckfeldius* excusandus videtur: Omnino sunt excipiendi *Fabricius Capito*, *Erasmus Roterodamus*, aliique.

§. VI. Ex *Heluetiis* quidam anonymi, non tamen *Coelius Secundus Curio*. Ex Gallis *Steph. Doletus*, ex Hispanis *Jo. Valdesius* male inter Antitrinitarios collocatus et *Alphonsus Lingurius*; in Anglia *Ge. Parrius*.

§. VII. *Mich. Serueti*, Hispani, fata et scripta.

§. VIII. Eiusdem placita et aliorum de eodem judicia.

§. IX. De *Collegiis* Vicentiae a. 1546 institutis, a quibus Socinianismi natales vulgo repetuntur.

§. X. De illorum sociis, quibus non omnes *Itali* religionis caussa isto tempore profugi, sunt adnumerandi.

§. XI. *Joannis Valentini Gentilis* fata ac placita.

§. XII. De *Matthaeo Gribaldo*, *Jo. Paulo Alciato*, *Ge. Blandrata*, *Nic. Paruta*, *Franc. Nigro*.

§. XIII. An *Bernardinus Ochinus* Antitrinitarius?

§. XIV. An *Wilhelmus Postellus* conuentuum Vicentinorum sodalis fuerit?

§. XV. De *Matthia Gittichio*, *Venetiano*, *Francisco Stancaro*, *Petro Paulo Vergerio*, *Paulo Scalichio*, aliisque problematice disseritur.

§. XVI. Itali errore infecti in Helvetiam et praecipue *Geneuam*, se contulerunt; inde expulsi, in alias Europae regiones, maxime in *Poloniam* et *Transylvaniam* discesserunt.

§. I.

§. I.

Qui videri volunt probatiſſimum ac integerrimum Chriſtianismum in coetu ſuo ſeruatum eſſe, ſibique orthodoxiae puritatem familiae Socinianae ſcriptores vindicare ſtudent, diſciplinae ſuae originem jam inde a Chriſto et Apoſtolis repetunt, quam omni tempore per Praedeceſſores ſuos paulo ante nominatos, quos veritates illibatae teſtes praedicant, cuſtoditam dicunt, atque antiquiſſimam Chriſti civium doctrinam per vtrumque *Socinum*, quos Ecclesiae Reformatores maxime ſtrenuos probatiſſimosque venerantur, renouatam et orbi reſtitutam eſſe, jactitant.

* * *

Prima recentiorum Antitrinitariorum initia perquirentes, ipſos familiae huius antiſtites animaduertimus, ſibi ipſis et aliis perſuadentes, placita ſua a Chriſto et Apoſtolis eſſe deriuanda, quos errorum ſuorum praecones peſſime conuiciantur. Suo Socinianos exemplo jam praeiuerunt *Ariani*, qui dogmata ſua et noua inuenta Apoſtolica eſſe, et a prima Chriſtianae ciuitatis aetate in eccleſia Orthodoxa viguiſſe, venditarunt. Tantopere plurimos ſectae huius defenſores hac antiquitatis perſuaſione occupatos, ex antecedentibus nouimus, vt quoque ex antiquorum haereticorum numero haud paucos diſciplinae ſuae confeſſores, tanquam veritatis miniſtros praedicent, et recentiores vel aequalium, vel ſimilium errorum reſtauratores pro genuinis antiquiſſimae ac venerabilis fidei a Chriſto et Apoſtolis traditae per Orthodoxos autem deprauatae et corruptae, reformatoribus habeant. In hunc modum *Andr. Wiſſowatius* in narr. compend. inquit: „*Poſt aliquot ſaecula, quibus nox atra errorum in religio-*

religionem pedetentim introductorum, orbi christiano incubuisset, dies veritatis diuinae reuertens, gradatim, vt fieri assolet, coepit affulgere: Lutheri, Zwinglii, Caluini, Mennonis, veluti aurora, ac diluculum praecessit, quod deinceps solis reducis clariores radii sequuti sunt, cum circiter annum 1546 recepta de Deo trino opinio, in dubium reuocari coepta est. Wissowatius in his F. Socinum habuit praemonitorem, qui in *tract.* de *ecclesia*, Racov. 1611. 8. p. 47. inquit: „*Deus per Lutherum a falsis cultibus et idololatria, qui passim inter eos, qui Christum profitebantur, fiebat, homines retraxit, et ad eiusmodi diuinarum rerum cognitionem adduxit, quae satis esse poterat, ad salutem aeternam conciliandam. Quamuis multa adhuc in doctrina eius essent, quae correctione indigerent, et facile a vera salutis via infirmorum animos reuocare possent, quorum correctionem non diu Deus distulit. — Nihil enim conuenientius fieri potuit, quam ita sensim ad veritatis diuinae patefactionem progredi. Non enim tantam lucem ferre potuissent, oculi plane coecutientes et perpetuo tenebris adsueti: Lacte, non autem cibo solido infantes sunt nutriendi; cum vero paululum adoleuerint, tum paulo etiam eis solidior cibus praebendus est.*" Eadem tibia cecinit Ostorodus in *praef. Instit. Relig. christ.*: „Gott hat nicht alles, was die Wahrheit zu erkennen betrift, denselbigen Männern, durch welche er uns die Finsterniß des Pabstthums gezeiget, gegeben; sondern einem jeden etwas, und das auch nicht auf einmahl; sondern von Tage zu Tage mehr, damit er unserm schwachen geistlichen Gesichte also zu Hülfe käme, als welches das vollkommene Licht nicht würde mit eins haben ertragen können." Ad eundem modum Smalcius in *praef.* libro *de Christo vero*, et *naturali Dei filio*, praemissa, inquit: „*Quod ecclesias nostras reformatiores appellari, aegre fert* Smiglecius, *mirum non est; siquidem suam deformatam fuisse et esse, credere nondum fortassis didicit. Docebit autem id dies magis magisque, si ea, quae tum aduersus Romanam Ecclesiam, tum aduersus alios quoque*

que coetus reformatos vrgemus, obtinuerint, nos nihil nobis arrogare, ſed quod res eſt, vere de nobis praedicare." Eadem perſuaſione trahitur Stan. Lubieniecius, qui l. c. L. I. C. I. p. 2. ſeqq. et pluribus eiusdem libri locis, coeptam quidem a. 1517. per *Lutherum* Eccleſiae reformationem concedit; ſed illo tempore, quo articulus de Deo triuno, et deitate J. C. impugnatus eſt, circa annum 1550 eccleſiam, perfectam reformationem et libertatem conſequutam eſſe, jactitat. His figmentis deceptum quoque videmus Jo. Stoinium in *Chronologia Graduum, quibus veritas coeleſtis in Polonia ſenſim ad ſummum peruenit*, etc. apud *Sandium* l. c. p. 181.

Ex ſuppoſita de diſciplina ſua Apoſtolicae originis praeſumtione, Socinianismum profitentes, Socinum non noui Syſtematis ſtatorem, ſed eccleſiae reformatorem abſolutiſſimum ſibi fingunt. *Lutherum* equidem opus ſalutare inchoaſſe, *Zwinglium*, *Caluinum*, *Oecolampadium*, aliosque continuaſſe, *Socinum* denique perfeciſſe, omnesque eius ſequaces in apricum antiquiſſimae veritatis prodiiſſe, erroribus ſuis litantes venditant. Quod ciuitatis huius ſodales *Laelio* et *Fauſto*, *Socinis* tribuunt, Gregorius Pauli, qui Neo-Arianismi in Polonia auctor creditur, ſibi faſtuoſe vindicat. Adeo enim jactabundus procedit, vt ſibi cum cauſſae ſuae ſociis Anti-Chriſti exciſionem, eiusque ab imis vsque fundamentis euerſionem tribuat, Lutherum autem primas ſaltim reformationis duxiſſe lineas fucum faciat. Ita Jo. Wigandus, L. II. de Deo, contra nouos Arianos inquit: „*Noui Ariani, qui in Polonia jam recens exorti ſunt, quorum ſeſe caput profitetur* Greg. Pauli, *miniſter Cracouienſis, edita monſtroſa tubula, et turri Babell*, (B. A. P. II. p. 599. N. 1. p. 604. N. 3.) *ex putrida ambitione, veluti ſcarabaei ex aſinis mortuis pullulant. Nam* Lutheri *vix minimam partem, reuelationis et deſtructionis Antichriſti relinquunt, nempe ſuperioris tantum tecti in aedificio Antichriſtiano denudationem; at ſibimet ipſis iſti ſpiritus arrogant Antichriſti exci-*

ſionem

ſionem et exſtirpationem." Gloriantur ſibi longe plura a Deo eſſe data, quam *Luthero*, aut aliis; ſic expreſſe *Greg. Pauli* ſcribit: „*Deum per Lutherum coepiſſe Eccleſiam Anti-Chriſti a tecto demoliri, non a fundamento, ne domus putrida eum opprimeret.*" *Val. Gentilis* in dedicatione libri, quem Regi Poloniae *Sigismundo* ſacratum voluit, contendit: LUTHERUM, ZWINGLIUM, BUCERUM, *in oppugnando Anti-Chriſto tantum occupatos fuiſſe in caudae oppugnatione, ſolumque Philippum ex tot millibus vnum fuiſſe, qui quaſi aliud agens, lethale vulnus, ei potius minari, quam infligere videatur.*" Circa hoc aſſertum omnes Antitrinitarii recentiores conueniunt, qui in aliis rebus, vt Architecti Babelis maxime diſſentiunt. Adferunt quoque rationes, quibus prouecti, longius ſibi progrediendum fuerit datum. *Lutherum* equidem opus hoc inchoantem in primo veritatis gradu conſtituiſſe homines, cum ſtultam operum meritoriorum confidentiam caſtigauerit; in quo ipſi negotio diuina prouidentia adjunxerit *Melanthonem* et *Bucerum*, qui prudentia et moderatione eius impetum moderarent, juxta hos vero *Caroloſtadium* et *Bugenhagium* magno ipſi fuiſſe adiumento. Aſt eundem neutiquam vniuerſum perfeciſſe negotium; arrogantiam enim, ambitionem et potentiam eccleſiae miniſtrorum non ſatis fuiſſe limitatam, relicta illis confeſſione auriculari, et licentia peccatorum remittendorum ſatis quaeſtuoſa, variasque remanſiſſe reliquias in euchariſtica conſubſtantiatione, tolerandis imaginibus, cerimoniis, aliisque. Subornaſſe igitur Deum ZWINGLIUM, OECOLAMPADIUM, CALUINUM et PETRUM MARTYREM, qui curandis morbis medicam manum admouerint, purioremque eccleſiam et doctrinae formam reſtituerint. Reductis igitur per certos gradus hominibus e cimmeriis tenebris in mirabilem veritatis coeleſtis lucem, ſatis hoc ipſo Deum declaraſſe, non tantum non eſſe ad antiquatos errores reuertendum, ſed vlterius aſſuetis paullatim tenuiori luci oculis, in apricum eſſe progrediendum. Laudabili id conamine in totius chriſtiani

orbis emolumentum exſequutos eſſe, quos inuidia *Ebionitarum*, *Samoſatenianorum*, *Arianorum*, *Photinianorum*, et *Socinianorum* appellationibus onerat, quos confeſſio veritatis chriſtianos ac doctrinae a Chriſto et Apoſtolis traditae vindices declarat ac celebrat. Hoc modo coetus huius hominibus eccleſiae reformatio non eſt abuſuum errorumque, qui inualuerant, remotio ac ſublatio, et doctrinae coeleſtis a maculis eidem adſperſis repurgatio; ſed myſteriorum fidei Apoſtolicae deſtructio ac illuſio. Pii, quos veneramur, Reformatores iſto propoſito a priſtino coetu diſceſſerunt, (vel potius ab eodem excludi ſe paſſi ſunt,) vt, ſi aliquando emendatus, ad priorem formam redierit, ipſi quoque ad illum reuerſi ſint, et communionem cum illo redintegraturi; cum temerarii veritatis corruptores quodcunque S. Scripturae Myſterium a Chriſtiana fide exterminari auſi fuerint. Inprimis imaginarii iſti reformatores doctrinam de Deo Trinuno eſſe eliminandam putarunt, quam omnium errorum maximum judicarunt; hinc SAM CRELLIUS animum ſuum obfirmat, numquam orbem chriſtianum reformatione indiguiſſe, niſi dogma de S. Trinitate receptum fuiſſet, quod ipſo judice tot alia non minus reiicienda peperiſſet. V. *Theſ. Ep. La Crozianus*. T. I. p. 90. Hac ratione ANDR. FRICIUS, MODREUIUS, in fine *tract.* I. *ſyluarum* libri 3., ſententiam *Pinczouiorum* propter nouitatis obiectionem defendere, eamque reliquis veritatis diuinae momentis per reformationem Eccleſiae reſtitutis, ac ab errore vindicatis accenſere conatus eſt. Recenſuiſſe autem iſtas Socinianorum laruas, idem eſt, ac diſpuliſſe.

§. II.

Primos Saec. XVI. circa myſterium S. Trinitatis in variis Europae regionibus, ſpeciatim in Italia, Heluetia ac Germania motus exponentibus, admodum circumſpecte procedendum eſt, ne innocenti,

centi, ac purae veritatis cupido errorum macula adſpergatur; de multis enim, quam praeciſe profeſſi fuerint doctrinam, certo ſtatui nequit, quia vel ipſi non determinate, et conſtanter mentem explicarunt, vel alii ipſis errores imputarunt, quos deteſtati ſunt. A ſaluberrimo autem reſormationis negotio, qui Antitrinitariorum haereſin ita derivandam eſſe, vt illa hanc produxerit ac promouerit, aliis perſuadent, peſſime argumentantur.

* * *

Summa in luſtrandis recentiorum Antitrinitariorum primordiis opus eſt circumſpectione, ne quibusdam haereſeos infligatur nota, qui vel omnino orthodoxe ſenſerunt, vel quorum ſaltem dubia adhuc fama eſt, et qui adeo, niſi euincatur contrarium, recte crediſſe praeſumuntur. Initio Sec. XVI., quo Eccleſia a ſuperſtitionis et cultus humano ingenio inuenti inquinamentis purgari coepta, in tenerrima aetate, ac vix incunabulis ſuis egreſſa erat, in id haud pauci intentum habuerunt ſtudium, vt viros diuino lumine colluſtratos, et de Chriſti coetu optime vel merentes, vel vt mererentur cupidos, in haereticorum claſſem ipſis inuitis et reluctantibus traherent. Tantum enim fuit Pontificiorum in omnes, qui de reformanda Eccleſia meditabantur, odium, vt quoscunque pios veritatisque ſtudioſiſſimos viros atro calculo notarint. Exſtitere iſto tempore in medio Papatu anxie religionis emendationem deſiderantes, qui de quibusdam fidei momentis minus accurate ſentiebant; ſed fuere quoque, qui a fundamentali errore animo ac intentione prorſus alieni, in reformandi ſtudium incumbebant, clariorem lucem inter ardentiſſimas preces anhelantes. Hanc aequitatis et candoris legem non obſeruarunt, qui meliorem Eccleſiae formam, et effictorum humano ingenio

dogmatum jacturam reformidabant, immo quodcunque reformandi conamen, tanquam crimen laesae Maiestatis diuinae reputabant, omnesque meliorum temporum cupidos absque discrimine foedissimae haereticorum sentinae adnumerabant. Iniqui eiusmodi judices ista aetate complures, immo nuperrime auctores *Encyclopaediae Gallicae* exstiterunt, qui in tit. *Anabaptistae*, hos pro peculiari sodalitate in Protestantium coetu habent, ac *Müntzerum* et *Storchium* genuinos *Lutheri* discipulos fuisse perhibent; quae sententia Pontificiis jam olim accepta fuit, qui *Lutheri* doctrinam de libertate male interpretati sunt; cum tamen testantibus horum temporum monumentis, Protestantes aeque ac Pontificii, Anabaptistas omni modo, immo vltra, quam Christi sectatores decet, igne et gladio nonnunquam persequuti fuerint. Ipsos quoque pios ac venerandos Reformatores ab hoc praecipite haeretificandi studio non semper immunes fuisse, haud raro animaduertimus, cum haereticum judicauerint, qui vel ciuile commercium saltem cum haeretico habuit, vel huic humanitatis et hospitalitatis officia praestitit; cujus rei exempla ipsa historia nostra in medium proferet. Ne nos in enarrandis primis Antitrinitariorum initiis temerarii judicii reos faciamus, nec a regia amoris lege aberremus, tamdiu ab omni sententia abstinendum esse arbitramur, quamdiu certi aliquid statui nequit. Id quidem indubitatum est, nonnullos, qui vel in Germaniae prouinciis, vel in aliis extra illam terris, de meliori Ecclesiae statu circa tempus reformationis cogitarunt, turbulenti ingenii homines fuisse, suisque viribus confidentes, qui ad horrenda errorum deliramenta prolapsi, corruptionis humanae testes exstiterunt. Nemini historiae ecclesiasticae recentioris gnaro, ignotum est, vndecunque terrarum viros, *Lutheri* exemplo commotos in restaurandam Ecclesiam sua direxisse consilia. Inter hos erant, qui deuota veritati mente, Dei implorantes auxilium, reformandi occasionem, coelestisque gratiae nutum prouide attendebant;

bant; ast fuere quoque, qui sectae peculiaris duces esse, suumque hoc conamine nomen celebrare ambierunt. In horum numero, opus optimum pessime molientium, fuerunt, qui pure adhuc seruatis in coetu Romano dogmatibus, praecipue Mysterio S. Trinitatis et Deitati Christi insidias struxere, qui ambitiosi opinionum seminatores cum *Luthero* ac genuinis reformatoribus non consenserunt, sed singularem potius doctrinae formam ad ingenii sui typum adornare statuerunt; quos omnes Pontificii sub Lutheranorum titulo odiose olim complectebantur. *Luthero* ac *Zwinglio* cum sociis suis, heroica virtute, abvsus in Christi ciuium coetum praeterito tempore inuectos, oppugnantibus, haud pauci, cuicunque licentiae inhiantes, adesse felicissimam occasionem putabant, qua, quicquid in animo habuerunt, publice proponere possint. Hoc modo malus genius *Anabaptistas*, rusticorum motuum auctores, *Antitrinitarios*, aliosque subornauit, quo hominibus persuaderet, pessimos esse euangelii restituendi effectus, innumerosque sub hac specie prouocauit, vt triticum cum Zizaniis euellerent. Idem isto tempore accidit, quod Seruator *Matth.* XIII, 26. 28. significauit: *cum excreuit herba, et fructum tulit, lolium quoque comparuit.* Quidam *Luthero*, ipsiusque cooperariis promeritam inuidentes gloriam, ipsi arrogantia inflati eundem famae ac celebritatis splendorem venabantur, huncque magis, quam ipsum reformationis opus moliebantur. Stolido hoc superbiae impetu in horrenda dogmatum figmenta prolapsi sunt, vt temerarii statuerint, diuinae reuelationis mysteria corrigenda esse, immo subuertenda.

Nemini propterea sano persuaderi poterit, *Socinianismum* esse *Protestantismi* surculum, Lutheri reformationem Antitrinitariorum natalitiis proximam suppeditasse caussam, nouamque ecclesiae formam desideratam et exoratam diu, ex se et sua natura istis innoutaionibus locum fecisse. Ita judicarunt haud pauci ecclesiae Roma-

nae scriptores, alioquin eruditissimi, Lutheranismum turbato adfectu traducentes, eumque non erroris tantum circa S. S. Trinitatem, sed Atheismi adeo accusantes. Ita *Alfonsus Valdesius*, qui Imperatori Carolo V. ab epistolis erat, *Melanthoni* in ipsis comitiis Augustanis a. 1530. d. 18. *Jun.* referebat: „*quod Hispani de Lutheranis persuasi sint, hos nec Deum, nec S. S. Trinitatem credere, et Christum aeque ac Mariam parui aestimare.*" Plures huius argumenti criminationes Saligius in notissimo opere T. I. p. 186. narrauit, quarum ipsos Pontificios quam plurimos nostro tempore pudet. Inter illos criminantes eminent, Jac. Ben. Bossuetus, in *hist. des Variations des Eglises Protestantes*, T. II. p. 414. seqq. Purpuratus *de Noailles in lettre pastorale aux nouveaux Reunis*, quae a. 1699. *Amstelod.* prodiit, p. 14. seqq. Andr. Fornerus, in *Jubilaeo Quinteuangelico* etc. *Ingolst.* 1618. 4. qui p. 187: ex *Lutheri* reformatione enatos esse, *Samosatenianos* et *Tritheitas*, diserte enuntiat. Jo. Cochlaeus, in *Philippicis quatuor* in *Apologiam Phil. Melanthonis* ad *Carolum* V. Lips. 1534. 4to. Lutherum quindecim errorum in articulo de Deo, et Melanthonem nouem aduersus fidem Nicaenam accusauit, vtrumque vero *Ario* peiores ab orthodoxa de S. Trinitatis mysterio doctrina defecisse, criminatur, et Lutheranismum, quem omnium haeresium pessimam appellat, conuitiatur, quod omnes antiquas, et in ecclesia olim damnatas sententias pleno ambitu complectatur. Idem argumentum iniuriosum *Cochlaeus* tractat in opusculo, quod inscribitur: *XXI articuli Anabaptistarum Monasteriensium, confutati adiuncta ostensione* originis, ex qua defluxerunt, etc. 8. Lips. 1534. in quo per singulos Anabaptistarum articulos, ne illo quidem de negata diuina Christi natura, omisso, calumniatur, *Lutheri* reformationem omnibus illorum erroribus viam reclusisse, et hoc modo colligit: „*Ex his vnusquisque facile cognoscet, Anabaptistas, aliosque Suermeros, et sectarum duces, neque extingui, neque exstirpari posse, quamdiu haere-*

haeretici libri Lutheri non fuerint extincti et exſtirpati. Ipſi enim ſunt ſtirps et radix, vnde tales fructus quotannis creſcunt, quotquot demetuntur; non prodeſt amputaſſe, quamdiu integra permanet radix, ex qua alii ſuccreſcere poſſunt." WILH. DAMASIS LINDANUS, Epiſc. Ruremundenſis, in *Dubitantio de vera certaque de Chriſti Jeſu euangelium ſalutis aeternae via, Colon.* 1571. p. 189. LUTHERUM, HETZERUM, CAMPANUM, SERUETUM, ILLYRICUM, SCHWENCFELDIUM, CALUINUM, aliosque tanquam Arianismi renouatores in vnum chorum coegit, omnesque Antitrinitarios Lutheri fuiſſe diſcipulos, venditat. Auctor hiſtoriae Socinianismi gallice ſcriptae, p. 8. quodcunque adhibet ſtudium euincendi, *Lutherum* portam aperuiſſe *Socinianis*, cum ipſe 1) Feſto Trinitatis pro concione dixerit, frigidum Trinitatis vocabulum, humanumque eſſe inuentum, et 2) ὁμοȣσιȣ termino eſſe abſtinendum, 3) Verba 1. *Jo.* V. in verſione germanica omiſerit, 4) in *Comment.* in *Gen.* 1. Filium Dei creationis inſtrumentum appellauerit, 5) Chriſtum vocauerit heroem, 6) ex Litania verba deleuerit, *Sancta Trinitas, vnus Deus, miſerere nobis.* Idem de *Caluino* enunciat, quod 1) ſaepe dixerit, verba ſubſtantiae et perſonae, in Deo ſibi videri impura et barbara, dignaque, vt aeterna obliuione ſepeliantur, 2) precum formulam: S. Trinitas, vnus Deus, miſerere nobis, ſibi diſplicere, 3) Trinitatis vocabulum barbarum eſſe et profanum, 4) vix absque riſu audiri formulas: Credisne in Deum, h. e. in Trinitatem; vnus Deus, vnus mediator, h. e. Trinitas; omnia quecunque precati fueritis Patrem meum, i. e. Trinitatem; 5) ex vulgari Trinitatis explicatione neceſſario ſequi, tres eſſe in Deo eſſentias. Huius generis plura alia adfert ex epiſtolis *Caluini* ad Polonos, et libro aduerſus *Seruetum*, etc. quibus eundem conſentiiſſe cum Socinianis quouis modo perhibet. Easdem interea criminationes recentiore quoque aetate quidam ſcriptores Romani repetierunt; v. g. JO. RENNINGERUS, qui ipſos Judaeos meliores Lu-

theranos, horumque doctrinam, quoad ſubſtantiam Judaeorum erroribus non eſſe meliorem, et *Vitus Richterus*, qui Lutheranos Arianis aequiparandos eſſe judicarunt. V. *V. E. Loſcheri* documenta Reform. T. I. p. 325.

Socinianiſmi incunabula poſt triginta annos, a coepta per *Lutherum* eccleſiae emendatione; nec inter Proteſtantes, ſed in Eccleſiae Romanae ſinu animaduertimus; quamuis etiam in Germania quidam errorum renovatores ſurrexerint, quibus primi Euangelii repurgati praecones ſtrenue obuiam iuerunt. Nemo praeterea ſanae mentis, quae temporis ſucceſſu atque ordine ſe excipiunt, ita diiudicat, vt vnum alterius cauſſam reputet. Licet a ſaluberrimo *Lutheri* negotio homines quidam malae cauſſae anſam arripuerint, hoc tamen illi in ſuſpicionem ac infamiam verti nequit. Breui poſt Chriſti et Apoſtolorum tempore, immo ipſo ſaeculo apoſtolico, foediſſima excluſa ſunt haereſium monſtra; an inde quis legitimam conuiciandae doctrinae apoſtolicae peteret rationem? Habuerunt recentiores errorum patroni ſuos praecurſores, quemadmodum per ſingula ſaecula coetus ſacri Reformatores atque veritatis teſtes inclaruerunt. Eodem fere, quo *Lutherus*, tempore, aduerſus peruerſam curiae Romanae conditionem ſurrexit, haeterodoxi quoque et haereſium ſtatores ex latebris ſuis prorupeerunt; qui tamen ab inuicem diſcernendi, nec pro vna eademque progenie reputandi.

Ab hac criminatione, cuius temeritas a partium ſtudio alienis per ſe patet, a primis temporibus doctores euangelici variis ſcriptis ſe liberarunt, quorum quaedam rariora, paucisque noſtra aetate viſa, hoc loco allegamus. Primum hunc indicem prae ſe fert: „Wer aller Rotten, Secten, und unchriſtlicher Lehren, ein Urſach ſey. **Johann Fritzſhans.** Hoſea 9. Jud. 19. Sie machens zu viel, und ſind verderbet, wie zur Zeit Gibea." In fine haec leguntur: Gedruckt zu Magdeburg, durch Hans Wallther. pl. 3. 8. 1535. Libellus formam epiſtolae habet, Doctori

Doctori medicinae *magno Hundsio* in Joachimi valle commoranti scriptae p. a. 3. auctor inquit: „Etliche gebens dem Doctor Martino Luther schuld, (quod haereses et sectae isto tempore ortae fuerint,) aber sie thun ihm eben, als dort dem frommen Achimelech, im ersten Buch Samuel, am 22. der ym vorlog, als sollt er David wider Saul hetzen, der auch mit seinem Lügen so viel zuwege brachte, daß Saul alle Priester zu *Nobe*, mit Weib und Kinder erwürgen ließ, ja er selbs war der Mörder. Aber sie lügen wie sie wollen; so kan es sein Schuld nicht sein, weil jm alle Rotten vom Sacrament und Widertauffe, so feind sind, daß sie nichts liebers sehen, denn das Luther mit seiner Leere schon aufgeflogen wäre, denn er ist jr Gift, Pestilentz, Tod und Donnerschlag, für den sie nichts können aufbringen, — — — — — Daß aber Cochläus sagt: Die Rotten haben aus Luthers Lehre Ursach genommen, ist nichts gesagt. Arrius nam auch Ursach, aus dem Evangelio Joh. 14. Der Vater ist größer, denn ich, und verneint die Gottheit Christi. Christus aber gab jm damit keine Ursach. Wie auch die Corinther von den Aposteln Ursach nahmen, das einer sagt, Ich bin Pauli, der ander ich Apollo, 1 Corinth. am 3. machten unter sich Rotten und Spaltung, Sollte man darum der Apostel Leere verachten, und sagen, daß sie unrecht were? Wenn das gelten sollt, muß man beyde alt und neu Testament verpieten, weil alle Ketzer und der Pabst sonderlich jre böse Leere daraus genommen haben. Aber es seyn andre Ursach falscher Leere, die die verstarrten blinden Leut heut nicht sehen wollen, nemlich den grimmigen Zorn Gottes, der solches umb unser Sünd und böses Leben verhängt und kommen läst, das uns der Teufel mit falscher Leere, allezeit neben Gottes Wort, so plagt und martert, daß es zu erbarmen ist."

Alterum scriptum historiam *Borussiae* eccles. illustrans exstat, hoc titulo: „*Responsio ad calumnias Stanislai Hosii, in quibus tum Elbingenses, tum omnes alios, qui Augustanam confessionem amplectuntur, defectionis ab ecclesia,*

et haerescos accusat, scripta et recognita per: M. Hieronymum Mencelium." Cum Hosius euangelium a Luthero praedicatum conuiciis peteret, quod ex eodem horrendae exortae sint sectae, Mencelius p. 126. seqq. ita respondet: „*Cur non et argumentatur* Osius: *cum Joannes Baptista et Christus praedicarunt euangelium, fuerunt sectae Essaeorum et Sadducaeorum. Cum Apostoli docuerunt, fuerunt, qui se Nazaraeos vocarunt. Joannis Euangelistae temporibus surrexit Cherinthus, Ebion et alii, et paulo post Arius quoque prodiit. Augustini tempore Pelagiani et Valentiniani*, etc. *Ergo Euangelium, quod praedicauerunt, Joannes Baptista, Christus, Apostoli, Joannes Euangelista, Augustinus* etc. *impurum est*, — — — — *Verum nota est de talibus Apostoli regula: Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum.*"

Inprimis Stan. Hosius Episcopus olim Warmiensis, in *judicio* et *censura*, ad *Tiguriorum* et *Heidelbergensium censuram* et *judicium de dogmate contra adorandam Trinitatem in Polonia nuper sparso*, iudicat, Vnitarios et Seruetianos Trinitatis, personae, et naturae terminos auersantes, vestigia Reformatorum Ecclesiae pressisse, qui reiectis conciliorum decretis, et patrum oraculis, nihil, nisi quod in S. litteris expresse legatur, admittere velint. Ad eundem modum Vnitarios ac Seruetianos procedere aduersus *Lutherum*, *Caluinum*, aliosque Reformatores, quo hi aduersus Romanum pontificem et ecclesiae pontificiae doctores egerint. Hisce dictis fulcrum admouere putat, libro isto (cuius auctor Clebitius,) qui sub titulo prodiit: *victoria veritatis et ruina Papatus Saxonici; Caluinum* juxta ac *Joannem a Lasco* questos esse perhibet, quod *Lutherus* Papatum non sustulerit, sed se ipsum potius Papam fecerit, aliisque loco lignei ferreum imposuerit jugum. *Ochinum* in dialogo contra sectam terrenorum Deorum omnes implorasse magistratus, vt nouum Papatum emergere, et validiorem fieri non paterentur, siquidem recen-

tiores

riores Papas impiores et crudeliores futuros Romanis, quas ipſas lamentationes *Melanthon* quoque aduerſus *Lutherum* aliosque cecinisſet. In *Synodo Pinczovienſi* haereticos flammis tradidiſſe *Stancari* ſcripta, immo cum ipſo *Stancaro* ita procedere voluiſſe, vt *Caluinus* cum *Serueto* egit, niſi ille aufugiſſet. His ita ſe habentibus HOSIUS Regem Poloniae optime facturum judicat, ſi omnes in genere diſſidentes, ſociosque Auguſtanae, Helueticae et Bohemicae confeſſionis, vna cum Vnitariis, qui illis peiores ac nocentiores aeſtimandi non ſint, terminis ſuis expelleret. V. Opus HOSII, l. c. f. 351. b. 361. a. 367. a.

Quantis Pontificii ſe implicent fallaciis, absque vlla quoque bonae cauſſae apologia, cuiuis aequo rerum arbitro conſtat. Qui *Luthero*, aduerſus errores et abuſus receptos pugnanti imputat, quod peruerſi ingenii homines ſurrexerint, articulum de S. Trinitate, et aeterna divinitate Chriſti impugnantes, inique iudicat. Non quidem maius aequo pretium conciliis et patribus ſtatuunt Proteſtantes, ſed neque pretioſiori illorum aeſtimatione opus eſt, ad defendendam orthodoxam doctrinam, quae S. Scripturae oraculis adſtruitur, cum ipſi Pontificii teſtentur, quod Patres Ante-Nicaeni, non cum ἀκριβείᾳ ſed minus accurate, myſterium S. S. Trinitatis aliquando propoſuerint; quod proinde non ex conciliorum et Patrum, ſed S. Scripturae auctoritate docendum, atque ex hac maxime, non ex illis Antitrinitarii profligandi ſint. Proteſtantes quidem συγκατάβασιν erga Pontificios obſervandam patiuntur, fidei chriſtianae dogmata ad traditionis Catholicae trutinam expendi; quando vero hi deficientibus argumentis ex S. Scriptura petitis, ad traditionem, tanquam ad ſacram anchoram confugiunt, illi, vt iſtam quoque his extorqueant, omne merito ſtudium adhibent. BUDDEUS *de origine Socinianismi ab Eccleſiae emendatione non repetenda.*

Proxime ad veritatem accederet, qui peſſimam Eccleſiae Pontificiae iſto tempore, quo *Lutherus* diuinam veri-

veritatem ab humanis additamentis purgare aggreſſus eſt, corruptionem et deprauationem *Socinianismo* oſtium aperuiſſe crederet. Qui eccleſiaſticam iſtius aeui hiſtoriam conſiderat, facile obſeruabit, iſtud in omnibus fere Europae regionibus, ſingularia eruditionis renaſcentis cupida ingenia protuliſſe, quae in ſcientias ipſas, meliori forma reſtituendas et emendandas, omnem curam et quodcunque ſtudium contulerunt. Cum igitur vbicunque ſtupidam ignorantiam ſummamque in rebus ſacris ſuperſtitionem, et maxime in iis, qui coetui chriſtiano praeerant, ſocordiam, fraudes, auaritiam, et nefanda omnis generis ſcelera, animaduerterent, illi, quibus melioris doctrinae lux e longinquo adfulſit, ad *Naturalismum* facile inuitabantur. Notante enim et reprehendente *Luthero* inquinamenta in corpore doctrinae pontificiae, cum maxima impietate connexa, v. g. *de indulgentiis*, ſeu de quaeſtu quodam redimendi veniam factorum faciendorumque, et hanc mortuis quoque conciliandi, alii a pio *Lutheri* animo alieni et noua parturiendi pruritu incitati, myſteria et reuelationem ipſam ridendi proteruiam ſibi ſumſerunt. Mirandum igitur non eſt, in hac rerum conditione ac reuolutione, haereſin, quae proxime ad *Naturalismum* accedit, caput ſuum extuliſſe inter eos, qui verbo Dei deſtituti, quod plane ignorarunt, immo ipſi Theologi et eccleſiae miniſtri, raro viderant, (in vaſtiſſimo enim Poloniae regno duo ſaltem Bibliorum exemplaria exiſtebant,) proprium ingenium viae ducem in rebus fidei adoptarunt. E contrario nemini prouido rerum aeſtimatori facile perſuadebitur, *Lutheri* diuinum ſtudium *Socinianismo* obſtetricis commodaſſe manus, cum vniuerſo orbi expoſitum ſit, quantopere ille, et omnes, qui ipſi praeſto fuerunt, in id laborarint, vt coeleſtis veritatis brabaeum, ab Apoſtolis acceptum, purum ac incorruptum ſeruetur.

In ipſa confeſſione Auguſtana coetuum Proteſtantium ſuffragiis confirmata, articulo ſtatim primo doctrina de

vnitate

vnitate essentiae diuinae, et tribus in eadem personis, luculenter quamuis breuissime repetita, et errores huic aduersantes, in specie *Samosateniani*, tum veteres, tum recentiores, damnati animaduertuntur. Verba confessionis in opere Msc. quod Bibliothecam Regiam Regiomentanam ornat, ac plena comitiorum Augustanorum acta continet, ita concepta sunt: „*Damnant* (*ecclesiae*) *et Samosatenos veteres ac neotericos, qui cum tantum vnam personam esse contendunt, de verbo et de Spiritu S. astute et impie rhetoricantur, quod non sint personae distinctae, sed quod verbum significet verbum vocale, et Spiritus motum in rebus creatum.*" Jam ante exhibitam Augustanam confessionem a Pontificiis Samosatenicorum errorum fit mentio, quo titulo tamen *Serueti* haeresis notari non potuit, (quod M. W. *Feuerlinus* euincere contendit, in *Observ. variis in Aug. Confess. Goettingae* 1742. p. 7.) quae isto tempore nondum innotuit, sed *Denckii*, *Hetzeri*, *Jo. Campani*, aliorumque circumuagantium Anabaptistarum. Cum 1529. d. 3. *Nov.* CAROLUS V. et CLEMENS VII. P. R. *Bononiae* de pace Ecclesiae restituenda deliberarent, et *ille* amicabilem compositionem in synodo celebranda, *hic* arma ad opprimendum dissentientes ab E. R. suaderet, *Clemens* ex ipsis nouorum dogmatum generibus haud ita pridem sparsis sui consilii caussas probare arbitrabatur, et inter alia in hoc congressu ita sentiebat: „*Sunt dogmata partim non solum falsa, sed etiam manifeste absurda, qualia sunt Anabaptistica.* — — — *Nuper etiam* SAMOSATENICA *mota sunt de filio Dei, quae transformant ecclesiae doctrinam in Mahometicam. Vt autem ad incendium boni omnes restinguendum mox concurrunt, sic concurrere omnes gubernatores oportebat ad opprimenda initia harum quaestionum, ac res pessimi exempli fuerit, de eis admittere vllam disputationem.*" V. scriptum, cui titulus: *De congressu Bononiensi* CAROLI *et* CLEMENTIS *P. R.; oratio recitata a* PAULO DUMERICHIO *Halensi Decano collegii Philosophici in academia Vitebergensi, cum gradus Magisterii Philosophici aliquot ho-*

nestis

nestis et doctis viris decerneretur, Anno 1559. *Witebergae, excudit Vitus Creutzer.* 8. pl. 3. p. A. 7. b.

Vates interea *Lutherus* in hac parte exstitit, qui haeresin Antitrinitariam et Socinianam suo tempore nondum plane conceptam diuinauit, saepiusque auditores serio admonuit, vt animos suos S. Scripturae testimoniis de diuina Jesu Christi natura munirent, quo tandem aduersus hostes Christi Deitatem aliquando oppugnaturos, firmi persistere possint. Ita in concione ad textum Jer. XXIII. 6. *Tom.* V. *Witteb.* germ. fol. 307, scribit: „Laßt uns diesen Text wohl merken, wenn nun die Ketzer und Secten aufstehen werden, und diesen Artickel unsers Glaubens anfechten, daß Christus nicht ein natürlicher, wahrer Gott ist, wie denn gewiß diese Ketzerey noch kommen wird, daß wir denn gerüstet seyn, und ihnen diesen Spruch können vor die Nasen halten, dawider sie nichts leichtlich werden können aufbringen. Mit solchen gewissen starken Sprüchen muß man sie fassen, sonst entwischen sie uns, und fahren durchhin, wie die Fische durch ein Netz wischen."

§. III.

Breui temporis spatio interposito, postquam *Lutherus* Ecclesiam pristinae puritati ac meliori formae vindicare adgressus esset, omnium haeresium auctor, in *Germania*, aliisque Europae regionibus Euangelii luce ex parte collustratis, suos excitauit arbitros, qui nociuas veterum errorum herbas, quas vterque *Socinus* deinde peculiari ordine digessit, disseminare conabantur. Fuere inter hos, *Martinus Borrhaus*, antea *Cellarius* dictos, *Ludouicus Hetzerus*, et *Joannes Denckius*, qui primi post inchoatam Ecclesiae reformationem Antitrinitarii innotuerunt, ex quibus primo loco nomi-

nominatus, meliora edoctus, relictis tetricarum opinionum ſcopulis ad veritatis orthodoxae portum ſe recepit.

* * *

Callidiſſimus cauſſae diuinae aduerſarius praeuidens, quantam regno ſuo ruinam ſalutiferum repurgandae Eccleſiae a *Luthero* susceptum opus allaturum ſit, omnibus viribus allaborauit, quo irreconcibiabile illi odium, malamque ſuſcipionem contraheret. Meliori vix ſucceſſu ſe obtenturum, quod ſtudebat, ſuspicabatur, quam ſi hinc et inde peſſima opinionum monſtra parturientes excitaret, ſicque praetextum faceret, eadem eſſe reformationis fructum; quo ipſo glaucomate, reformandae eccleſiae negotio obſtacula poni certiſſima ſibi perſuaſit. Exſtimulauit quosdam cauſſae ſuae miniſtros in Germania primum, et confinibus eidem tractibus, errorum ſemina ſpargentes; cum vero ipſi irritum in his terris cederet propoſitum, in *Italia* ſtudioſiores felicioresque quaeſiuit malae intentionis promotores.

Quantum ad Germaniam attinet, primum nominandus Martinus Cellarius, poſtea Borrhaus dictus, Stuggardianus Germanus a. 1499. natus, de quo V. B. A. P. I. p. 67. Tubingae litteris ſub *Reuchlino* aliisque operam nauauit, ac ibidem magiſterium, diligentiae praemium, nactus eſt. Hinc *Wittebergam* acceſſit, quo loco a *Melanthone*, cui jam *Tubingae* innotuit, amice exceptus eſt, qui eidem quoque diſcipulos, in ſchola priuata inſtituendos, commiſit. Hunc Marcus Stübnerus qui *Wittebergae* commorabatur, et cum Nicol. Ciconia (Clauß Storch) et Thom. Müntzero inter primos fanaticae Anabaptiſtarum et Neoprophetantium ſectae auctores numeratur, amicum, ſocium et adiutorem nactus eſt, hicque *Cellarium* fanaticis ſuis incantationibus ad partes ſuas pertraxit. Patrocinium *Stübnero* tulit *Caroloſtadius*, homi-

nem

nem peruersum nondum plane cognoscens, qui non hunc tantum, sed ipsum adeo *Melanthonem* deceperat. *Melanthon* nihil mali ac peruersi de Stübnero eiusque amicis suspicatus, cum tandem horum hominum colloquia cum Deo, immediatas apparitiones, et voces de coelo auditas venditantium, deliramenta, pluresque ab illis ad paria Phantasmata abreptos resciuisset, totam rem *Electori Saxoniae* per ep. d. 27. Dec. a. 1520. denunciauit, simulque Lutherum absentem de his certiorem fecit. Pius in Deum Princeps re nondum satis cognita, ad tempus το επεχειν decreuit; Lutherus vero cum illis examen theologicum instituendum esse judicauit. V. Secrendorffius hist. Lutheran. p. 457. seqq. et p. 469. Abrah. Scultetus in *Annal. Euang.* ad a. 1523. *Dec.* I. p. 77. Lubet, quae cum primis sectae Anabaptisticae statoribus *Wittebergae* acta sunt, Cammerarii verbis describere in vita *Melanthonis*, 1566. Lips. 8. p. 42 seqq. „*Secutum est tempus, quo conuentu indicto Berbetomagi in Vangionibus* Carolus V. *Caesar fide publica accersitum caussam dicere jussit* Lutherum. — — — *Is, cum iter illud ingressus esset,* Phil. Mel. *ita Wittenbergae remansit, vt omnem curam laboremque rei scholasticae sustineret. Accidebat autem tum, quod similibus temporibus semper solet, vt vitiis detectis et apparentibus, cum, qui maxime deberent medicinam facere, negligerent, atque etiam plurimi irritarent mala, et quemadmodum dicitur, essent vngues in vlceribus, multa susciperentur et fierent cum audacter, tum inordinate, nonnulla etiam turbulenter. Et Wittenbergae variorum generum, diuersarumque nationum jam magna copia confluxerat. Et illa omnino aetate fatalis rerum conuersionis, prouenerant homines, qui mouerent et concitarent et nouarent aliquid in dies. Quorum procliuitate credibile est, permittente Deo, abusum esse eum Spiritum, qui Diabolus appellatur, quia diuinis operibus obtrectare et dissipare atque euertere, quae possit, perpetuo conatur, tam vi manifesta, quam occultis machinationibus. Non enim audacia*

audacia et facinora illa quorundam — — — humanae malitiae videntur fuisse. Neque res tamen noua neque inaudita prius ista tunc oblata est. — · — Non habeo autem pro certo dicere, vbi locorum et quibus maxime auctoribus secta ista furiosa exorta sit. Sed vnus vagabatur passim, cuius nomen Germanicum habet CICONIAE (Storch) *significationem. Is ex plebe imperita et simplice plurimos deceptos falsitate opinionis perniciosae complebat. Erat autem facile et in promtu insectari eos, qui in Ecclesiastica re praesidebant, aut munere quopiam fungebantur, in quos nihil tam contumeliose dici posset, quod non factorum illius generis improbitate confirmaretur. Primum igitur eam congregationem, quae a talibus gubernaretur et administraretur, Ecclesiam esse Christi negare, et dicere, ex illa discedendo hanc institui oportere. Et quibus hoc persuaderetur et placeret, eos denuo baptismo initiandos esse. Vnde* ANABAPTISTARUM *secta illa nomen inuenit. Sed non insistebatur hoc loco, progrediebaturque vanitas doctrinae ad statum Reip. vniuersae mutandum. Nihil enim recte et debito modo fieri gerique vspiam perhibebant, quod summa rerum esset penes malos et a religiosa pietate studioque honestatis et virtutis alienos, qui suis cupiditatibus priuatim seruirent, non commodis publicis, et omnia ad voluptatem referrent in dominatione superba ac insolente. Atque decreuisse Deum exstinguere istud genus, et sufficere alterum innocentia justitiaque et sanctitate praeditum. Ad cuius exordium atque incrementa docebant necessariam esse curam et diligentiam in procreanda sobole. Et ideo neminem ducere vxorem debere, ex qua non sciret, se liberos pios et gratos aeterno Deo, et ad communionem regni coelestis electos, suscepturum esse. Id autem non aliter, quam ipso Deo patefaciente sciri posse. Et jactabatur praecipuum donum Dei in illis coetibus, praedictionis euentuum futurorum, et arcanorum indicii, cuius eximiae et salutaris rei in veritate nomen est Graecum Prophetia. Compertum autem est multis horum per quietem somni mirabilia visa, et species quasdam vigilantibus*

tibus etiam aliquibus, ſed paucis, oblatas eſſe. Cognitum etiam eſt, fuiſſe in coetu iſto foeminas vaticinantes. CICONIA *iſte ſe imperitum litterarum eſſe penitus ſimulabat, vel erat etiam fortaſſe, praedicans ſibi diuinitus ſcientiam ſalutarem contingere. Eſſe tamen ſtudebant hi in numero ſuo litteratos aliquos. Sed et iſti ipſi ſe magiſtros doctoresue homines habuiſſe habereue affirmabant nullos, et copiam ſcientiae ſibi diuinitus conferri vniuerſae. In quibus vnus erat* MARCUS (STÜBNERUS) *nomine praecipuus, qui ſibi a Deo hoc eſſe datum tributumque eximium gloriabatur, vt ipſe interpretando et explicando ſcripta ſacrarum litterarum excelleret. Hic gentis, quae putatur incolere eam regionem, quam veteres Nariſcorum appellarint, ciuis, aliquando fuerat diſcipulus ſcholae Wittenbergenſis. Sed ſtudia deſeruerat, ſiue antea, ſeu poſteaquam in illam ſocietatem perueniſſet. Nam et hoc erat in legibus iſtorum: Ne quis in otio liberali bonis artibus et litteris operam daret, neu aliunde ſcientiae cognitionisque facultatem quaereret, quam ab aeterni Dei benignitate, cui adiumentis humanis nihil eſſet opus. — — — Haec ſecta abſente in Vangionibus, et poſtea neſcio vbi,* LUTHERO *pene anno toto longe lateque eſt peruagata.* CICONIA *interdum venire Wittebergam, ſed ibi minus libere et aperte verſari. Caeteri aliis in locis ſerere fallaces ſermones, quibus animi imperitae multitudinis peruertebantur. — — —* CICONIA, *qui, vt dictum eſt, vagaretur, neque vſpiam fere diu conſiſteret, quae conceperat animo, ea ſtrenue exſequebatur. Siue huius autem mandato, ſeu ſponte ſua* MARCUS (STÜBNERUS) *Wittembergae aliquantisper manſit, quem et nos ibi vidimus, et cum eo ſumus ſaepe collocuti. Receperat autem eum ad ſe* PHIL. MELANTHON, *vel innata ſibi bonitate, cum hominis eum miſertum eſſet, vel vt certius cognoſceret, quid iſtud genus doceret. Cenſebat enim neque admittendum, neque rejiciendum quicquam temere, et quod parum alicui exploratum eſſet. Itaque hic hoſpitem quidem habebat* PHILIPPUM, *ſed nihilominus ad alios ventitabat, et non paucos in ſuam*

ſenten-

ſententiam perducebat. Quorum caput fuit Martinus Cellarius, *qui iſtis pertinaciſſime diu ſane adhaeſit, et cauſſam hanc egit atque defendit. Cum quo anno XXV. in Boruſſiam veniſſet, in liberam cuſtodiam Principis juſſu datus, multa ſcripſit de doctrina illa. Poſtea animaduertens labaſcere partes, et ſpem ſe fruſtrari, Baſileam ſe contulit, vbi ducta vxore quiete deinceps vixit. Hic Sueuicae gentis cum* Phil. Melanthone *Tubingae vſum quendam habuerat, cumque et ipſe poſt diſceſſionem illius Wittenbergam tandem veniſſet, a* Phil. Mel. *humaniſſime acceptus et tractatus amantiſſime eſt. Nondum probabat ille ſcholaſticae prioris doctrinae mutatam rationem, deque ea cum* Philippo *ſaepe diſputando pugnabat. Cum autem et ingenio eſſet minime hebete, et ſtudii diligentia percultus, tradidit ei* Melanthon *diſcipulos inſtituendos, habuitque ille ſcholam priuatam, frequentem et fructuoſam. Hunc igitur* Marcus *amicum, et ſocium, et adiutorem et comitem atque etiam ducem nactus, ita tum propemodum ſemeſtre ſubſtitit Wittenbergae, vbi fiebant omnia in dies difficiliora levitate et petulantia cupiditatis rerum nouarum. Jamque non muſſitabatur, ſed fremendo ferebatur palam, non quaſi pedetentim ad tollenda vitia, quae in operationes ſacrarum irrepſiſſent, progrediendum, ſed irruendum et dimoliendum ſtatim, quicquid perperam introductum vſurpatumque eſſet. Ac duorum potiſſimum deligebatur repentina mutatio: Ritus actionis in peragenda Euchariſtia et collocatarum in templis imaginum ſimulacrorumque amotio, quae non modo convelli exterminarique, ſed publice per contumeliam, propter venerationis impietatem exportari et concidi, aut comburi volebant. Neque carebat factio iſta patrocinio quorundam auctoritate praeditorum, in quibus et* Andreas Carolostadius *nominabatur.* Phil. Melanthon *tunc quoque fouebat apud ſe* Marcum, *quamuis perſpicue cognouiſſet, inania eſſe omnia, quae afferret, et diſſentanea inter ſe et pleraque nugatoria, nonnulla etiam eiusmodi, vt non eſſe ſana, neque integra eum mente deprehenderetur. — —*

 Sed

Sed cum PHILIPPUS *pondere rerum et negotiorum difficultate superaretur, neque iis, quae sibi imponi in dies grauiora sentiebat, par esset, et impendentium periculorum magnitudinem perspiceret, crebris suis aliorumque litteris permouit* LUTHERUM, *ut Wittenbergam rediret.* — — — *Reuersio eius incidit in Nonarum Martii dies a.* 1522. *quibus diebus conciones eo habente omnia conquiescebant, et audientes, cum singularem facultatem explicandi susceptas res, tum dicendi vim, tum etiam virtutem atque fortitudinem admirabantur et reuerebantur auctoritatem. Interrogatus tunc vnus ex* MARCI *familiaribus, ecquid doctorem esse* LUTHERUM *egregium judicaret? Imo, inquit, angeli, non hominis vocem mihi audiisse videor. Sed* MARCUS *iis diebus aberat. Mox tamen hic se Wittenbergam ad suum, quem ibi habebat gregem, recepit. Qui rursum ad ipsum confluere et opiniones haustas inter se confirmare, et* MARCO *ad retinendas et defendendas eas animos hortando addere. Inque omnibus maxime et ardentissime* M. CELLARIUS. *Placuit igitur* LUTHERUM *accedi, et ei summam doctrinae exponi. Aegre* LUTHERUM *hoc concessisse resciui. Sed tandem certo die et hora fecit potestatem* MARCO *ad se veniendi, solo* PHIL. MELANTHONE *sibi adhibito, cum* MARCUS CELLARIUM *et alterum quendam ex suis adduxisset. Audiuit* LUTHERUS *placide narrantem* MARCUM *sua. Cum dicendi finem fecisset, nihil contra ea adeo absurda et futilia differendum ratus* LUTHERUS, *hoc modo monuit: viderent, quid agerent. Nihil eorum, quae commemorassent, sacris litteris niti, commentaque esse cogitationum curiosarum, aut etiam fallacis et fraudulenti Spiritus deliras et perniciosas subjectiones. Ibi* CELLARIUS *et voce et gestibus vesanis, cum et solum pedibus et propositam mensulam manibus feriret, exclamare et indignari, ausum esse* LUTHERUM *suspicare tale aliquid de diuino homine. At* MARCUS *paullo sedatior, vt scias, inquit,* LUTHERE, *me spiritu Dei praeditum esse, ego, quid in animo tuo conceperis, sum indicaturus, idque est: Te incipere inclinari ad haec, vt meam doctri-*

doctrinam veram esse credas. Cum LUTHERUS, *vt ipse postea dixit, istam dedita opera sententiam cogitando esset complexus: Increpet te Deus, satana. Post haec plus verborum faciendum* LUTHERUS *non putauit, et minantes gloriantesque eos dimisit, ac nescio quid pollicentes de mirabilibus effectionibus, quibus probaturi sua essent, cum hoc modo dixisset: Is Deus, quem ego veneror et colo, facile vestra numina, ne quid tale efficiatur, coercebit. Eo die oppido illi excesserunt et* CHEMBERGO — — — *litteras plenas maledictis et execrationibus ad* LUTHERUM *miserunt.* — — — *De* CICONIA *autem et* MARCO *ipso quid factum sit, et quid ipsi amplius conati, quique exitus vitae eorum fuerint, non habeo compertum, deque eis narrata atque prodita scio neque temporibus, neque personis consentanea.*"

Haec CAMERARIUS de Anabaptistis *Wittebergam* isto tempore turbantibus, qui impugnati ab his mysterii S. Trinitatis, cuius merito ab aliis accusantur, expressam non fecit mentionem. CELLARIUS ex custodia dimissus REGIOMONTO, quo loco, praemonente fortassis *Luthero* vel *Melanthone* Principem *Albertum*, detinebatur captiuus, mutata sententia sua, simulque mutato nomine latino CELLARII in Graecum BORRHAI 1536. *Basileam* venit, vbi cognita eius puriori doctrina, in Professorum Philosophiae numerum susceptus, Rhetorica docuit, et Vet. Instrumenti libros ex ipsis fontibus interpretatus est. Quo maiori id cum auctoritate faceret, a. 1549. summos in Theologia honores sibi conferri passus est. Quo loco a. 1564. aetatis 65 mortuus ac in circuitu templi Cathedralis sepultus, ipsique monumentum in magnorum meritorum testimonium positum est. Fuisse eum vxoratum, et antequam in Professorum numerum susciperetur, *Basileae* vitam, orbibus fenestras muniendo, aliquamdiu sustentasse, plures testes sunt.

Ministri Sarmatiae et Transsylvaniae de falsa et vera Dei cognitione, (B. A. P. I. p. 58. N. 4.) de eius consensu etiam post discessum ex Anabaptistarum castris gloriantur, eumque Ecclesiae Reformatorum numero, vsu apud ipsos recepto sensu inferunt. Ita enim L. I. C. 1. scribunt: „LUTHERO et ZWINGLIO *dedit Deus referendos et justificationis et rei Sacramentariae fructus.* MARTINO *vero* CELLARIO, SERUETO et ERASMO ROTERODAMO, (quem in societatem *Arianismi* trahit SANTIUS in H. E. p. 423.) *fructus alios praecipuos cognitionis veri Dei et Christi: eodem enim tempore his de rebus scripserunt.* — — — — *Oportet adhuc modicum varios Antichristos in reformatis ecclesiis regnare, qui tamen Dei verbo destituti, propediem vna cum suis partubus, vti* CAPNIO *et* CELLARIUS *praedixerunt, perituri sunt.*" et L. I. C. 3. „*Quid* MARTINUS CELLARIUS *non est molitus, vt istas fores posteritati aperiret? eius scripta legito.*" De eodem F. SOCINUS ad *Pet. Statorium*, Luclauiensem pastorem, a. 1590. d. 15. *Oct.* inquit: „*Mitto ad te Borrhai tantum testimonia, olim a Laelio Patruo meo collecta, tametsi scio multo plura ex illo eius libro colligi potuisse, sed eum librum non habeo.* Quem librum *Cellarii F. Socinus* notauerit, dici nequit, cum eundem vllibi allegatum esse non meminerim. Verisimillimum est, quod scriptum quoddam innuat de ritibus in Eucharistia celebranda; immo fortassis de ipsa S. coena, quod CELLARIUS, cum adhuc Anabaptistarum placitis se deuouerat, concinnauit, quippe quem multa isto tempore scripsisse, *Camerarius* obseruauit. Librorum, a CELLARIO, postquam ad saniorem mentem redierat, editorum tituli allegantur, in B. A. P. I. p. 68. nec non a *Melch. Adamo* et *Sandio* cl. cc. in historia Socinianismi, gallice scripta, p. 205. et in CONR. LYCOSTHENIS *Rubeaquensis elencho scriptorum omnium*, p. 732. De eius Comment. in libros *Josuae*, *Judicum*, *Ruth*, *Samuelis* et *Regum*, *Basil.* 1557. fol. FABRICIUS differit, l. c. P. I. p. 343. Aduersus CELLARIUM, adhuc Anabaptistam, vel HETZE-

RUM,

rum, vel fortaſſis etiam alium huius aetatis Antitrinitariorum, Andr. Althamerus, (cuius vitam *Jo. Arnold. Ballenſtadius* a. 1740. luci expoſuit,) tractatum emiſit, qui titulum habet: Daß unſer Chriſtus Jeſus wahrer Gott ſey, Zeugniß der heiligen Geſchriffte, wider die neven Juden und Arianer, Vnter Chriſtlichen Namen, welche die Gottheit Chriſti verläugnen, durch Andream Althamer. Wirſt auch finden, worzu uns Chriſtus nütz ſey, und was er ſey. 4. pagg. 22. locus et tempus impreſſionis non notatur, videtur tamen circa annum 1526 vel 27. prodiiſſe. In hoc libello auctor nouae ſectae meminit, quae docet: Chriſtum merum tantum hominem et prophetam fuiſſe, ac *Arrii*, *Ebionis*, *Cerinthi*, *Marcionis*, et *Pauli Samoſateni errores* ex orco reuocat, diuinaque myſteria ad captum ſuum metiri ſtatuit.

Ludovicus Hetserus, vel Hetzerus (quod nomen male a *Sandio* in B. A. *Heitzerus* et in *Lamy* Hiſtoire du Socinianisme, p. 205. *Heiſerus* et Hatzer ſcribitur,) qui *Schelhornio*, in Amoenit. T. II. p. 495. *Biſchoffszella Helvetus*, *Zeltnero de Bibl. Wormat.* p. 11. *Bauarus* fuit, huic claſſi inſerendus eſt. Ipſo enim reformationis tempore, inſanientium myſticorum deliria expoſuit, et *Tiguri* primum a. 1523 inclaruit, quo loco reformandae eccleſiae ſpeciem prae ſe tulit. Ipſius meritis accenſetur, quod vna cum Jo. Denckio, *Rectore ſcholae Sebald. Norib.* quem Hetzerus per aliquod tempus intimum habuit, *prophetas maiores ac minores*, *ex Hebraea in Germanicam linguam*, *ante Lutherum transtulerit*, quamuis, cuius conditionis homo jam tum temporis fuerit, in ipſa hac verſione haud obſcure ſignificauerit. Prodiit hoc titulo: Alle Propheten nach Hebräiſcher Sprache verteutſcht. O Gott erlöß die Gefangenen. M. D. XXVII. fol. In fine notatur impreſſum eſſe *Wormatiae* apud *Pet. Schoefferum*, et abſolutum d. 13. *Apr.* a. 1527. In praefatione ſignificat, Deum poſt editam verſionem prophetiae Maleachi ſibi commodaſſe *Joannem Dengkium* cooperarium in con-

ficiendo hoc opere. Fusior libri, qui iteratis vicibus et 1528. *Aug. Vindel.* apud *Syluanum Oßtmar* (*Salthenii* Biblioth libb. rar. p. 202. N. 998.) et eodem anno *Hagenoviae* apud *Wilhelm Seltzium* prodiit, recensio legitur in Biblioth. Hal. T. VIII. p. 285. seqq. Obseruauit *Schelhornius* solitum fuisse *Hetzero* vel in titulis, vel in fine librorum editorum adponere formulam precum: O Gott erlöß die Gefangenen; eundem quoque esse auctorem cantici in Ps. 37. in quibusdam cantionum collectionibus obvii: Erzürne dich nicht o frommer Christ etc. in cuius singulis strophis vltima linea repetitur: O Gott erlöß die Gefangenen. Ministri Tigurini in praefatione, praemissa versioni Prophetarum 1529. ad hanc Hetzerianam versionem respiciunt inquientes: Wäm wöllt nit Scheuehen vnd Grausen ob der Vertolmetschung, die von denen ausgangen ist, die die Rädlyfürer waren der Secten und Rotten, die vns auf den heuttigen Tag in der Kirchen Gottes mer vnruw gestattet, dann das Babstumb ye gethan hatt? **Vnder welicher Seckt etlich Christum Jesum waaren Gott sein, gethörend wermeynen** etc. Ad eundem modum de versione Hetzeriana judicauit *Lutherus* T. V. in Germ. fol. 1436: Darum halt ich, daß kein falscher Christ noch Rottengeist treulich dollmetschen könne, wie das wohl scheinet in den Propheten zu **Worms**, verteutscht — — — — Aber es sind Juden dabey gewest, **die Christo nicht große Huld erzeiget haben**, sonst wäre Kunst und Fleiß genung da. Versionem hanc exscripsisse Megalandrum *Ge. Wicelius* pessime calumniatus est. V. *Jo. Dieckmanni* opera Germanica. p. 93 — 96. Lucem jam adspexerat a. 1526. translatio prophetiae *Maleachi* hoc titulo: Der Prophet Maleachi, mit Auslegung **Johannes Ecolampadii**, durch yhn ym latein beschrieben, mit Vleys verdeutscht, durch **Ludovig Hezer**. O Gott erlös die Gefangen. 8. pl. 7. Annus libri editi non notatur; praefatio scripta d. 18. Jul. 1526. Versionem recensuit *Jo. Barth. Riederer* in den Nachrichten zur Kirchen = Gelehrten=

lehrten = und Bücher = Geschichte. T. II. P. VIII. p. 381. seqq.

Libellum *Oecolampadii* de S. coena *Hetzerus* in linguam Germanicam translatum, hoc titulo euulgauit: Vom Sacrament der Dancksagung. Von dem waren nateürlichen Verstand der Worten Christi: **das ist mein Leib, nach der gar alten Lerern** Erklärung, im Latein beschriben durch **Joann. Ecolampadium**, verteutscht durch *Ludwigen* Hätzer. O Gott erlöß die Gefangnen. MDXXVI. 8. pl. 18. Impressum esse *Tiguri* apud *Christoph. Froschoverum*, in fine libri ipse *Froschoverus* breui ad lectores alloquio significauit. Longam Hetzerus praemisit praefationem, in qua figuratum verborum S. coenae institutionis significatum adstruit, ac rationes exponit, quibus commotus fuerit librum hunc teutonico habitu publicae committere luci. Ab Anabaptismi macula his verbis se purgare nititur: Ich hab auch hie statt mich etlicher erdachten reden zu entschuldigen, die mir von denen aufgelegt worden seind, die Kain Fisch können fahen, das Wasser seye dann trüb. Namlich, mich unter den Rotterschen, unbillichen Sectern der Wydertauffer zu seyn, vnd haben mich also an etlichen orten außgeben, wie falschlich aber, wayßt Gott, vnnd vil fromme Christen, das ich sömlichs nye, weder schryfftlich noch müntlich gelert hab. Es ist mir auch nye Zesynn kommen. Gott sey Lob. Aber, damit ichs bekenn, so bin ich lauter der Mainung gewesen, Kinder tauffen seye gantz Vnrecht, darzů hat mich deß Bapsts Bůch gefürt, (in margine allegatur: *Titul. de cons. dist. 4. cano. Quare etc. per totum*) in welchem ich gelesenn hab, das sy dem eussern Wassertauff die seligkeit zugeschriben haben, welches des ainigen Glaubens, vnd des vntadelichen Vertrawens in Christum ist. O wie vil ellender betrůbter Hertzen hat man vilen frommen můtern gemacht, die nit anderest vermaynt, dann ire ongetaufte Kindlin werden verdampt, desse geben sy mir Zeugnůß. Auch die besondern stett der Begrebnůß, da man sy nit zů andern Menschen be-

graben hat, zwar allain auß der Vrsach, daß sy Gottes angesicht nit mer sehen werden. O der Wüterey, so doch eben als wol zu glauben ist (ich wil nichts vnbesynnt schliessen), das ongetauffte Kindli der Christen gleich als wol selig werden vnnd seyen, als die Getaufften, ja was wolts hindern? Derhalben mich diß vnnd Andere schedliche Aberglauben die man on alle Maß bey dem Tauff gebraucht, dahin gfürt (wie obgemelt) vnd mir den Tauff nit on Vrsach argwönich gemacht hat. Diß ist auch vil gelertern vor mir beschehen, und möcht noch ainem nach mir auch beschehen. Des wydertauffs halben, hab ich in nye gerümpt, vnd hat mir von Hertzen mißfallen! Nun aber so ich von dem Hochgelerten, redlichen Knecht Christi *Huldrychen* Zwingli auf den 9ten Tag Novembris zu Zürich, aus anderen bericht worden bin; So stee ich auch derselbigen mainung gern ab, so weyt man den tauff one Zusatz braucht, als ain Testament Zeichen. etc. subscripta est praefatio *Tiguri* 1526. Strictiori significatu nec *Hetzerus* nec *Denkius* Anabaptistarum titulo notandi sunt, quamuis ab his nonnulla placita susceperint eorumque caussae patrocinati fuerint.

Sandius H. E. L. III. p. 424. Hetzerum manifestissimum et certissimum *Arianum* appellat, nec non in B. A. p. 16. eumdem e societate *Anabaptistarum Morauorum* fuisse testatur. Ipsius dogma ita proponit: „*Docuit solum Patrem esse summum Deum: Christum non esse aequalem Patri, sed eo inferiorem, nec eiusdem essentiae. In vno Deo non esse tres personas; Deum enim non esse personam, nec essentiam, nec quicquam eorum, quae nominantur.*" Aduersus Christi Deitatem, circa annum 1529. librum conscripsit nunquam typis expressum. *Zwinglius* de eodem retulit, sed argumentum eius proximum distincte non indicauit. *Seb. Franckius*, Fanaticorum historicorum princeps, in tr. Germ. de *haereticis Romanis*, et in Chron. f. 415. scripti *Hetzeriani* mentionem quidem fecit; eius vero contenta itidem reticuit, et a *Zwinglio* fuisse suppressum, ne in lucem prodiret, notauit. Interim

rim ipſius doctrinae capita ex praefatione in *Baruchum* exponit, et fanatico eum furore ſaepius abreptum fuiſſe, his verbis exponit: Er iſt bey Leben nicht allweg gleich geſinnet geweſen, ſunder hin und her gefallen, ſunderlich mit ſeinem Leben, offt aufferſtanden, offt wieder gefallen. Er hielt nicht viel auf das äußerliche Predigtwort. Er iſt auch heftig wieder die Schriftgelehrten geweſen, ſo zu unſern Zeiten Gottes Gnad und Wort an den Buchſtaben der Schrifft binden. — — — Die unbibliſchen Bücher, die bisher die Kirche auſſerhalb des Canons frey hat geleſen, hat er in Canon geſetzt. Sein Schrift geben auch genugſam zu verſten, daß er **Chriſtum weit geringer denn Gott geacht.** Idem ex cantilena a *Hetzero* compoſita verba adfert, ex quibus ipſius ſententia et intentio patet; nimirum: Ich bin allein der ewig Gott, Der ohne Hülff alles erſchaffen hat. Fragſtu: Wie viel doch meiner ſey? Ich bins allein, meiner ſind nicht drey. Et paulo poſt: Sag auch dabey ohn allen Wan. Ich weiß glatt nicht von Keiner Perſon. Satisfactionem per Chriſtum praeſtitam ipſum negaſſe, inde conſtat, quod *Joanni Zwickio*, qui circa vltimum vitae diſcrimen eidem praeſto fuit, quaerenti: An certus ſit, quod homines per Chriſti ſanguinem peccatorum remiſſionem obtineant? indignabundus reſponderit: Quid ſibi vult Chriſti ſanguinis? V. *Muſ. helvet.* P. XXI. *Bullingerus* l. c. p. 16. *Jo. Denckium* et *Lud. Hetzerum* duo Rabinos et Principes Anabaptiſtarum appellat, qui *Wormatiae* Anabaptismum ſeminauerint, ibidemque JACOBUM KAUTZIUM, *Eccleſiae miniſtrum*, ad gregem ſuum pertraxerint, vt ſeptem articulos, ſeu concluſiones de Anabaptismo ederet, de quibus diſputare praeſumpſerat, 1527. d. 13. Jun., quas publico ſcripto *Argentinenſes* confutarunt. V. *Scultetus* l. c. Dec. II. p. 89.

Produnt quidam, et inter hos *Seckendorfius*, l. c. L. II. p. 145. *Hetzerum* propter blasphemias in Deum flammis eſſe adiudicatum; ſed veriora dicunt, qui cum *Franckio* et

et *Sandio* eum a. 1529. die 4. Febr. *Constantiae* gladio percussum et decollatum esse narrant, non tamen propter placita anabaptistica, quod *Sandius* perhibet, sed ob adulteria frequentia, quod plures fide digni testes exponunt. *Franckius* chron. f. 416. inquit: „Er ist nach langwieriger Gefängniß zu Costnitz zum Tod verurtheilt, und außerhalb der Stadt mit dem Schwerdt gerichtet worden, nicht, wie **Plaurer** sagt, des Tauffs oder Auffruhr halben, sondern daß er sich mit Weibern hat vertieft, fürnehmlich, daß er solchen seinen Ehebruch, bey etlichen sündern Personen, mit göttlichen Willens Befehl zu vertheidigen, aus der Schrift und Gottes Wort hätte fürgenommen." etc. *Erasmus Albertus* in praef. libri, quem inscripsit: Wider die Lehre der Carlstader, inquit: „Er erreget dawider der Wiedertäuffer Rotte, welcher Obersten waren **Melchior Ring** etc. **Ludwig Hetzer,** der dreyzehen Weiber hatte; denn diese Schälck überredeten die Weiber, Ehebruch wäre keine Sünde, sondern ein Werck der Barmherzigkeit und Brüderlichen Liebe. V. E. S. Cyprian. *de mortibus Sociniunorum*, C. I. Eiusd. *contin. H. E. Gothanae.* p. 221. *Ottius* l. c. p. 50. Plura ipsius flagitia *Joannes Gastius*, Brisacensis, *de Anabaptismi exordio, erroribus historicis* etc. Basileae 1544. 8. exposuit, de eodem p. 49. scribens: „*Hetzerus doctus in diuina scriptura, praecipue hebraicae linguae diligens perscrutator, Constantiae decollatus, propter nefanda scelera, quae non sunt dicenda, ne aures piorum offendantur. Contraxit multa coniugia, scortator egregius fuit, domos viduarum deuorauit pulcra hypocrisi, quae nummatum eum reddiderunt. Sectas varias conformauit, non semel renouauit.*' etc. Idem p. 318. adfert: *Quod* literarum bonarum osor fuerit; se enim vidisse librum germanicum ab eo concinnatum, qui omnem Philosophiam et litteras tam Graecas, quam latinas exploserit, ea ratione, quod Christus piscatores indoctos, in discipulos et mundi doctores elegerit. Libellum vero non editum esse propter insperatam illius captiuitatem, in quam *Constantiae*

tiae incidit. Idem p. 319. inquit: *quid de deitate Christi senserit, quae loca scripturae, ad opinionem suam stabiliendam congesserit, nolo hic adducere. Nam non dubito illum ex animo, cum ad supplicium iter arripuisset, resipuisse, publiceque suos errores reuocasse, vt libellus Germanice editus de illius obitu testatur*, quod quoque *Scultetus* l. c. p. 259. confirmat simulque addit: quod placitorum et criminum omnium seria ductus poenitentia indignum se professus sit, qui viam tereret, ad supplicii locum ducentem. Fassus est in vinculis, se saepius in precibus, largis profusis lacrymis, cum Deo quodammodo expostulasse, et justificasse eius potentiam, quod talem homuncionem castigare non posset. Tandem occidendus: *Jam, inquit, voti mei damnatus sum, postquam Deus me mihi ipsi ad extremum subtraxit, qui carnis ad peccandum irritamenta superare antea non potui."*

Quod Reformatoris speciem adfectauerit, ex eius Zelo in imagines, quarum venerationem, idololatriam et fornicationem appellauit, suspicamur. Schediasma hujus argumenti *Bibliotheca Wallenrodiana* Regiomonti tenet, hoc titulo: Ain Urtayl Gottes vnsers Eegemahels, wie man sich mit allen Gözen und Bildnüssen halten soll, auß der hayligen Geschrift gezogen, durch **Ludwig Häzer.** 1523. 4. pagg. 18. Alteram editionem, quae prodiit *Wratislauiae.* 1524. 4. habet *Bibliotheca Acad. Regiom.* plagg. 2. Scriptum hoc, et quae alia ab ipso concinnata supersunt fragmenta, eum inter insanientes mysticos locum occupasse comprobant. Christum in mente tantum quaesiuit, eundem vero extra hominem parui fecit, et pro homine sancto et diuino habuit. Plura de eodem pariter atque *Denckio* leguntur in den Beyträgen zur Fränckischen Kirchen-Historie, in einer Geschichte der Wiedertäuffer etc. Nürnberg 1770. 8. Quem viuum summis laudibus extulerunt Anabaptistae, vita propter scelera priuatum, omisso cognomine *Ludouicum* appellant in Martyrologiis, ne ad *Hetzeri* nomen horrescant homines, teste *E. S. Cy-*

priano

priano l. c. p. 78. *Hetzeri* effigies, nec non plurium Haeresiarcharum e. g. *Serueti*, *Adami*, *Paſtorii*, *Dauidis Georgii* etc. conſpiciuntur in libello, cui titulus: Greuel der vornehmſten Haupt-Lehrer, ſo wohl Wiedertäuffer, alß auch anderer, welche viele Menſchen verführet, und ums Leben gebracht haben etc. *Lugd. Batav.* 1608. 8. pl. 6.

Hetzero jungimus eius intimum *Jo. Denckium*, a *Sandio*, omnibusque, qui hiſtoriam vnitariorum delinearunt, omiſſum, merito autem huic ſodalitio accenſendum, quem *Anabaptiſtarum* indici inſeruit *Jo. Wigandus* l. c. p. 18. *Scultetus* l. c. Dec I. p. 265. inquit: *Venit ad Sangallenſes Jo- Denckius, Bauarus, Norimbergenſis dictus, quod aliquando ludum litterarium Norimbergae gubernaſſet. — — Vir fuit doctus, demiſſi animi, hebraicae linquae peritus, qui Prophetas cum Hetzero in Germanicam linguam transtulit.* Ex ſuperiore Palatinatu ortum fuiſſe tradunt ſcriptores. A munere ſcholaſtici Rectoratus ad ſcholam *S. Sebaldi Noribergae*, per magiſtratum oppidi a. 1524. remotus, ante ſolis occaſum, eodem die, quo ſententia lata erat, vrbe excedere iuſſus eſt. Eundem ἀποκατάστασιν, quam Origenes primum docuit, iterum ſuſcitaſſe, indubitatum eſt pluribus ſcriptoribus. Qui vero ſtatuiſſe illum narrunt cum *Wigando*, malos quoque genios aliquando in beatas ſedes reuerſuros, *Denckio* quod nunquam in mentem venit adfingunt. Non omnes enim qui illam defendunt, mali etiam genii reſtitutionem adſtruxerunt. Hanc de damnatis ſaluandis opinionem pluribus perſuadere ſtuduit, inter quos etiam fuit Nicol. Thom. Sigelspachius, qui in ep. ad Jo. Oecolampadium, *Taberniae*, prima Apr. a. 1527. ſcripta, teſtatur, quod Anabaptiſta litteratus, multis S. Scripturae locis fretus, variisque ratiociniis placitum illud commendauerit, a quibus ſcrupulis *Sigelspachius* per *Oecolampadium* liberari cupit. Legitur haec ep. in *Jo. Conr. Fueslini Epp. ab eccl. Heluet. reformatoribus, ſcript. Cent.* I. p. 49. ſeqq. in qua ita inquit: „*Paternum* conſilium agnoſcendi Anabap-

„tiſtas

„tiſtas dediſti, quo conuenientiſſime ſum vſus, in altero „jam, qui ad nos poſt Epiphaniae venerat, *Joanne Den-* „*ckio*, ſcilicet homine litterato. Hic aliquod dies nobis- „cum agens ſine tumultu fraterne contulit et erudite cum „Judaeis noſtris tribus diebus de lege diſceptans, multa „auditu ſuauia in medium protulit, nihil tamen omnino „profecit; ſe Te multum delexiſſe dixit et amice ſaepe „conuerſatum, quum Baſileae egit correctorem. Pro- „fecto, vt ſcripſiſti, ita facere ſolent, non eſt concionator, „cui non obloquantur, negantes ingenue, Euangelium „vere praedicari. In certis ei reluctans, eum impatien- „tiſſimum repperi, ita vt ſuſpicarer et dicerem, ſe aut in „carne fouere hypocritam, aut moroſitate quadam labo- „rare ex linguarum olim perdiſcendarum ſtudio, fortaſ- „ſis contracta. Nolui ego vt coram fratribus et amicis, „qui rem, de qua acturus, nondum intelligunt, et facilli- „me noſtris contentionibus offenduntur, obtrectaret con- „cionatoribus Argentinenſibus et aliis. Prohibui, ne fa- „ceret, ſed potius ſcriptis eos compellaret, aut adiret, et „in facie id faceret, vt ſeſe poſſint defendere, ſi quid ha- „beret, ne videatur inuidia abſentibus illis obtrectare, et „apud imperitos gloriam quaerere velle. Haec me ad- „monente, iratus vociferabat: Pſeudoprophetis nunquam „parcendum, meque eorum partes fouere, et veritatem, „vt ipſi, timere dicebat. Tamen multum tandem per „me inductus, vt diffiteri non poſſet, me amare et quae- „rere veritatem, cum me tam ardenter omnibus beneuo- „las aures praeſtare videbat, nam ſolius agnoſcendae ve- „ritatis ſtudio omnes, etſi ter retincti ad me diuerterent, „qua poſſum humanitate et excipio et foueo. Pertinaciſ- „ſime ſua defendebat, cum reluctabatur, alioqui ſatis hu- „maniter contulit, quum attente audiebatur et ſua adpro- „babantur; tamen ſe mitius rem agere non poſſe, quam- „quam prius feruorem in mutua collatione conceptum „poenitens confitebatur, tantem amici ſejuncti ſumus. „Dabat autem diſceſſurus in deductu pias adhortationes

„ad

„ad integriorem vitam euangelicam, de quibus admodum „gratus ſum, ſed in aliis ferme omnibus haereo maxime, „praeſertim in his ſcripturae locis, qui probare videntur „impios ſaluandos," etc.

Quam ſibi de S. S. Trinitate formauerit ideam, ex ipſius libro: Ordnung Gottes und der Creaturen Wort p. 14. eluceſcit. Nimirum, Deum eſſe omnium rerum creatarum fontem; poſt eum Spiritum, virtutem Dei, et tandem verbum Dei, quod per Spiritum ſuum ex ſe procreauit. Per verbum Dei animas hominum, non Filium Dei intellexit, quod proinde verbum Dei cum humano genere coepiſſe exſiſtere ſibi perſuaſit; quae quoque Hetzeri mens fuiſſe quibusdam videtur, qui cum *Denckio*, excepta omnium reſtitutione, cenſiſſe dicitur. Zwinglius in elencho in Catabaptiſtarum ſtrophas, qui legitur in *Jo. Oecolampadii* et *Zwinglii* Epp. L. IV. *Baſileae*, 1536. fol. 86. ſeqq. de *Denckio* et *Hetzero*, horumque aſſeclis haec exponit: „In hoc aliquando fuiſtis, (Ca„tabaptiſtas innuit,) vt totum vetus inſtrumentum nega„retis: immo ſimul atque apud Vangiones, *Denckii* et „*Hetzeri*, cum neſcio quibus, nihil obſcure plenam per„litationem per Chriſtum negant, quod nihil aliud eſt, „quam nouum teſtamentum conculcare: apud nos Gro„ningae totum vetus teſtamentum negant, quod ipſe his „oculis vidi. Scripſerunt enim ad Senatum noſtratem: „Vetus teſtamentum antiquatum, irritaque eſſe teſtimonia, „quae ex eo proferantur, atque adeo nihil poſſe etc." Ex confeſſione *Denckii*, quae in *Epp.* ad *Oecolampadium* ſcriptis legitur, (in qua hunc maximopere efflagitat, vt *Baſileae* toleretur, quamuis non in omnibus conſentiat) facile patet, hominem nulli plane ſectae addictum fuiſſe, ſed in quacunque ſalutem aeternam obtineri poſſe, docuiſſe. V. *Epp. Zw.* et *Oecol.* p. 197, b. Idem quoque ex eius tractatu *de lege* colligitur.

Hetzerus atque *Denckius*, paullo poſt coeptam in Germania reformationem, primi in hoc regno et in *Helue-*

Heluetia in Antitrinitariorum acie ſtantes, magnam de ſe vbique excitarunt famam, quae ſine dubio per *Italiae* prouincias ſparſa, ibidem ſimilium errorum concitauit renouatores ac defenſores. Improbauit *Melanthon* in colloquio Marpurgenſi, praeſente *Zwinglio*, quod intra Helvetiae fines homines aeternam Chriſti Deitatem negantes nidularentur, cuius rei quoque Argentoratenſes Theologi accuſabantur. Reſpexiſſe illum ad *Hetzerum* et *Denckium*, veriſimillimum eſt, quos etiam plures habuiſſe in hiſce locis ſibi aſſentientes, ſuſpicamur. *Wigandus* et *Scultetus* l. c. aliique notarunt, *Denckium* ab *Oecolampadio* meliora edoctum ac conuerſum eſſe, hocque praeſente, peſte quidem, ſed pie *Baſileae*. 1528. obiiſſe. Ipſe *Oecolampadius* eum breui ante mortem reuocaſſe errores, in ep. ad Anonymum, *Baſil.* d. 9. Nov. 1528. ſcripta, l. c. fol. 169. c. narrat, his verbis: „*Denckium illum, poſtremum reſipuiſſe, vanum non eſt. Eſt enim apud me* αυτογραφον *eius, et fortaſſis, ſi ſui negaturi ſunt, edemus olim, quae ante paucos dies ſuae in Domino quietis ſcripſit: etiamſi nec illa purgatiſſima erant.*" Veriſimile eſt ſcriptum, quod *Oecolampadius* tenuit, idem eſſe, quod in publicam lucem hoc titulo prodiit: H. Dencken Wid'ruff auf die zehen Artickel, 1.) von der Geſchrifft. 2.) Von der Bezahlung Chriſti. 3.) Vom Glauben. 4.) Vom freyen Willen. 5.) Von guten Wercken. 6.) Von Seckten. 7.) Von Ceremonien. 8.) Vom Tauff. 9.) Vom Nachtmahl. 10.) Vom Eyd. Der Geiſtliche urteylets alles. 2 Cor. 2, 8. pl. 1. Annus impreſſionis non indicatur. Poſt titulum hunc, alter a. 11. legitur: Proteſtation und Bekenntnüß ettlicher Puncten halb, in welchen ſich Hans Denck (kürzlich vor ſeinem End) ſelbſt Vervor erkläret und ausgeleget hat. Allen denen, die den Weg zur Seeligkeit in Chriſto Jeſu ſuchen, wünſch ich Oren, den Willen ſeines himliſchen Vatters von ihm zu hören. De S. S. Trinitate Chriſtique Deitate quid ſenſerit, non quidem in his paginis indicauit: Fanaticiſmi vero documenta plura exhibuit. Ita p. a. 11. de S. Scriptura.

Die H. Geschrifft halte ich über alle menschliche Schätze, aber nicht so hoch als das Wort Gottes, daß da lebendig, kräftig und ewig ist, welches aller Elementen dieser Welt ledig und frey ist, dan so es Gott selbst ist, so ist es Geyst, und keyn Buchstab, von Feder und Papier geschrieben, daß es nimmer ausgetilgt werden mag. Darumb auch die Seeligkeyt an die Geschrifft nitt gebunden ist. — — — — — Also mag ein Mensch, der von Gott erwählet ist, on Predigt und Geschrifft seelig werden. Et de Paedobaptismo: Der Kindertauff ist nitt nach dem Befehl Christi — — — — — Kindertauff ist ein Menschen-Gebott, und der Christen Freyheyt. — — — — — Es schadt keynen Gläubigen, daß er in der Kindheyt getaufft ist, und Gott fragt nach keinem andern tauff, so man nur die Ordnung hielt, die eyner Christlichen Gemeyne zustünde, so aber nitt, weis ich nitt was Gott machen wirt. In articulo de S. Coena, corporis Christi praesentiam omnino negauit, ac spiritualem tantum manducationem statuit. Ad hunc libellum sine dubio spectat Anonymi liber *MSC. contra discursus Denckianos* et Apostasiam ad ecclesiam Romanam, Schrifftmäßige Ableinung der zehen Discursen Denckii etc. qui in *Catol. Vffenbach.* Msscc. P. V. p. 347. et in *Biblioth. Vffenb.* T. III. p. 148. N. 47. allegatur.

Denckium opera sua in vertendis Prophetarum scriptis adfuisse *Hetzero* jam notauimus; ipsum *Michae Prophetiam* in linguam teutonicam transtulisse, ex libro, qui in *Bibliotheca Regia Regiomontana* seruatur, patet, cui titulus praefixus est, **Micha der Prophet, wie der Hans D. uff diese Zeit verglichen hat. Vorred an den H. Fürst: und H. H. Philip Lar. in Hessen. Jesa. 21. Es rufft einer zu mir aus Seir, Hüter um welche Zeit ists in der Nacht? Antwort, es kompt der Morgen, dennocht wirds Nacht seyn, wolt ihr fragen, so fragt, kert euch um und kompt her. Straßburg,** Jacob Cammer. (notatur Jac. Cammerlanderus) 8. pl. 11. Impressionis tempus non indicatur; prodiisse tamen 1527. ex editione Bibliorum

Wor-

Wormatienſium *Hetzeri* colligitur. Fuſius de hoc opere expoſuit *Riederer* l. c. p. 396. ſeqq. qui vero titulum minus accurate exſcripſit. Aliud ſcriptum *Denckii* raro obvium in eadem Bibliotheca ſeruatur in fronte inſcriptionem exhibens: Von dem Gſetz Gottes, wie das aufgehaben sey und doch erfüllt werden muſſ. Hans Denck. 8. pl. 3. editionis annus non notatur. Prodiiſſe praefixo *Denckii* nomine, a. 1680. *Amſtel.* 12. ſex tractatus Theologicos ac Aſceticos, rei librariae non ignaris conſtat. Totius codicis biblici in linguam germanicam translati, qui *Wormatiae* a. 1529. comparuit, interpretes vulgo habentur *Hetzerus* et *Denckius*; cum vero ille jam die 4. Febr. eiusdem anni decollatus, *Denckius* vero a. 1528. mortuus fuerit, *Biblia* iſta *Wormatienſia* ab his quidem inchoata, a ſociis vero pluribus ad colophonem perducta eſſe videntur. Vid. *Dav. Clement, Biblioth. hiſt. Crit.* Tom. III. p. 350. et G. G. *Zeltnerus* in Diſſ. *de nouis Bibliorum verſionibus, non temere vulgandis,* p, 51.

§. IV.

Hos nouarum opinionum propugnatores excipiunt, qui eodem tempore et ex parte ab his ſigniferis in deuia abrepti, *Joannes Campanus, Adamus Paſtoris,* alias *Rudolphus Martinius* dictus, *Dauid Joris*, aliique, ex quorum tamen numero *Georgius Wicelius* eximendus videtur, qui eidem a quibusdam inſeritur, et Campano homodoxus judicatur. Iſti vero omnes, Deo ſic clementer eccleſiae proſpiciente, conatibus ſuis, peculiarem ac longaeuam conducendi ſectam ac familiam, fruſtrati, magna ex parte fata experti ſunt triſtiſſima.

* * *

Jo. Campani, cum *Joanne Campensi* non confundendi, quod factum esse in *Catalogo Haereticorum* a. 1559. *Romae*, jussu R. Pontificis edito (v. *P. P. Vergerii Opp. T. I. p. 289.*) animaduertimus, raro apud scriptores coaevos et recentiores fit mentio: *Jo. Schelhornius* vero in *diss.* de *Jo. Campano Anti-Trinitario* in *amoenitat. litt.* T. XI. p. 1—92. quae de illo inuestigari potuerunt historiarum monumenta, singulari diligentia conquisiuit. Plurima de eodem tradidit *Ge. Wicelius*, cuius scripta ipse inspexi. Tempus natiuitatis et obitus ipsius determinari nequit; inclaruit autem circa annum 1530. Nec patria eius certo indicari potuit. *Sandius* l. c. p. 17. eum vel Cliuiensem, vel Juliacensem fuisse putat, et in adpendice ad nucl. H. E. p. 86. *Cliuiam* habuisse patriam, expresse, sed falso enunciat. Teste *Schelhornio* vel in oppido *Maseyck* ad Mosam, vel in regione Juliacensi natus. *Wizelius* hunc familiarem suum pluribus vicibus Juliacensem vocat, ac proinde de patria ipsius nullum jam dubium est. Ex coloniensi Academia, in qua litteris operam dedit, circa annum 1520. ejectus est, si *Corn. Agrippae* in Epp. L. II. ep. 60. p. 717. fides habenda, iniuste, a grege scilicet obscurorum virorum, siue Scholasticorum Coloniensium, quos insectatus erat. Vocatus eam ob caussam *Victor Sophistarum Coloniensium.* In hanc Academiam eum concessisse, postquam *Düsseldorpii* studiorum fundamenta jecerit, pariter certum est. Ita enim Wicelius in Apologetico ad *Joannem, Saxoniae Electorem* inquit: *Si Campanus haereticus est; haereticum Witemberga dedit, aut certo Colonia, aut Düsseldorpium, non fecit Nymecia.*" In epistola amici, amico *Coloniae* data 1520, in *Corn. Agrippae* Opp. Lugduni editis p. 778. insignis doctrina et virtute vir adpellatur. An pestifera illa dogmata, quae posthac disseminare contendit, jam tum fouerit, non certo liquet.

Circa annum 1528. *Wittebergam* venit, quo loco ad tempus nobilium quorundam juuenum Ephorus extitit; docuisse

docuisse vero eum ibidem et publico munere ornatum fuisse, quod *Sandius* confidenter ait, nullo testimonio probari potest. Hoc potius loco ita se gessit, vt Antitrinitarium eum esse nemo ex Professoribus animaduerterit; quamquam dogmata sua ibidem clanculum sparserit. Magistrum equidem eum vocat *Wicelius* in Apologia sua wider seine Afterreder die Luteristen, (Lipsiae 1535. 12.) p. D. iy b. sed ex hoc titulo eum docuisse *Wittebergae* certo colligi nequit, cum non omnes, qui gradu magisteriali ornati sunt, alios, praesertim publice in Academiis doceant, quamuis docendi potestate polleant.

Insignem Pontificii ex *Campani* Wittebergae commoratione, conuiciandi *Lutherum* et *Melanthonem* occasionem arripuerunt. Ita *Laur. Surius* l. c. ad annum 1532. inquit: Jo. CAMPANUS, *qui biennio Lutheri discipulus fuerat, Wittebergae eosdem fere, quos Mich. Seruetus, de summa Trinitate, errores asserere non dubitauit. Atqui Lutherus tametsi in eum calamum strinxit, tamen ad tantam impietatem fenestram illi aperuit.*" Eodem adfectu concitati sunt, STAN. HOSIUS in *confut. Prolegom.* BRENTII *aduersus Petrum a Soto.* L. I. p. 23. et ABRAH. BZOWIUS *in annal. eccl.* T. XIX. ad a. 1532. f. 836. aliique. Sed nullo argumento ab his euictum est, *Campanum* Megalandri fuisse discipulum, nec eius rei in *Lutheri*, *Melanthonis* et ipsius *Campani* scriptis vllum exstat vestigium. Quodsi vero quoque aliquando inter reliquos studiosos ipsius *Lutheri* discipulus fuerit? quid inde? quantum habuit praeceptorem *Judas Ischarioth?* nemo sanus vnquam aliqua veritatis specie monstrabit, *Campanum* dogmata sua e *Lutheri* schola ac doctrina habuisse, quippe qui aduersus illum strenue pugnauit. *Wittebergae* placita sua disseminandi intentionem homo callidus ita occultauit, vt *Lutherus* atque *Melanthon* tum demum cum *Witteberga* relicta *Nimeciae* apud *Ge. Wicelium* degeret, Antitrinitarium ipsum esse senserint.

Antequam vero huc demigraret a. 1529. *Marpurgum* abiit, vt colloquio, inter *Heluetios* et *Lutherum* habendo, interesset, disputaturus cum *Luthero de S. Coena*, de qua singularem sententiam, a reliquis omnibus diuersam defendebat. V. Lutheri *breuis confessio de S. Sacramento, in Opp. Lutheri Altenb.* T. VIII. f. 348. Ad colloquium tamen admissus non est, immo *Lutherus* eum disputatione et refutatione publica in hac caussa indignum judicauit, quod in *sermonibus mensalibus*. f. 279. expresse significat; quae repulsa hominem superbum, sibique soli sapere visum, qui ex hoc certamine gloriam aucupari studuit, magnopere offendit. Hanc ob rationem *Marpurgo* redux, *Wittebergae* valedixit, et *Nymeciam* oppidum Saxoniae haud procul *Witteberga*, ad parochum eius loci, qui *Ge. Wicelius* erat, confugit. In hunc locum cum concesserit, confestim rumor expandi coepit de *Campani* erroribus, *Wicelius* insimul, quod hospitio eum susceperit, et cum eo familiariter vixerit, haereseos et communis cum illo malae caussae suspicionem sibi contraxit. Hoc ipso anno 1530. *Torgauiae*, vt epistola *Lutheri* a *Zeltnero* l. c. exhibita, *Torgae* feria 6. p. Laetare a. 1530. exarata, testatur, his ipsis diebus monstra dogmatum suorum indicauit. Meminit quoque *Wicelius* Torgensis itineris, narratque *Campanum* quosdam juuenes Juliacenses habuisse comites. Contulit se autem in hunc locum non inuitatus, quo *Lutherus*, *Jonas*, *Bugenhagius* et *Melanthon*, ab Electore Saxoniae vocati erant, de articulis controuersis deliberaturi. Sed iterum repulsam tulit.

Breui tempore Nimeciam repetiit, ibique dies aliquot in *Wicelii* aedibus substitit, quo tempore innotescebat, eum non de S. tantum coena, sed etiam de ipsa S. Triade, quod hactenus dissimulauerat, peruersas fouere opiniones, quapropter *Wicelius* in suspicionem doctrinae Antitrinitariae venit. Is cum comprehenderetur, *Campanus* id animo fortassis praesentiens jam elapsus erat, et in ducatum Juliacensem secesserat. Ita enim *Melan-*

thon

thon in ep. a. 1530. in *epp.* per *Elzeuirios*, *Lugd. Bat.* impreſſis, p. 434. inquit: „*Hodie reſciui, Campanum illum noſtrum, qui noua dogmata Torgam ante noſtrum diſceſſum attulerat, captum eſſe a Leodicenſi fiſcali.*"

Conſcripſiſſe librum *Campanus* dicitur, hoc titulo: *Contra totum poſt Apoſtolos mundum.* Vtrum liber iſte Germanico, an latino idiomate concinnatus, vtrum publicae luci expoſitus, an ſuppreſſus fuerit, definire non audet *Schelhornius*: „*Si editus eſt*, l. c. p. 55. inquit: *ipſa raritate eum rariorem eſſe cenſeo, qui in tot inſtructiſſimarum Bibliothecarum catalogis eum fruſtra quaeſiui, et neminem, qui illum aut conſpexerit vnquam, aut fando duntaxat, vbi vel vnicum eius exemplar lateat, audiuerit, noui, licet ſtudioſiſſime de eo inquiſiuerim.* V. *Vogt. Cat. libr. rar.* p. 163. Interea libri huius et *Lutherus* et *Melanthon* mentionem faciunt, eumque *Nimeciae* a *Campano* eſſe concinnatum, alicubi me legiſſe recordor. MELANTHON in ep. *Conr. Herisbachio*, Conſiliario Juliacenſi 1531. d. 15. Julii data (in epp. a *Peucero* editis, P. II. p. 394.) inquit: „*Eſt apud vos quidam, cui Campano nomen eſt, qui profitetur ſe hoſtem Lutheranae factionis, idque callide facit, vt eo praetextu inſinuet ſe in animos iſtarum nationum, apud quas inuiſum eſt Lutheri nomen, ac contra Lutheranos nihil admodum ſcribit, niſi meras Logomachias et venenata conuitia. Telam orditur, quam non poterit detexere. Ideo te oro, vt pro tua prudentia des operam, ne quid exiſtat ex illis diſputationibus mali. Juuenis eſt et imperitus horum certaminum; Titulum libro fecit contra totum poſt Apoſtolos mundum. De his rebus cogitabis.* In ep. ad eumdem poſt annum (vt videtur,) 1546. ſcripta, l. c. p. 398. haec habet: *Calumniae Campani editae ſunt, quas, cum videris, quantum mali, quos motus pariturae videantur, facile intelliges. Incurrit in omnes ſine diſcrimine. Nemo quicquam recte dixit, praeter vnum hunc Thaleta Campanum. Sed priuatae injuriae facile a nobis diſſimulari*

lari possunt. Vos videritis, vtrum Ecclesiae hoc genus calumniarum profuturum sit.

A. 1532. scriptum publicauit hoc titulo: Göttlicher und heiliger Schrifft, vor vielen Jaren verdunckelt, und durch unheilsame leer und lerer (aus Gottes Zulaßung) versinstert, restitution und Beßerung, durch den hochgelehrten *Joh. Campanum.* Ein Send-Brief an K. M. von *Denmarcken*, etc. durch Nicolaum Frantz von Streiten, 1532. 8. plagg. 11. Hoc in scripto, in quatuor partes distributo, monstrosum ingenii sui foetum orbi exposuit, cuius delineationem *Schelhornius* l. c. p. 79. exhibuit; nos ea tantum endituri, quae ad ipsius errores in loco de S. S. Trinitate spectant. Agitur autem in eo de Trinitate in genere, et deinde in specie de Spiritu S. Statuit autem, in Deitate non esse Triadem, quamuis primam primae partis sectionem inscripserit de S. Triade; sed *Dyadem* vel duas personas, Patrem et Filium, hosque instar mariti et vxoris coniugali vinculo esse vnitos. S. Joannis Oraculum de S. Trinitate, 1 Jo. V, 7. pro suppositio habet: ex qua tamen ratione sola, vix jure quodam in Antitrinitariorum numerum referretur, cum notissimum sit, ipsum *Lutherum* dicti huius integritatem in dubium vocasse, nec leuia argumenta pro *Campani* sententia adferri posse, quod recentiores de hoc Oraculo controuersiae comprobant. Sed ad reliqua eiusdem placita, et ad animum, quo dictum hoc oppugnauit, simul respiciendum esse arbitramur. Christum esse Dei Filium non per adoptionem, sed veram generationem, de substantia Patris productam, atque adeo vnius eiusdemque cum illo essentiae fatetur; sed ita, vt aliquando eum non fuisse, sicque Patrem filio priorem crediderit. Hinc scripturae dicta pro Filii aeternitate ita exposuit, vt Christum ante saecula, cum mundus nondum creatus esset, ex paterna substantia genitum, in principio rerum ac temporum jam exstitisse quidem, attamen initium habuisse, putauerit; nihilo autem secius dici posse, in aeternitate eum genitum esse,

esse, cum ante creationem nulla tempora fuerint. Filium Patre minorem, huiusque administrum in creatione mundi, aliisque operibus peragendis credidit, eumque τον λογον appellari, quod Patris Nuncius, et Legatus fuerit; illi vero adorationis cultum esse praestandum, negauit. Spiritus S. nomine non diuinam personam, sed naturam ac operationes tam Dei Patris, quam Filii significari sibi persuasit. Luculentissime proinde oracula diuina proterue contorsit, orthodoxe sentientes amarulenter perstrinxit, duraque verba in Christianam veritatem enunciauit. Antiquiorum Antitrinitariorum placita et errrores in vitam reduxisse *Campanum*, ex adductis liquet; nec prorsus negauerim, quod *Serueto*, ipsi coaetaneo, praeceptore, in itineribus Gallicis vsus fuerit. Accensuit eum *Zeltnerus* l. c. p. 350. *Serueti* homodoxis, sed *Schellhornius* l. c. p. 89. diuersa eum a *Serueto* sensisse, instituto parallelismo recte colligit. Licet enim vterque articulum de Trinitate ferociter impugnauerint, diuersa tamen id ratione fecerunt. *Campanus* Christum ante saecula a Patre generatum profitetur. *Seruetus* antequam in vtero Mariae efformaretur, eum non exstitisse statuit. Ille Christum verum Dei Filium ex ipsa substantia Patris, ante orbem conditum, productum, atque adeo eiusdem diuinae ουσιας participem asserit: hic negat et pernegat, Seruatoremque eam ob caussam Dei Filium vocari vult, quod Deus Patris vicem suppleuerit, ac illum semine virili in Mariae vtero efformauerit. Ille Christum τον λογον dici, per quem Deus ceu administrum suum omnia creauerit, existimat: hic ipsi hoc nomen in S. litteris tribui pertinaciter inficiatur, neque per eum conditum esse mundum, concedit. *Wigandus* in *confessione*, quae lingua Germ. *Erford.* 1582. 8. prodiit, p. 20. inquit: „Ich verwerffe auch *Campanum* mit der wiedertäufferischen Rotte, die zu unsern Zeiten die Person und Gottheit des heiligen Geistes verleugnet haben, alß solten allein die Gaben, welche Gott in der Wieder-Geburth schaffet, der H. Geist seyn und heißen."

 Sandius

Sandius in H. E. p. 427. eundem huius aetatis Arianis accenſet, et in adpendice p. 86. aeternitatem Sp. S. eum negaſſe enunciat.

Melanthon a. 1546. d. 10. Jun., quo tempore adhuc in captiuitate detinebatur *Campanus*, ad *Vitum Theodorum* in epp. l. c. p. 495. ſcribit: „*Campanum ſcias in Juliacenſi ditione, clam perniciosiſſima venena contra Filium Dei, et contra Sp. S. ſpargere, immo re ipſa delere* vniverſum Euangelium. *Interea ſe venditat Gropero, et diligitur, quia audet rabioſe maledicere noſtris eccleſiis. Deus aeternus, Pater Domini noſtri J. C., qui in Baptismo Filii vere patefecit ſe, et Filium et Spiritum S. regat nos, et non ſinat exſtingui lucem Euangelii.*" Cum a. 1553 prodiiſſet liber anonymus, myſterio S. S. Trinitatis aduerſus, *Melanthon* eum e *Campani* calamo profluxiſſe, ſuſpicatus eſt, in litteris ad *Dav. Chytraeum* eodem anno datis. V. *Epp. Chytraei* p. 1234. Qua in re magnum virum coniectura fefellit, cum vix vllum ſit dubium, librum iſtum fuiſſe, Mich. Serueti *Reſtitutionem Chriſtianismi*, hoc anno, absque auctoris nomine, litterisque tantum initialibus, *M. S. V.* ad calcem libri notato impreſſum.

Copioſiſſime de Campano *M. Lutherus in colloquiis familiar.* et *menſal. latinis* ab Henr. Pet. Rebenstockio a. 1571. Francof. 8. editis. T. II. p. 31. ſeqq. differit, his verbis: „Ille adhuc juuenis et inexercitatus incidit in gra„viſſimas quaeſtiones, arbitratus ſe plus ſcire, quam Lu„therum, Pomeranum, Phil. etc. qui tamen nullam ſen„ſit luctam. Ideo πληροφορίαν i. e. certitudinem jacta„bat, dicens: Se diuinitatem Chriſti clarius exprimere, „quam ipſe Joannes Euangeliſta. Damnat me mendacem „et Sathanicum, quia doceo fidem infirmam in dies in piis „creſcere, et infirmitate et lucta procedere, vbi me ſua „πληροφορία damnat, dicens: Quam certum eſt, Deum „eſſe, tam certus et diabolicus mendax eſt Lutherus. — — „— Chriſtianum ſic definit: ſanctum, bonum, juſtum „non poſſe errare, ita decipit miſerum vulgus. Cum ita „defini-

„definire debuiſſet, Chriſtianum eſſe ſanctum, ſcilicet mi-„ſerabilem peccatorem, afflictum, adfectibus humanis „ſubiectum, ſicut Paulus de ſe dicit: quis liberabit me de „corpore mortis. *Campanus* homines plane facit ſtipites „et truncos, vt Stoici opinantur; ſi talis fieri poſſem, qua-„tuor me baptizare permitterem, quia nihil pugnae in no-„bis haberemus, et certi ita eſſe poſſemus, nec vnum darem „nummum pro verbo Dei et Sacramentis, quia his opus „non haberem; ſed abſit. Hunc perditiſſimum *Campa-„num* ſpernendum cenſeo et ſilentio reprimendum; nam „ſi contra ilium ſcriberetur, audacior fieret; melius eſt, „vt contemnendo reprimatur et non prouocetur. Non „enim proficiet ſuis opinionibus et autoritate. Ideo „*Phil.* ſuum dedit judicium, eum de arbore ſuſpenden-„dum, quod et Domino ſuo adſcripſit! Haec autem ſua „ſunt argumenta, quibus multi errores, ligitationes et „mendacia multa inueniantur et comprehendantur: *Cam-„panus* ſuis in libris, Deum Patrem et Filium, aliter diui-„nitate coniunctum et vnitum non eſſe, quam ſicuti Ada-„mus et Eua vnus ſit homo, ſcribit, ita vnitatem Eſſen-„tiae diuinae diſcernit, et dicit, aut duos eſſe Deos, aut „Filium non eſſe verum Deum, haec eſt ſumma huius ar-„ticuli. Inducit praeterea varias et mentitas ſpeculatio-„nes; ſic enim proponit, Filius quidem aeternus eſt, ſed „ab aeterno non fuit, ſed Pater prius fuit, et poſtea Fi-„lium genuit. Sic dicit: Filium aeternum et non aeter-„num eſſe, Deum quoque ad tempus diuinitatem aſſump-„ſiſſe, ſic tamen, quod non fuerit Pater. Et hoc argu-„mentum *Campani* magis ridendum, quod proponit certa-„men de his vocabulis, vbi aliqui ſic dicere ſolent: Filius „ab aeterno gignitur, ibi *Campanus* dicit, ſi ab aeterno „gignitur, nondum ergo genitus eſt, nondum eſt Filius, „ſic tempus praeteritum et futurum in diuinitate excogi-„tat; cum tamen patres, qui tali modo loquuti ſunt, „hoc tamen indicare voluerunt, hanc natiuitatem, ſeu ge-„nerationem hominum more nec tempore diſtincto fieri,

„et

„et ſic afficit patres contumelia, quia illorum ſententiam „de hoc articulo mutat, cum tamen patres dicunt, hanc „formulam loquendi aptam et bonam eſſe, ſic nempe: „Filius ſemper naſcitur, Filius ſemper natus eſt. Haec „ſunt puncta praecipua in hoc articulo; vnde facile intelli„gere quis poteſt, *Campanum* in ſuis ſpeculationibus erra„re, et ſe ipſum ſeducere. In ſecundo articulo *Campa„nus*, Spiritum S. non eſſe perſonam, certat, et hoc dictum, „in nomine Patris et Filii et Sp. S. lacerat; haec enim „ſunt verba, tria ſunt nomina, ſed non tres perſonae. „Ita hi duo articuli, manifeſtiſſimi errores ſunt contra di„vinitatem. Tertio, falſam hic proponit opinionem, „quia Chriſti verba, vbi dicit, quicquid petieritis in no„mine meo, etc. lacerat, ſic enim dicit *Campanus:* Haec „non eſt ſententia verborum Chriſti, vt homines, ſe prop„ter Chriſtum exaudiri, credere debeant, ſed tantum ora„re, tanquam filii Dei, quibus nomen Chriſti indutum „ſit. In ſecundo libro, in principio horrenda et varia „ſcribit mendacia, quia bonam Chriſtianamque ac veram „*Lutheri* doctrinam inuertit, vbi Lutherus ita docet ac di„cit, ipſum adhuc Alphabetarium eſſe in doctrina Euan„gelii de fide, et ſi quis verum ſe Chriſtianum eſſe profi„teri velit, is alias cogitationes non habeat, quam quod „Chriſti doctrinam de Euangelio et fide nondum ſatis di„dicerit, et ſit adhuc ſub numero diſcipulorum, qui ſub„inde diſcere coguntur. Haec verba odioſe inuertit *Cam„panus* et dicit: Diabolus ipſe haec verba ex ore *Lutheri* „loquitur, maxime enim fidem impediunt. Ex his aliis„que calumniis et mendaciis facile obſeruandum, *Campa„num* loqui ex falſo et peruerſo corde. Poſtea duos pro„ponit articulos falſos de morte et inferno, de his locis „*Campanus*, tanquam imperitus loquitur, atque ſatis pue„riles calumnias proponit, vbi dicit, Adamum, ſi eſſet „mortuus, ſatis pro peccatis ſuis feciſſe, et Chriſtum mori „non oportuiſſe, ita acriter non nos increpat, quia noſtra „doctrina clare dicit, *Adamum* multos dolores ſenſiſſe et

„pertu-

„pertuliſſe propter ſua peccata et atrocia delicta, cum tamen Chriſtus tali modo liberauerit, non vt mortem non „ſentirent, ſed ex morte liberarentur. etc. In *ſeptimo* „articulo litigat de vocabulo poenitentiae, vbi dicit poenitentiam nihil eſſe, quam reſipiſcentiam, cum tamen „omnibus notum eſt, fidem quoque ad poenitentiam pertinere, ideo neceſſarium eſt, quae ſit vera poenitentia „indicare. Poſtea certamen habet de quibusdam expoſitionibus, quas *Luthero* et aliis viris doctis inuertit, et „tamen nihil eſt, quam litigatio verborum.

„*Lutherus Campani* librum legens, manu illius propria ſcriptum, et a *Münſtero* relictum, cuius titulus erat, „contra Lutheranos, et omnes poſt Apoſtolos miros et „monſtroſos errores, *Bucero* mirante, dixit: Iſti peſſimi „nebulones omnia ſua rigide et ſcelerate vrgent. Cum „tamen res ad Deum pertinentes infirmiter agantur, ego per „20 annos verbo Dei aedificaui et certaui, attamen vix „ſummo labore aliquid efficitur, ſicuti ſcribit Hab. cap. „III. Equi tui in luto aquarum multarum et quadrigae „ſeruantur, vnde impedimenta occurrunt, attamen verbum Dei pertranſit, etſi magna infirmitate."

Quanti in *Campano* fuerint ſpiritus, et ſingularis ſcientiae perſuaſiones, ex Orthodoxorum, a partium ſtudio alienorum, teſtimoniis conſtat. Adeo proceſſit, vt gloriaretur, ab Apoſtolorum temporibus ad ſuam aetatem, neminem recte de Deo ſtatuiſſe; ſibi ſoli coeleſte myſterium reuelatum, et ad munus propheticum datam eſſe diuinam vocationem. *Bredenbachius* ſacrarum collationum, L. XXXIII. p. 711. ex *Lindano* de fugiendis idolis L. I. C. IX. ſignificat, illum perſuaſiſſe ruſticis Juliacenſibus, inſtare diem judicii extremi, ac breui terrarum orbem inundationibus aquarum eſſe periturum, hinc indulgerent deliciis, molliter ac laute viuerent, nec vllis parcerent ſumptibus. Inſipienter agricolae ſomnianti Prophetae fidem habentes, ſuos vendebant agellos, ac omnibus ſuis facultatibus priuati, ſtolidae credulitatis poenas tulerunt.

tulerunt. Ad eundem modum *Michaelem Stiefelium* extremum mundi diem, a. 1533. d. 3. Oct. futurum, vaticinatum esse, *Baylius* commemorat.

Quo anno *Campanus* ex diuturna custodia liberationem nactus fuerit, non constat; vulgo creditur id accidisse 26 annis completis; nondum tamen eumdem a. 1553. carcere fuisse liberatum, inde colligimus, quia alias *Heresbachius* de hac re *Melanthonem*, quocum commercium litterarium instituit, certiorem reddidisset, cuius tamen in ep. a. 1553. ad *Dav. Chytraeum* scripta, nullam *Melanthon* fecit mentionem. An ex carcere fuga se eripuerit, vel ex gratia Superiorum demissus sit, quo loco deinceps vixerit, et quo anno mortuus fuerit, haud constat. In latibulo se abdidisse, et vitam ad summam senectam duxisse, ex *Lindano* conjicimus. Ante eius captiuitatem contigisse, quae *Lindanus* et *Bredenbachius* commemorant, probabile videtur, quae ipsa fortassis, hominem in carcerem conjiciendi occasionem praebuerunt. Idem Lindanus, et Jo. Leo. *hist.* Pruss. L. VIII. p. 465. referunt: illum sibi ex carcere liberationem praedixisse, hancque pro documento veritatis ab ipso diuulgatae venditasse, ita vt, si haec non insequeretur, omnia placita sua se reuocaturum spospondcrit.

Cum antiquiorum Antitrinitariorum errores in ipsis Saxoniae terminis in lucem reuocauerit, probabile videtur, *Aug.* Conf. et formulae concordiae scriptores, ad eum respexisse, quando Samosatenianorum et Neo-Arianorum placita notarunt. V. *Walchius* de Samosatenianis Neotericis, quorum mentio fit in *A. C. Cyprianus* Historie der Augsp. Conf. p. 216. *Seckendorfius* l. c. L. III. Sect. VII. §. 24. p. 65. *Zeltnerus* l. c. p. 350. not. a.

Nemo *Campanum* eodem, quo vixit tempore, peculiari scripto refutauit; *Lutherus, Melanthon,* aliique horum pro veritate commilitones, dignum certamine singulari non censuerunt hominem, contenti, suos priuatim de ipsius deliriis monuisse, atque alicubi veluti in transitu, publice suum ab illis dissensum indicasse. Abstinuerunt

consulto

consulto viri summi ab eius refutatione, ne obscurum viri nomen sic illustrarent, atque lectoribus, nouitatis auidis, scriptorum eius legendorum desiderium inspirarent. Ex collatione temporis, quo *Campanus Witebergae* commoratus est, mihi videtur probabile, scriptum, cui titulus; Vermanung auß unsers gnedigsten Herrn des **Churfürsten zu Sachssen** Befelh, gestellet, durch die Prediger zu vorlesen widder Gotteslesterung und Fullerey, **Wittenberg** 1531. 4. pl. 4. occasione errorum a *Campano Witebergae* et in eius vicinia disseminatorum, ad praeseruandum ciuium animos, esse publicatum. quamuis nomen *Campani* in eodem non reperiatur. *Lindanus* a. 1575. *Campani* de S. Coena sententiam ad examen vocauit. Quae vero ista fuerit, et qua ratione verba institutionis explicauerit, *Lutherus* in tract. Germ. Kurtz Bekenntniß vom H. Sacrament, qui exstat *in corpore librorum M. Lutheri, sanctae memoriae, de verbis Domini, hoc est corpus meum* etc. a. 1561. 8. significauit, p. 757: Der siebend heiliger Geist, **Johan. Campanus**, machts also, Nemet hin, esset, das ist mein Leib, corpus scilicet paneum. Solt so viel heissen: Das Brod, so ich euch gebe, ist ein Leib oder Cörper für sich selbs, nicht mein lebendiger, natürlicher Leib, sondern ein todter lebloser Leib, wie Stein und Holtz ein Leib ist. Aber weil es meine Creatur ist, so ists auch mein Leib, den ich geschaffen habe. Diß ist der allerhöhest Heiliger Geist, wieder und über die andern alle, ohn daß er dem Becker die ehre nimmt, der dennoch auch etwas am Brodt gemacht hat, und Gott nicht das Brodt, sondern das Korn zum Brot schafft.

Georgius Wicelius a scriptoribus praecipue coaevis, immo quoque recentioribus, v. g. ab auctore *hist. Socin.* gallice scriptae, p. 67. eorundem cum *Campano* errorum accusatur. Vitae eius fata et opiniones exposuerunt Jamesius in vita et doctrina Wicelii, Conringius in Praef. ad viam regiam *Wicelii*, et Erasm. Alberus, in libro, cui titulis: Das der Glaub an Jesum Christum allenn

leyn gerecht und selig mach, widder Jörg. Wiţeln, Mammelucken und Jscharioten. Item von Jörg Wiţels Leben, und dabei Ludus Sylvani verdeutscht, ser kurzweilig zu lesen. Erasmus Alberus im Jar 1539. 8. pl. 12. sine loci commemoratione. An vero is semper veritatem sectatus fuerit, dubitamus. Ita p. B. 1. b. Dieser Jschārioth war eyn Pfaff, und nam eyns frummen Bürgers Tochter zu Eisenach zur Ehe, und genoss auch der Freiheit, die weder er, noch sunst keyn Mensch uf Erden, sonder D. Martinus Luther, mit seins Leibs und Lebes Fahr zu wegen bracht, und keyner vor ihm solchs gewagt hat. Eben nun, wie Judas Jschărioth Christus Brod aß, und trat ihn hernach zu Dank unter die Füeß. Also hat dieser Judas auch gethan. Er hat des gedachten Bürgers Krausen Dochter nun freilich in die XV oder XVI Jar gehapt, und ist doch mit der Zeyt der Satan in ihn gefarn, daß er widder vom Evangelio gefaln ist, und underſtanden sein armes Weib den Papisten zu ehrn, für eyn Hur, und saine armen Kinder für Huren-Kinder zu halten. Idem p. X. 2. prodit: *Wicelium* cum *Campano Marpurgi* amicitiam contraxisse intimam, quod a vero alienum videtur.

Natus erat *Vachae* vel *Faechae*, quae *Hassiae* vrbs est a. 1505. notante *Seckendorffio* l. c. Alii 1501 Fuldae eum in hanc lucem expositum esse, narrant. Circa annum 1521. *Witebergae* studio Theologico vacabat, relicta paulo ante vita Monachali. Non diu post, tumultuantium rusticorum dux factus et captiuitate constrictus, intercessione *Lutheri* et *Cancellarii Saxonici*, *Pontani*, libertate donatus est. *Christ. Franc. Paullinus* ex *Browerii Antiquit. Fuldens.* L. IV. p. 138. haec habet: A. 1525. *Wicelius Isnacum profugus, ob desertum Papatum delituit ibidem aliquamdiu, donec conflatae per rusticos publicae seditionis et adulterii falso insimulatus, a Theodoro Fährenrodo* Satrapa, factus est extorris. Per decennium circiter repurgatae per *Lutherum* religioni addictus, ab hoc ad Ministerium Ecclesiasticum initiatus, prope *Witebergam*

Nie-

Niemeccii, oppidum Saxoniae Marchiam verſus, euangelii praeco exſtitit. Quia hoc loco *Campanum* hoſpitio exceperat, ſimilium errorum ſuſpicionem ſibi contraxit, et propterea, nec non quia de reformatione temerario et ſcurriliter loquutus, juſſu *Electoris Saxoniae* vna cum *Hermanno*, a. 1530. in carcerem coniectus, non vero quod plurimi putant, qui cum *Seckendorffio* l. c. errarunt, a. 1532; ſiquidem *Wicelius* jam a. 1531. e cuſtodia dimiſſus, ex Niemeccenſi coetu ad Romanenſium caſtra tranſiit. Carcere ſolutus jureiurando ſe obſtringere debuit, Saxoniae terminos deuitare. *Luthero* promouente ac denunciante, *Campani* hoſpitem eſſe comprehenſum ac in carcerem datum, COCHLAEUS et SPONDANUS prodiderunt. V. *Lutheri ſermones menſales*, f. 278. Sed illum potius liberationem *Wicelii* et conſortis e carcere promouiſſe, ex ep. ipſius *Torgae* nobilibus viris M. *Georgio Wicelio* et *Antonio Hermanno*, *afflictis in Bilnitz fratribus ſuis ſcripta*, quam *Zeltnerus* l. c. ex autographo inſeruit, omnino patet. Cum chartae ipſius et libelli eodem comprehenſionis momento perquirerentur, ac nihil in his, quod eum Campanianae haereſeos ſuſpectum redderet, repertum fuerit, obiectum eſt ei ab aduerſariis, praeſertim *Juſto Jona*, ab illius puero *Campani* ſcripta feſtinanter apparitoribus praerepta eſſe; de quo crimine autem ſatis ſe purgaſſe WICELIUM, *Schelhornius* l. c. p. 30. recte ſtatuit, nec vix aliter credere poteſt, qui *Wicelii* apologiam contra Lutheranos, et libellum de Eccleſia aduerſus *Jodocum Koch* legit. In apologetico ad JOANNEM, Saxoniae Ducem ſcripto, a. 1531. pluribusque aliis epiſtolis, Deum teſtem aduocat, ſe nulla haereſi aduerſus S. S. Trinitatem infectum eſſe, nec vnquam eandem a *Campano* audiiſſe, multo minus ab eodem ſuſcepiſſe. Hoc non obſtante LUTHERUS *Wicelium*, cum jam Lipſiam vocatus eſſet, eiusmodi erroris ſuſpectum habuit, quod colloquia eius menſalia luculenter ſignificant. Ita autem l. c. p. 278. D. Martin Luther ſagte: daß D. *George Bruck*, Sächſiſcher Cantzler, den

Ge. Wicelium bey dem Leben erhalten hätte, denn er wäre ein Anfänger mit gewesen der Aufruhr in Döringen, darumb, als er gefangen worden, hätte man Jn köpfen sollen, da hätte D. Bruck Jn erbeten. Als er nun zu uns gen Wittenberg kam, da setzte ich Jn über die Pfarr zu Niemeck zum Pfarrherr; — — — — — Aber da er sich hernach an den *Campanum* hing, zusammen schrieben, und mit einanden ein Kuchen war, und mit einander die Gottheit Christi anfochten, welches Dominus *Philippus*, zum ersten erfure und den Campanum anher erforderte, und so erschreckliche Gotteslesterung vorgab, da fure Churfürst Hans zu, und ließ den Witzel fangen, und in den Thurm legen, aber wir Theologen wißen nichts drumb, da fiel Witzel von uns gar ab, und hing sich wieder an den Bapst, und ist nun unser ärgster Feind worden, aber er wirt sein bescheiden theil auch kriegen. De eodem MELANTHON, (qui *Wicelium*, mustelam, ein Wiesel, appellare consueuit) in *ep. ad Jac. Stratnerum*, praedicatorem Berolinensem, d. 23. Nov. a. 1539. scripta, in epp. a *Manlio* collectis, 1565. 8. p. 90. ita scribit: „*Mihi cum* WICELIO *priuata discordia nulla vnquam fuit, amanter etiam rogaui aliquando, meam familiaritatem ne aspernaretur. Sed vide, quam crudeliter, quam calumniose scripserit contra nos, et scribit multa contra suam conscientiam. Oremus igitur Deum, vt Achitophelis consilia impediat: mihi non dubium est, quin Wicelius ipse improbet adorationem sacramenti in pompa.* — — — — — *Magna res est, abusus sacramenti: et* WICELIUM *vereor confirmare abusum in Missa siue communione.*" ABR. BZOVIUS *in contin. annal. Baronii* T. XIX. a. 1532. p. 831. de eodem exponit, quod post decennium, quo coetui Lutherano adhaeserit, lectis patrum scriptis eundem deseruerit, et antequam se publica professione ab euangelicis disiunxerit, aliquamdiu haesitabundus substiterit, ecclesiam veterem cum noua diligenter comparauerit, hocque negotio occupatus duos scripserit libellos; *alterum* de tollendis Ecclesiae Lutheranae defectibus;

alterum,

alterum, de diſſimili veteris illius per orbem diffuſae, et nouae euangelicae Eccleſiae ſtatu; quorum neutrum ediderit, ſed priorem *Melanthoni*, poſteriorem *Juſto Jonae* legendum et examinandum obtulerit, quod propter hos libros *Lutherus Wicelium* odiſſe, et haereſeos ſuſpectum habere coeperit, quaſi cum *Anabaptiſtis*, *Fanaticis*, et *Campano* conſuſurraret, quod *Wicelius* a *Luthero Electori Saxoniae* delatus a. 1530. cum ſocio quodam *Antonio* (*Hermanno*) *Nimecia* abductus, in tetrum carcerem detruſus, ſed ſcriptis ipſius diligenter examinatis, hoc tantum in his repertum fuerit, quod Lutheranae Eccleſiae veterem catholicam antetulerit. Hinc 1531. dimiſſus, *Nimeciam* primum reuerſus, ibi res ſuas compoſuit; poſt *Witebergam* profectus, inde in *Haſſiam* ad ſuos commigrauit. Eadem fere habet SPONDANUS ad a. 1531. N. X. et XI. T. II. f. 409.

Poſt reditum ad Pontificiorum ſacra, libellos calumniis plenos aduerſus Reformatores ſuſceptumque ab his negotium concinnauit, quibus BALTH. RAIDA, *Parochus Hirsfeldenſis*, librum pro defenſione euangelicae veritatis oppoſuit, cui LUTHERUS praefationem a. 1539. praemiſit. Jam antea, praeter alia multa, in lucem prodiit opuſculum, cui titulus: Newer Irthumb und Schwermerey vom Sacrament: ſamt eßlichen Lügen, ſo **Georg Wizel** geprediget, auf dem Schloß **Mansfelt**, zu einer erſten Meß, verlegt durch deſſelben Orts Prediger, Michaelem Celium. Mit einer langen Vorrhede, von *Cochlei* und **Wizels** lere. Oſeae II. *Et nunc reuelabo ſtulticiam eius, in oculis amatorum ſuorum. Witeb.* 1534. 4. pl. 17. et *praef.* 6. Longam praefationem praemiſit *Conradus Cordatus*, *Licent. Theol.* Succeſſor *Wicelii* in Parochia Niemecenſi, in cuius initio ita inquit: „Ich hette zwar von dem Menſchen gar nichts gewuſt, wenn ich hie im Ampt ſeinethalben nicht hette das Herzeleid muſt leiden, von etlichen, von ihm verführet. Denn wiewol er widder den Babſt und Pfaffen Meſſe predigt, ſo ſtach er doch heimliche Stiche bey ſeinen Leuten, wo

er konnte, widder fromme Prediger, gleich ob sie nichts le-reten von guten Werken, vnd dazu nicht recht lebeten, nach **Wizels** Lere und Leben, wie seine Legend ausweiset, wie auch **Campanus** ein guter Zeuge ist, der hie bey ihm zu Hauße lag, vnd schrieb widders Sacrament, vnd greuliche Lesterung widder die heilige Dreyfaldigkeit, widder den Son Gottes, widder den heiligen Geist." Posthac *Wicelius* variis in locis *Lipsiae* sub Georgii Ducis tutela, a quo etiam stipendiis sustentabatur, *Coloniae*, *Facchae*, *Fuldae*, alibique commoratus est. Ita Alberus l. c. p. H. 4. „Alß ihm aber weder zu **Erfurth**, noch zu **Arnstadt**, noch zu **Fulda**, noch zu **Mentz**, noch zu **Marsula** sein Anschläge für sich gangen sind, hat er mit seinem Weib und Kindern zu **Fach** groß Armuth gelitten, und mit dem Vater, wiewol er sein einiges Kind, sich auch nitt lang betragen kunden, sondern in eines andern Hauß ziehen müßen; da ihm der Vater dennoch, umb seines armen frommen Weibes und Kindlein willn, wöchentlich etliche Brodt gegeben." *Moguntiae* tandem a. 1573. aetatis 72 defunctus est.

Post reditum ad Pontificios, ne vxorem dimittere cogeretur, Graeco ritu Presbyter consecratus est; Nic. Serario in *Moguntia* L. I. C. XL. apud Miraeum de *scriptoribus* Sec. XVI. haec narrante, quod vero cum *Lutheri* verbis allegatis pugnat. Idem haec addit: „*Sicque cum quodam veluti probro et risu Graecus audiebat sacerdos; at sellis sedere duabus voluit, vtraque decidit. Neque enim latinus sacerdos bonus fuit, qui ad nuptias transiit, neque sacerdos graecus bonus, qui ad secundas et tertias, immo vt quidam ferunt, etiam ad plures: sed prole parum felici vt Moguntiae est notum.*" Negarunt vero alii *Wicelium* defuncta prima coniuge, alteram sibi vinxisse. In ejus Apostatiam prodiit Sylvani Hessi, Ludus, quem Alberus germanice reddidit. V. *Bayle* l. c. tit. *Wicelius* not. a. T. IV. p. 508. vers. germ. Quae pro vnione omnium in ecclesia Christiana coetuum scripsit, legi possunt in Jo. Christoph. Köcheri *Biblioth. Theol. Symbol.* p. 163.

163. 166. 168. 348. et in eiusdem: *Theol. Iren.* germ. ſcripta p. 162. V. Fortgeſetzte Sammlung von A. und N. Theologiſchen Sachen, a. 1743. p. 26.

Qui illum inter aduerſarios diuinitatis Chriſti et Anti-Trinitarios huius temporis referunt, quod cum *Luthero* et *Melanthone* plures coaeui ſcriptores euangelici fecerunt, validis deſtituti rationibus videntur, niſi forte iſtae noſtro tempore ignorentur. Ex documentis, quae ad noſtram aetatem ...uata ſunt, ab hac imputatione liberandus eſt. Fuiſſe illum malae notae hominem, variabilem, ſuperbum, ſubdolum, iracundum, ad conuitiandum praecipitem, facile concedimus. Nec Pontificius corde fuit, quamuis inter Pontificios poſt abitum a *Niemecia* vixerit; nec Euangelicus, ſed fanaticus, qui nouae reformationis gloria ſuperbiens, ſemet vana mentis perſuaſione, ſupra omnes ſui temporis reformatores collocauit. Id tamen in laudem ipſius non reticendum, quod in libro, cui titulus: *Via regia,* quem *Ferdinando* I. dicauit, cujus juſſu eundem quoque ſcripſerat, de ſingulis articulis Auguſtanae confeſſionis admodum modeſte ſe explicuerit. V. *E. S. Cypriani* H. A. C. Nec negandum, quod aliquando ſalutaria ad reformandam Eccleſiam conſilia contulerit, cujus morbos deplorabat. *Via iſta regia* primum locum occupat in Herm. Conringii *collectione opuſculorum, quibus cum alia multa docentur, tum neceſſitas reformationis Eccleſiae Romanae, ſimulque concilii Tridentini iniquitas oſtenditur, Helmſt.* 1650. 4. An vero *Wicelius* jure *Campaniani* erroris accuſari poſſit, qui eundem ſe deteſtari profitetur, Deumque teſtem aduocat, quod nullam cum *Campano* haereſeos ab eodem aliis in locis ſparſae habuerit communionem, ac ne notitiam quidem, omnes, niſi perſonali odio aduerſus *Wicelium* abrepti dubitabunt. Ex eo, quod *Campanum* hoſpitio exceperit, nihil certi colligi, nec *Wicelius* ejusdem contagii accuſari poteſt. Nemo vnquam *Pellicanum* in jus vocauit, quod Tiguri *Laelium Socinum* exceperit; nemo *Melanthonem* jure quo-

R 3 dam

pam criminabitur, quod errorum Patronos, antea incognitos, sibique genuinae veritatis amatores visos, amice et humaniter tractauerit. Optime judicauit Lutherus de *Wicelio*, ab hoc deceptus, vt meliora de eo crederet, eumque excusaret; veriora tandem edoctus, quod improbarum opinionum plenus sit, postquam eundem ad Papatum rediisse, librisque editis veritatem euangelicam aperte impugnasse animaduertit; sed eundem cum *Campano* conspirasse, pariaque cum hoc defendisse, solido argumento nunquam probauit.

In epistolarum a *Wicelio* scriptarum opere haud pauca occurrunt, quae eum ab hac suspicione liberant, simulque ad *Campani* et *Wicelii* historiam illustrandam faciunt. Hunc autem prae se fert titulum: *Epistolarum, quae inter aliquot centurias videbantur, partim profuturae Theologicarum litterarum studiosis, partim innocentis famam aduersus Sycophantiam defensurae, libri quatuor.* Georgii Wicelii *Lipsiae, excudebat Nicolaus Wolrab.* A. MDXXXVII. *cum gratia et priuilegio Maj. Reg.* 4. 2 alphab. pl. 19. De his epistolis Jo. Fabricius in *hist. Biblioth.* P. VI. p. 99. existimat, quod ex iisdem *eluceat varia viri fortuna, eiusdemque persecutio, animus sorte sua contentus, atque in Deo fiducia, quod non gloriae et opum, sed conscientiae (quamuis erroneae) caussa religionem mutauerit. Libri primi* epistola *prima* ad J. P. scripta est, Nimeciae Sax. Anno MDXXIX. quo loco et tempore etiam *secunda* et *tertia*, *quarta* quidem eodem loco, sed anno sequenti 1530., *quinta* a. 1531. absque loci commemoratione, *sexta* Nimeciae 1531., *septima* ibidem die 24. Febr. 1530. apologetica est aduersus criminatores ad M. B. F. His autem caussam excepti a se Campani verbis agit: „*Rei caput est: Accusor M. Joannis Campani hospes menstruus. O coelum! O terra! Velim vero hic mihi, non qui altervtram juuent partem, sed qui causam juste reputent, ne accusator fiat insolentior, aut reus opprimatur indicta re. Primum rogo, an non fores meae liberae esse et cuiuis patere*

pere-

peregrino debeant, qui modo ita venit, vt venit CAMPANUS? *Venit vero is cum literis Bibliopolae* MAURITII *commendatitiis. Venit mihi tam ignotus, quam est vnus e Massagetis. Venit optimi hominis et piissimi fratris speciem prae se ferens. Venit comitatus* DYONISIO *quodam Brabantio, homine in litteris nostris, hoc est sacris exercitato. Talem egon' ab ostio meo arceam? Talem tecto, immo mensa, etiam communi non digner? Fortasse vobis infamatoribus minus peccassem, si nugonem aliquem, aut palponem excepissem; modo is non male apud vos audiret. At ego virum haud quaquam malum, literarum studio insignem, moribus, adeoque rebus omnibus ornatum excepi, et excepi rogatus, et excepi hoc libentius, quo magis mihi veri indoles appareret. — — — — — — At inquis: Haeresi pollutum excepisti, nec non Bonorum juratum hostem, quique exitio rei Christianae studeat. Bona verba. Excepi ergo neque haereticum, neque vllius hostem, neque prauum machinatorem, sed* CAMPANUM, *sed fratrem, sed studiorum socium. Nec mihi apud vllos fraudi esse possit, etiamsi talem excepissem, qualem ipse depignis, quippe ignorans, — — — — — Si a nemine colligendus erat hospitio* CAMPANUS, *qui rogo fit, vt istud nullo edicto antea cauerit Princeps? Adeoque cur Witebergae eum, non mensem vnum atque alterum, sed aliquot annos passi sunt? Si hic dicas: Quis omnes nouit? Idem ego pro me dico. Quodsi exactum, si profligatum exulemque et judicatum hostem suscepissem, quis omnium miraretur accusationem? E Witenberga exspatiantem, non fugatum suscepi, et eum, qui ob nullum scelus neque patratum, neque patrandum, ad nos deambulauit; sed qui orthodoxos scriptores a* STECHAUIO *nostro mutuum acceptos euolueret atque consuleret. Cuius negotii tamen, neque me neque* ANTONIUM *conscios vnquam esse voluit, homo rerum suarum minus occultator. Illud de ipso affirmare aussim, nempe diligentiorem scriptorum veterum lectorem et judicem me vix in vita cognouisse. Lector erat diurnus et nocturnus, sibi ipsi nihil parcebat, genium defraudabat, vita sobrius, con-*

versatione honestissima, verborum perpaucorum, gestibus laudatis, breuiter talis, quem ego suscipere potui, abominari aut odisse non potui. Et cur non idem de CAMPANO *elogium referam ipse, quod de Dauide rex Achis.* — — — — — *Jam demonstrandum accusatori erat, quanam in re tam malus, tamque reprobus sit* CAMPANUS, *et cur ita vitandus?* — — — *Si Satanae vas, ergo probetur. Ipse vas Dei electum, et cognoui Campanum et praedicaui, neque enim secus, vel emoriar, de eo loqui possum. Nec vllum spero me adacturum, vt vel huic vel quibusuis aliis in Germania contra conscientiam maledicam, aut detraham, qui videlicet neque in me peccarunt, neque in alios videntur iniqui, neque (quod cum primis dictum oportuit) contra fidei Catholicae analogiam sentiunt. Quod si nunc* CAMPANUS *aliqua prodidit, quae vel absurda, vel a veritate simplici aliena esse videntur, mihi certe nihil periculi inde timendum est, maxime cum celarit sua molimina. Et per Dominum juro, si mihi hic de Synaxi vel Syllabam retexit. Apud Marpurgum ipso die, quo eram abiturus, nonnihil sua de sententia, vel non sciscitanti aperuit, quam tantum abest, vt probarim auditam, quam ad hunc vsque diem satis quid sibi velit homo peracer, nondum intelligam. Fortasse et alia progressu temporis publicaturus est, num ideo illa, quaecunque tandem fuerint, me inuoluere poterunt? O aequos homines! O principes ecclesiae Dei in terris! Si vobis cum* CAMPANO *parum conuenit, quid me arguitis? Aut egone illius sua in caussa defensor patronusque? Habebatis eum nuper, cur cum eo non de caussa agebatis?*

Longior est eiusdem argumenti apologia ad J. S. D. in Saxonia, an *Nymeciae?* non legitur; fortassis vero jam *Facchae* scripta, a. 1531. ex qua pauca carptim tradimus, quae ad CAMPANI historiam illustrandam et WICELIUM excusandum conferunt. Ita p. H. 2, inquit: *Idibus Julii venit Witenberga ad me, nihil minus cogitantem* CAMPANUS, *Dyonisio Brabantio comitatus, quem, vt est vultu praeclaro,*

claro, honorifice exceptum ſedere juſſi. Mox ille depromtis litteris ſciſcitatur de Antonio, cui eas reddat. ANTONIUS *forte aſſidet, nimirum a lectione hebraea. Nam in hoc ſtudio vna exercebamur. Litteris acceptis reſignatisque legit nobis, a ſe petere* MAURINUM *Bibliopolam, vt magiſtro, qui litteras reddiderat, euoluendos ſcriptorum eccleſiaſticorum libros apud* WERNHERUM DE STECHAU *proſpiceret: hoc ſibi fore pergratum.* ANTHONIUS *annuit, mihi res, quippe litteraria perplacet. Imus igitur vna ad* WERNHERUM, *rogamus, vt pro ſua charitate codicum ſuorum copiam viro illi faceret. Is, qui eſt hominis candor, volumina quinquaginta plauſtro vehenda ad nos curat.* ANTHONIUS *hominem in ſuas aedes recipit, ſiue quia eſſent meis capaciores, ſiue quia in altiſſimo ſeceſſu, et idem victum ſubminiſtrat. — — — — — In conclaue, vbi legebat, nec mihi, nec etiam hoſpiti ingreſſus vnquam patuit: adeo res ſuas atque inſtitutum nos celabat, vt ſui etiam nominis erga nos eſſet pertinaciſſimus Harpocrates; nec, niſi quando eſſet mox a nobis abiturus, et caſu quopiam nomen* CAMPANI *reſciuimus. Studium hominis tantum erat, vt diebus Julii longiſſimis, bonam noctis partem adjiceret. — — — — Hic conuerſationis* CAMPANI *apud nos tenor. — — — — — Ego admirabar hominem, non tantum amabam. — — — — — Jam vir tantus prolapſus in haereſin Arianam dicitur, et idem negare carnem Chriſti in pane. Quam famam ſatis ego mirari non poſſum, qui longe diuerſa ab eo, quod dicitur, audierim. Nec facile adducor, vt rumuſculo illi credam, qui, vt maxime verus ſit, quid quaeſo ad me? Age igitur, accuſator fratrum, adeſto, neruos omnes explica, et proba argumentis, male feciſſe nos,* CAMPANI *hoſpites. Proba, nos reos eſſe mali dogmatis. Proba, ſi quid ille a nobis adjutus eſt. Proba conſentire illi nos. — — — — — Ais, illum nos molimina ſua non celaſſe. Ais proponenti arriſiſſe, applauſiſſeque. Ais, nos illum e Witeberga accerſiſſe, vt eſſet, quocum communem doctrinam refutaremus. Nam ſi eiusmodi de nobis vnquam*

rescíueritis, non in carcerem modo, sed in Albim etiam nos projicite. Ignotus ad ignotos venit, notos reliquit, sed tamen eosdem. Sua nos celauit, teste omniscio Deo. Nec applausi, nisi vbi verissima diceret, et aliquando, vbi rectissime de religionis caussa quaereretur. Si haereticus est, haereticum WITEBERGA *dedit, aut certo* COLONIA, *aut* DÜSSELDORPIUM, *non fecit Nymecia. Haereticos, vt nemo odi, nec mihi cum horum vllo quicquam conuenit, quotquot vnquam fuere, sunt, et erunt. Sed ego contra, bene nos fecisse,* CAMPANI *hospites probabo, idque sole clarius. Primum Parochos decet philoxenia. Deinde Bibliopolae, qui scripserat, vt amico honesta roganti obsequendum. Postremo docti colendi nobis sunt, indoctis licet. In summa, quia apud nos studere volebat, non neotericos et insulsos doctorculos, sed eos illi curauimus patres, e quibus, si alioqui nutasset, stabiliri poterat. At quos? Non reticebimus.* HILARIUM *ceu vexilliferum, primo loco pono, cuius opera curantibus nobis euoluit* CAMPANUS. *Jam quis Hilario felicius atque inuictius in* ARIUM *pro tuenda Trinitate scripsit? Dicant, qui legerunt. Euoluit et* CYRILLUM *nostra cura, qui totum ferme Joannem aduersus Trinitatis negatores enarrat, et idem librum copiosiss. fecit, qui Thesaurus inscribitur, contra Arianos et Eunomianos. Dedimus item antiquitatis auido,* BASILIUM *legendum. Is, an non quinque libros in* EUNOMIUM *ejaculatus est pro diuinitate vnigeniti? Dedimus et* ATHANASIUM — — — AMBROSIUM — — — AUGUSTINUM. — — — — *Ais: eosdem poterat auctores Witebergae legere. At quis eum inuitarat, vt hic legeret?* — — — *Sed aliud adrudit accusator, quo fortius nihil habet: Nimirum principali edicto antea cautum, ne quis id genus homines tecto dignaretur. Respondeo: Edictum isthuc valuis nostri oppiduli, adprime affixum est. Verum quid is hominis est? Haereticus? Seditiosus? Papista? Catabaptista? Pneumatophorus? Si horum quicquam erat, quis nos praemouebat, ne talem exciperemus? Nam si talem prudentes excepissemus societa-*

tis, non monitionis caussa, edicto certe vestro principes obnoxii essemus. Sed quicumque est, imprudentes eum et ignoti excepimus, idque justi nomine, non injusti, vbi ergo justi merces? Nec hic delituit vt hostis, sed vt amicus in aperto commorobatur; nec e latibulo ad nos venit, sed a Witemberga venit petens, non iniquum quicquam, sed dequiss. honestissimumque. Etenim dic mihi, quis hominum id temporis de Campano male sensit, quando esset in Saxonia? An non in pretio eruditorum magno erat? an non in claritate apud Juliacenses? an non praedicabatur Coloniensium Sophistarum victor? Ceterum si nunc, posteaquam erupisse dicitur error hominis, tale faceremus, non mirum, si pateremur? Si condemnatum, proclamatum, finibus exclusum recepissemus, esset profecto, quod traduceremur inobedientes. Sed hocne factum? Quis doctorum eum id temporis, inquam, condemnarat? quis principum ejecerat? Quis hominum vitarat ceu publicum hostem CAMPANUM? — — — — — *Idem biennium totum Witembergae ante fuit, quam Nymeciam videret, nec sine hospitio fuit. Hospes vero immunis a crimine est, apud quem sua lucubrauit; apud nos legit modo aliena et excerpsit, nec immunes tamen sumus. Illic tot menses, hic vnum modo degit, illinc scribere ad alios poterat, hinc nullam cuiquam syllabam scripsit.*

Pari modo pluribus locis testatur longissime se a CAMPANI erroribus abesse, eosque vehementer accusat, qui ipsum errorum circa S. Trinitatem suspectum habuerunt. In ep. ad D. C. R. (qui *Crotus Rubaenus* est) *Erphurdiae*, 28. *Jun.* 1532. Libro II. Epp. Q. III. b. scribit: *Cum non aliam nocendi caussam inueniret,* (JONAS) *visus sum illi idoneus, quem haereseos* MACEDONIANAE *atque Sabellianae sugillaret.* — — — — — *Fertur enim* JOANNES CAMPANUS *librum scripsisse, in quo cum sanctissima atque ter adoranda Trinitate bellum susceperit. Quoniam vero eius menstrua consuetudine vsus sui, de eius instituto nec tantillum sciens, et hoc longe ante scriptum librum, suspicionem*

in

in me conceperunt, ac ſi ipſi aſſentirer. Atque ea ſuſpicio, tametſi falſiſſima, illis perſuaſionem quandam peperiſſe videbatur, vt me nolentem, reclamantem, manibus pedibusque renitentem, oporteat eſſe haereticum. Grauarunt me vehementer in Saxonia CAMPANI *nomine.* — — — — — *Traducebar* SABELLIANUS, *cuius errorem vna cum reliquis ſummo ſtudio quotidie pro cathedris oppugnabam, et tandem hanc ſuſpicionem coram Duce Sax. litteris purgatricibus diluebam, nedum apud Theologos, vt non poteram non putare pridem conſopitam eſſe ſuſpicionem.* etc.

De reditu ſuo ad coetum romanum, reformandique animo in ep. ad H. K. *Fachae*, 1532. L. II. p. Q. I. acerbiſſime inquit: *Ante annos plus ſex, coeperunt animo meo multa diſplicere in euangelica eccleſia, praeſertim quod ad mores attinebat. Id temporis inceptabam Zelum Dei exercere in injuſtitiae et tenebrarum opera, idque publice et domeſtice, concionando et ſcribendo. Non diu poſt, vt res pedetentim lababatur in deterius, diſplicuit ejus eccleſiae ordo ac regimen. Neque enim vllibi videbam, quod adficeret bonorum animos, et quod ad pietatis ſtudia inuitaret. Videbam pleraque veluti per ludum agi, nulla grauitate, nulla reuerentia, nullo timore. Videbam humanas conſtitutiones humanis ſuccedere, et heſterna hodiernis mutari; nec fieri meliorem ſine ceremoniis, quam erat in ceremoniis. Immo ceremonias leuiculas, a quocunque balneatore excogitari atque ſub Euangelii pallio venditari. Hujusmodi mihi, inquam, vehementer diſplicuerunt, quare ad ſcribendum adigebar. Scripſi itaque de corrigendo eccleſiae euangelicae ſtatu librum latinum, quem* PHILIPPO *cognitori ſupplex detuli. Mox alium paraui, de diſſimilitudine eccleſiae noſtrae ab eccleſia veteri, hunc* JONAE *per litteras obtuli. Coepi rem e ſuggeſtu quoque exagitare, ne plebecula falſo perſuaſa arbitraretur, jamjam florere vere ſincerum Chriſtianismum, ne quid de multis et prolixis epiſtolis ad amicos, eadem de re miſſitatis dicam: At vbi intelligerem,*

monitis

monitis meis exaſperari cognitores, et populo euangelico duram videri diſciplinam, rectiusque et Chriſtianius inſtitutam vitam, adeoque ſaluberrima et optima et Chriſtianiſſima quaeque tantum non videri, nec tantulo probiores vllos vndiquaque auditis nobis reddi, immo improbiores aliquando, occoepi de doctrinae veritate apud memet ambigere.

Praeter *corpus epiſtolicum* magno numero libri a *Wicelio* in lucem emiſſi ad adſpectum meum venerunt. Haud pauci quidem citati reperiuntur in *Bibliotheca Cyprianica*, p. 248. et 249. plurimi tamen ibidem deſiderantur, nec quantum ſcio, quisquam omnes vna ſerie recenſuit. Juuat igitur in ſupplementum hiſtoriae huius temporis litterariae Operum a *Wicelio* concinnatorum, et in publicis Bibliothecis Regiomontanis obuiorum indicem pleno titulo ſubiungere. 1.) *Syllabus locorum ex vtroque Teſt. de bonis operibus credenti ad vitam neceſſariis. Ad haec praeconium Euangelicae gratiae. Theſes aliquot. Precatio pro Eccleſia- Authore Georgio Wicelio* p. 12. 4. In fine legitur: *Lipſiae ex officina Melchioris Lotteri inconniventis induſtriae typographi, quam maxima cura et diligentia prodiit. Anno a redempto genere humano ſeſquimilleſimo et triceſimo quarto, menſe vero Martio.* Eundem librum prodiiſſe *Colon.* 1548. 8. alii tradunt; quem quoque auctum et emendatum *Ge. Wicelius, junior* edidit, *Colon.* 1575. 8. 2.) *Quibus modis credendi verbum accipiatur in ſacris litteris. Expoſitio Georgi Wicelii. Eccleſiae Catholicae paracleſis.*

Heus mea, quam docta es Genitrix, de numine puram.
Hanc puro ſerua, pectore ſponſa fidem:
Hac de donauit ſublimis ab aethere ſponſus.
Haec tibi neu deſit deficiatque rogat,

Habacuc. II. *Juſtus in fide ſua viuet.* a. 1535. Febr. pl. 4. 4. *Lipſiae apud Nicolaum Fabrum impreſſum eſſe*, in fine notatur. 3.) *Praeconium Euangelicae gratiae, ab auctore*

auctore recognitum. Georg. Vuicel. 8. pl. 3. Lipfiae apud *Nic. Fab.* a. 1536. 4.) *Quadragefimales Wicelii conciones, hoc eft exegemata, feu expofitiones Euangeliorum, Epiftolarum, aliarumque lectionum, epiftolice in facro Miffae officio, diebus quadragefimalibus publice legi canique folitarum, concionatoribus ecclefiafticis aliisque presbyteris pie doctis fummopere neceffariae, editae nunc iterum diligentius multo ac prius, authore Georgio Wicelio, feniore interprete autem, M. Gerhardo Lorichio, Hadamarienfi. Colon. ex officina haered. Jo. Quentel.* a. c. 1555. *menfe Febr.* fol. pl. 26. absque praefat. et indice. Prodierunt quoque a. 1565. Lutetiis Parif. latine, fed valde caftratae, eliminatis haud paucis locis, Romanae Curiae minus acceptis. 5.) Das andere Theil Annotationes, das sind kurtze Verzeichnüß in die Wittenbergschen newen Dollmetschung aller heiligen Propheten, ytzt am ersten ausgangen, durch Georg Wicelium. *Actor. fecundo. Et coeperunt loqui variis linguis, Anno* 1536. Eißleben, 4. 3 Alphab. 2 plag. In fine: Gedruckt zu Leipzig, Melchior Lotter, 1536. Exempla, quae in verfione Lutheri corrigenda judicat, defumta funt e Prophetia *Jefaiae*, vsque ad *Michae* vaticinium, in quo fubftitit. 6.) *Methodus concordiae ecclefiafticae, poft omnium fententias, a minimo fratre monftrata, non praefcripta. Joan.* XIV. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Lipfiae Nicol. Wolrab.* 1537. *Cum gratia et priuilegio.* 8. pl. 11. Epiftolam nuncupatoriam Monarchis, Pontifici, Caefari, Epifcopis, Principibus, Magiftratibus, Doctoribus et vniuerfis, qui nominant Chrifti nomen, fcriptam, *Georgius Wicelius* Presbyter m. *Apr.* a. 1533. fubfcripfit. Methodum hanc concordiae excipit in fine: *Adhortatiuncula vt vocetur concilium, ad Archi-Epifcopum Moguntinenfem,* etc. *priuatim fcripta a Ge. Wicelio, et nuper ab eodem locis aliquot locupletata, Fachae* 1532. 7.) *Conciones triginta orthodoxae, Ecclefiaftis Chriftiane euangelizantibus, non adeo futurae inutiles. Georgii Wicelii Presbyteri,* a. 1536. 8. pl. 18. Liber eft dicatus *Joanni*

comiti

comiti ab *Henneberg*, et Antiſtiti Fuldenſi. *Eißlebii*, d. 27. 1536. 8.) *Homiliae duae, de eccleſiae myſteriis, Baptiſmo et Euchariſtia. Encomium ſanctae linguae. Georg. Wic. Presbyt. Lipſ. excud. Nic. Wolrab*, 1538. 8. pl. 7. Orationem in laudem Hebraeae linguae, adoleſcenti generoſae indolis *Bernardo Gualtero, Lypſienſi*, dicauit, Islebii. d. 20. Martii 1534. 9.) *De fide et operibus, S. Auguſtini Epiſcopi Hipponenſis liber vnus. Cum praefatione Georg Vicelii Lypſiae*, 1539. 8. pl. 8. dicauit librum per epiſtolam Lypſ. e platea Palladis ſcriptam, quae praefationis vices tenet, *Julio Pflugio.* 10.) *De vita chriſtiana diui Aurelii Auguſtini liber vnus, cum praefat. Georgii Vvicelii Lypſiae apud Nicolaum Wolrab.* a. 1539. 8. pl. 6. Praefatio ſcripta eſt *Chriſtophoro a Carlewitz.* In fine additi ſunt *Auguſtini* liber de laudibus charitatis, nec non eiusdem de paſtoribus, qui vnam ſaltem paginam occupat, et tandem *Ambroſii* adhortatio ad poenitentiam agendam. 11.) *Oratio eccleſiaſtica de paſtoribus ouium Chriſti, autore Georgio Wicelio, Presbytero. Lipſ. per Nic. Wolr.* 1537. *cum Priuil.* 8. pl. 8. Prodiit ſecunda vice *Colon.* 1548. 12.) *Libellus de moribus veterum haereticorum et quibus cum illi hac aetate affinitatem habeant, nunc denuo ab auctore recognitus Georgii Wicelii. Paulus ait: oportet haereſes eſſe inter vos, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant inter vos. Lipſ. Nic. Wolr.* 1537. *cum gratia et priuil.* 8. pl. 9. Eſt ep. ad amicum ſcripta *Islebii*, 1536, in qua rationes adfert, cur ipſe impugnauerit Lutheranismum. Prodiiſſe quoque, *Pariſiis* 1565. 8 in collatione librorum qui in nundinis Francofurt. ab a. 1564 ad 1592 venales extiterunt, p. 137. notatur. 13.) *Georgii Wicelii Theologi, diuorum ex veteri Teſtamenti ὑποδείγματα i. e. exempla, ordine, elegantia et vtilitate praeſtantia, nunc primum ac recens typis excuſa. Philipp.* III. *Comitatores mei eſtote fratres, et conſiderate eos, qui ſic ambulant, quemadmodum formam habetis nos. Coloniae apud Melchiorem Noveſianum, a.* 1535. *cum priuilegio Caeſareo.* 8. pl. 7. Idem ſine dubio libellus

libellus est, qui *Colon.* 1549. 8. prodiisse sub tit. Catalogus et Historiae diuorum V. et N. T. in *Catal. Biblioth. Bodleianae* p. 254. proditur. 14.) *De raptu epistolae priuatae, et praefixa illi criminationi contra ludum Sylv. Hessi. Expostulatio cum hoste Jona Georg. Wicelius*, a. 1535. 8. pl. 5. 15.) *De Eucharistia sacrosanctiss. ecclesiae Christi Jesu. Authore Georgio Vvicelio, nuper a Joanne Lausteno Rhenano, Romanis auribus donatus, liber vnus. Luc.* XXII. *Hoc facite in mei recordationem. Lipsiae, Nicol. Wolrab. excudebat*, a. 1539. 8. pagg. 501. Wicelii ep. ad lectorem scripta est *Islebii*, a. 1534. ipso die Aegidii. 16.) Tägliches Lob Gottes aufs kürzest, für die Christliche Jugent. Georg Wicelius. Gedruckt zu S. Vicktor bey Mayntz durch Franciscum Behen. a. 1545. 8. pl. 2. 15.) *Oratio in laudem hebraicae linguae. Praeterea leges scholae puerilis. Autore Georg. Vvicelio.* 1534. 8. pl. 2. Vid. N. 8. Leges adtextae Methodum proponunt, qua author in instituendo nepote suo vsus antea fuerat. 18.) *Dialogorum de rebus religionis libri* III. Lypf. 1639. qui etiam germanice prodierunt, recensentur, a *Fabricio* in *hist. Biblioth*, P. IV. p. 190. 19.) *Ejusdem via regia, siue de controuersis religionis capitibus conciliandis, sententia, jussu Ferdinandi* I. *Caesaris a.* 1564. *ab auctore jam sene conscripta*; a *Fabricio* l. c. p. 195. recensetur. 20.) Ejusdem *epitome Romanorum Pontificum, a Petro vsque ad Paullum III. Colon.* 1549. Lucem jam exspexisse *Mogunt.* 1543. in Catal. Biblioth. Bodlei l. c. significatur. 21.) *Hagiologium de sanctis ecclesiae siue historiae diuorum, toto terrarum orbe celebratorum, Moguntiae* 1548. fol. Allegatur quoque editio huius operis, *Mogunt.* 1541. fol. in *Biblioth. Vniuers. Francofurth. Beckmanni*, p. 305. Idem liber idiomate Teutonico lucem adspexit, *Colon.* 1554. fol. hoc indice: Chorus sanctorum omnium, oder XII Bücher Historien aller Heyligen Gottes. V. *Walchii* Biblioth. theol. sel. T. III. p. 534 et p. 455. 22.) Vom Canon der lateinischen Messe, durch Georg Wicelium. *Apostol. Paulus.* 1 *Ti-*

1 *Timoth.* III. *Ecclesia Dei viuentis, columna et stabilimentum veritatis est.* Gedruckt zu Cölln, durch Joannem Quentel, im Jar unsers Herren 1549. cum Priuil. 8. pl. 6. 23.) Der heiligen Messen Brauch, wie er in der alten Kyrchen vor tausend Jaren gewesen. Aus S. Joan. Chrysostomo verdeutscht, 1 Cor. XI. Probet autem se ipsum homo, etc. 4. plagg. 4. Praefationem ad lectorem subscripsit: Georg. Vicel. Theolog. Datum zu Berlin 24. Septembr. Anno 1539. Videtur liber Ritualis Romani in linguam germanicam translati adpendix esse, siquidem paginae incipiunt a. 74. et terminantur cum pag. 90. 24.) Ritus Baptizandi. Wie mann vor etlichen hundert Jaren der Christen Leute Kinder, auff gewönliche Zeit der heiligen Ostern, in Christi Catholica Kyrch getaufft hat, nemlich in einem alten geschriebene Buch der Fuldischen Liberey Latinisch funden, vnd zur Aedification der Christenheit, durch Georg. Wicelium verdeudschet. a. 1541. *S. Paulus: Omnia decenter, et secundum ordinem fiant.* 4. p. 36. in fine: Gedruckt zu S. Victor außerhalb Maynz durch Franciscum Behen 1541. 25.) *De inspectione, s. visitatione ecclesiarum, aliisque nonnullis, ad Epanorthosin ecclesiasticam pertinentibus. Colon.* 1564. 8. 26.) *Retectio Lutheranismi in admonitionem edita.* 1564. 8. Jam a. 1538. Lipsiae, 8. lucem vidit. 27.) *Enarrationes Euangeliorum et Epistolarum de tempore et sanctis per totum annum, cum concionibus quadragesimalibus. Paris.* 1565. 8. Vid. N. 4. 28.) Postilla oder Auslegung der Sontäglichen Episteln und Evangelien durchs ganze Jahr. Meynz 1571. fol. 29.) Von den Begräbnißen der Christgläubigen auf den Kirchhoff, wider den neuen und Jüdischen Gebrauch des Feld-Begräbnüß, welches man den Gottes-Acker nennt. Lips. 1536. 8. Recusum est opusculum *Mogunt.* 1575. 8. 30.) Evangelia und Episteln, mit Christlichen und schönen Gebeten, über alle Sontags-Evangelien und Episteln. Cölln 1577. 12. 31.) *Lyturgia S. Basilii Mag. nuper e tenebris eruta, et in lucem nunc primum edita. Cum prae-*

fatione Ge. Wic. Excusum Moguntiae. Anno 1546. 8. pl. 5½. 32.) Ein Bett-Psalm, Georgii Witzelii für die heilige Kirche. Adtextum est *Quirini* consilio aduersus haereticos, quod prodiit Bonnae 1543. 4. pl. 2. Plura Wicelii scripta, quae ipsi non vidimus, ab aliis citantur. v. g. in Catal. Biblioth. *Frid. Ben. Carpzouii*, P. I. p. 77. 241. 243. 250. 33.) Beständige Antwort wider der Lutherischen Theologen Bedencken, welches sie wider das Interim geschrieben, Cöln, 1549. 4. 34.) De Traditione Apostolica et ecclesiastica, in deutscher Sprache. Ibidem. 35.) Außlegung des Propheten Haggai, *Mogunt.* 1542. 4. 36.) Von der Buße, Beicht und Bann, item sermo propheticus. 8. 37.) Icon Christiani hominis, germ. Mogunt. 1542. 8. 38.) Großer Catechismus. Ibid. 1545. 8. Prodierunt jam 1543. ibid. Quaestiones eiusdem catechisticae. 39.) Obdormitio Christianorum, Ibid. 1542. 40.) Betbüchlein. Lipf. 1535. 8. 41.) Antwort auf die Schriften unter Eckerlings Nahmen außgangen, Ibid. 1536. 8. 42.) Summa von der Rechtfertigung, *Lipf.* 1537. 8. 43.) Additio in quaestionem, *Colon.* 1545. 8. In Catalogo Biblioth. *Bodlej.* Thom. Hyde, p. 254. huic auctori tribuuntur: 44.) Comment. in Threnos. *Colon.* 1553. 8. 45.) Bona et mala, quibus in hac vita adficimur, ex *Augustini* libris de ciuitate Dei, *Mogunt.* Ibid. In *Beckmanni Biblioth. Vniuerf. Francof.* p. 305. sequentia adcitantur: 46.) *Defensio doctrinae de bonis operibus, contra sectam Lutheri, Colon.* 1549. 8. 47.) *Confutatio Resp. Just. Jonae. vna cum assert. bonorum operum,* 1533. 4. 48.) *Exercitamenta sincerae pietatis, inter quae Lythurgia, S. Missa S.* BASILII *M. recognita et Missa Aethiopum Christianorum in Africa, vna cum vetustiss.* Ecclesiae Catholicae Litaniis, aliisque scitu dignissimis, *Mogunt.* 1555. 4. Allegatur in Bibliotheca anonymiana, quae a. 1727. Hagae distracta. P. II. p. 43. N. 446. 49.) Von der Christlichen Kirche wider Jod. Koch (*Justus Jonas* notatur) *Lipf.* 1532. 50.) Außlegung des 120 Psalms. Lipf. 1535. 4. 51.) *Epistolae*

duae

duae Wizelii, Georgio Caſſandro, Theologo Cleuenſi ſcriptae, *Moguntiaci,* anno 1565. reperiuntur in *Epp. Illuſtr. et clar. Virorum* p. 279. in quibus de Jeſuitis judicat, et p. 368. eas ſubſcripſit *Georg. Wicelius*, Theol. *Senior;* habuit enim filium eiusdem praenominis in re litteraria non inclarum.

Extant etiam non pauca, aduerſus *Wicelium* exarata, et ad eius hiſtoriam ſpectantia, ex quibus ea tantum ob ſingularem raritatem exhibeo, quae mihi, circa *Wicelium* occupato, ad manus venerunt: 1.) *Epiſtola Dauid: Coclei ad Ge. Wicelium, ne triſtetur, propter abnegatum coniugium ſacerdotale et hactenus fruſtra expectatos XXX argenteos Judae Iſcharioth. Cum praefatione cujusdam Lutherani, Wittebergae* 1534. 4. pl. 3. In fine praefat. obſeruatur, manum ipſis Coclei, et autographon epiſtolae apud editorem adhuc ſeruari. Ep. *Coclei* data eſt, *Dresdae* d. 15. Aug. in feſto aſſumtionis, 1534. Ad calcem eius, quidam *Wicelio* tranſcribit, quomodo epiſtola *Coclei Eislebiae* inuenta fuerit. 2.) *Luaus Syluani Heſſi, in dejectionem Georgii Wicelii ad Papiſtas. Cum praefatione Juſti Jonae. Reſponde ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, ne videatur ſibi ſapiens. Wittemb.* 1534. pl. 6. 4. excuſum, per *Nicolaum Schirlentz.* 3.) Ein Chriſtlich ongefährlich Bedenken, wie ein leiblicher Anfang Chriſtlicher Vergleichung in der Religion zu machen seyn möchte. Zu Leypſig a. 1534. zuſammen getragen, dabey **Georg Witzel** auch geweſen, und in alles bewilliget hat. etc. a. 1545. 4. Auctor eſt *Mart. Bucerus*, qui *Wicelium* colloquio interfuiſſe, in dedicatione ad *Rom. Regem* meminit, illum iſto tempore in Regis jam ſeruitio vixiſſe. 4.) Concordia und Vergleichung der Papiſten, Wiedertäuffer, Rotten, Witzelianer und Lutheraner, inn und mit der heilgen catholiſchen Chriſtlichen Kirchen, an die zween Ept zu Fulda und Herſſfelt. Mit Doct. Mart. Luther Vorrede auf den **Witzel.** 1539. 4. pl. 8½. Impreſſum Erfordiae per *Chriſtoph. Goldhammer*, quod in

ſine legitur. In praefatione de *Wicelio Lutherus.* Bey den Deutſchen iſt ein Sprichwort, das heiſt, Ein offenbarliche Lügen iſt keiner Antwort werdt. Weil denn das unverſchampt Maul und Herze des Witzels, widder ſein eigen Gewiſſen ſo gar offenbarlich inn ſeinem Leſterbüchlein leugt, das auch ſein Papiſten ſelbſt wol greiffen müßen, wenn ſie gleich blind waren, hab ich den leichtfertigen Buben nicht wertdt geacht, auf ſein Lügen zu antworten, denn ſolcher Bücher hab ich viel, viel mit Schweigen verantwortet, und als ein Ganß pfeiffen laßen, hab aber nicht wollen weren, wo ſonſt jemant antworten wollt. ——— Ich möcht aber gerne ſehen, daß beide Biſchoff und Fürſten, ſolchen Eſelſchreibern einmal das Aufhören geböten, weil ſie doch wohl wiſſen, das ſolch nichts anders bisher geweſt, noch fort mehr ſein kann, denn ins Feuer blaſen —— ſo mügen ſie gewarten, wenn die Funcken in die Augen ſtieben werden, Gehe auch darüber ein Feuer auf, ſo will ich entſchuldigt ſein, und ſie treulich verwarnet haben, man weiß allzuwol, wie alle ihre Sachen ſtehen, und unſer Vorrath iſt noch ganß, und haben auch noch Feddern und Dinten, ob ihn die Haut zu ſehr jucket, u. ſ. w. 5.) Von warhafftiger, Chriſtlicher Buß, wider die falſche un-Chriſtliche Buß, ſo Ge. Witzel lehret, durch des Churfürſten zu Sachſſen etc. Hoffprediger, D. **Jacobum Stanck** 1539. 4. pl. 6. Impreſſum Witteb. per *Joſ. Klugium.* 6.) Widder das Läſter- und Lügen-Büchlein Agricole **Phagi**, genannt **Georg Witzel.** Antwort, **Balthaſſar** *Raida*, Pfarrherr zu **Hirsfeld.** Vorrede D. **Martini Lutheri. Wittemberg** 1533. pl. 6. Impreſſit *Nickel Schirlentz.* 7.) Wilch die rechte Kirche, vnd dagegen wilch die falſche Kirch iſt, chriſtlich Antwort vnd tröſtliche Vnterricht widder das Phariſaiſch Geweſch **Georgii Witzels. Juſtus Jonas** D. **Wittemberg.** 4. pl. 16. per *Ge. Rauium.* 1534. 8.) *Julii Pflugii* epiſtola ad *Wicelium*, die 5. Cal. Septembr. 1548. ſcripta, qua libellum *Interim* improbari ſignificat, inſerta legitur E. S. *Cypriani* Tabulario Eccl. Rom. Sec. XVI. p. 327.

9.) *Con-*

9.) *Contra tres pagellas, Agriphagi, Georgii Witzel. quibus pene Lutheranismus proſtratus et voratus eſſet, J. Jonae reſponſio. Lector inuenics, ligneum fuiſſe non igneum, libellum Agri Phagi.* 8. pl. 6½. *Witteb. apud Ge. Rhau.* 1532. Diuulgauerat has pagellas *Wicelius* pro defenſione bonorum operum contra euangelicas ſub *Agricolae Phagi* nomine, quas *J. Jonas* ſub examen vocauit, ſed rudem & indecorum tractandi modum ad nauſeam prodidit. Inter chartas famoſas ac injurioſas referenda ſunt duo ſcripta ab *Eraſmo Albero* concinnata. 1.) Ge. Witzel abgemalt, wie er den Judas Iſcarioth ehrlicht; 2.) Vom Pfaffen, der ſich zu Tode gefallen.

Sed redeundum ad propoſitum, a quo me deduxit quorundam de *Wicelio*, *Campaniani* erroris conſorte, judicium. Antitrinitariis huius aeui ſine omni dubio accenſetur Adamus Pastoris, vel Pastor, de quo (B. A. P. 2. p. 589.) certum eſt, eum in Belgio in diuinitatem Chriſti impie docuiſſe. Tulit antea nomen Rudolphus Martini teſte *Bullingero* contra Anabaptiſtas, L. III. V. B. A. P. II. p. 589. Famam circa annum 1546 nactus eſt, quamuis animus eius jam antea errore infectus videatur. Fuiſſe eundem, qui in Polonia eodem anno 1546. ſub nomine *Spiritus Belgae* innotuit, de quo Andr. Fricius Modrevius, Sylu. L. I. T. II. C. 2. narrauit, non abſque ratione ſuſpicor. Ratio temporis, et patria, et colloquii a *Spiritu Belga* in Polonia habiti contenta, hanc ſuſpicionem maxime fulciunt. Accedit, quod *Adamus Paſtoris* jam antea nomen ſuum mutauerit, quo ſtrâtagemate hôc in Polonia tutus verſari et incognitus improuiſis nocere potuit, homo mali animi ſibi conſcius. An ipſe concepti erroris inuentor, an a *Campano*, vel alio ſeductus fuerit, cum omnibus ignoramus. Diſputationem habuit cum *Theoro Philippi*, qui Belgice, Dirck Philips dicebatur, in oppido *Goch*, de ſumma Chriſti diuinitate, quam ille oppugnabat; quare *Menno Simonis*, ejusque aſſeclae eum

acriter insectabantur. *Sandio* in H. E. p. 425. et 431. narrante, in disputatione de Deitate P. F. et Sp. S. *Lubecae* habita, professus est, solum Patrem esse verum Deum, Filium fuisse ante mundum, sed non coaeternum Patri, nec omnipotentem, nec consubstantialem ac aequalem cum Patre Deum; sed vnum voluntate. Hallucinationes proinde Arianas renouauit, et quoad praeexistentiam Christi cum *Ario*, et in articulo de Spiritu S. cum *Socino* sensit. Eadem mens post eius in Polonia aduentum multorum in hoc regno fuit, inter quos Zarnouius inprimis referendus. Aliquando de persona Christi, (quantum ex eius libris, quos in B. A. p. 590. indicaui, colligere licet) proxime accessit ad sententiam Serueti, hancque in ducatu *Cliviae* disseminare adlaborauit. Ipsum interea sibi non semper constitisse, quod de huius indolis homine facile credendum, et in *Samosateni* errorem procliuem fuisse, *Sandius* l. c. p. 86. obseruauit. An, quae *Lutherus* aliquando in ep. ad *Antwerpianos* scripsit, de *Spiritu Belga* intelligenda sint, in *historia Socinianismi Belgici* disputabitur.

Fuit inter Fanaticos huius aetatis Anabaptistas David Georgius, germanice Joris dictus, Batauus, qui *Delphis* a. 1501. ortus fertur, patre, vt aiunt Ludione, secundum alios mercatore ingeniosissimo *Georgio ab Amersford* dicto; matre *Maria*, Anabaptistis addicta, et propterea a Pontificiis, cum aliis 35 *Delphis* gladio punita. Ipse in prima aetate, pingendi vitri artem sequutus est. Magno quidem, sed malo prauoque ingenio fuit, qui in patria, *Frisiaque* circa annum 1540 primum viuacis animi foetum exclusit. Anabaptistarum erroribus deditus praeuidit, sibi non defuturam occasionem emergendi, et nomen et opes acquirendi. Animaduertit enim plebis vanitatem et mobilitatem, cui nihil quicquam tam monstrosum et horrendum proferri possit, quod non applaudentes haberet. Intelligebat insuper et decoro personae adspectu vulgum non leuiter commoueri, ac suam quoque perso-

personam, vtpote quiddam honestatis et grauitatis, propter eximiam corporis dispositionem, prae se ferentem, animaduertebat paulatim ab aliis suspici. Teste SURIO l. c. p. 490. ipsi erat corpus quadratum, barba flaua, oculi glauci et micantes, sermo grauis et sedatus, totius corporis motus, status, incessus decens, et ad omnem, vt videbatur, probitatem compositus. Tandem noua cudit dogmata, detortis ad ea S. Scripturae quibusdam oraculis, publicauitque lingua Belgica, quam solam callebat, quosdam libros, quibus, nec non blandiloquiis sibi sectam collegit, quae *Familia charitatis* adpellabatur, cui quoque HENR. NICOLAI, *Monasterii Westphalorum* natus, familiaris *Dauidis*, alt ingenio et animo paulo diuersus ab eo, nomen suum professus est. Adpellationem istam secta sortita est ab Abbate *Stephano Hardingo*. V. *Chronicon Cisterciense*, p. 33. THUANUS in *Hist.* L. 22. CALUOERIUS in *fissuris Sionis*. p. 438.

Capita doctrinae, quae Theologi Basileenses ex ipsius *Georgii* libris collegerunt, Jo. WIGANDUS de *Anabaptismo* recensuit, ex quibus sequentia notamus: Doctrinam coelestem Vet. Test. et ipsius Christi et Apostolorum esse mancam, suam autem sufficientem ad hominem beandum. Christum Jesum a Patre missum, in carnem venisse, vt sua disciplina et Sacramentorum cerimoniis homines, veluti paruulos et nondum perfectae doctrinae capaces in officio retineret, donec DAUID GEORGIUS adpareret, qui perfectiorem institutionem in lucem proferret. Se non tantum *Joanne Baptista*, sed ipso quoque *Christo* excellentiorem esse, quia hic ex muliere in carnem natus, ipse vero e Spiritu S. coelestis Christus natus et vnctus sit. Aliquot annos in Germania inferiore dispergendo haec deliramenta, plures discipulos, summa eum suscipientes veneratione nactus est. Anabaptistae enim eum suo *Joanni Leidensi* aequipararunt, ac tanquam singularem prophetam coluerunt. Quidam a Magistratu comprehensi,

dogmata haec ſumma cum pertinacia defenderunt, et capitalia ſupplicia perpeſſi ſunt, inter quos etiam ipſa *Dav. Georgii* mater exſtitit. In id autem praeſtigiator callidiſſimus artes et conſilia conuertebat, vt magnum auri argentique theſaurum colligeret; cumque loculos ſuos compleuiſſet, et nuspiam tutum in patria locum animaduerteret, in quo tantis opibus tranquille frui poſſet, in aliam regionem ſibi migrandum eſſe putauit, vbi a ſupplicii periculo ſecurus degere poſſet. *Baſileam* igitur ſe contulit, Calendis Apr. a. 1544. cum aliquot comitibus, vxore, liberis, clientibus, et ſeruis, ibique de calamitatibus ſuis Euangelii et Chriſti cauſſa ſuſceptis ad ſpeciem queſtus, a Senatu Baſileenſi ſupplex petiit, vt in ciuitatem cum familia ſatis ampla reciperetur; quibus precibus ille annuit, eumque cum toto comitatu in ciuium numerum adſciuit. Hoc facto in vrbe ſibi domum comparauit, et extra oppidum arcem et praedia quaedam opima. In hanc regionem adueniens non *Dauidem Georgium*, ſed Joannem a Bruck et ab arce, quam ſibi emerat, *Joannes a Bengingen* ſe nominauit, vitamque priuatam transegit. Habuit externam viri religioſi formam, nec quisquam de ipſo totoque ipſius comitatu ſiniſtri quid ſuſpicabatur, immo potius a plerisque magno in pretio habebantur omnes, qui in ipſius famulitio degebant. Eximiam de ipſius pietate et meritis opinionem ac praeſumtionem augebant magna vis auri, et pretioſae res, quas ſecum attulerat, et ex inferiori Germania quotidie adferebantur, praeterea regius prope ſplendor et apparatus, cum ſpecioſa modeſtia et tranquillitate coniunctus. Habebant in ampla hac familia ſinguli quique ſuos functiones, nec quisquam ſupra vires, aut inuitus ad aliquid agendum cogebatur. Ab omnibus ſocietatis huius ſodalibus diligenter curabatur, ne *Georgii Dauidis* nomen proderetur, nec qualem in patria ſuſtinuerit conditionem palam fieret. Poſtremo omnes ſollicite cauebant, ne dogma vllum Principis huius familiae ciui Baſileenſi, vel Hel-

veti

vetio aperirent. Interim in Hollandia et Frisia aliisque locis, vbi complures habuit ad errores Fanaticorum abreptos, litteris, libris, ac nunciis sectam suam continuo amplificauit, quam apud *Heluetios* prouidissimo silentio texit. Detectam tamen esse fraudulenti hominis mentem, defectione vnius conjunctissimi insequuta, inprimis vero a viro quodam graui e Germania inferiore *Basileam* veniente, qui *Dauidem* ipsum totamque eius familiam antea cognouerat, Surius l. c. et alii enarrant. Haec *Dauid* comperiens, tristem euentum non obscure auguratus, moerore animi primum ipsius vxor extincta, haud multo post ipse quoque exspirauit a. 1556. octauo Cal. Sept. Funus eius pro more ciuitatis honeste sepultum in aede *S. Leonhardi*, isto tempore, quo fraus ipsius nondum satis in lucem protracta, et documentis indubitatis euicta fuit.

Eundem pro caussa *Serueti*, absque nominis sui patefactione coram magistratibus rerum publicarum heluetiearum intercessisse, alio loco notauimus. Bullingerus l. c. p. 68. Georgio Dauidi tertium locum, inter Anabaptistas abominandos designauit, primum Mich. Serveto, et secundum Melchiori Hoffmanno. Beza in praefat. *historiae Valent. Gentilis ex actis Senatus Geneuensis*, praefixa, p. 12. de illo testatur: Quod monstra ipsis *Valentini* aeonibus portentosiora, et ipsis *Carpocratianis* obscoeniora in medium proposuerit. Eius dogmata ex ep. Henrici van Schor, *ad Jo. Jungium* a Moshemio inter acta et documenta, in caussa *Serueti*, p. 426. ex Mspto cum nonnullis aliis, primum in lucem expositis, ex parte cognosci possunt. Quod in articulo de Christo pessime senserit, manifestum est. Nemo tamen verissima omnia reputabit, quae de eodem perhibentur. Ita *Damasis Lindanus*, in *Dubitantio* s. Dialogo II. p. 176. prodit, quod mulierculis aliquot persuaserit, sese tertium Dauidem verumque Messiam esse, quae etiam sese putarunt beatissimas, si relictis maritis suis ex promisso ipsius

S 5 semine

ſemine conciperent. *Surius* l. c. p. 506. et 631. de ipſo perhibet, quod cum feris et auibus, quocunque eſſet collibitum idiomate, colloquia miſcuerit, et ab illis, praeſtigiis et daemonum opera vſus, alimenta acceperit.

Quamuis haec et alia a veritate aliena ſint, ſequentia tamen eum ſtatuiſſe certo conſtat: Doctrinam per Moſen, Prophetas, Chriſtum et Apoſtolos traditam, minus eſſe ſufficientem, ſuam vero perfectam ad conſequendam ſalutem; Se dilectum Dei Filium, non ex carne, ſed ſpiritu natum, in quem ſpiritus plene effuſus ſit; Se eſſe verum illum coeleſtem Chriſtum a Spiritu S. natum, qui peccata vere condonet, aut reſeruet, ac denique judicaturus ſit nouiſſimo illo die. Oracula Dei coelitus ſeſe audire, ſibi perſuaſit, quod Lindanus ex autographo eius *Delphini* vidiſſe teſtatur, in quo varias pinxit viſiones, Dei ſpiritu ipſum afflante reuelatas, fanaticasque de ſuo Archi-Presbyteriatu et filiatione promiſſiones. Semet ipſum Chriſto non aequalem modo fecit, ſed ſuperior illo videri voluit, ſeque appellauit Dei nepotem, natum Dei ex coelo, qui vitam aeternam reperiit, ac lucem matutinam aeterni diei viderit. Non tamen in omnibus ſcriptis ſuis tantum ſtoliditatis congeſſit, quantum ipſi adtribuitur. Aliquando enim mentem ita expoſuit, vt inter myſticos, in fanatico dicendi genere, complures ipſi ſimiles fuerint. Demonſtrauit *Vbbo Emmius* in libro mox allegando, ejusque dedicatione ad Status Hollandiae generales, Dav. Georgium quosdam ab haereticis primorum ſeculorum errores mutuaſſe, ac ſuos feciſſe. Primum Anabaptiſtarum ſocietati ſe adjunxit, paulo vero poſt eorum conſilia de inſtruendo regno Dei per vim armorum mitioris temperamenti homo improbauit, illudque potentia ſpiritus eſſe inſtituendum, judicauit. Ipſe reſtauraturum ſe regnum Dei praedicabat, non cruce, vel morte, aut rebus aduerſis, ſed clementia et ſpiritus Chriſti, qui ipſi a Patre ſit datus, amore et gratia. Chriſti Deitatem conceſſiſſe, imo

imo quendam Anabaptiſtam de eadem dubitantem, argumentis conuiciſſe a quibusdam perhibetur; hinc quoque *Sandius* eum Antitrinitariorum conſortio excluſit. Quod vero inter primos recentioris aeui Antitrinitarios omnino referendus ſit, ex ipſius tractatu, cui indicem praefixit: **Welches der rechte Glaube ſey**, patet, in quo ita ſcribit: Verdunckelt es (Myſterium nimirum S. S. Trinitatis ab Orthodoxis expoſitum) nicht gantz und gar um und um in uns den Verſtand von Gott? Iſt es nicht entgegen den Wirckungen Gottes in allen Creaturen — — — — Gott in dreyen zu ſeyn und drey eins zu nennen? — — — — Die drey Perſonen ſind bloß unſerthalben, nicht um Gottes Willen, Gott in Gott und Gott zu Gott, ſondern er war, iſt, und bleibt unperſöhnlich allezeit, ein ewiger warhafftiger Gott, ſelbſt weſentlich, weil er allenthalben ewig, ſonder Anfang, ſonder Ende iſt, und ohne ſich ſelbſt zu verändern, in Ewigkeit derſelbe, der er allezeit geweſen iſt, bleibet.

Habuerunt eius oſſa *Baſileae* poſt obitum eadem fata, quae Seruetus viuus *Geneuae* expertus eſt; effoſſa enim et flammis vna cum ſcriptis conſumta, ad deteſtationem errorum, quos animo voluerat. Iſte agendi modus an excuſari, an damnari debeat, ipſis in hoc negotio judicibus relinquendum. Longo ambitu Surius haec enarrauit; haud pauca quoque de eodem et de inquiſitione in *Dauidianos* horumque conuerſione, congeſſit Wigandus l. c. p. 541. ſeqq. Copioſiſſime vero hiſtoria hominis expoſita legitur in ſcripto, cui titulus eſt, Dauidis Georgii *Holandi Haereſiarchae vita et doctrina. Quam diu Baſileae fuit; tum quid poſt eius mortem, cum cadauere, libris, ac reliqua eius familia actum ſit. Per Rectorem et Academiam Baſilien. in gratiam ampliſſimi Senatus huius vrbis conſcripta. Baſil.* 1559. 4. pl. 7. Idem ſcriptum habetur in Simonis Schardii *Germania illuſtrata* T. III. fol. 1915. Prodiit quoque eodem anno 1559. germanice hoc titulo: **David Georgen aus Holand des Ertz-Ketzers**

Ketzers wahrhafftige Histori, seines Lebens und verführischen Leer, von der Zeyt an, alß er gen Basel ist kommen, daselbst geläbt, und was sich nach seinem Absterben mit imm und seinen Verwandten, allda verloffen hat, durch ein Erwürdige Vniuersitaet der löblichen Stadt Basel, zu Eren eines fürsichtigen, ersamen, Weysen Raths daselbst, beschrieben. Gedruckt zu Basel im Jar 1559. 4. Mense Sept. per HIERONYMUM CURIONEM. His addi possunt, *Jo. Jac. Hottingeri, Historia Reformat.* p. 832—846. *Jo. Acronii*, Frisii, Med. et Mathem. Prof. in Acad. Basil. ep. ad N. N. popularem, in illustr. et clar. virorum epp. a *Simone Abbes Gabema* editis, p. 140—167. *Nicol. Blesdickii*, qui gener *Dauidis Georgii* fuit, (cui proprie NIC. MAINARDI nomen, *Blesdickii* vero a Patría, pago huius nominis adsciuit,) *historia vitae doctrinae ac rerum gestarum Dauidis Georgii*, a *Jac. Reuio Dauentriae*, 1642. 8. edita. Haereseos pudendae ac Fanaticismi Georgiani notitia hauriri quoque potest ex VBBONIS EMMII libris, lingua belgica editis, sub titulo: *Ein grundlick Bericht van der Lere vnd Geist des Ertzketters* DAUID JORIS, *vth synen Schrifften vnd Wercken flytich vnd getrowlick vorfatet, tho Warschouwinge aller Frummen christgelöuigen Herten. Dorch Vbbonem Emmen, itziger tydt Rectorem der scholen tho Gröningen. De Leser findet in deßen Tractat, alle platzen in* DAUIDS *eigene Schrifften, na Böcken vnd Bladen darher de Lehrstuecken genamen sindt mit vlyte angeteckenet. Matth.* 7. vers 15. *Hoedet juw wör den valschen Propheten, de tho juw kamen in Schapes kleeder, inwendig auerst sint se rytende Wülffe. Gedruckt Anno* 1597. 8. pagg. 142. absque praefat. Altera editio prodiit, *Middelburgi*, 1599. Cum Emmii libro sectator quidam DAUIDIS, D. ANDREAS HUYGELMANZOON (sub qua larua BERNH. KIRCHEN, Doct. Medicinae, DAU. GEORGII gener latere vulgo creditur) opponeret: *Widerlegung der groben, vnuerschaemten vnd greißlichen Lügen des Vbbo Emmen, Rectoris der schulen zu Groeningen von ihm in Druck herausge-*

ausgegeben wider das Leben und Lehre des David Jorissoon, etc. a. 1600. 12. Vbbo Emmius factas sibi imputationes profligauit, et mysteria sectae Joristarum pudenda majori luci exposuit in libro, cui indicem fecit: *Den Dauid Jorischen Geest in Leuen ende Leere, breeder ende wiidtloopihger* etc. *ontdeckt, ende groudlicken verklaert, tegens den vermomden schaemtloosen* D. *Andreas Huygelmanzoon.* Door Vbbonem Emmium etc. 1603. 8. pagg. 422. Vid. Dau. Clement. *Biblioth. hist. et crit.* Tom. VIII. p. 25. seqq. Scriptoribus praeterea de *Dav. Georgio* adiungi possunt, *Fridericus Jessenius* aufgedeckte Larwe Dauidis Georgii etc. Kilonii 1670. 4. Titulum operis satis prolixum notauit *Jo. Ge. Schelhornius* l. c. T. III. p. 2247. estque in historia de *Dav. Ge.* palmarium, de quo in Ge. Henr. Goetzii, *elogiis Germanorum quorumdam Theologorum* Saec. XVI. et XVII. p. 249. ita *Christoph. Francken,* Theologus Kiloniensis judicauit: Scriptum hoc mira diligentia est conscriptum. Ipse enim auctor omnes libellos, quos *Dav. Georgii* sectatores in Holsatia, (quorum tunc temporis fuit ferocissima,) publicarunt, cum cura perlegit, (ex speciali autem Principis gratia illos obtinuit,) errores in iisdem deprehensos excerpsit, inque epitomen redegit. Huic ergo auctori prae primis fidem esse habendam, quicquid alii, qui a partibus *Dauidis Georgii* stare solent, excipiant, autumo. Huic addi potest *Jac. Stolterfothii* Historie von David Georg einem heillosen Mann, und Gotteslästerlichen Ertz-Ketzer aus *Thuano, Jacobo Fincelio, Henr. Adam Petri, Jo. Wigando* und *Luca Osiandro* zusammen getragen, *Lubecae,* 1635. 4. quae subtexta est *Thomasii* Historie der Weißheit und Thorheit, P. 1. p. 64. et *Anonymi* Kurtzer Auszug von des berufnen Lerers *Dauid Georgii* oder Joris, Leer und Leben. 1619. 8. *quae epitome Jorisii discipulum ac defensorem prodit;* tandem *Carl. Gottl. Zeidleri* diss. de historia *Dauidis Georgii* eiusque asseclarum, Lips. 1701.

Tenet

Tenet *Bibliotheca Regia Regiom.* quatuor libros, quorum auctorem fanaticum hunc fuisse, ex *Placcio*, c, XII. n. 1933. p. 489. liquet. Tituli tractatuum sunt: *Verklaringhe der Scheppenischen* an Vmyn beminde Kindern und Ogsebroeders, liethebberen Christi alleen verschreuen, im Februar 1533. Juxta alia C. XI. f. 16. per spiritum Dei super aquas in creatione vniuersi cubantem, ventum intelligi vult. 2) *Verklaringhe* van die Woorden, Godt allmaechtig, Vater Soon Gheest etc. Anno 1556. im Januar. 3) Onderwys van Goodes Gheest, Liefde vn de Stemme, mit die verlooren Mensche. 1553. den 24. Januar. 4) Een Leerliick vnde Christlyk Ghespraeck tusschen een Godt gelehrt, bibelsch gelehrt, vnde sophist geleeret, waerin verhandelt wert, het rechte verstand der Waerheydt Christi, waermen die rechte moeder, der heyligen Kercken oder der Gemeenden Gods soecken vnde winden sall, hoedanich sie toebereyt, ob waer an sy te kennen is, een herrlyk gottlyck, glorioes bericht, mit veele andere invallende Leeringhen, Fraghen vnde Antwoorten, allen Liefhebbern der Warheyt, seer profytlyck, oom lesen. Annus impressionis non notatur. 5) Aliud eiusdem auctoris scriptum in *Bibliotheca Senatus Regiomontani* servatur, cui index est: T Wonder=Boeck, waerin dat von der Weldt aen versloten gheopenbaert is. Wie een der Ick (sagt de Heere) senden soll, ontfångt in mynen Vaem, die ontfanght my: Wie my ontfanght, ontfanght den, die my gesonden heeft. Hochghelovet moet hy syn, die als een Ambassatoer ghesonden komt, in dem Name des Heeren. Opt nieuw ghecorrigeert vnde vermeerdert by den Autheur selbße: Int Jaer 1551. fol. Post praefationem, quae folia VIII. capit, liber *primus* habet folia 125, *secundus* praeter praef. (fol. 3) habet fol. 164. *Tertius* praeter Fol. 2. praef. folia 50. *Quartus* praemissa folio vnico praefatione, fol. 34. Additae sunt libro nitidissime minutis litteris impresso figurae aeri incisae. Loci impressionis mentio facta non est. Secundam vero hanc esse libri editio-

editionem, auctiorem prima, *Schelhornius* notauit l. c. T. III. p. 2244. Seruatur libri huius exemplar inter rariores *Bibliothecae Regiae Berolinensis* libros, de quo *vid.* Thesaurus epistol. La Crozianus, Vol. III. p. 204. Librum illum a quodam olim *Melanthonis* discipulo, in latinum Idioma translatum esse, *Historia Dau. Georgii* p. 68. nos docet. Interpres iste tanta fuit admiratione obstupefactus, vt ingentem spem ceperit, se *Philippum Melanthonem*, suum quondam praeceptorem facillime in Davidicae sectae societatem pertracturum, et per eum deinde totam Germaniam. Hac fiducia animatus instituit iter *Wittebergam*, comitante ministro fideli, et secum ferente *Librum Admirabilium* excusum, ac *Melanthonem* salutauit. Sed omni spe excidit interpres vanus; subitoque vrbe euasit, perterritus declaratione *Melanthonis*: Ejus doctrinam esse fanaticam, et si constaret eum *Wittembergam* venisse, vt ibi suas furias seminaret, se effecturum apud Magistratum, vt statim in vincula conjiceretur. Plura eius scripta in nostris regionibus rarissima, recensita sunt in Biblioth. *Halens.* T. V. p. 261. seqq. p. 305 — 330. et in *Biblioth. Vffenbachiana*, P. I. p. 940 — 946. Ex his vnicum allegamus, in quo viro respondet, quem ob rerum narrandarum nexum plus vna vice in *historia Socinianismi Polonici* compellabimus. Titulus libelli est: *Cort Bericht*, vnde scrifftlyck antwort D. J. op. deen brief. des eerwürdigen herren. J. A. L. 1544. d. 16. Maji 4 fol. 39. *Joannem a Lasco*, quem litterae initiales designant, quique tunc temporis *Emdae* magna in aestimatione versabatur, praesentem, nec non *Phil. Melanthonem* absentem in suas partes pertrahere studuit *Dauid Joris*, quae fusius exposita leguntur in Dan. Gerdesii *Hist. reform.* Tom. III. p. 116. seqq. Exquirebat vero a *Lasco*, a *Dauide Joris* planam ac claram placitorum suorum expositionem, additis nonnullis monitis, quibus, vt a Fanaticismo se purgaret, eum hortabatur. Ad hanc epistolam *Dauid Joris* respondet, sed nihil determinate ac pro desiderio

Jo.

Jo. a Lasco, immo huic auctor est, et necessitatem imponit, vt ipse prius fanaticus euadat, antequam de systemate suo judicet. Inflatus Enthusiasta diuinam vocationem sibi factam, ex variis pessime intellectis S. Scripturae vaticiniis perhibet, nec opus demonstratione esse, homo ab imaginatione dementatus, jactitat in iis rebus, quas, vt sibi persuadet, ipse vidit, olfecit, gustauit, et contrectavit; et quae, vt verba Pauli in tertio coelo audita, nullam expositionem admittunt, sed sibi vt infallibili et diuinitus edocto magistro simpliciter fidem esse habendam. Teste et interprete Gerdesio in *florilegio libr. rar.* p. 211. scriptum hoc polemicum *Joanni a Lasco* oppositum, his verbis finiuit. „*Non est mihi necesse, vt verbum aut doctrinam mihi reuelatam, quam in spiritu et veritate efficaciter super omnes sensus cordis vidi, odoratus sum, gustaui, palpaui, ac sensi, conformem aliquibus Pauli verbis, quandoquidem voluntas Dei jam non est, vt quisquam propter vlla scripturae verba scripta credat, siquidem ipse vir adest, propterea puerilia illa omnia sunt abjicienda, et corde solum credendum est vnico veroque Deo et Christo eius, siue verbo aeternae justitiae et charitatis. Amen. Halleluja.*" Ipse Jo. a Lasco *in ep. Emdae*, a. 1544. postridie Jacobi, ad *Albertum Hardenbergium* scripta, in *Biblioth. Bremensi* Cl. VI. Fasc. I. p. 130. de *Georgio Dauidis* inquit: „*Mitto tibi exemplar postremae meae ad Dauidem epistolae. Postea nihil ab illo accepi et fortassis non accipiam amplius quicquam, praesertim si hinc suos pelli audiat. —— Breuiter Dauid vult, se agnosci Emanuelem a Prophetis promissum, hoc est, per se id fieri jam, et in dies fore magis, vt nobiscum sit Deus. Hanc blasphemiam, qui ferre non potuimus, animos suorum a nobis alienatos esse videmus.*" Quod Godofr. Arnoldus, vaferrimi Enthusiastae extiterit patronus, scriptaque eius insaniae plena dilexerit ac commendauerit, non est, quod moneam; hinc quoque omnibus succenset, in H. E. et *Haeres.* P. II. L. XVI. c. 21. §. 45. qui delirantis hominis somnia exposuerunt. Scripta ejus,

quot-

quotquot in vnum locum comportari potuerunt, *Tonningae* in publico foro, jubente id Principe per carnificem flammis esse exusta, Jessenius in dedicatione libri sui Duci Christiano Alberto Episcopo Lubecensi scripta narrauit. Exstiterunt olim in copiosissima *Dan. Salthenii* Bibliotheca libri tres epistolarum *Dauidis Georgii*, cum aliis ejusdem auctoris scriptis, in IV. Voluminibus. V. *Catal. Libr. rar. Biblioth. Salthen.* p. 278. *Reimanno* l. c. p. 708. duae tantum epistolarum partes innotuerunt; et totidem tantum in *Bibliotheca Winckleriana*, *Hamb.* 1721, p. 411. et in aliis librorum catalogis allegantur. Effigiem *Ge. Dau.* aeri incisam exstare, in B. A. p. 372. notaui. Eandem aetatis 54. a. 1554. exhibuit Sichemius, sculptor, forma 4.

§. V.

Sunt equidem praeter hos, alii in hunc censum merito collocandi, quorum vero nomina vel plane reticentur, vel de quibus certi aliquid dici nequit, quid de S. Trinitate ipsi in specie crediderint et aliis persuaserint; quamquam alia de illis figmenta et fanaticismi somnia significentur. Ex quibus hoc loco nominandi, *Melchior Hoffmannus*, Anabaptistis tumultuantibus adnumerandus, et *Claudius.* Quidam tamen hoc consortio eximendi, quos vel liuidus scriptorum animus, vel excedens augendi haereticorum agmen conatus, vel propositum Antitrinitariorum quandam coetui suo, a virorum celeberrimorum sodalitate, conciliandi auctoritatem, in hunc numerum transposuit. Injuriam hinc fieri *Casp. Schwenckfeldio*, *Wolffgango Fabricio Capitoni*, *Erasmo Roterodamo*,

aliisque quam plurimis, validis rationibus commoti ſtatuimus.

* * *

Reperiuntur in ſcriptis *Lutheri*, *Melanthonis*, aliorumque huius temporis auctorum, quaedam indicia *Antitrinitariorum*, quae non facile de illis, quos adhuc indicauimus, intelligi poſſunt, quorum vero nomina reticentur. Ita Lutherus, antequam *Campanus* Wittebergae innoteſceret, in ep. ad Paſtorem in *Mila* ſcripta, a. 1529. in epp. a *Buddeo* editis p. 75. n. 102. inquit: — — — „*Quod ſcribis de blasphemis illis contemptoribus, ſic ſentio: ſicut ad fidem et Euangelium nemo cogendus eſt, ita ſub eodem Magiſtratu permittendum non eſt, vt blasphement, ſed vocati audiantur et audiant, et vbi rationem reddere non poterint, nec credere voluerint, prorſus etiam tacere cogantur, ne alatur ſeditionis ſeminarium. Qui enim valet contradicere, faciat hoc publice et palam aut priuatim, vt taceat, coerceatur Magiſtratus auctoritate. Sic nos et facimus et conſulimus. Ex his jam intelliges illis prorſus ſub eodem magiſtratu non permittendum eſſe, vt faciant, quae tu ſcribis. Haec enim ſunt ſibila ſerpentum lucem fugientium. Prouoca igitur in publicum, vt aut vincant, aut vincantur.* Et Philippus Melanthon in ep. *Joanni Sturmio*, Lutetiis Pariſ. a. 1535. data, quae adtexta eſt Vitae *Melanthonio* a *Camerario Lipſ.* 1566. 8. editae, p. f. 5.: „*Exiſtimo magnam paſſim veritatem opinionum, et multos eſſe fanaticos ſpiritus, qui ferunt abſurdas et pernicioſas opiniones. Nam hinc quoque nuper expulimus aduenam iſtinc quendam, qui de diuinitate Chriſti ſcelerate diſputabat.*" Bugenhagius in *confeſſione fidei ac doctrinae ſuae*, quae legitur in tractatu, cujus titulus eſt: *Confeſſiones fidei duae, altera D. Doctoris* Martini Lutheri, *altera D.* Joannis Bugenhagii *Pomerani denuo recognitae, et ſingulari conſilio jam primum latinae editae*, Vitebergae

1539.

1539. 8. pl. 4. ita ad lectorem p. c. III. ſcribit: „*In carcere detinetur hic Vitebergae Anabaptiſta quidam. Quid deſignarit autem, quod a magiſtratu ſeculari cuſtodiatur captiuus, me praeterit. Eſt autem homo ita perturbata mente ac duro ingenio, vt colloqui cum eo poſſit nemo. Nam communi etiam ſenſu priuatus eſt. Vociferatur enim, nec quenquam audit, nec poteſt tamen ipſe etiam, quae ſit fides ſua, profiteri, ac interim egregie purum ſe, alios omnes impuros ac ſceleſtos judicat, absque verbo Dei; absque omni ratione. Nihil in huiusmodi hominibus boni eſſe manifeſtum eſt. Hic homo ex me aliquando quaerebat, quidnam vel doceremus vel crederemus? Quaerentem reſponſione non ſum dedignatus. Dixi ei ſtatim omnia. Ille vero etiam vt ſcriberem, flagitabat. Morem geſſi, ſcripſi. Sed eodem modo accipiebatur ſcriptum meum, quo eram ipſe acceptus, cum viua voce docerem hominem, praeterquam quod tunc etiam inauditas aliquot ac horrendas blasphemias in Filium Dei Dominum noſtrum, J. C. ex illo audiui, quas perſcribi non decet. Hujusmodi autem ſectae ac ſpiritus diabolici, cum magno nos odio ac inuidia ſuis mendaciis onerare ſoleant, quaſi neſciamus ipſis rationem reddere noſtrae fidei ac doctrinae, publicis litteris tranſcribi volui, quae ei praeſcripſeram, vt quilibet etiam inimicus videret, quo ſtudio ac diligentia proſequamur hoc genus hominis, vt ab errore reuocentur. Deus meliorem illi dare mentem dignetur, per J. C. Dominum noſtrum amen.*" Quinam iſti in his aliisque hujus aetatis ſcriptis notati fuerint, et qualem in ſpecie errorem circa myſterium S. Trinitatis defenderint, pro certo ſtatui nequit. *Melanthonem* in ep. *Sturmio* 1535. ſcripta notaſſe *Petrum Conyzam* vel *Goneſium* (B. A. P. I. p. 106.) veri ſimillimum eſt, quem anno 1535. *Witteberga* excedere debuiſſe, accepimus. In nullum eorum, quos adhuc propoſuimus, verba allegata quadrare, ex circumſtantia temporis, quo ſcripta ſunt, colligimus. Id ſaltem haec aliaque teſtimonia euincunt, non improlem fuiſſe hac aetate haereſiarcharum

familiam, quod *Melanthoni* occaſionem exhibuit, vt in editione locorum Theologicorum, quae 1535. Wittebergae ex officina *Joſephi Clugii*, 8. alph. 1. pl. 6. prodiit, doctrinam de diuina J. C. natura et Sp. S. copioſe tractaverit, quam in antiquioribus editionibus vix tetigerat.

Horum vero ordini MELCHIOR HOFFMANNUS, a quo *Hoffmanniſtae*, qui eum ſectabantur, dicti, a nonnullis et ab auctore, *Hiſt. Socin. gallice* ſcriptae, P. II. p. 340. et in notis p. 36. non absque ratione accenſetur, a *Sandio* autem in hunc numerum non receptus. Fuit is natione *Suevus*, non *Holſatus*, quod quidam tradiderunt, opificio pellio, homo liberalium quidem litterarum rudis, ingenio tamen ſolers, comis, et facundus, qui inter Anabaptiſtas per vtramque Germaniam longe lateque vagantes inſignem famam conſequutus eſt. Enthuſiasmo correptus, ſe excitatum a Deo venditauit ad veritatem patefaciendam, quam nullibi in orbe Chriſtiano inueniri poſſe ſibi imaginatus eſt. Inprimis omnes coetus de Paedobaptismo reprehendit, Apocalypſin Joannis pro ingenio et corrupta opinione audacter interpretabatur, et quae de tabernaculo Moſis et figuris aliis V. T. ſomnia conceperat, oraculorum inſtar a Deo ſibi patefactorum omnibus commendabat. Hoc animo *Liuoniam*, *Friſiam*, *Holſatiam*, et *Magdeburgicum* diſtrictum peragrauit, vbique fanatica deliria expoſuit, et variis locis tumultus excitauit. *Emdam* circa annum 1529 conceſſit, diuinam vocationem impulſumque ſpiritus vltro jactans, inſtar Apoſtoli a plebe ſuſceptus eſt, vt breui tempore ſocietatem trecentorum vtriusque ſexus hominum collegerit, ſicque ibi ipſo auctore Anabaptismus publice inſtitutus fuerit. V. GERDESII *Hiſtoria Reform.* T. III. p. 83. ſeqq. Monentibus vero Eccleſiam coetus miniſtris ac Magiſtratum excitantibus, vt periculo religioni et reipublicae imminenti obicem ponere velit, ſeductor anno circiter exacto iſtinc diſcedere et alibi errorum ſuorum ſementem facere decreuit, cum circa

circa idem tempus, ſiue caſu, ſiue ex compoſito, homo quidam ſenex ejusdem ſodalitii, perſonam vatis ſimulans edixerit, oportere *Melchiorem* Argentinam ire, illic in carcerem conjici et poſt ſemeſtre ex eodem dimiſſum ſine omni impedimento docere, ac docendo tum ipſum, tum per ſectatores ſuos vniuerſo terrarum orbi veritatem praedicare. Subſtituto igitur in locum ſuum alio, JOANNE quodam natione Belga, textorii opificii, ex quo TRYPOPAEUS (*Trypmacker*) dictus, in quem per impoſitionem manus, Apoſtolatus munus detulit, *Emda Argentinam* a. 1532. conceſſit. Hoc loco dogmata ſua priuatim ſpargere conatus ideoque in carcerem ductus, certa ſpe firmatus eſt, reliqua quoque fata ſua fanatici ſenis vaticinio reſponſura ſimiliter eſſe; ſed a. 1533. in carcere obiit. JOANNES vero *Trypopaeus* per breue tempus *Emdae* Apoſtoli vicibus functus, triſtia ibidem praevidens fata, deſerta ſtatione ſua *Amſtelodamum* ſe recepit, ibique occulte docuit, inde alia loca adiit, donec detectus, *Hagam* vinculis conſtrictus deduceretur, ibidemque capitis ſupplicio vitam finiret.

HOFFMANNUS ille ex pellione in Theologaſtrum mutatus, vbiuis ſine vocatione docuit. Cum a Rege Daniae circiter a. 1528. vel 29. *Kiloniae* concionandi licentiam nactus eſſet, vbi tamen perbreue admodum tempus commorabatur, LUTHERUS haec ad Miniſtrum Kilonienſem ſcripſit: „A MELCHIORE PELLIFICE *velim cauere vos omnes, ac curare apud Magiſtratus, ne ad conciones admittatur, etiamſi litteras Regis oſtentet. A nobis enim receſſit indignabundus, dum non voluimus eius ſomnia probare. Ad docendum neque valet, neque vocatus eſt. Haec dicito nomine meo omnibus veſtris, vt ipſum vitent, ac tacere cogant.*" V. Epp. *Lutheri* a *Jo. Aurifabro edit.* Francof. ad Viadr. 1597. p. 371. Quae cum HOFFMANNO in colloquio *Flensburgi* ad mandatum Regis *Daniae*, in praeſentia *Chriſtierni* Ducis, plurimorumque Magnatum inſti-

tuto in caussa Sacramenti S. Coenae acta sunt, in quo articulo Helueticae confessioni adhaesit, exponuntur in libello, cui titulus: Acta der Disputation zu Flensburg, die Sache des Hochwürdigen Sacraments betreffend, im 1529. Jar des Donnerstags nach Quasimodogeniti geschehen. *Wittebergae* 1529. 8. pl. 13. Disputantes ex *una* parte erant Melch. Hoffmannus, Joannes de Campis, et Jac. Hegge; ex *altera*, praeter Pomeranum (*Bugenhagium*) colloquii moderatorem et praesidem, Herm. Tast, Pastor Flensb. Nicol. Boye vel Boetius, aliique Pastores Ducatuum *Holsatiae*, *Stormariae* et *Schlesuicii*, ex quibus in specie nominantur: Stephanus, Pastor Hamb. ad S. Cathar. et Magister Theophilus. Constituti quoque sunt sex notarii, qui dicenda et proferenda sincere et sine corruptione calamo exciperent. Hoffmannus primum a Jo. Ranzouio, Administro et Equite interrogatus: Warum er alle Prediger in seinen Büchern falsche Propheten gescholten habe? respondit: Darumb hab ich sie falsche Propheten gescholten, das sie Christum an sonderliche stete und Ort binden, denn wer do sagt, das Brot Christus sey, der bindet ihn an ein sonderlich ort, solches aber ist widder Christus Wort. Christus hat das Sacrament nach sich gelassen, nicht das die Zusage das Sacrament sey, das siegel empfangen wir mit dem Mund, vnd das Wort mit dem Hertzen. Ad hanc responsionem Melch. Tast fusiorem de S. Coena habuit sermonem, quem his verbis ordiebatur: Weil denn diese zwitrechtige Sache vom Hochwürdigen Sacrament des leibs und Bluts Christi, Melchior Hoffmann verursacht hat, das er mit lester worten und Schandfleckung sunst und ynn seinen Büchern, die durch die Welt gefürt sind, die gemeinen Diener des heiliggen Evangelii beschmeisset, so entstehet dis daraus, das sie von vielen andern auch für solche falsche Propheten gehalten und gescholten werden, gleich ob sie es schuldig weren. Welches irher Personen halben ja wol mocht geduldet werden, wenn es nur nicht gedeihen möchte, zu einem Abbruch und

und verkleinung des heiligen Evangelli. Weil aber nu aus K. W. befelh die sache zu verhören verordnet ist etc. so habe ich aus Befelh vnd Gehorsam meiner würdigen Herrn und Brüder mich vnterstanden, den Grund vnsers Glaubens vom Abentmal des Herrn zu bekennen vnd fürzubringen, auf das ein jeglicher Christgläubiger möge vrteilen vnd richten, ob wir mit Recht oder Vnrecht von **Melchior Hoffman** so gescholten worden etc. Finito colloquio, *Dux* seorsim praesente tamen *Reuentlouio* et *Pomerano*, HOFFMANNUM iuterrogauit: An aliquando dixerit Baptismum posse absque aqua celebrari? nominauit quoque locum et personas, quibus id dixerit. Sed *Hoffmannus* negauit, et quod male eum intellexerint, qui haec propalauerint, adfirmauit. Suscepta quoque posthac est disputatio de S. Coena cum JOANNE de CAMPIS et JACOBO HEGGE, quibus vna cum *Hoffmanno* sententiam figurati sensus vltro defendentibus, proscriptionis sententia e terris Regi Daniae subiectis lata est. In actis verba adduntur: Es waren wol etliche verhanden, die ein schwerer Gericht oder Vrtheil vber **Melchior Hoffmann** zu gehen begerten, vmb zweerley Vrsach willen. Auffs erst, das er in seinen schrifften öffentlich ihnn selbs so offt durch **Königlichen Majestät** Gericht erwelet hatte den Galgen, das rade, das fewer, das wasser, wo er in seiner lere vnrecht erfunden, Wie er denn nu in dieser Disputation erfunden war. Zum andern, das er als ein Münzerischer Aufrurer öffentlich inn der Disputation gesagt hatte, das noch viel Bluts vergossen must werden, darumb, das die andere Prediger vom Sacrament nicht leren wolten, wie er lerete, Aber solche forderung schwereres Gerichts odder Vrtheils ward durch andere verhindert. Antequam colloquii historia editore *Pomerano* in lucem prodiret, HOFFMANNUS, acta disputationis Argentorati typis exscribi curauit sub tit. Dialogus vnd gruntliche Berichtung gehaltner Disputation, im land zu **Holstein** etc. De quo libello ita *Pomeranus* l. c. p. M. Das aber **Melchior Hoffmann** odder der **Pelzer**, odder

Kürsner (wie er sich selbs in seinen Actis zu Strasburg gedruckt, nennet, vnd gerne heissen wil) so sere geeilet hat mit seinen Actis zu vornkommen, vnd im Dialogo seinen Ehrhart, oder Ehrlob so fleissig berichtet hat, dahin hat ihn die grosse Not gedrungen, er hat gefurcht das die rechten Acta möchten zuvorn kommen. So thun die Kinder, die eine Steupe verdienet haben, sie fahen an allererst vber die andern zu klagen.

Fata et acta ipsius Argentoratensia, Bullingerus aduersus Anabaptistas, p. 65. ita enarrat: „*Argentinam venit, et publicam disputationem cum Ecclesiarum ministris petiit. Itaque Synodus die 11. Junii a. 1532 conuocata est, et multis cum eo actum ex s. litteris, et errores eius solide refutati sunt; (acta quoque istius disputationis eodem anno in publicum edita sunt.) Cum vero doceri se non pateretur, et cedere nollet, in carcerem coniectus est, in quo admirandas visiones, prophetias et somnia simulauit et jactauit, quae tamen omnia fumi instar euanuerunt et ipse in carcere obiit.*" *Articuli* de quibus cum eodem disputatio instituta hi fuerunt: Paruulorum Baptismum ex diabolo esse, neque vlli christiano ferendum. Sermonem Dei aeternum non assumsisse carnem ex Maria virgine, sed ipsum esse carnem factum. Dixisse eum libere, maledicta sit caro Mariae. Salutem in nostris viribus positam esse. Quod si quis accepta gratia denuo voluntarie peccauerit, hunc nunquam in gratiam receptum iri. Prostat hominis fanatici, Auslegung der heimlichen Offenbarung Johannis, des heyligen Apostels, und Evangelisten. 8. pl. 24. liber rarus, obscurus, multisque paradoxis refertus, qui praeterea haud pauca de hominis ignorantia exhibet documenta, Regi Daniae *Friderico* dicatus, impressus *Argentorati* 1530. per *Balthasar Beck.* V. Bibl. Halens. T. VII. p. 200. In hoc haud obscura reperiuntur testimonia, quod auctor summo jure inter Anabaptistas Antitrinitarios huius aetatis sit collocandus, quamuis non satis determinate et distincte

diſtincte pro more ſectae mentem homo ſimplex alias et rudis explicet. Pag. B. VI. tres perſonas Deitatis ſibi vt tres Patriarchas, Abrah., Iſaacum, et Jacobum, praefigurat, locumque 1 Joh. 5. ita vertit, hi tres ad vnum tendunt vel ad vnum conferunt; und die drey dienen in eins, Pag. B. VII. Chriſtum factum eſſe Filium Dei, per reſurrectionem a morte confitetur, hucque trahit verba Pſ. II. Filius meus es tu, hodie te genui. Negari tamen non poteſt, hanc dicti explicationem Socinianis acceptam, nonnullis in myſterio de S. Trinitate orthodoxe ſentientibus probatam eſſe. V. Act. XIII, 32. 33. Sunt quoque verſionis vulgatae codices, qui cum *Hoffmanno* circa expoſitionem dicti 1 *Jo.* V. 7. conueniunt.

Ejusdem auctoris aliud ſcriptum, rariſſime obuium, in manibus noſtris eſt, quod indicem habet: Das 2te Capitel des Propheten Danielis, ausgelegt, vnd das Evangelium des andern Sondages, geſellend in Advend, vnd von den Zeychen des jüngſten Gerichts, auch vom Sacrament, Beicht, und der Abſolution; eyn ſchöne Unterweiſung, an die in Liefland vnd eym yden Chriſten nützlich zu wiſſen, 1526. 4. pl. 14. Impreſſionis locus non notatur. Libellus per epiſtolam, in qua autor nomen ſuum indicat, dicatus eſt *Liuoniae incolis*, inprimis vero *Dorpatenſibus*, multaque fanatica et Pſeudomyſtica in eodem occurrunt. Reliqua hominis ſcripta, ab auctoribus paſſim allegantur. De viſione, quam per *Friſiam* curſitans habuiſſe fertur, *Abrah. Bzowius* l. c. T. XIX. a. 1531. f. 802. it. ad a. 1532. §. 840. Plura de eodem exponunt, Jo. MÖLLERUS Iſag. ad *hiſt. Cherſ. Cimbr.* P. III. p. 128. ſeqq. BAILIUS l. c. tit. HOFFMANN. T. I. f. 832. verſ. germ. SPANHEMIUS de *origine et progr. Anabapt.* p. 211. OTTIUS l. c. ad a. 1525. BARTHOL. NIC. KROHN, cujus peculiare de hoc argumento opus, quod Lipſiae 1759. 8. prodiit, recenſetur in *Nouis litter. Tigur.* de anno 1759. p. 219. JO. GOTTL. HOFFMANNI de *ſecta Hoffmanniſtarum*, Lipſ. 1700. Leguntur

quoque nonnulla de homine hoc, turbisque ab eodem excitatis, in *Henr. Mühlii* diff. *hist. theol.* p. 49. Effigiem eius in forma 4. aeri insculptam exhibuit *Sichemius.* Alia prodiit Argentorati in form. 8. absque sculptoris nomine.

Hoffmannistarum sectae se associauit *Vbbo Philippi*, cujus sectatores *Vbbonitae* dicti, qui vnam cum Mennonitis sodalitatem constituunt; qui enim in principio *Vbbonitae* vocabantur, post annum 1544. *Mennonitarum* nomen adsciuerunt. Erat is sacerdotis Leouardiensis ex concubina filius, habuitque fratrem *Theodorum*, seu *Theodoricum Philippi;* (vulgo *Dirk Philips*, vel *Phlips*) litterarum graecarum et romanarum non ignarus, Pontificiae Ecclesiae sacris innutritus fuit. His, adultus nuncium misit, ab *Hoffmannicis* in transversum actus in Episcopum nouae sectae Anabaptisticae ordinari se passus est. Ab hoc tempore in agro Leowardiensi maxime ministerio functus, nouos sectae suae constituit Episcopos ac Ministros, et inter hos *Theodorum* fratrem, *Dauidem Georgium*, qui propriis indulsit somniis et *Mennonem Simonis.* V. *Jo. Chr. Burgmannus*, de *Vbbone Philippi* et *Vbbonitis*, *Rostochii* 1733. 4. et *Gerdesius*, l. c. T. III. p. 112.

Claudius quidam *Allobrox* (B. A. P. I. p. 103.) gente vel *Italus*, vel *Gallus*, in *Heluetia* et *Germania* jam a. 1534 et 1535. inprimis vero *Memmingae* circa a. 1550. Antitrinitariorum dogmata disseminare coepit; tres in vna essentia diuina personas negauit, Patrem solum esse verum Deum, maiorem filio adfirmauit; Scripturam S. esse corruptam, praecipue primum Euangelii S. *Joannis* caput, cuius initium sic legendum putauit: *In principio erat verbum, et verbum illud erat* Dei. etc. Veritatem nondum in apricum productam a se demum, vtpote qui coeleste Manna comederit, producendam et ex tenebris eruendam etc. statuit; quam gloriam *Sociniani* vtrique Socino vindicare studuerunt. Haec et alia Claudius nonnullis ciuibus, et praesertim mulierculis quibusdam, instil-

instillauit, vrbe vero tandem eiectum homuncionem, eosque, quibus virus suum propinauit, rectius edoctos esse, SCHELHORNIUS in diss. epist. de *Claudio Allobrogo* p. 77. et l. c. T. XI. p. 91. e tabulis publicis enarrauit. Circa a. 1534. *Bernensem* quoque Ecclesiam turbare ausus est, quod BERCHTOLDUS HALLERUS in litteris die 7. Maii scriptis ac insertis *Epp.* ab *Eccl. Heluet. Reformatoribus*, *vel ad eos datis*, Cent. I. p. 139. his verbis exponit: „*Interim collocuti sumus cum Gallo hoc, qui tametsi mente compos non sit, natus tamen videtur ad pertinaciam et contentionem. Asseruerat Jesum Christum nudum esse hominem; dein cum apertissimis a nobis vrgeretur Scripturis, admisit: Christum naturalem Dei Filium, adeoque Deum esse; sed non aeternum, immo in tempore constitutum et factum. Ait secundo: Atque hunc alioquin purum hominem esse fidei nostrae obiectum; cui satis abunde responsum est, sed minime satisfactum, pertinaci enim satisfieri nequit. Monuimus hominem, vt fidem hanc apud se habeat, id vero minime facturum scio. Restat, vt illi probemus: Spiritum S. esse Deum et ab aeterno, quem creaturam asserit. Negat Triadem, personas vero tam quoad vocem, quam ad rem.* — Ditione *Bernensi* tandem erraticum esse exactum, HALLERUS in aliis epistolis significauit. In praefatione secundae partis epistolarum SCHWENCKFELDII, quae in IV libros distributa est, notatur, in quarto libro exhiberi epistolas, aduersus varias Anabaptistarum sectas, quas inter et *Claudiana* memoratur. Notauit vero jam *Claudium* in ep. fratribus suis Augustanis et Argentoratensibus a. 1542. scripta, quae in ipsius epp. T. I. fol. 554. seqq. edit. 1566. occurrit. Ex eadem discimus, illum in loco *Jo.* I. 1. per λογον non verbum substantiale, sed promissionis et ideam de orbis redemtione animo diuino conceptam intellexisse. Ita SCHWENCKFELDIUS: Dass aber Claudius sagt, es habe Johannes nicht die Gottheit Christi damit bewehren, sondern allein das Wort der Verheissung anzeigen und offenbahren wollen, was Gott nemlich von der Erlösung der

Welt

Welt im Sinne gehabt. etc. Daß **Claudius** aus 4 Esrä will bewehren, wie das Wörtlein **Wort**, für das Werk oder den Willen Gottes werde genommen, und daraus vermeint zu schliessen, es soll allhie auch also genommen werden, solt er zuvor beweisen, dass es darum auch also Johannis 1. müße verstanden werden, wie wols dort an gedachtem Ort auch wieder ihn ist; denn es stehet allhie klar: **Und Gott war dasselbige Wort**, ist nach unsrer Rede so viel, als **dasselbige Wort war Gott**, welches noch klärer die göttliche Natur und die Gottheit Christi ausweiset. Darum so spricht der Evangelist: **das Wort war Gott.** Er redet nicht von Gottes Werken, sondern vom Worte Gottes, das in und bey Gott allwege gewesen ist. *Propter articulum graecum* ο, καὶ Θεος ην ο λογος, ist da λογος *subiectum*, zum Unterschiede der zweyer Personen, Vaters und Sones *in Triade diuina*, und *Deus praedicatum* etc. Verba JOANNIS, ο λογος ην προς τον Θεον, sic exposuit CLAUDIUS: *Deus secum decreuit*: enuntiatum autem: ο λογος σαρξ εγενετο, *Deus decretum suum perfecit, et manifestum reddidit.*

Lamy, in *Histoire du Socinianisme* P. II. p. 340. seqq. Famosissimos Anabaptistarum et Fanaticorum duces, *Jo. Becoldum*, *Jac. de Campen*, aliosque Germaniam inferiorem suis opinionum deliriis vexantes, in hanc classem retulit, qui potius exorbitantibus Anabaptistis et Fanaticis proprie ita dictis, quam Antitrinitariis adnumerandi videntur, saltem nihil certi de illis hac in parte statuendum inuenimus.

Praeter illos, qui merito Antitrinitarii reputandi, ac inter Germanos hoc tempore famam consequuti sunt, haud pauci, vel ab ipsis Socinianis, vel ab aliis in illorum societatem, non absque injuria trahuntur, cui nunquam assensum suum sunt testati. Professum esse *Casp. Schwenckfeldium*, notissimum illum Equitem Silesium, Christum Dei Filium vnigenitum esse creaturam, quod SANDIUS in H. E. p. 427. prodit, a vero alienum esse arbitramur.

Senten-

Sententiam suam Sandius ipse fortasse mutauit, hinc factum, quod eidem nullum in *Bibliotheca* inter Antitrinitarios locum designauerit; quod auctor *hist. Socin.* gall. P. II. p. 209. fecit, qui plures alios hoc numero eximendos eidem inseruit. Dubium interim nullum est, *Schwenckfeldium* pluribus librorum suorum locis, orthodoxam de mysterio S. Trinitatis et Christi diuina natura doctrinam adstruxisse. In isto, cui titulus: Catechismus von etlichen Haupt-Artickeln, des Christlichen Glaubens, und vom Grund und Anfang der Seligkeit durch Frag und Antwort gestellet, **Caspar Schwenckfeld**, a. 1532. 8. pl. 4. p. a. II. ad quaestionem: Was ist Jesus Christus? Respondet: Jesus Christus ist das groß einig Geheimniß, darauf die gantz heilige Geschrifft weyset, er ist der ewig eingeborn, natürlich Sun Gottes, des allmächtigen Vaters, warer Gott und Mensch unser Erlöser und Seeligmacher etc. Orthodoxiam, in doctrina de Christi diuinitate, in apricum posuit, in ep. ad Augustanos et Argentoratenses a. 1545. in epp. Vol. I. f. 554—580. quae succinctam, quoad hoc palmarium christianae fidei momentum, male sentientium inprimis Arianorum refutationem, solidamque de Christo confessionem exhibet. Neutiquam tamen omnium, quae defendit, placitorum, hoc ipso judicio apologiam suscipimus; immo potius eidem inter eos merito destinari locum, qui a regia veritatis via vario deflexerunt modo, sentimus. Nec omnibus calculum nostrum adiicimus, quae *Saligius* l. c. T. III. p. 951—1116. ad eum defendendum congessit. *Phil. Melanthon* frequenter eum accusauit errorum, quod vno saltem exemplo euincimus. In ep. ad *Jo. Bapt. Hencelium*, consulem Augustanum d. 27. Febr. a. 1557. in epp. a *Casp. Peucero* editis P. II. p. 314. ita scribit: „*Stenckfeldii* imposturae monstratis fontibus refutandae sunt. Prior pars de Filii natura est exstructa ex *Samosatenico* s. *Seruetico furore;* Altera pars de ministerio ex Enthusiastarum deliriis." De eiusdem controversiis Sacramentariis, aliisque motibus ad nostrum argumen-

mentum parum facientibus, nec non de ſingularibus vitae ipſius fatis, colloquiis et ſcriptis plures ſcripſerunt. Fuit veritatis cupidus, diſciplinae amantiſſimus, moribus inculpatis, varioque reſpectu excuſandus, et laudandus, reformationem ſpiritualem et internam dum incuclauit et optauit, circa religionis exteriora deprimenda nimius, et hoc praecipue nomine Eccleſiae exoſus fuit, quare etiam ex patria digreſſus, nullibi certum commorandi locum inuenit, vbique enim inuiſus, et alio commigrare juſſus.

Eodem jure ab Antitrinitariorum labe immunis judicandus eſt Wolfgangus Fabricius Capito, Argentinenſis Eccleſiae miniſter, qui inter eos inſignem olim obtinuit famam, qui conſilia ſua irenica, in certamine euchariſtico laudabili ſtudio, vtinam feliciore ſucceſſu commodarunt. Judice Melch. Adami in *vit. Theol.* germ. *vir ingenii et judicii praeclari, litterarum et ſcholarum ita amans, vt qui maxime fuit.* In *Biblioth.* Sandii p. I. primum inter Antitrinitarios occupat locum, quem quoque auctor *hiſt. Socin. gall.* eidem conceſſit, P. II. p. 201. Neuter vero, ne vnicum quidem, quod valet, argumentum, pro ſuo hoc judicio attulit. Quod praefationem libello Mart. Cellarii de *operibus Dei*, edito a miniſtris Tranſyluaniae, *albae Juliae*, a. 1568. 4. praemiſerit, iidemque miniſtri Eccleſiarum conſentientium in Sarmatia et Tranſyluania, (qui *Ge. Blandrata*, *Franc. Dauidis*, et eiusdem farinae alii fuerunt,) in libro *de falſa et vera, vnius Dei P. F. et Sp. S. cognitione, albae Juliae* 1567. 4. impreſſo, (B. A. p. 58. N. 14.) Capitonis, cum laude tanquam viri pietate et eruditione inſignis mentionem fecerint, nec non quod *Capito* in allegata praefatione *Cellarii* commilitonis ſui excellentes animi dotes et libelli huius vtilitatem depraedicauerit, et aliquot religionis capita enumerauerit, de quibus cum *Cellario* priuatim diſſeruerat, (de cognitione ſcilicet vnius Dei et Chriſti, de Spiritu S.) quae *Sandius* hoc fine adfert, vt eum Antitrinitariorum

choro intrudat, nihil omnino aduerſus virum teſtari poſſunt, cujus orthodoxam in articulo de S. Trinitate ſententiam plura argumenta comprobant, quem ab Eccleſia, in qua munere ſacro functus eſt, probatae fidei teſtimonio ornatum videmus. Id tamen concedimus, eum propter ſtudium placendi omnibus, ex quo facile detrimentum veritati contrahi potuit, non immerito a *Luthero*, imperterrito veritatis orthodoxae vindice fuiſſe reprehenſum, cuius rei teſtis eſt ep. eiusdem, *Wolfg. Fabritio Capitoni*, ex eremo ſua die Antonii 1522. ſcripta, quae legitur in opuſculo, quod titulo prodiit: *Judicium* D. Martini Lutheri, *de Erasmo Roterodamo. Philippi Melanthenis de Erasmo et Luthero elogion. Ratio diſcendi per eundem tradita. Eiusdem, Quo judicio Auguſtinus, Ambroſius, Origenes, ac reliqui Doctores legendi ſint. D. Martini Lutheri ad Voolfgangum Fabritium Capitonem Theologum, epiſtola vtiliſſima.* 4. plagg. 3. absque loci et temporis notatione. Ita vero *Lutherus* p. B. 1111 b. inquit: „*Scribis te juuandarum euangelii partium, diuerſam a nobis iniiſſe rationem. Hoc, quid aliud eſt, quam aut tuam, aut noſtram rationem damnabilem eſſe? Cum neceſſe ſit miniſterium Spiritus ſibi ipſi quam minime pugnare. — — Atque ego quidem, pro meo in te candore, verbum hoc diuerſitatis leniiſſem, niſi tu ipſe tuus interpres, coëgiſſes ſic intelligendum eſſe, Euangelium tunc promoueri, ſi Principibus conniveatur, parcatur, eorum facta excuſentur, et (vt tua verba ſonant) ne pugnam procaces prouocemus. Haec tua ratio eſt: quae juxta noſtram rationem pulchra adulatio et veritatis chriſtianae abnegatio eſt. Ego nec inimicis optarim hunc animum probari: tantum abeſt, vt optem hac ratione juuari Euangelium, vt nihil vehementius deprecer. Et faxit Chriſtus, non vt nihil promoueas, ſed vt ſeruet te nobiscum, ne noceas. Manſuetudinem et benignitatem exigis, ſcio; ſed quid Chriſtiano et adulatori? Res eſt aperta et ſimpliciſſima Chriſtianismus. Rem ſicuti habet, et agnoſcit et fatetur.*" etc.

Deside-

Desiderium quoque Erasmum Roterodamum, de quo *Sociniani* judicant, quod aboleuerit fidem de Trinitate, (V. *hist. Socin. gall.* P. I. p. 12. et in not. p. 2.) horum consortio, qui in oppugnando hoc mysterio consenserunt, eximendum esse putamus. Eundem cum Ecclesia Romana eandem doctrinam habuisse, ex epistolis praecipue eiusdem monstrauit *Jo. Richardus*, libro gallice scripto: *Sententia Desiderii Erasmi Roterodami, conformis sententiae ecclesiae catholicae, circa omnia illa, de quibus hodie controuertitur.* Colon. 1688. 12. Strauisse vero eum viam Socinianismo, Bellarminus praefat. ad librum *de Christo*, Posseuinus de *Atheismis Haereticorum* C. XIX. et libro *de prouocatione nouorum Arianorum* ad *Erasmum*, *Gregorius de Valentia*, de Trinitate l. 1. c. 19. aliique plures *Erasmi* aduersarii orbi christiano persuadere voluerunt. Eandem sententiam tuetur Dan. Brenius in *compendio Theol. Erasmicae*, Roterod. 1677. Gloriatur quoque de *Erasmi* consensu *Sandius*, in H. E. p. 423. quo loco ita sentit: „*Hoc sane constat, haud pauca eum scripsisse in favorem Arianorum, et plurima scripturae loca, quae contra Arianos allegantur, suis explicationibus penitus eneruasse. Praefatione* inprimis in tertium tomum operum *Hieronymi* admodum in gratiam Arianorum scripsit." In *append. ad nucl.* H. E. p. 83. verba Erasmi allegat ex ep. ad *Bilibaldum*, nimirum: „*Cum Arianis sentire possem, si probasset Ecclesia, quod illi docuerunt. In concilio Senonensi damnantur hae propositiones Arianorum: Nunquam legitur Dei cognomen, aperte tribui Christo, in Apostolorum et Euangelistarum scriptis, nisi duabus vel tribus vicibus. Item, audemus Spiritum S. appellare Deum, quod veteres ausi non sunt.*" Et p. 85. haec *Erasmi* ad 1 *Cor.* VII. profert verba: „*Nemo priscorum audebat clare pronunciare, Spiritum S. esse Patri Filioque homousion, ne tum quidem, cum quaestio de Filio tanta contentione per vniuersum orbem agitaretur. Quin in epinicio, quod post Arianos profligatos canere coepit Ecclesia, quod tribuitur Filio lumen de lumine,*

lumine, Deum vero de Deo vero, non idem dilucide tribuitur Spiritui S. Nunc audemus profiteri, Spiritum S. homousion Patri et Filio et Deum verum; de Patre Deo vero et de Filio Deo vero." Pari ſtudio miniſtri eccleſiarum conſentientium in *Pol.* et *Tranſ.* etc. *Erasmum* inter maiores recentiorum Antitrinitariorum recenſent, et F. SOCINUS de eodem in ep. p. 187. inquit: „*Quod non immerito et Trinitariis Arianismi nomine ſuſpectus fuerit, et ab Antitrinitariis inter eos relatus, qui ſubobſcure Trinitati reclamauerint.*" Diuerſa quidem, ſibique aduerſa ſunt Scriptorum, de *Erasmi* virtutibus et vitiis, judicia; interim tamen illi etiam, qui plura in eodem improbarunt, juſtamque ſententiam enuntiarunt, Antitrinitariorum ſodalitio eum adnumerandum eſſe, vel dubitarunt, vel negarunt. Quod timiditate et nimia praecautione, multumque indulgendo naturae et temperamento, peccauerit, aequi judices ſtatuunt. Sed praeclara quoque ſunt eius merita in praeparanda Reformationi ſuſceptae via, et reſtituendo litterarum ſtudio, quae hiſtoriae eccleſiaſticae et litterariae Auctores debita laude proſequuntur. Multum eundem poſthac variis modis Proteſtantium cauſſae nocuiſſe, negari nequit, et ab eiusdem vituperatoribus haud paucis euictum eſt documentis, ſiquidem ipſum aliquando poenituit, quod ſtudiis ſuis euangelicorum progreſſus promouerit, et faſſus eſt, ſe cautius fuiſſe mercatum, ſi Tragoediam Lutheranam praeuidiſſet. Non mirandum propterea eſt, quod ſuſpicionem ſibi malam contraxerit, cum in negotio religionis, quo *Lutherus* adverſus Papatum perfunctus eſt, neutri parti ſemet omnino adiunxerit, immo vtrique, ſiue conſulere, ſiue placere ſtuduerit, idque vnice in vita ſua intenderit, vt omnium ordinum beneuolentiam ſibi conciliaret. Acceſſit aduerſa nonnullorum librorum ab ipſo editorum fama, qui ſalibus, et iis interdum aculeatis abundabant, quibus craſſos quosdam errores, jure ciuitatis donatos, et ſtupidae plebis ſuperſtitiones libero dicendi genere perſtrinxit.

Praeterea disciplinam ecclesiasticam conquerebatur collapsam, populum christianum variis hominum praeceptis oneratum, ac conscientias multis tricis illaqueatas dolebat, ex quibus omnibus, quamuis a Socinianismo longe haec absint, nonnullis visus est in partes eorum propendere, qui rationi in oppugnandis Euangelii mysteriis posthac nimium indulserunt. V. J. A. Fabricii *Exercitatio critica de religione Erasmi. Hamb.* 1717. 4. *Lutherus* equidem aliquoties *Erasmi* sententias improbauit ac reprehendit. Sic in collectione paulo ante allegata p. a. II. inquit: „*Non est Erasmus in re Praedestinationis formidabilis, sicut neque in summa ferme tota rerum Christianarum. Potentior est veritas, quam eloquentia, potior spiritus, quam ingenium, maior fides, quam eruditio. Et vt Paulus ait: Stultum Dei, sapientius est hominibus.* — — — *Occurram balbutientissimus eloquentissimo Erasmo cum fiducia, nihili etiam habita eius autoritate, nomine et fauore. Ego noui quid sit in hoc homine, quandoquidem et Satanae cogitationis nouerimus.*" etc. Imo aliquando *Lutherus* enunciasse fertur, nonnullos Antitrinitarios ac Fanaticos ab eodem esse formatos, et dixisse, in colloq. mensal. edit. Francof. 1568. Erasmus ist Rex Amphiboliarum. — — — — — — Er hat *Crotum*, *Egranum*, **Wiçeln**, *Oecolampadium*, *Campanum* und andere Schwärmer und Epicurer geseet und gezeuget. Sed valde dubito, an hoc genuinum sit *Lutheri* iudicium; multa enim in colloquiis a Luthero dicta, exponuntur, quae eum deliberato consilio dixisse maxime dubium videtur. Si reuera dixit, hunc heroëm aliquid humani passum esse, statuerem; ad quem modum quoque *Schelhornius* judicauit, l. c. T. XI. p. 90.

§. VI.

Etiam in aliis, praeter Germaniam superiorem et inferiorem, Europae regionibus circa medium

Sec.

Sec. XVI. quosdam Antitrinitariorum errore notatos animaduertimus; nimirum in *Heluetia* anonymos nonnullos, quorum tamen ordini *Coelius Secundus Curio* non eſt inſerendus; in *Gallia*, *Stephanum Doletum*. *Ex Hiſpanis*, *Jo. Valdeſius* immerito huic claſſi accenſetur; ſed *Alphonſius Lingurius*, Tarraconenſis, *Serueti* Hiſpani conterraneus, ab hoc, vel eius ſcriptis fortaſſis ſeductus, in hunc cenſum venit; et tandem in Anglia, *Ge. Parrium*, Germanum, quem alii *Pariſium* vocant, Antitrinitarium memoriae proditum obſeruamus.

* * *

Eodem, quo in Germania quidam de S. S. Trinitatae male ſenſerunt, tempore in *Heluetia* quoque nonnulli illud oppugnarunt. Acta *Colloquii*, quod *Marpurgi*, a. 1529. praecipiente PHILIPPO, *Haſſiae Landgrauio*, habitum eſt, id extra omne dubium ponunt. Praecipuus quidem eiusdem ſcopus fuit, vt *Saxones* cum *Heluetiis* in articulo de S. Coena conciliarentur, qua intentione Princeps, *Lutherum*, *Juſtum Jonam* et *Melanthonem*, *Witteberga*, *Zwinglium*, *Oecolampadium*, pluresque alios ex *Heluetia* conuocauit. Interea tamen in hoc colloquio quidam ex Heluetiis notati ſunt, qui non orthodoxe de diuinitate Chriſti ſenſerint. Ad quae *Zwinglius* reſpondit: De diuinitate Chriſti ſe ſemper ſenſiſſe, et adhuc ſentire, Chriſtum verum Deum et hominem eſſe; alioquin de toto articulo S. Trinitatis ſe credere, ſicut Synodus Nicaena docuerit; nec ad ſe pertinere, ſi qui in ſuperiore Germania incommode loquuti ſint. Indicabat etiam *Hetzerum* Anabaptiſtam, qui *Conſtantiae* ſupplicio adfectus eſt, contra diuinitatem Chriſti librum ſcripſiſſe, quem ipſe oppreſſerit, ne in lucem prodiret. Et OECOLAMPADIUS ad *Bertholdum Hallerum*, Bernenſium mini-

ſtrum inquit: Vt peruentum ad colloquium, cum priuatum, tum coram Principe, *Lutherus* ad alia, quae concorditer confitemur, ſeſe conuertit. Mendax enim rumor, ne ſuſpicioni imputem, traduxerat nos, quaſi de Chriſto deque Triade ſanctiſſima, item de fide ac miniſterio verbi parum pie ſentientes, et quales hinc inde in conventiculis ſuis Catabaptiſtae *και οτομυσι*, comminiſcuntur, imo reducunt errores. V. Scultetus l. c. Dec. II. p. 195. ſeqq. Quidam ex *Serueti* aſſeclis, qui ſine dubio Claudius *Allobrox*, anno circiter 1534 vel 1535. *Baſilaeam*, hortatu fortaſſis magiſtri ſui, qui bis in hac vrbe paulo ante commoratus erat, venit, cujus mala intentio ſpargendae haereſeos *Seruetianae* detecta, quam quoque impune non tulit, ſed ad tempus in carcerem conjectus eſt. Hic ex eodem dimiſſus *Wittebergam* ſemet contulit, cum *Luthero* de religionis argumento colloquendi animo. Poſt aliquot menſes vero, cum etiam hoc loco proteruiam ſuam et blasphemos errores in artic. de S. S. Trinitate patefaceret, accepto abeundi conſilio, *Germaniae* valedixit, et in Italiam a. 1537. rediit.

Inter praecipuos, qui in *Heluetia* de S. Trinitate minus recte crediderint, nominatur Coelius Secundus *Curio*, Pedemontanus in *Baſil. Acad. Profeſſor*, qui vero hac ſuſpicione liberandus eſt. Fuit is ex *Italis*, qui ob purioris religionis profeſſionem, relicta patria in Heluetiam ſe receperunt. Ipſe e vinculis elapſus circa annum 1540 vel 42. Baſileam conceſſit et in Academia huius vrbis ab a. 1547. ad annum 1569. Eloquentiae et Hiſtoriarum profeſſionem exornauit. Vitam et ſcripta ejus exponunt, *Reusnerus*, *Geſnerus*, *Thuanus*, *Niceronius*, *Koenigius*, *Joecherus*, *Fabricius*, in operibus notiſſimis. Inprimis *Schelhornius* natales et res geſtas, ſpeciatim mirabilem ejusdem liberationem ex captiuitate et grauiſſimo vitae diſcrimine, quod in Italia religionis cauſſa ſubiit, recenſuit, et plures auctores allegauit l. c. T. XIV. p. 32.

p. 382 et 397 et in *amoen. hist. eccles.* et *liter.* T. I. p. 759. Obiit a. 1569. in republica Basileensi cum laude orthodoxiae et inter decora Academiae non postremum cum honore tenuit gradum, celebratus quoque post obitum a *Jo. Nic. Stupano* sermone panegyrico a. 1570. quem *Schelhornius* inseruit. Longiore fatorum, laudum ac scriptorum ipsius expositione merito hoc loco abstinemus, cum eum Antitrinitariorum sodalitio excipiendum esse iudicemus. Qui Virum reuera magnum et omni laude dignum accuratius noscere cupit, desiderium hoc ex lectione eorum, quae *Schelhornius* de eodem exposuit, explere potest. Id solum notamus, praestantissimae et doctissimae foeminae OLYMPIAE FULVIAE MORATAE *opera*, editore COELIO SECUNDO CURIONE, *Basil.* 1558. 8. prodiisse, quae iterum ibidem 1562. apud *Petrum Pernam* 1570 et 1580 prelo exemta sunt. Editioni secundae *Curio* praemisit epistolam dedicatoriam ELISABETHAE Angliae *Reginae* scriptam, *Basil. Cal. Septemb.* 1562. In his ipsis operibus quaedam *Curionis* ad eruditissimam matronam epistolae, et huius ad illum datae lectu jucundae comparent. Occurrit ibidem p. 298. *edit.* de a. 1580. ep. *Mart. Borrhai, Coelio Secundo Curioni* scripta d. 26. Oct. sine anni commemoratione. Huic p. 299. seqq. addita est *Curionis* responsoria, in qua scripti a se *Dialogi de amplitudine regni Dei* mentionem fecit, quem calamo descriptum (nondum enim publicam lucem vidisse narrat,) ad *Borrhaum* se transmissurum scribit, huncque rogat, vt libere pleneque rescribat, quale Doctorum et vulgi iudicium de isto Dialogo futurum putet. His addit: *Reliquum est, vt tibi gratias agam, quam possum maximas, de maximis et innumeris beneficiis*, quibus quotidie *fratres nostros Italos cumulas.* Ibidem p. 357. alia *Coelii* ad *Borrhaum* ep. reperitur, in qua locus *Aristotelis* ex tertio Rhetorices libro *de frigidis* explicatur, et ad *Ciceronis Fabiique* praecepta accommodatur.

Propter librum allegatum, de amplitudine regni Dei, (*Basil.* 1554. 8. *Francof.* 1597. *Goudae*, 1614. etc. editum) a Petro Paulo Vergerio, olim apud Magistratum Basileensem heterodoxiae accusatus, et nostra quoque aetate a quibusdam Antitrinitariorum classi adnumeratus est, speciatim in Lampio in H. E. et Petr. Jaenichio, *Gymnasii Thorun. Rectore, qui in stricturis ad libellum quendam catecheticum Vnitariorum* p. 7. scribit: *Curionem* Serveti *erroribus implicatum fuisse, patet ex eius paraphrasi in principium Euangelii Joannis, vbi omnia de Trinitate ambiguis interpretationibus inuoluit.* Haec paraphrasis vltimum locum occupat in Opusculis *Curionis*, quae 1544. *Basileae*, 8. prodierunt. Falsi quoque arguitur *Coelius* a *Frid. Balduino, Passionis* typicae P. II. p. 482. Mich. *de la* Roche in *Memoires litter. de la Grand. Bretagne* T. IV. p. 263. Orbi persuadere conatus est, fuisse illum ex eorum numero, qui Saec. XVI. semet Pontificiis sacris abdicando, mysterium S. Trinitatis reiecerint, hocque iudicium suum nititur ea ratione, quod *Curio in Religionis christianae institutione*, quam *Basileae* 1549. 8. edidit, ne verbo quidem trium in diuina essentia personarum mentionem fecerit. *Alwoerden* quoque in *hist.* Mich. Serueti p. 218. se aliquando demonstraturum promisit: *Coelium inter Serueti amicos et Sectatores fuisse.* Sandius tamen Bibliothecam suam Coelii nomine non auxit, nec id facile sine summa injuria facere potuisset, quod variis scriptorum ipsius locis demonstratum dedit *Schelhornius* l. c. vbi inter alia *Coelius Curio* p. 391. ita inquit: *Quid esse potest aut jucundius, aut magis proprium hominis Christiani, quam mens bene de Deo et Christo sentiens, atque omnem coelestem doctrinam edocta? —— De Deo enim, semota Christi Filii Dei mentione certaque persuasione, Judaei, Philosophi, Maometes aeque subtiliter, splendide, grauiterque facere verba possunt. Verum cum Christum non teneant, sine fundamento aedificant, (est enim Christus Dei vera, vnica et permanens imago, effigies et species) idcirco quicquid*

quid vel dicunt, vel cogitant, collabi ac effluere necesse est. — — *Nos vnum Deum in Christo, et vnum Dominum Jesum Christum in Deo amplectimur, et colimus.* Cum malam desertae purioris doctrinae famam ab inimicis sparsam animaduertit, ita in ep. ad FORTIUM COLLETTUM absque temporis significatione scripta, ac inserta epistolis illius adtextis editioni operum *Olympiae Fuluiae Moratae*, Basil. 1580. 8. p. 380. scribit: „*Miror, quod et* PETRUM MARTYREM *et nos adhorteris, vt monumentum aliquod edamus, quo nos in sententia semel bene diuinitusque suscepta persistere testemur. Nam si vuicuique obloquenti aut detrahenti esset respondendum, aetas hominis ipsa non satis esset, vt vel paucis responderes. At sinendi sunt latrare canes, qui mordere non possunt: et vnicuique suum munus et officium nauiter est persequendum. Satis superque respondetur, si vita professioni respondeat: quae potentior est ad persuadendum, quam* PERICLEA *vlla πειθω, aut* CICERONIS *eloquentia. Tametsi nec scripta desint: siquidem scriptionem requiris,* PETRUS MARTYR *egregia adornat monumenta, quae propediem edentur. Et nostra jam manibus hominum teruntur, et cum verbis, tum factis luce clarius testantur, nos ab omni falsa abhorrere religione, et vnum Deum colere in vno Jesu Christo, quo duce et auspice neque famem, nec carcerem, nec mortem extimescimus.*" Memoriae quidem proditum est, *Coelio* fuisse cum LAELIO SOCINO et BERN. OCHINO amicitiam, ob eam vero solam parium cum his accusari nequit. Et *Melanthon* et *Bullingerus*, aliique honorifice adeo de *Laelio* senserunt, et *Ochini* pietatem innumeri praedicarunt, quibus heterodoxiae maculam nemo facile propterea adspersferit. Mirum enim non est, omnes Transalpinos et Italos, patria terra ob qualemcunque religionis professionem profugos, inter se tenuisse amicitiam, qui tamen ideo non omnes in disciplinae sanctioris placitis ex asse consenserunt. Ob communem patriam *Curio* quoque cum *Francisco Stanckaro* a. 1570. Basileae amicitiam iniit, et die 4. Martii suum

conterraneum prouidae *Bullingeri* curae per epiſtolam commendauit. De *inſtitutione Chriſtianae religionis*, a *Curione* edita, DAV. CLEMENT in *Biblioth. hiſt. et Crit.* T. VII. p. 377. ita judicat: *L'Auteur a menagé ſes expreſſions, enſorte qu'elles peuvent avoir un ſens orthodoxe, et laiſſer cependant quelques doutes ſur ſon orthodoxie.* Interim tamen ex *Curionis* libro p. 15. locus adcitari poteſt, cui Antitrinitarius vix calculum ſuum adjeciſſet. Bonam *Coelio* S. C. Orthodoxiae famam occaſione recenſionis libri ejusdem de amplitudina regni Dei *Daniel* vindicavit *Gerdeſius* in *flor.* libb. rar. eumque aduerſus *Socinianismi* ſuſpicionem defendit; nec non *Freytagius* in *Analect. litt.* l. c. p. 281. Ita autem *Gerdeſius* l. c. p. 84: „*Quamquam inficias ire non velimus, Virum ingenio Italico praeditum, quique non fuit profeſſione Theologus, ſed litteras excoluit et docuit humaniores, in breui illa* PARAPHRASI IN PRINCIPIUM EUANGELII JOANNIS, *quaedam incaute poſuiſſe, quae illum in hanc ſuſpicionem adducere poſſent; tamen reliqua eius ſcripta contrarium edocent et euincunt, quod Jeſum Chriſtum, verum Dei Filium et verum Deum agnouerit; Praeterquam quod Baſileae, vbi vixit et ſcripſit, nemo, nequidem* SIMON SULCERUS, *hoſtis nouaturientium acerrimus, ei vmquam propterea moleſtiam exhibuerit, neque etiam* VERGERIUS, *quocum tamen ipſi ſimultas ſatis erat magna, id ei vmquam exprobrauerit, haud ſilentio transmiſſurus, ſi tales errores exitiales obiicere ei jure potuiſſet. Tam igitur* CURIO *non fuit Vnitarius, quam eius gener* HIERON. ZANCHIUS, *ob ſcriptum librum de tribus Elohim, non fuit Tritheita.*" In libro allegato *Curio* numerum electorum ſ. ſaluandorum in regno coeleſti, multo majorem futurum, quam reproborum, demonſtrare ſtuduit; quod paradoxon ſuum ſententiae de abſoluto decreto ſuperſtruit, cui conuenientius eſſe aſſerit ſtatuere, plures ad vitam aeternam a Deo electos fuiſſe. Argumenta, quibus ad confirmandam hanc ſententiam vſus eſt, *Niceronius* recenſuit. P. P. *Vergerius* eum accuſauit, quod in hoc opu-

opuſculo ſtatuat: Homines ſolis naturae viribus, ſine Chriſto ſalutem conſequi poſſe. Quid ad hanc criminationem reſponderit, ex duplici eius Apologia cognoſcitur. Librum *Coeli* a *Conrado Vorſtio* eſſe concinnatum, *Balduinus* l. c. p. 482. falſo perhibet. Librorum ab ipſo eiusque filiis *Coelio Horatio* et *Coelio Auguſtino* editorum catalogus e MSC. nec non epiſtolarum ineditarum ipſius e MSC. legitur in *Muſeo Heluetico* P. XXVIII. Art. 2 et 3. Celebre quoque — — nomen eſt *Georgii Coelii*, cuius mentionem facit *Nicol. Clenardus* in ep. anno circiter 1541 ſcripta ad Chriſtianos de profeſſione Arabica, militiaque conſtituenda aduerſus Machometum, inſerta eiusdem Epp. Antverpiae 1566 editis L. II. p. 218.

Pauciores ſunt, quos circa hoc tempus in reliquis Europae regionibus, *Italia* excepta, a ſcriptoribus hiſtoriae eccleſiaſticae, haereſeos in doctrina de S. Trinitate et Deitate Chriſti accuſatos animaduertimus. Vel enim re ipſa pauci tantum audaciae habuerunt, vt inter pontificios diuina myſteria ſuis impugnarint dubiis, cum vbique triſtiſſimis veſtigiis, terribilique inquiſitorum igne ac flammis Eccleſiam tuentium tyrannide, cautius mercari admonerentur; vel etiam ſi qui fuerint horum tamen nomina et fata, notata non legimus, multo minus accurata dogmatum ab iis expoſitorum delineatio ad noſtram aetatem peruenit. Inter *Gallos* tamen, STEPHANUS DOLETUS nominatur, qui anno 1509 *Aureliae* natus paria fere, quae *Seruetus* fata expertus eſt, fortaſſis quoque, cum eodem, ſi non in omnibus, in quibusdam ſaltem placitis, conſenſit. Filius naturalis *Franciſci* I. Galliae Regis fuiſſe dicitur. Poſtquam *Lutetiis*, *Paduae* et *Venetiis*, elegantiores litteras, inprimis vero Oratoriam didicerat, circa annum 1532 *Galliam* repetiit, et in *Academia Toloſana*, quae propter ſtudium juridicum iſto tempore inclaruit, ita vt ibidem ex omnibus Europae regionibus, Juuenes themidi ſacrati confluxerint, ſcientias juridicas quacunque

diligentia coluit. Sed nimia in dicendo licentia et irreverentia aduersus superiores, multa sibi incommoda, immo carcerem quoque anno sequente contraxit, ex quo quidem fide emendationis facta post vnum mensem liberatus, sed simul, quia fauoris in *Lutherum* immo *Atheismi* et impietatis accusatus, e *Tolosa* proscriptus et exterminatus est. Hinc *Lugdunum* Gallorum, quo loco correctoris munere apud *Sebast. Gryphium* fungebatur, et inde 1534 *Lutetias* concessit, iterumque a. 1536. *Lugdunum* repetiit, vbi officinam librariam et typographicam instruxit, ex qua ab a. 1538 plures prodierunt libri typis exscripti. *Lugduni* moderamine inculpatae tutelae coactus, hominem vitae suae aggressorem, a. 1539. interfecit. Post hoc fatum *Lutetias* repetiit, ibidemque iterum captiuitate constrictus, mortis supplicium aduersus eum a. 1545. enunciatum est, cumque nemo pro eo intercedere auderet, tanquam haeretico, vel vt credebatur, Atheo, anno aetatis suae 37 ad flammas damnatus est. Haec mortis sententia die 3. *Aug.* qui S. *Stephano* sacer, quo ipse natus erat, a. 1546. *Lutetiis* exacta, ita vt primum fune suffocatus, deinde in *Malbertina* area, combustus fuerit. Plura de eo, eiusque libris *Niceronius* l. c. p. 376—397. *Mattairius in annal. typograph.* T. III. p. 32. T. IV. p. 80. *Clement*, in *Biblioth.* T. VIII. p. 420. *Joecherus* l. c. T. II. p. 168. exposuerunt. *Hoffmannus* in Dict. vniv. sub tit. *Stephanus* notauit: *Doletum* multa graece latineque res gestas, inprimis *Francisci* I. ab a. c. 1513 vsque ad 1539 scripsisse. Plura eiusdem scripta allegata reperiuntur in *Verderii Biblioth. Gall.* p. 278. 279. et in B. A. P. I. p. 245. seqq. *Baylius* l. c. T. II. f. 321. tit. *Dolet.* not. D. ex *Petro Galandio*, quem vitam *Doleti* scripsisse obseruavit, narrat: eundem longi carceris illuuie foedatum, prima accusatione impiae fraudis reum, *Castellano* supplice, (Praesule doctissimo, quem *Franciscus* I. Rex Galliae magni fecit,) carcere emissum, et omni noxa condonata liberatum esse; quod de prima eius incarceratione valet.

Cum

Cum promiſſum de vitae et morum emendatione nón expleuiſſet, iterumque, vt diximus, incarceratus eſſet, nec *Caſtellanus*, nec alius quidam, pro eo denuo precari auſi ſunt, ſed iudicii eccleſiaſtici decretis relictum, truculentae mortis ſupplicium tuliſſe. Quodſi recte judicauerit Jo. Caluinus in tract. *de ſcandalis*, in tract. theol. p. 90. de *Doleto*, quem *Serueto* jungit, non immerito in Antitrinitariorum claſſem collocatur. Ita autem Caluinus: „*Agrippam, Villanouanum, Doletum, et ſimiles, vulgo notum eſt tanquam Cyclopas quospiam, Euangelium ſemper faſtuoſe ſpreuiſſe. Tandem eo prolapſi ſunt amentiae et furoris, vt non modo in Filium Dei exſecrabiles blasphemias euomerent, ſed quantum ad animae vitam attinet, nihil a canibus et porcis ſe putarent differre.*" Prateolus in *Elencho haeret. voce Athei*, numero Atheorum Doletum inſerit. Notauit *Baylius* l. c. N. G. in *Juuenilibus Theodor* Bezae, prima vice, ſine loci et anni commemoratione in 16. editis p. 31. Epitaphium in laudem *Doleti*, a *Beza* ſcriptum reperiri, quod vero in editionibus recentioribus expunctum fuerit. Poſſet inter Antitrinitarios Gallos Claudius *Allobrox* recenſeri, cum *Allobroges* pro Galliae populo habeantur, quem *Bernates* armis ſibi ſubjecerunt. Sed de eodem paulo ante dictum.

Ex *Hiſpanis* Jo. Valdesius, a *Sandio* in B. A. p. 2. in *nucl. H. E.* p. 429. et in append. p. 92. 93. inter Vnitarios numeratur, vel *Italis* circa idem tempus inclareſcentibus familiaris, vel ſaltem ob ſuſceptum errorem ab illis non prorſus alienus. Fuit is nobilis Hiſpanus, et referente *Melch. Adami*, *in vita Petri Martyris* p. 31. a *Carolo* V. dignitate equeſtri ornatus, juris conſultus, et Regi Neapolitano ab epiſtolis, qui circa annum 1542 floruit, ſecundum alios vero jam a. 1540 mortuus dicitur. Cum *Carolo* V. in Germaniam venit, ibidemque ex conſortio cum Euangelicis inſtituto, et lectione librorum a piis Reformatoribus ſcriptorum, puriori diſciplinae conci-

conciliatus eſt. Commercium epiſtolicum cum Erasmo Roterod. coluit, cujus ad illum et *Joannem* plures epiſtolae extant in *Opere Epp. Erasmi* edit. *Baſil.* fol. a. 1558. v. g. p. 616. 619. 811. 955. 965. 994. 1847. etc. Ex his patet *Joannem* germanum fratrem fuiſſe Alfonsi Valdesii, qui in adtexto indice nominatur *Theologiae Profeſſor et Eccleſiaſtes Burgis*, *Caroli Imp. Secretarius. Alphonſus Valdeſius* in comitiis Auguſtanis a. 1530. praeſens fuit, habuitque ibidem d. 18. *Jun.* colloquium cum Melanthone, cuius meminit Ge. Coelestinus in *hiſtoria Comitiorum Auguſtae* a. 1530 *celebratorum.* T. I. f. 93. b. De eodem *Erasmus Roter.* in ep. ad *Cornelium Scipperum*, qui Caeſari a ſecretis fuit, in *epp. Illuſtr.* et *Clar. Vir.* p. 347. *Rogo, fac ſciam, quid acciderit Alfonſo Valdeſio.* Adfuit in Comitatu Caeſareo *Auguſtae*, cum confeſſio ab Euangelicis ſollemni actu exhiberetur, ibidemque exoptatiſſimam nactus eſt occaſionem colloquendi cum purioris Euangelii Doctoribus, quibus colloquiis animus ejus ad ſuſcipienda ſacra Euangelicorum praeparatus eſt, quae deinde aliis priuatim ac prouide commendauit. Vale hinc muneribus aulicis dixit, et Neapolin contendit, quo loco vitam priuatam duxit. Fertur ex Germania ſecum Neapolin ſcripta *Lutheri*, *Buceri* et *Anabaptiſtarum* advexiſſe. V. *Maimburgii Hiſt. Arian.* T. II. p. 463. *Bernardinus Ochinus* ſententiam ſuam, contra orthodoxam de Trinitate opinionem, ex eodem imbibiſſe perhibetur. Auctor *hiſt. Socin. Gall.* P. II. p. 206. eum inter primos Lutheranos collocat, qui Neo-Arianismum ſuſceperint, ac perhibet, quod *Beza*, *Valdeſio* hujusque ſocio, *Petro Martyri* auctor fuerit, relicta Pontificiorum religione, ad Euangelicorum coetum transeundi; ſed vtrumque et alia, quae de *Valdeſio* profert, nulla auctoritate fulſit, hinc cum pluribus aliis ab eo expoſitis eſſe efficta, non ſine ratione iudicandum. *M. Adami* l. c. de eo prodit, quod poſteaquam a Deo verae religionis agnitione donatus fuerit, vitam in *Italia* et praecipue *Neapoli* egerit, quo loco doctri-

na

na et ſanctiſſimo vitae exemplo, quam plurimos, praeſertim nobiles Chriſto lucrifecerit, eoque tempore non ſpernenda Eccleſia piorum hominum in vrbe Neapolitana fuerit. Erant in illo coetu, narrante *Joſia Simlero*, in *vita Petri Martyris*, p. 7. multi viri nobiles et docti; multae etiam excellenti virtute feminae, inter quas praeter alias illuſtres et vere heroicas, nobiliſſima *Heroina Izabella Manrica* (cui *Bern. Ochinus* librum de praeſentia corporis Chriſti etc. dicauit) fuit, quae poſtea Chriſti nomine a patria exſulauit. Fuit in hoc coetu piorum *Galeazzius Caracciolus*, *Marchio Vici*, et alii magni viri, poſt exſules. *Valdeſio* in colligendo coetu, *Petrum Martyrum Vermilium* praeſto fuiſſe, certum quibusdam videtur. Prima haec reformandae in Italia eccleſia auſpicia, a iudicio, quod haereticis puniendis inuigilauit, diſturbabantur, quo factum, vt alii ex iis, qui his piis coetibus interfuerunt, fidem ſuam eccleſiae pontificiae iterum teſtarentur; alii vero puriorem doctrinam ſeruantes, in exteras regiones fuga ſibi conſulerent.

Valdeſium maxime aduerſus pontificiorum dogmata, de merito operum, propriaque ac imaginaria hominis iuſtitia pugnaſſe, *Baylius* notauit. Complures quoque ſuperſtitiones detexit, non tamen cum adplaudentibus ſibi vltra juſtificationis articulum proceſſit, coeterum et publica ſacra frequentauit et miſſis interfuit. Mirandum ſane eſt, quod medios inter Pontificos et *Neapoli* quidem degens, flammis euaſerit. *Miniſtri Sarmatiae* et *Tranſylvaniae*, *de vera et falſa Dei cognitione*, ad *Valdeſium* ſecum conſentientem prouocant, ſibique de eodem gratulantur. Ita vero L. I. C. III. *Sandio* verba allegante inquiunt: „*De Joanne etiam Valdeſio, genere et pietate clariſſimo, quid dicendum? Qui ſcriptis publicis ſuae eruditionis ſpecimina nobis relinquens ſcribit, ſe de Deo, eiusque Filio nihil aliud ſcire, quam quod vnus ſit Deus altiſſimus, eius filius, qui conceptus eſt de Spiritu S. in vtero virginis: vnus*

et

et amborum spiritus." Quae verba a nemine, nisi male de Christo sentiente in aduersam partem explicari possunt. Quae *Baylius* l. c. ex *Galeazzii Caraccioli vita*, de Anabaptistarum Antitrinitariorum secta eodem tempore *Neapoli* orta, exponit, quibusdam persuaserunt, *Valdesium* non immerito in numerum eorum collocari, qui in loco de S. Trinitate, a veritate stabilita discesserunt. Vix tamen haec ratio adeo valida est, vt iure quodam pio viro haereseos nota infligi possit. Ne Pontificii quidem, quibus *Valdesius* alias imprimis exosus est, eum erroris in hoc articulo, quantum scio, postularunt, quamuis eum in Indice Hispanico et Romano inter auctores prohibitos referunt. In epistolis *Jacobi* Bonfadii, (viri eruditissimi, circiter a. 1550 *Genuae* propter religionem capite plexi et flammis traditi,) quas edit Anton. Sambuca, Quirini *Purpurati* Secretarius, *Bresciae* 1746. legitur p. 20. seqq. ep. ad Cornesecum data, plurima Joannis Valdesii elogia complectens, qui tamen propter susceptam euangelicam veritatem pontificiis pessime audit. Ant. Caracciolus in *Collectaneis historicis de vita* Pauli IV. P. M. Colon. 1612. 4. ita de eodem judicat: „*Vnus* Joannes Valdesius *Hispanus, qui* 1535. *Neapolin venit, longe maiorem mentium stragem dedit.* — — — — *Hic enim litteris tinctus iis, quae ad comparandam eruditi opinionem satis vulgo essent, placido aspectu, quique innocentiam prae se ferret, comitate, suauitateque sermonis, teterrimam impietatem, incredibili vaframento occultabat. Itaque breui ad se traxit multos, his articulis illectos deceptosque. In his duo fuere, caeteris omnibus insigniores, et digna coruo oua,* Bernardinus Occhinus et Petrus Martyr Vermilius, *ambo haereticorum postea antesignani."* *Schelhornius* l. c. T. II. p. 47. seqq.

Vergerius in *Animaduersionibus ad primum indicem prohibitorum*, qui a. 1549. *Venetiis auctore* della Casa *prodiit*, quo ipso anno *Vergerii* liber lucem adspexit, tria

haec

haec JOANNI VALDESIO tribuit ſcripta. 1) Modo di tenere nell' inſegnar, et nel predicar al principio della religion Chriſtiana. 2) In qual maniera ſi douerebbone inſtituire i figliuoli de Chriſtiani. Idem notat, vnius plagulae eſſe opuſculum. 3) Cento conſiderationi et alcune domande et riſpoſte. Hunc librum *Vergerius* ſignificat, quam primum typis exſcriptum compariturum. Eius *commentarius in epiſtolam ad Romanos, breuis*, hiſpanice ſcriptus, Venetiis 1556. 8. lucem vidit. Mentionem libri huius faciunt SANDIUS l. c. LE LONG in *Bibl. ſacr.* p. 997. aliique. *Anthonius* autem, in *Biblioth. Hiſp. nov.* T. I. p. 606. inter *Valdeſii* ſcripta eundem non recenſet, obſervante *Walchio* in *Biblioth. Theol. ſel.* T. IV. p. 690. V. *Bayle* l. c. not. E. Reliqua eius opuſcula *Sandius* l. c. allegauit. De eodem *Simlerus*: *Scripſit dialogos Charontem et Mercurium, impreſſos Italice. Item in Pſalmos aliquot, in Euangelium Mathaei et Joannis* et quaedam alia. *Conſiderationes piae et doctae Valdeſii* primum hiſpanice ſcriptae, deinde in Ital. Gall. Angl. Holl. et Germ. linguam translatae prodierunt. Italica verſio hunc prae ſe fert titulum: *Le cento et dieci diuine conſideratione del S. Giouani* VALDESSO *nelle quali ſi Ragiona delle coſe piu vtili, piu neceſſarie, et piu perfette, della Chriſtiana profeſſione,* 1 *Cor.* 11. *Noi vi ragionamo della perfetta ſapientia, non della ſapientia di queſte mondo* etc. *In Baſilea* 1550. 8. 1 *Alphab.* 8 pl. Praefationem libri ſcripſit *Coelius ſecundus Curio*, qui id meritis *Petri Pauli Vergerii* accenſet, quod liber, quem non immerito maximis effert encomiis, publicae luci committi potuerit, quippe qui eundem ex Italia, vt optimi theſauri particulam ſecum tulerit. Liber omnino commendatione indignus non eſt, qui nonnulla pio affectu et aſcetice dicta, iſtoque tempore non facile obuia continet; quaedam etiam, quod recentiſſimis aliquando aſceticis et paraeneticis ſcriptoribus euenit, parum caute et ſobrie dicta, ac praeterea frequentiſſimas dictorum repetitiones. Blaſphemias autem aduerſus Dei verbum,

bum, quarum aliquando hae meditationes accusatae sunt, in iisdem lectis ac relectis, nullas animaduerti. V. BAYLE l. c. Not. D. et *Bezae opera* T. III. Ep. IV. p. 200. CURIO easdem cum *Boccacii* narrationibus confert, quas quidem respectu dictionis elegantioris illis praefert; *Valdesii* vero meditationes ratione argumenti, multis modis antecellere *Boccacii* librum iudicat. Nemo facile aequus rerum arbiter ansam peteret ex illis auctorem erroris de S. Trinitate et Deitate J. C. criminandi; qui potius medit. LXXXV. de diuina Christi natura, orthodoxam confessionem exponit, et medit. XCV. transcendere captum humanum, generationem aeternam Filii Dei, et regenerationem filiorum Dei ex aqua et spiritu, testatur, maximamque humanae curiositatis temeritatem corripit, qua sciscitari audent, qua ratione Filius Dei, λογος appellatur, cum ne quidem terrena hominis generatio a mortalium quodam perfecte explicari possit, multo minus aeterna ac diuina, quae cum humana nihil omnino habeat commune. Medit. CIX. dissertis verbis vtramque in Christo confitetur naturam, diuinam et humanam, et vtrumque statum secundum *diuinam naturam*, eum esse λογον Dei, Filium Dei, eiusdem cum Patre essentiae, cum eodem vnum, ipsique adeo aequalem, vt *Philippo* dicere potuerit: *qui me videt, Patrem videt.* Ipsum esse verbum, per quod omnia creata, *Moses* eloquitur, cum dicit: Deus inquit: *Fiat lux* etc. et *Dauid* Ps. XXXII. Ab eodem conseruari vniuersum, prout dicitur: In eodem fuit vita, Deusque fert omnia efficacissimo suo verbo. Λογον in vtero Mariae virginis, Spiritus S. virtute, humana carne esse vestitum, vt omnia renouaret, quemadmodum ab eodem omnia sunt creata et adhuc conseruantur. Eundem esse, de quo *Jesaias* C. LIII. vaticinatus, et *Joannes* testatus: In initio erat verbum, et hoc erat apud Deum, et verbum hoc erat Deus, qui caro factus est.

Iungimus *Valdesio* popularem, ALPHONSUM LINGURIUM, *Tarraconensem Hispanum*, a *Sandio* in Biblioth. p. 40. notatum,

notatum, quem ſcripſiſſe narrat: *Libros quinque declarationis Jeſu Chriſti Filii Dei: ſiue de vnico Deo et vnico Filio ejus;* Miniſtrosque Sarmatiae et Tranſyluaniae l. c. L. I. C. III. poſtquam dixerunt: „*Quid Martinus Cellarius non eſt molitus, vt iſtas fores poſteritati aperiret, ejus ſcripta legito,*" ſubjunxiſſe allegat: „*Quid et Alphonſus Tarraconenſis, qui quinque libellis de vno Deo, et vnico eius Filio, contra communem et receptam doctrinam, Ariſtarchorum docentium tyrannidem et ſuperbiam egregrie perſtrinxit.* Quae de *Serueto*, eiusque libris narrat *Alphonſus* in praefatione libris ſuis praemiſſa, *Sandius* l. c. p. 15. exſcripſit. Plures quidem in hiſtoria litteraria nominis hujus et patriae inclaruerunt, ſed quis hic *Alphonſus* fuerit, quaeque habuerit fata, nondum reſciſcere licuit. An idem fuerit, quî *Alphonſus Cordubenſis*, Profeſſor ſcholae Complutenſis, anno 1542 mortuus; an *Alphonſus*, qui à veteris caſtellae vrbe *Burgos*, *Burgenſis* nominatur, valde dubito; de vtroque enim quod librum allegatum ſcripſerint, non inueni.

§. VII.

Inter principes recentioris aetatis Antitrinitarios *Michael Seruetus*, Medicus hiſpanus, editis 1531 libris ſeptem de *Trinitatis erroribus* et 1532 *dialogis duobus de Trinitate*, ſparſisque oretenus erroribus conceptis, quibus orthodoxam de diuina eſſentia et tribus in ea perſonis ſententiam inuaſit, magnam in Hiſpania, Italia, Gallia et Heluetia famam conſequutus eſt. Sibi ipſi autem audaciſſimo conatu ac inſipido zelo verum reſtituendi Chriſtianismum, et ab omnibus ſtatutis humanis, vt putabat, repurgandi Eccleſiam, quae conſilia, libro a. 1552 vulgato, cui titulum fecerat: *Reſtitutio*

Christianismi, expoſuit, triſtiſſimum contraxit fatum, cujus memoria non absque horrore ſummaque aduerſus illos indignatione, qui ipſi illud contraxerunt, renouari poteſt.

*
* *

Michael Seruetus, hiſpanice *Seruedo* alias *Reues* dictus, quod fortaſſis nomen ex transpoſitione litterarum nominis ſui, quo tutior lateret, adſciuit; quamuis aliis probabilius videatur, illud maternae ſtirpis nomen, alterum gentilitium eſſe, quod more nobilium Hiſpanorum, nomini a patre accepto adjunxerit. Perhibent quidam eum quoque nomen *Renes* vel *Reunes* tuliſſe, quod vero ex errore calami, male ſcripto nomine, *Reues*, ortum videtur. A Patria *Michael Villanouanus*, vel ſimpliciter *Villanouanus* dictus, quo cognomine poſt annum 1532 vſus eſt, cum editis duobus ſcriptis prioribus, quibus nomina *Serueti* et *Reues* praefixa erant, tutus in Gallia commorari non poſſet. Tantum de hoc viro dictum et ſcriptum eſt ab eruditis, quantum vix de vllo alio, vt parum ſuperſit, quod noui et incogniti de eodem a me dici queat. Praeter iſta enim, quae leguntur in Baylii Lex. hiſt. crit. eiusdemque Opp. T. I. p. 421. T. II. p. 111. 517. 564. ſeqq. T. IV. p. 640. Boysenii diſſ. de *Mich. Serueto*, in *Biblioth. Brem. faſc.* V. n. IV. p. 739. ſeqq. Buddei addendis ad Iſagog. p. 123. ſeqq. Hottingeri H. E. Helvet. T. III. p. 544. ſeqq. a Seelen *ſelect. literar.* n. 11. p. 34. ſeqq. *Mich. de la Roche Biblioth.* Angloiſe T. II. p. 76. *Jac. Ge. Chauffepie* Dict. Hiſt. et Crit. T. IV. p. 219 — 245. Niceronii Memoires, T. XI. p. 224. Heinsii H. E. T. II. p. 202. Zeltneri *centuria correctorum erudit.* p. 496. hiſtoriam *Serueti* tradidit pleniſſime *Moshemius* a. 1727. ex fontibus hauſtam. Hanc ſub cenſuram vocauit Armandus de la Chapelle, qui vene-

ratione

ratione commotus, in *Jo. Caluinum*, cujus famam historiae hujus explicatione laesam judicauit, calamum strinxit, in *Bibliotheque raisonée*, P. II. et III. Idem vero *Moshemii* scriptum emendaturus, in haud pluribus a veritatis tramite aberrauit, et in caussa *Caluini* defendenda vltra modum excessit. Primum de *Serueto* laborem MOSHEMIUS multis modis correctum et auctum absoluit in opere, Anderweitiger Versuch einer vollständigen und allgemeinen Ketzer=Geschichte. *Helmst.* 1748. 4. in quo documentis Msscc. *Senatus Geneuensis*, qui in *Seruetum* mortis sententiam tulit, vsus est, illaque ex parte libro suo adjunxit. In hoc opere, exquisitissimo licet studio concinnato anonymus errata quaedam notauit in den freymüthigen Nachrichten von neuen Büchern etc. *Tiguri* 1749. 4. p. 210. sqq. Scripto interea suo supplementa adjecit, sub tit. Neue Nachrichten von dem Spanischen Arzt, Michael Serveto, der zu Geneve ist verbrannt worden. Helmstädt 1750. V. noua acta erud. 1751. p. 297—311. Prolixiorem *Serveti* Historiam, quam *Moshemius* exposuit, in compendium redegit J. A. Ch. von Einem in *Moshemii* vollständigen K. G. des N. T. Tom. VI. p. 56. seq. His eruditorum operibus, varia additamenta contulit *Mr. Abbe D'Artigny in nouveaux memoires d'histoire, de critique et de litterature.* T. II. 1749. 12. qui acta litis in causa *Serveti* scripta, quae in Bibliotheca Archiepiscopali Viennensi seruantur, inspexit. Ex his subsidiis *Serueti* historiam ita in compendio tractandam constituimus, vt ea saltim exponamus, quae cum veritate conuenire arbitramur, absque multorum testimoniorum repetitione, quae in absolutissimo *Moshemii* opere, hujusque supplementis allegata, immo etiam verbotenus exscripta, leguntur.

SERUETUS *Villae nouae (Villanueua)* in *Arragonia* natus; expresse enim in titulo vtriusque libri, *de Trinitatis erroribus*, et *in dialogis de Trinitate Michael Seruetus* ab Arragonia Hispanus vocatur. Lucem hoc loco adspexit

 a. 1509.

a. 1509, quamuis *D'Artigny.* l. c. Tom. II. p. 102. tradat, eum *Tudellae* in *Nauarrae* regno a. 1511. fuiſſe in hunc orbem expoſitum. V. *Chauffepie* l. c. Tom. IV. p. 219. Prognatus non ignobili genere et honeſtis parentibus, non judaicis, qui falſiſſimus rumor percrebuit; ſed chriſtianis, iisque opulentis, qui bonae educationis beneficium in ipſum collocarunt. Pater ipſius juris conſultus, Notarii officio fungens, filium muneri eccleſiaſtico dicauit, ac in coenobio quodam *Dominicanorum*, litteris imbui curauit. Probabile ſaltem id videtur, quamuis valido argumento, vel expreſſo teſtimonio confirmari nequeat. Extra dubium autem poſitum eſt, vitam coelibem ipſum egiſſe, quod in *reſtitutione Chriſtianismi*, p. 430. de ſe teſtatur. Cum Quintano ordinis dominicani, Caeſari *Carolo* V. a confeſſionibus, apud quem *Seruetus* amanuenſis vel famuli negotia habuit, a. 1528. in *Galliam* atque *Italiam* profectus, *Bononiae* coronationem noui Imperatoris, ac ſimul Pontificis Romani pompam, quem maximo cultu a populo ſuſceptum vidit, et hoc ipſo adſpectu idololatriam profanam primum auerſatus eſt. Ipſe in *Reſt. Chriſt.* p. 462. teſtatur, quod idololatrici cultus contemplatione, ira ac indignatione in coetum Romanum accenſus fuerit.

Sunt haud pauci, qui perhibent, illum, antequam in *Galliam* profectus fuerit, *Africam*, ad addiſcendam linguam Arabicam, quo *Corani* principia ex fontibus diſceret, ſalutaſſe, et in hac orbis parte, placita aduerſus myſterium S. S. Trinitatis in *Judaeorum* ac *Muhamedanorum* ſcholis hauſiſſe. Inter quos praeter alios eſt, Jo. Manlius in *loc. comun.* T. III. p. 21. Maimburgius in *Hiſt. Arian.* T. I. C. 12. p. 451. Alii, quibus propter juuentutem ejus id probabile non videtur, eum poſt commorationem *Baſileae*, ad Africanos tranſiiſſe ſibi perſuadent. Alii denique, in *Africam* profectum credunt, poſtquam *Lutetiam* antea inuiſerit. *Lubieniecius* l. c. p. 96. in genere profectionem hanc ejus adfirmat, his verbis: *vt ingenium*

genium excoleret, in Africam quoque (vt leuis est ex Hispania in Africam traiectus) transfretauerat. Abdias Praetorius in *annot. ad confessionem Armeniorum de Trinitate et Filio Dei Christo Jesu,* Witebergae 1570. 8. p. 50. ita narrat: „SERUETUS *Hispanus homo leuis, vanus et vagus, Judaeis magis, quam Christianis indulgens, et priuato judicio sensuique plus, quam vsitatae doctrinae tribuens, et non tam institutione, quam ingenio fretus, vt αυτοδίδακτος magis, quam Θεοδίδακτος fuerit, ad huius doctrinae,* (de Deo trinuno et filio Dei J. C.) *oppugnationem sese conuertit. Qui cum tota esset Europa relegatus, in Tingitanam regionem, (territorium vrbis imperii Fessani,* vulgo Fetz, Tanger lat. *Tingis* innuitur,) *profectus, Caesariam adiit* (*Caesarea* Palaestinae sine dubio intelligitur), *vbi celeberrimae dicuntur esse cum Judaeorum, tum Muhamedanorum scholae: in quibus et ipse studia sua semel inchoata continuauit et confirmauit. Id consecutus in Europam rediens, virus illud magis etiam disseminauit, multos a se sectatores in Alpinis regionibus relinquens.*" Si vere in Africam transfretauit, id tamen mala intentione eum fecisse, nemo adhuc certo probauit. Discendae potius linguae arabicae caussa, et vt medicos Arabes in fontibus legere possit, eum hoc suscepisse iter, si suscepit, probabilissimum videtur. Nemo eiusmodi iter vitio vertit NICOL. CLENARDO, qui circa idem tempus ex *Hispania* in Africam traiecit, vt librariam Arabicae eruditionis suppellectilem sibi compararet, et maiora in hac lingua caperet incrementa; quod ex ipsius epistolis, maxime illis, quas ad JAC. LATOMUM a. 1539 et 1540 dedit, cognoscimus. Potuit SERUETUS absque pruritu noua parturiendi in theologicis salutare Africam, ad exemplum Medici illius, de quo CLENARDUS in ep. ad *Joach. Politam,* juris consultum a. 1537. d. 8. Jul. *Eborae* scripta, in epp. *Clenardi Antwerpiae* a. 1566. 8. editis p. 91. narrat, quod in studio medico maiores progressus facturus, *Arabicari* coeperit.

Validis vero argumentis demonſtrari poteſt, *Seruetum* nunquam vidiſſe *Africam*, nec linguam Arabicam calluiſſe, imo cum Judaeis et Mahomedanis nullum commercium habuiſſe. Nec ſpeciatim temporis ſpatium determinari poteſt, quo profectionem Africanam ſuſcepiſſet; accedit, quod *Coranus* arabice Venetiis jam 1530 opera *Paganini Brixienſis* in lucem emiſſus absque profectione ad Muhamedanos legi potuerit. V. D. J. M. Langii diſſ. *de prima Alcorani Arabici editione.* Mirum tamen eſt, quod jam olim haud pauci ſcriptores huius in Africam transfretationis mentionem faciant. Georgius Major, in oratione de *confuſionibus dogmatum veteribus et recentibus* etc. habita in *Academia Witeberg.* et inſerta *Tomo* VI. orationum in eadem ab a. 1565—71. habitarum p. Rr. 5. ſeqq. inquit: „*Samoſatenicam meretriculam philoſophicis coloribus belle fucatam et blandis illecebris allicientem curioſa ingenia, reduxit in Theatrum noſtro ſaeculo* Seruetus *Hiſpanus, qui diu fuit in Academiis Mahometicis in Numidia.*" *Et* Joannes Praetorius, *Orationum ſcholae Melanthonianae, quae ab anno 1571 vsque ad annum 1574 in Academia Witebergenſi ſcriptae et recitatae ſunt*, *Tomo* VII. *Serueſtae* 1586. 8. p. 158. inquit: „Mich. Seruetus, *Hiſpanus, cum diu inter Mahometanos et Judaeos verſatus et ipſorum opinionibus imbutus fuiſſet, ante annos quadraginta edidit libros de Trinitatis erroribus, in quos, quicquid ex omnibus Judaeorum et Turcarum ſcholis, et ex omnibus haereticorum exſecrandis blasphemiis multo ante hauſerat, congeſſit.*"

Veri videtur ſimile, quod adhuc iuuenis in Hiſpania theologiae operam nauans, cum Reformationis per *Lutherum* in Germania inchoatae fama per *Hiſpaniam* quoque percrebuit, multique ibidem repurgandae Eccleſiae deſiderio flagrarent, ipſe de ſumma doctrinae et morum inter Pontificios corruptione, et de eccleſiaſticae emendationis neceſſitate conuictus, opus illud aliquando perficiendi propoſitum

positum coeperit. Iuuentus ipsius, his, quae suspicamur, obiici nequit, cum *Seruetus* praecocis omnino ingenii fuerit, qui anno aetatis suae XIV vel XV narrante *D'Artigny* l. c. T. II. p. 57. linguae latinae, graecae et hebraicae gnarus, et in Philosophicis ac Mathematicis scientiis, nec non in Theologia scholastica exercitatus, anno vitae suae XX vel XXI. Libros *de Trinitatis erroribus* concinnauit, qui satis certo testantur, quod jam in patria studio Theologico operam nauans, eiusmodi judicia de religione, in qua natus erat, tulerit. Qui praeter singulares in *Serueto* animi dotes, Hispanae gentis genium et indolem cogitat, quae superbiae mirum in modum dedita, sublimia quaeuis cupit, et ad subtilissimas speculationes procliuis trahitur, non omnino improbabile iudicabit, quod adhuc iuuenis, immortalem sui famam ex suscipienda a se ecclesiae reformatione adfectauerit, atque in id studium omne collocauerit, repurgandi ab humani ingenii additamentis, inprimis a scholasticis diuinorum mysteriorum explicationibus Christianismum. Suorum igitur errorum maxima ex parte ipse auctor ac inuentor fuit; quamuis ipse testatur, opinionem suam de S. S. Trinitate non esse nouam, pessime autem errauit, cum hanc ab *Epiphanio* et *Tertulliano* deriuaret.

Quod in *Italia* primum semina errorum circa mysterium S. Trinitatis in collegiis et deliberationibus istis famosissimis susceperit, *D'Artigny* l. c. p. 58. 59. perhibet; sed veritate repugnante, cum *Seruetus* annum XV circiter agens a. 1525 vel 26. cum *Quintano* in Italiam profectus fuerit, quo tempore ista *collegia Vicentina* nondum instructa erant. Qui vero iudicat, in *Italia* a quibusdam, ad Arianismum propensis, *Serueto* instillata esse primum dubia et contraria argumenta, in doctrina de Deo et Christo, a vero alienus non videtur. Legit posthac, a *Quintano* itineris comes ac domesticus adoptatus, data occasione Biblia sacra, quae in Hispania ne oculis quidem

vſurpauerat, et quidem, vt veri ſimillimum eſt, in fontibus; haud raro enim ad Textum Hebraeum V. T. prouocat, et dicta N. T. graeca ſaepius ſcriptis ſuis inſeruit, immo quaedam loca, ex genio harum linguarum explicare, et vulgatam ex iisdem emendare ſtuduit. Patrum quoque eccleſiaſticorum, inprimis antenicaenorum libros, in quibus apoſtolicam et puram veritatem conſpicere putabat, euoluit; quod ex allegationibus frequentioribus colligitur. Scholaſticorum praeterea ſcripta tractauit, variaque in illis loca data occaſione emendare ſtuduit. *Lutheri* denique, caeterorumque de repurganda eccleſia bene merentium virorum opera, quae tum temporis per Italiam et Galliam celebrabantur, euoluit, quorum argumenta aliquando proponit, ac vel laudat, vel improbat. Indefeſſo hoc ſtudio ſe edoctum arbitrabatur, Romanam Eccleſiam in quam plurimis a veritate et pietate defeciſſe, et genuinam Chriſti et Apoſtolorum doctrinam non niſi in S. Scriptura, et quibusdam vetuſtiſſimorum Patrum ſcriptis contentam eſſe. Hinc omnem in genere operam eorum, qui coetum Romanum adoriebantur, et oppugnabant, tectumque Euangelii lumen e tenebris protrahere ſtudebant, laudauit, aſt eam inſufficientem, nec ſatis amplificatam ſtatuit, ac *Lutherum*, ſociosque ipſius timidos, haud pauca pontificiae Eccleſiae inquinamenta adprobaſſe, et in locum errorum deprauati coetus, non vbique veram Chriſti diſciplinam, ſed ſui potius ingenii laruas ſuffeciſſe, ſibi perſuaſit. Firmiter hinc apud ſe conſtituit, imperfectum *Lutheri* opus, cui in genere fauorem ſuum teſtabatur, emendare, ac Chriſtianismum apoſtolicae puritati vindicare. Nec defuere ipſi conſilia, zelus, conſtans ſtudium, animique exacuatae vires, innouatum diſciplinae theologicae ſyſtema conſtruendi, quibus haud mediocris faſtus calcar addidit. Hoc breui tempore conflato, ſibi imaginabatur, quod Deus ipſum idoneum reformandae Eccleſiae inſtrumentum elegerit, ad hoc arduum negotium perficiendum diuina luce colluſtrauerit, et virtute coeleſti inſtruxerit.

Quod

Quod mente hactenus voluerat opus, jam perficiendum esse credidit, sicque doctrinam *de S. Trinitate*, cujus terminum quoad litteram in S. litteris non reperiit, et articulum de *Christi persona*, quem cum ratione conciliare non potuit, imprimis emendanda iudicauit, quod libris VII. *de Trinitatis erroribus* praestitum a se esse, pro certo habuit. Quod anno 1530 eodem tempore, quo *Augustana Confessio* in comitiis publice tradita, Augustae Vindelicorum praesens fuerit, multisque ibidem Theologis et *Martino* quoque *Bucero* innotuerit, quibusdam probabile visum est. Ex loco quodam epistolae, ab eodem ad *Oecolampadium* scriptae, quae secundum locum in *documentis* a *Moshemio* historiae *Serueti* adnexis occupat, colligendum est, eum *Wittebergae* etiam adfuisse, ibidemque *Lutherum* et *Melanthonem* audiuisse. Factum hoc esse videtur, antequam *Augustam Vindelicorum* profectus est, et fortassis cum in principio anni 1530, cum *Quintano* iter suum ex *Italia* in Germaniam pararet. An vero isto praecise tempore inter *Quintani* domesticos adhuc fuerit, an vero haec seruitia jam reliquerit, dubium est.

Eodem anno 1530 *Basileam* profectus est, ibidemque dubia circa religionem concepta, proposuit, et cum quibusdam saepius oretenus et in litteris disseruit, ita quidem, vt ex vtraque parte non sine excitato animi feruore disputatum fuerit. Habitae sunt istae disputationes mense *Oct.*, quod ex ep. *Oecolampadii*, die 25. *Oct.* 1530. ad *Mart. Bucerum Argentoratum* scripta, patet, quae in Epp. *Oecolampadii* et *Vlrici Zwinglii*, Basil. 1592. 4. L. IV. p. 865. legitur. Quamuis enim *Seruetum* in eadem non nominauerit, cuique tamen facile liquet, quod eum innuerit. Certaminis huius argumentum primarium ex duabus *Oecolampadii* epistolis ad *Seruetum* scriptis conspici potest, quas *Moshemius* actis et documentis l. c. p. 388 — 392. inseruit. Hac occasione editionem epistolarum *Zwinglii* et *Oecolampadii*, quae prodiit *Basileae* 1548

 fol.

fol. primam esse, *Moshemius* putauit; sed corrigendus est error Viri in re litteraria alioquin versatissimi. Exstat enim in *Bibliotheca Regia Regiom.* harum epistolarum editio, quae jam 1536. *Basil.* in fol. sub hoc indice prodiit: D. D. *Joannis Oecolampadii et Huldrichi Zwinglii epistolarum Libri quatuor, praecipua cum religionis a Christo nobis traditae capita, tum ecclesiasticae administrationis officia, nostro maxime seculo, tot hactenus erroribus perturbato, conuenientia, ad amussim exprimentes. Opus cum primis eruditum ac pium renatique Euangelii studiosis apprime necessarium, nunc denique primum in lucem editum. Ad haec scriptorum Jo. Oecolampadii et Huldrichi Zwinglii purgatio, per* Theodorum Bibliandrum, *sacrarum litterarum Tigurinae Ecclesiae Professorem, conscripta. Vtriusque vita et obitus,* Simone Grynaeo, Wolffgango Capitone, *et* Oswaldo Myconio *autoribus. Epigrammata hebraica, graeca, latina, in eosdem. Rerum denique memorabilium locupletissimus index.* In fine haec verba leguntur: *Ex inclyta Germaniae Basilea, per Thomam Platterum, et Baltasarem Lasium, mense Martio, Anno* MDXXXVI. In hac prima editione, binae istae *Oecolampadii* ad *Seruetum* epistolae, primum locum p. 1 et 2. obtinent, pariter ac in altera, ex qua istas *Moshemius* exscripsit; nec vlla textus diuersitas a me obseruata est, nisi quod in antiquiori ad primam epistolam haec addita sint marginalia: *de filiatione Dei. Verbum pro Filio. Verbi prolatio. Serueti confessio fidei. Fidei nostrae confessio.* In antiquiore hac editione fol. 186. b. legitur: *Joannis Oecolampadii de Serueti libello consilium, apud senatum Basileensem expositum, et a quodam eius studioso latinitate donatum,* quod *Moshemius* p. 364. ex editione epistolarum *Zwinglii* et *Oecolampadii Basileae* 1592. 4. inseruit.

Serueti impetus, quo doctrinam christianam oppugnauit, ex *Oecolampadii* exprobratione colligitur, qua eum reprehendit, quod Deum et generis humani Seruatorem blas-

blasphemiis petat, cum Judaeis rem communem faciat, et mali genii inſtinctu ducatur. Ita autem prioris epiſtolae initium facit: „*Jo. Oecol. Serueto*, Hiſpano, Domini „Spiritum precatur. Conquereris me tibi eſſe moleſtum, „et durum, mihi autem maior conquerendi cauſſa eſt. „Quaſi enim otioſus eſſem, obtrudis mihi, quicquid de „Trinitate Sorbona ineptiit. Aegre fers, quod *Athana-„ſium* et *Nazianzenum*, optime meritos Theologos pro-„bem, nec more tuo confutem. Contendis tanto tempo-„re Eccleſiam Chriſti a fundamento fidei ſuae amotam. „Non pateris, vt ad declarationem nominibus nouis vta-„mur; quod tamen tibi permittis in fingendis gloſſis pro „tuo arbitrio. *Tertulliani* maior eſt honor apud te, „quam totius Eccleſiae. Fingis, quaſi nos humano mo-„re de filiatione Dei loquamur, et crude faciamus Filium „Dei, aboleamusque honorem Filii Dei: id quod tum „cum ſumma blasphemia facis; deprehendo enim diabo-„licas illas verſutias. Interim dum non ſummam patien-„tiam prae me fero, dolens Jeſum Chriſtum, Filium Dei „ſic dehoneſtari, parum chriſtiane tibi agere videor. In „aliis manſuetus ero: in blasphemiis, quae in Chriſtum, „non item. Sed paucis iterum agam et rationem fidei „reddam, non vt curioſo et contentioſo ſatisfaciam; ſed „ne vane perpetuo glorieris. Tu negas in vna perſona „duas naturas; ego juxta *Joannem* dico: Verbum caro „factum eſt, etc." *Seruetus* exinde de nimia auſteritate *Oecolampadii*, deque modo ſecum tractandi, Chriſti ciuibus indigno, conquerendi cauſſam habere putauit. Sine dubio apud *Bucerum* de hac ſeueritate *Oecolampadii* querelas expoſuit, quam hic in epiſtola allegata defendit, monſtratque, quod eiusmodi veritatis hoſtis lenius tractari non debeat. Nullum omnino haec diſputatio priuata fructum habuit, quae ad plures aures non peruenerat, niſi quod *Zwinglium*, *Bucerum* et *Capitonem* de eadem certiores fecerit *Oecolampadius*. Inter hos *Zwinglius Oecolampadium* admonuit, vt omni cura proſpiceret, ne

Serue-

Seruetus errorum ſuorum monſtris, *Arii* in eccleſia tur-bas renouaret. Is ſibi, quod victor ex certamine hoc diſceſſerit, et argumenta ſua non ſoluta fuerint, perſua-debat. In *Jo. Conr. Fueslini* epp. l. c. *Cent.* I. n. XVI. p. 77. *Serueti* ep. ad *Oecolampadium* ex autographo legitur, in qua hunc mitigare, et ab eo impetrare ſtudet, ne ipſum impediat libros ſuos in Galliam mittere; ſe tolerandum eſſe judicat, quia neque ipſi *Oecolampadio* cum *Luthero* conueniat, et tandem *Oecolampadii* regulam de proban-dis ſpiritibus reiicit.

Paulo poſt memoratam diſputationem opus *de Tri-nitatis erroribus* in Gallia fabricatum, typis publicandum conſtituit, illudque in hunc finem Bibliopolae *Hagenouien-ſi*, *Conrado Roüſio* tradidit, qui tabernam librariam *Argen-torati* habuit, tum temporis vero *Baſileae* mercandi cauſſa commorans, manuſcriptum a *Serueto* acceptum, *Hage-nouiam* in Alſatia, *Joanni Seccerio typographo literato*, formis imprimendum commiſit. Audaciſſimum ac im-prudens hoc auctoris omnino fuit coeptum, qui facile augurari potuiſſet, quod ſibi libri huius publicatione in-ter Romano-Catholicos pariter ac Proteſtantes aduerſa fata paraturus ſit, qui iam ſermonibus ſuis placido alio-quin *Oecolampadio* bilem commouerat. Sed perſuaſio ac-ceptae diuinae vocationis ad chriſtianismum apoſtolicum priſtinae luci reſtituendum, humanarum opinionum feci-bus contaminatum, repurgandum, ſtolidaque ac ſuper-ba imaginatio de omnipotentis Dei auxilio animo fanatico concepta, omnem prouide deliberandi facultatem abſtu-lerant.

Prodiit liber *Hagenouiae* hoc titulo: *De Trinitatis erroribus libri ſeptem per* Michaelem Serueto, *alias Re-ves ab Arragonia Hiſpanum.* Anno MDXXXI. in 8. pl. 15. vel 119 fol. Sub ipſo impreſſionis tempore Seruetus *Baſileae* valedixit, ac cum eodem fortaſſis mercium ſuarum emtore a. 1531. *Argentoratum* profectus eſt. Hoc loco cum

eum *Capitone* et *Bucero*, qui iam per *Oecolampadium* de ipſius erroribus edocti erant, de efformata diſciplina ſua, circa articulum de Trinitate de perſona Chriſti colloquebatur, nec dubium eſt, quin iſti ſerio et conſtanter eum a conceptis fallaciis reuocare ſtuduerint. Liber parum nitide in charta viliori exſcriptus, per plures *Europae* prouincias diſſeminatus, *Argentorati*, *Francofurti* et in *Helvetia* publice in tabernis librariis venalis proſtabat. Magno foetus ſui amore captus auctor eius, iuuenis fere, qui nondum annum vitae ſecundum ſupra vigeſimum egreſſus erat, praefixo nomine, ſpretis quibuscunque periculis ſibi imminentibus, ſuperbire voluit. Cautius mercari didicerant, et *Bibliopola* et *Typographus*, qui nomen ſuum et impreſſionis locum occultarunt, quare diu ignorabatur, quibus adminiſtris et quo loco liber impreſſus fuerit, multique fallebantur, qui eundem *Baſileae* exſcriptum coniiciebant, quam coniecturam acta manuſcripta ſatis refellunt. Multam animorum commotionem vbiuis locorum excitabat liber, inprimis Proteſtantium Doctores diuulgatum eum aegerrime tulerunt, cum verendum omnino eſſet, ne repurgatae Eccleſiae aduerſarii iſtum peſtiferum reformationis et diſceſſionis a religione Romano-Catholica fructum reputarent, ac Reformatores laeſae Maieſtatis diuinae accuſarent, qua equidem criminatione veritatis reſtitutae confeſſores, iam antea in auguſtana confeſſione, damnando veteres et neotericos Samoſatenianos, ſemet ſatis purgauerant. Quinam vero praeciſe ſub *Neoſamoſatenianorum* titulo notati ſint, certo dici nequit. *Serueti* errores anno demum ſequente, quo liber eius lucem adſpexit, innotuerunt; et ſi quis ſtatuere velit, famam de iisdem in Germania ante editum librum ſparſam fuiſſe; nemo tamen vllo argumento probauit, quod *Seruetus* iſto tempore, ante traditam confeſſionem doctrinae ſuae habuerit ſequaces. V. Buddei *hiſt. Theol. litter.* continuata p. 125. 126. Qui ad *Jo. Campanum vel Hetzerum* verba iſta trahi non poſſe credunt, cum hi

hi in ſpecie placita, quae a piis Confeſſoribus damnantur, non docuerint, hac ſola ratione, vix ſolidum argumentum adferunt, cum *Melanthon* horum errores communi quodam nomine notare voluerit. Certiſſimum quidem eſt, quod *Melanthon*, Diſſ. I. *contra horrendas* Serueti *blasphemias*, §. 13. aliique huius aeui Doctores, *Seruetum* pro *Samoſateniano*, licet vtriusquae haareſiarchae errores non plane iidem ſint, habuerint, quo ipſo ſibi iniuriam fieri *Seruetus* conqueritur in *Apologia de myſterio Trinitatis, et veterum diſciplina ad Melanthonem, et eius collegas*, in *Reſtit. Chriſtianismi*, p. 702. his verbis: „*Hoc praeſtigio tu faſcinatus, me Samoſatenum vocas; cum ille hominem non agnouerit eſſe Filium Dei, vt refert Epiphanius; ſed alium in Patre Filium dixerit, imaginari mortuum, vt vos dicitis vere Magi et Samoſateni.*" In libro VII. fol. III. b. *de erroribus Trinitatis Paulum Samoſatenum* adeo pro ſignifero omnium haereticorum habet, qui veram de Chriſto doctrinam corruperunt, ſicque ſatis aperte declarat, quod non eadem cum illo in loco de Chriſto ſenſerit; quamuis vtriusque ſententia facile componi poſſit. Qui *Melanthonem* in loco confeſſionis Auguſtanae notaſſe *Seruetum* defendunt, ad *acta colloquii Wormat.* T. IV. opp. Melanthonis, p. 646. prouocant, vbi haec leguntur verba: *De primo articulo Aug. Conf. non eſt controuerſia, in quo conſtat noſtras Eccleſias fideliter defendiſſe communem conſenſum aduerſus* Seruetum *et alios.* Sed tantum ponderis hoc argumentum non habet, quantum illi tribuitur. Potuit enim ſcribi, quod in loco allegato communis conſenſus Eccleſiae aduerſus *Seruetum*, et alios defendatur, quamvis tempore traditae confeſſionis nondum *Serueti* errores innotuerint, cum aduerſus omnes Antitrinitarios orthodoxa doctrina de S. Trinitate et perſona Chriſti in eodem ſtabiliatur.

Editus a *Serueto* liber adeo offendit Theologos Helveticos, aliarumque regionum, vt *Bucerus Argentorati* pro

pro ſuggeſtu pronunciaret, dignum eſſe eius auctorem, qui auulſis viſceribus diſcerperetur. V. CALUINI *epp.* ad *Sim. Sulcerum* p. 293. 294. OECOLAMPADIUS d. 18. *Jul.* a. 1531. ita ad *Bucerum* Argentoratum l. c. L. IV. p. 870. ſcribit: „CAPITO *ſcripſit, librum de Trinitatis erroribus iſthic in nundinis venalem fuiſſe: quem accepi quibusdam non Eccleſiaſtis, immo nec Eccleſiaſticis, ſed eccleſiam noſtram abhorrentibus mirum in modum placuiſſe.* SEGERIUS *gloriatus eſt, vel hoc nomine eximium librum, quia nobis concionatoribus diſpliciturus ſit; quaſi ſcilicet Luthero probetur, qui Marpurgi obiiciebat, de nobis tale aliquid ſparſum eſſe. Dolet mihi nomine Gallicanarum Eccleſiarum et aliarum infirmuſcularum: quae nouo motu ſtupefactae, nos quaſi auctores eſſemus tantarum blasphemiarum, abominabuntur. Vereor vt hodie plurimae leues mentes ſint, et hunc reperturum furoris ſui adſtipulatores. — — Sed prodeſſet in ſcintilla incendium, quod expectatur, opprimi.*" Idem ad eundem die 5. *Aug.* eodem anno inquit: *Inuiſi hac hebdomade Bernates, qui te et Capitonem ſalutant plurimum. Libellus de Trinitatis erroribus, a quibusdam ex illis viſus duntaxat, ſupra modum offendit. Vellem te ſcribere Luthero, quod liber inſciis nobis alibi excuſus ſit. Imprudentia enim erat, adſcribere Lutheranis, iuſtificationis rationem eos ignorare, vt de reliquis taceam. Sed Photinianus ille, vel neſcio cuius ſectae homo, ſolus ſapere ſibi videtur. Niſi ab Eccleſiae noſtrae Doctoribus explodetur, peſſime auditura eſt. Tu prae aliis, oro vigiles, et ſi non alibi, certe in confutatione tua ad Imperatorem Eccleſias noſtras excuſa, vtcunque haec beſtia irrepſerit. Abutitur omnibus in ſuum ſenſum, tantumne confiteatur Filium coaeternum Patri et conſubſtantialem.*

Melanthon pro celebratiſſima ſua moderatione in ep. ad *Brentium*, ipſius ſententiam de hoc *Serueti* foetu expetentem, a. 1533. menſe Julio ſcripta in epp. Melanth. p. 377. ita iudicat: „*In Serueto multae notae comparent fanatici*

fanatici spiritus. Nam de iustificatione video eum deridere doctrinam fidei, neque aliud docere, quam Augustini qualitatem. De discrimine V. et N. T. aperte delirat, cum Prophetis adimit Spiritum S. At Petrus inquit de Prophetis, Spiritus Christi, qui est in illis. De verbo, an sit substantia, iniuriam facit Tertulliano, et vt mihi videtur, etiam Irenaeo. Diligenter enim horum inquisiui sententias. Sed non dubito, quin paulo post magnae de hac re controuersiae oriturae sint. Etsi autem sunt pleraque, quae iure reprehendi possunt, in Scholasticis doctoribus, ipsorumque patre, de diuisione duarum in Christo naturarum: oportet enim statuere, Filium Dei naturalem humiliatum esse: tamen hoc mihi nequaquem placet, quod Seruetus Christum non facit vere Naturalem et genuinum Filium Dei, hoc est habentem corporaliter aliquid substantiae Dei. Hoc est illius controversiae caput et summa. Si enim habet Christus aliquid naturae diuinae substantialiter, sicut necesse est, sequitur λογον significare tantum ipsum Patrem cogitantem, aut vocem transeuntem, sed aliquam in Christo manentem naturam. Haec velim cogites, deque eis mihi rescribas." Idem in ep. ad *Joach. Camerarium*, in volumine epp. eius ad hunc scriptarum, edit Lips. p. 200: „*De Serueto rogas, quid sentiam. Ego vero video satis acutum ac vafrum esse in disputando, sed plane grauitatem ei non tribuo. Et habet, vt mihi videtur, confusas imaginationes, nec satis explicatas earum rerum, quas agitabat, cogitationes. De iustificatione manifeste delirat,* περι της τριαδος, *scis me semper veritum esse, fore vt haec aliquando erumperent. Bone Deus quales tragoedias excitabit haec quaestio ad posteros* ει εστιν υποστασις ο λογος, ει εστιν υποστασις το πνευμα. *Ego me refero ad illas scripturae voces, quae iubent inuocare Christum, quod est, ei honorem diuinitatis tribuere, et plenum consolationis est.* τας δε ιδεας των υποστασεων, και διαφορας ακριβως ζητειν, ου πανυ συμφερει. *Illud me pessime habet, cum eaedem res agitatae sint a Paulo Samosateno, nihil extare, praeter leuia quaedam apud Epiphanium,*

vnde

vnde intelligi possit, quid indicarint, quidue sequuti sint hi, qui eum damnarunt, et nostrae aetatis ἱεϱαϱχῶν negligentiam atque incuriam considero." —·—— Et in ep. ad eundem l. c. p. 204. inquit: „*Seruetum multum lego. Tertulliano prorsus facit iniuriam, cum citat eum in hanc sententiam, quasi sentiat τον λογον non esse ὑποςασιν. Ille vere clariss. scribit hoc, quod publice sentimus, τον λογον esse ὑποςασιν, non vt interpretatur Seruetus, sed vt nos loquimur. Irenaeus subobscurus est.*"

Inter Romano-Catholicos *Serueti* librum a. 1532. reperiit *Jo. Cochlaeus Ratisbonae*, vbi tum comitia habebantur, publice venalem, idque Jo. QUINTANO nunciauit, qui eius rei indignatione perfusus, tum quod auctor Hispanus esset, quem de facie nouit, quique in ipsius seruitio aliquamdiu fuit; tum quod nocentissimae in eo deprehenderentur haereses ac blasphemiae. Hic quoque curauit librum supprimi, ne amplius venderetur. V. *Surius* l. c. p. 288.

Excerpta ex Serueti opere leguntur, in dem Berlinischen Heb-Opfer, P. IV. IX. et X. et apud *Moshemium* p. 316. Duas sibi *Seruetus* in eodem praefixit regulas, quas infallibiles aestimauit, ad quas totum se composuit, quibusque ad errores seductus est. Ipse istas indicat, circa finem libri fol. 118. a. *Prima*, quod naturam diuinam diuidere non possimus: *Secunda*, Id quod naturae diuinae accidit, dispositio est. Ex his colligit, nec λογον, nec Spiritum S. personas esse a Patre realiter distinctas; sed tantum dispositiones, certasque reuelationis species naturae diuinae; quid vero per has proxime intelligat, et quomodo dispositio ista, quae dicitur λογος, ab ea, quae appellatur Spiritus S. distincta sit, non explicat, immo easdem variis nominibus connotat, e. g. *dispensationis, oeconomiae, reuelationis, formae diuinae, personalis repraesentationis*, etc. ita vt speciem prae se ferat, quod ipse eas non intellexerit, nec definire potuerit. Quas enim

circa hoc argumentum adfert nugae, ita comparatae ſunt, vt de turbato atque perplexo ingenio teſtentur, nec vllam ſanae mentis ſenſum pandant. Ita enim L. II. fol. 66. a. ſcribit: „*Finaliter, ſi Spiritum verbo comparare volumus, dicamus, quod ſicut dicitur verbum ex vtero et ex corde proficiſci; ita ſpiritus noſter, e penetralibus cordis ſui a Deo nobis datus dicendus eſt, et dicitur Deus dare nobis ſpiritum ſuum, ac ſi ego dicerem, do tibi viſcera mea, quae res maximam eius erga nos charitatis vim exprimit.*" Admodum inconſtans eſt in loquendi formulis, nec ſenſum determinatum vocabulis iungit, quoties ſententiam ſuam proponit. Id tamen diſertis verbis declarat, P. F. et Sp. triplicem eſſe in diuina natura diſpoſitionem huic orbi accommodatam, libereque productam, quae vel in alio vniverſo, ſi Deo hoc creare placuiſſet, locum non habuiſſet, vel plures eiusmodi exſtitiſſent. Sic L. III. fol. 80. inquit: „*Si Deus alios mundos creaſſet, potuiſſet loco ſermonis, ſpiritus et rationis noſtrae, nouas creaturas, cum aliis potentiis a noſtris penitus diuerſis, formare et ſecundum earum exigentias in ſe ipſos diſpoſitionibus vti, et tunc dixiſſent illius ſaeculi Philoſophi, quod illae diſpoſitiones eſſent res diſtinctae, et ſic quilibet mundus in ſua noua Trinitate nouas res pro Deo coleret, et aliqui haberent Trinitatem, alii quaternitatem, ſi Deus aliquando quatuor diſpoſitionibus vteretur, et iſto modo pro numero mundorum multiplicarentur tui Dii Juda.*"

Magno olim pretio *Serueti* liber admodum raro obvius aeſtimabatur, vt quoque 50, immo aliquando 100 Thaleris fuerit comparatus, vsque dum alia editio in Germania luci expoſita fuerit. Fama non vana eſt, Georg. Serpilium, *Superintendentem Ratisbonenſem*, eundem in aedibus ſuis imprimi curaſſe. V. *Reimannus* l. c. p. 1042. *Vogtius* l. c. p. 533. Serpilianam editionem, et chartae albedine, et typorum nigredine, nec non expreſſa forma, a prima diſcerni poſſe, rei litterariae ſcriptores produnt.

V. *Bi*

V. *Biblioth. Halenſ.* T. IV. p. 128. Intemperata quaeſtus faciendi cupido, Bibliopolam quendam Londin. *Petrum Palmerum* incitauit, vt a. 1723 nouam omnium operum *Serueti* editionem parare omnem operam adhiberet; ſed a magiſtratu impeditus, propoſito excidit. V. *Nouvelle Bibliotheque*, T. VII. p. 155. et *noua litter. Lipſienſ.* a. 1733. p. 505. Prodiit libri huius belgica verſio a. 1620 cura et ſtudio *R. T.* qui eſt REINERUS (*Regnerus*) VITELLIUS, vel *Renier Tellè* dictus, quod eidem *Simon Episcopius* improbat, illumque hortatur, vt ab hoc conſilio deſiſtat in ep. ad eum ſcripta, *Leydae* 1614. d. 14. *Jul.* in epp. Praeſt. et erud. vir. p. 419. Verſionis huius titulus eſt: *Van de Dolinghen in de Driuuldigheyd*, *ſeuen Boecker eertyds in latyn beſchrewen door* MICHIEL SERUETUS, *gheſeyt* REUES *van Aragonien Spaengaerd: ende nu gehtrouwelyck overgeſet in onſe Niederlandſche tale*, *dor.* T. R. *Hier ſyn noch bygevoegt eenige andere kleyne Tractaetgens*, *van den ſeluen autheur*, 1 *Theſſ.* V. *Proeft alle dingen ende behout det goede* 1. *Jo.* IV. *Engelooft niet eenen yegelicken geeſte*, *Maer beproeft de geeſten of ſy eyt good ſyn Math.* XV. *Alle Plantinge die myn himelſche Vader niet geplant en heeft*, *ſal uytgeroeyt worden. Ghedruckt*, *in t' Jaer ons Heeren*, 1620. 4. pl. 26. pagg. 110. Breuiores ſex tractatus huius auctoris, quos titulus promiſit, quique poſt praefationem pleno titulo recenſentur, deſiderantur. Praemiſit *Vitellius* praefationem, in qua nonnulla de *Serveti* hiſtoria profert, ad marginem aliquando argumentum textus notauit. Primus liber incipit fol. 9. ſecundus fol. 44. tertius fol. 63. quartus fol. 77. b. quintus f. 87. ſextus 95. b. ſeptimus fol. 102 — 110. b.

Intenſus, quem *Bucerus* pro ſuggeſtu ſignificauerat zelus, *Seruetum* admonuit, *Argentorato* excedere, tutioremque commorationis quaerere locum; rediit igitur circa, vel poſt medium anni 1531 *Baſileam*, vbi ſecurus omnibusque periculis exemptus ſibi videbatur; quo loco

amicum quendam intimum, *Marrinus* dictum, habuit; quis vero is fuerit, nemo quantum ſcio, adhuc reſciuit. Coniicit MOSHEMIUS p. 45. *medicum fuiſſe Baſileenſem*, natione *Hiſpanum*, vel *Italum*, et p. 190. breuem quandam epiſtolam huius *Marrini* ad *Seruetum* ſcriptam inſeruit. Res interim praeter opinionem *Serueto* aliter ceſſit. *Oecolampadius* multa eum cum deteſtatione hoc loco excepit, immo ciuili magiſtratui praeſentiam auctoris libri famoſiſſimi denunciauit, qui eiusdem iudicium de libro, et conſilium, qua ratione cum haereſium Architecto procedendum ſit, requirebat. *Seruetus*, hoc audito veritus, ne ſibi eripiantur exemplaria, quae magno numero ſecum attulerat, ipſeque ignominiae exponeretur, ad *Oecolampadium* litteras easque demiſſas, et pro ratione conditionis ſuae petitorias ſcripſit, quibus aduerſa haec fata auertere ſtuduit. Putauit enim litteris eum ad iram non concitatum iri, quem praeſens colloquiis ſuis facile irritare poſſit. Potiit ex eo, vt ſibi liceret libri exemplaria *Lugdunum Gallorum* ad proximas nundinas transmittere, praeterea propoſitum ſuum *Baſilea*, absque tamen vlla fugae ſpecie excedendi declarauit, ac tandem errores ſuos quam maxime per bonae conſcientiae ſpeciem et imbecillitatis humanae praetextum excuſauit, et *Oecolampadium* conuincere ſtuduit, quod nulla ſit cauſſa, ad tantum aduerſus ipſum concipiendum odium, exitiumque ſuum promouendum. V. *Moshemius* l. c. p. 392. et N. 2. documentorum.

Oecolampadius ſententiam leniſſimam de *Serueti* libro Magiſtratui transſcripſit, quod ad noſtram aetatem ſeruatum in epp. *Zwinglii* et *Oecolampadii*, Baſil. 1592. L. I. p. 83. ita ſe habet: „*Ego ſane diligenter perluſtrato eo, reperio, longe potuiſſe melius locare operam, bonum illum virum, aut omnino parcere potius huic labori debuiſſe: ita ſcilicet non minus obſcuritatis luci, quam lucis obſcuritati inferre ſtudit: dum multa temere commiſcet, nec ſemel ipſe ſibi contradicit. Doctores orthodoxos de non paucis, quae* nun-

nunquam commeruere incuſat, compluribus locis verborum tantum pugnas committit, nominibus aliquod, quae ferre tamen ab aliis ipſe non poteſt, quoties libet in alios petulantiſſime vtitur. Quae tamen omnia haud ita magni momenti ſint, niſi etiam ſumma fidei veſtrae capita, improbe adeo, violenterque laceſſeret. Praetexit qudem potiſſimum inſtituiſſe ſe, docere, quo pacto Jeſus ſit Chriſtus: et quomodo, Dei Filius, Deus etiam exiſtat. Verum ſi penitius aliquanto inſpexerimus, praecipuam tollere cauſſam adparebit, ob quam Chriſtum Dei Filium exiſtimamus. ——————— Quamuis tamen etiam vtilia quaedam libello admiſcuit, ſed additionibus deinde aliis reddit illa quoque peſtifera et cauenda. Proinde ——— multis de cauſſis non potuit non diſplicere mihi liber iſte. Faxit Deus, vt temeritatem ſuam, rebus omni intellectu humano ſublimioribus committere ſe auſus agnoſcat et emendet. Prudentiae tamen veſtrae, quod reliquum eſt committimus, vt hac de re auditis etiam aliis, quicquid deinceps in Dei gloriam ceſſurum praecipue videatur, ſedulo proſequamini. Quod libellos attinet, praeſtiterit forte, vt vel omnino ſupprimantur: vel ab iis tantum, quos male ſcriptis non peius abuſuros periculum ſit, legantur. Vbi qui errores ſcripſit, eosdem agnitos ſcriptis retractauit: forte vt homini ignoſcendum, neque lapſum eſſe tanti aeſtimandum fuerit. Verum haec ego prudentiae veſtrae expendenda relinquo."

Quid Magiſtratus accepto reſponſo, in hac cauſſa fecerit, non quidem conſtat; aſt tamen *Seruetum* breui tempore *Baſileam* reliquiſſe, certiſſimum eſt. CALUINUS in ep. ad Miniſtros Francofurtanos Moeni narrat, ex *Germania* profugum ſub fictitio nomine in *Gallia* latere. Quod fuga ſe eripuerit poenis de eo ſumendis, vel ex ſententia Magiſtratus *Baſilea* excedere coactus fuerit, quod *God. Arnoldus* l. c. T. II. L. XVI. p. 406. prodit, certo dici nequit. Vtrumque tamen veriſimillum non eſt, cum miniſtri Baſileenſes, in ep. magiſtratui Geneuenſi a. 1553. d. 18.

d. 18. *Oct.* scripta, huius rei mentionem nullam faciant, quam non omisissent. Ipse *Seruetus* in examine cum eo *Geneuae* instituto fatetur, propter paupertatem suam et linguae Teutonicae inscitiam, sibi necessum fuisse, Germania excedere; sed an vera testatus sit, in vitae discrimine maximi criminis accusatus, dubitari adhuc potest, cum egestatis ipsius nulla adsint documenta, immo potius quae comprobent, eumdem sustentandi vitam facultatibus non omnino caruisse, nec linguae teutonicae ignarum plane fuisse. Moshemius ex libro ipsius, qui *dialogus de Trinitate* exhibet, quique breui tempore post discessum ex *Basilea* lucem publicam vidit, in cuius fronte speciosa scandali dati reuocatio legitur, satis probabiliter colligit: *Illum Basileae publicam errorum suorum recantationem pollicitum esse, hacque fide data in pace, et absque vlteriori poena, ex consilio Oecolampadii inde dimissum.*

In itinere *Basilea* in *Galliam* instituto, *Hagenouiae* hos ipsos dialogos edidit, sub tit. *Dialogorum de Trinitate libri duo. De justitia regni Christi Capitula quatuor. Per Michaelem Serueto, alias Reues ab Arragonia Hispanum.* Anno 1532. 8. pl. 6. Libellus priori operi in plurimis exemplaribus junctus deprehenditur, hinc coniecturae locus est, Bibliopolam vtrumque simul et hunc tanquam appendicem illius vendidisse. Praefamen hoc praemisit: „*Quae nuper contra receptam de Trinitate sententiam septem libris scripsi, omnia nunc, candide lector, retracto. Non quia falsa sint, sed quia imperfecta, et tanquam a paruulo paruulis scripta. Praecor tamen vt ex illis ea teneas, quae ad dicendorum intelligentiam, te poterunt iuuare. Quod autem ita Barbarus, confusus, et incorrectus prior liber prodierit, imperitiae et typographi incuriae adscribendum est. Nec vellem vt propterea Christianus aliquis offenderetur, cum soleat aliquando Deus per stulta mundi organa suam sapientiam proferre. Obserua igitur, obsecro rem ipsam: nam si mentem aduertas, non te impedient mea impedita verba. Vale.*"

Speciem

Speciem quidem praefatio praebet retractationis, sed nihil minus liber ipse continet. Iidem quippe errores, cum quibusdam nouis loquendi et explicandi formulis, multa cum amarulentia aduersus eos, qui orthodoxam de S. Trinitate sententiam defendunt, quos maledicos, blasphemos et fatuos appellat, eadem obscuritate et variabili dicendi habitu proponuntur. Exhibet igitur nouus ingenii partus, disciplinae scripto priori expositae repetitionem, et aduersus *Oecolampadii* aliorumque argumenta defensionem. Sic fol. 2. a et fol. 3. b. scribit: „*Inuisibilis Dei, qualis ante creationem mundi fuerit, est omnino nobis intelligibile et inimaginabile, atque ille ex mero suae voluntatis beneplacito mundum creare decreuit, et se nobis manifestare, alias inutilis esset rerum creatio, si Deus maneat ignotus. Tunc ergo dixit Deus: Fiat. Ecce iam verbo creat, ecce hic λογον, Elohim et Christum.* — — — — — *Eo ipso, quod loquitur Deus, certo modo se disponit, et aliquid in se ipso agit eo ipso, quod se creatorem facit, aliqualiter enim iam se habet, qualiter antea non se habebat. Eo ipso quod loquitur, iam se manifestat, qui antea sub silentio illo nulli erat cognitus. Dicendo, sit lux, ex ignotis illis aeonum tenebris se in lucem prodit, et se illustri aliqua persona perceptibilem exhibet. Hoc vocat Joannes λογον, et Moses Elohim, et hoc ipsum erat Christus apud Deum, et Deus erat ille sermo, et Deus ipse erat ipsamet lux. Quae lux, secundum illam dispensationem, per Angelorum figuras designata latuit, vsque ad apparationem in facie Christi* etc. *Ex eodem principio, quum Spiritum Elohim super aquas insufflantem dicit Moyses, intelligere licet, qualiter Deus sit ibi factus spiritus: nam antea, quam Deus inspiraret, non erat spiritus. Nec potuit esse spiritus, antequam Deus loqueretur, quoniam Deus loquendo flauit.*"

Bigae *dialogorum*, in quibus *Michael* et *Petrucci* colloquuntur, adpendix iuncta est, qua mentem suam de iustificatione peccatoris per fidem in Christum exponit. In priori scripto de Trinitatis erroribus argumentum hoc

auctor tractauerat, qua de re ipsum Theologi Heluetici increparunt, ipsique vt malae actionis rationem redderet, iniunxerunt. Iam igitur in nouo opere materiam ita pertractat, quasi mediam quandam inter dissentientes viam monstrare voluerit. Concedit quidem iustum declarari peccatorem sine proprio merito et operibus, tantum per fidem; interim adstruit, quod apud Deum obseruata regia charitatis lege et bonis operibus aliquid mereamur. Ad eum modum loquitur, vt incautos facile capere, illisque persuadere possit, ipsum cum *Luthero* in hoc articulo omnino consentire; sed qui nexum totumque ambitum sermonis attente persequitur, aliis locis eum iterum ex partibus Pontificiorum stantem, indeterminate et inconstanter se explicantem, immo in ipso iustificationis conceptu, a vero aberrantem animaduertet. Tandem scripto suo f. 7. b. ita finem facit, vt quiuis exinde congnoscere queat, quod pro Restitutore Christianismi haberi voluerit, sibique imaginatus fuerit, Deum ipsum vocasse et exornasse Prophetam, ad perficiendum aduersus Ecclesiam Pontificiam, quae Reformatores alii ante eum inchoarint. Libertatem hinc scribendi ac dicendi sibi concedendam vult, et qui eam limitibus includunt, tyrannos reputat. Sic inquit: „*Nec cum istis, nec cum illis in omnibus consentio, aut dissentio. Omnes mihi videntur habere partem veritatis, et partem erroris, et quilibet alterius errorem despicit et nemo suum videt. Deus per suam misericordiam errata nostra nos intelligere faciat, et sine pertinacia deponere. Facile autem esset omnia diiudicare, si liceret cum pace omnibus in Ecclesia loqui, vt omnes prophetare contenderent, et quod priorum Prophetarum spiritus, sequentibus Prophetis subiicerentur, vt illis loquentibus, si quid eis fuerit reuelatum, priores tacerent, iuxta Pauli praeceptum: sed nostrates nunc de honore certant. Perdat Dominus omnes Ecclesiae tyrannos* Amen.“ Fusius scripti huius argumentum tradit *Moshemius* l. c. p. 329. seqq. *Ge. Serpilium* huius quoque libri, nouam adornasse

nasse editionem, ex ep. quam J. H. a Seelen *in select. litterar.* p. 54. cum orbe erudito communicauit, colligitur, quod in *Biblioth. Halens.* T. IV. p. 12. collatione duarum exemplarium, ipsoque adspectu comprobatum est.

In *Gallia* a. 1532. peregrinans *Seruetus*, nomen vtrumque gentilitium, et adscitum *Reues*, quod libris suis praefixerat, sedulo celauit, seque nouo cognomine a patria sua accepto Michaelem Willanouanum compellari maluit. Sub hoc aliquamdiu latuit, vsque dum opere *Restitutionis Christianismi* euulgato, vt infra dicetur, *Viennae* custodiam mortisque sententiam sibi contraxit. *Lugduno Gallorum*, post breue tempus Tolosam vt coniicimus, contendit, in qua litteraria vniuersitate eum professorum iuris lectiones frequentasse, non sine ratione suspicamur. Juris enim non fuisse inscium, immo insignes in eodem sibi comparasse profectus, scripta illius postea edita luculenter monstrant. Videtur tamen post breuem in hac Musarum sede commorationem, studii iuridici taedio commotus, se iterum scientiis Theologicis dicasse, quibus iuxta ac Matthesi et Astrologia maxime delectabatur. A. 1534 *Lutetiis Parisiorum* fuit, quo tempore locum hunc Jo. Caluinus occulto inuisit. Expetiit sibi de *Caluini* aduentu certior factus, ab eodem colloquendi cum eo veniam, qui petitis quidem adnuit; sed ille praestituto tempore et loco non comparuit, fortassis ob vitae periculum, quod non minus *Caluino* Lutetiis extimescendum erat, vbi vterque, vt haeretici, si cogniti fuerint, durissimis fatis semet implicuissent. *Seruetus* Lutetiis breui valedicens, *Lugdunum* Gallorum repetiit, ibidemque ad paranda alimenta, vitaeque subsidia in officina typographica fratrum *Melch.* et *Casp. Trechseliorum*, correctoris munere fungebatur, quod ista aetate viris doctissimis, et insignium operum scriptoribus ab officinarum dominis, aeque eruditissimis, haud raro committebatur. V. *Zeltneri Cent. clarior. correct.* p. 499. seqq. *Trechselii nouam* Ptolemaei *Geographi aegyptiaci* editio-

editionem latinam *Serueto*, ſcientiarum Mathematicarum bene gnaro, et lectione veterum ſcriptorum Graeciae et Latii imbuto, commendabant, quam intra anni ſpatium ſatis feliciter perfecit, ac a. 1585 publicae luci expoſuit, hac inſcriptione: *Claudii Ptolemaei Alexandrini Geographicae enarrationis libri octo: Ex Bilibaldi Pirckheimheri translatione, ſed ad graeca et priſca exemplaria a Michaele Villanouano iam iam primum recogniti. Adiecta inſuper ab eodem ſcholia, quibus exoleta vrbium nomina ad noſtri ſaeculi morem exponuntur. Quinquaginta illae quoque cum veterum, tum recentium tabulae adnectuntur, variique incolentium ritus et mores explicantur. Lugduni ex officina Melch. et Caſp. Trechſelii fratrum* MDXXXV. *fol. Mai.* Secunda vice opus auctum et emendatum prodiit, a. 1542. Omnia in hac editione *Ptolemaei* verba, quae *Serueto* deinceps crimini data ſunt, ex editione libri huius Argentinenſi de a. 1525 retinuit, quam *Jo. Grieningerus*, cum *Joanne Koburgero* ediderat. *Seruetus* proinde hac ratione plagiarii quidem notam meritus, de reliquo crimine abſoluendus eſt. V. Jo. MART. PASTORII *collatio editionis Argentinenſis Geographiae Ptolomaei cum illa, cuius Mich. Seruetus auctor eſt*, in *Miſcell. Lipſ.* Vol. X. P. II. p. 274.

Inter has aliasque occupationes, quas ſuſceptum correctoris munus iniungebat, intentus erat *Lugduni* nouo fidei ſyſtemati, ſeu *Reſtitutioni Chriſtianiſmi*, ad quod ſe a Deo vocatum, et ad orbem illuminandum inſtructum putabat. Antequam hoc abſolueret, aliorum conſilia expetiit. Dedit igitur ad CALUINUM, *Geneuae* muneri publico admotum, epiſtolam, qua ipſius reſponſum ad tres quaeſtiones expetiit: 1.) An homo Jeſus cruci affixus, Dei Filius et ex quo fundamento Dei Filius ſit? 2.) An regnum Dei in homine ſit? Quando in illud ingrediantur? Quando regenerentur? 3.) An Baptiſmus Chriſti, fide ſuſcipiendus, aeque ac S. coena fide celebranda? in quem finem haec Sacramenta in nouo foedere ſint inſtituta?

Huic

Huic epiſtolae adiunxit nouum, quoad maximam partem, exceptis tantum additamentis, abſolutum opus de *Reſtitutione Chriſtianismi*, quod ex fine epiſtolae ſecundae ad *Caluinum* ſcriptae, colligi poteſt, et ſine dubio huius ſententiam ab eodem efflagitauit. Haec autem ſunt vltima epiſtolae verba: „*Demum precor, ne graueris iterum legere quartum librum de Baptismo; nam videris eum nondum legiſſe. Deus miſereatur noſtri. Amen.*" Multum lucis lucrata eſſet *Serueti* hiſtoria, ſi *Caluinus* priorem ep. typis exſcribendam curaſſet, cum poſteriorem tantum orbi expoſuerit. Reſpondit is ad quaeſtiones moderate et absque bile; ſed *Seruetus* in altera ad eundem, omnia quae ille ſcripſerat, magna animi concitatione et temerario prouocandi ſtudio refutare conabatur. Hanc *Caluinus* fuſiori reſponſione, ac paulo acrius repulit, ad nouas vero a *Serueto* propoſitas quaeſtiones non reſpondit, quia hae, vt iudicat, librum poſcerent, quem in eius gratiam aliis negotiis occupatus, ſcribere nollet, eum tamen ad ſuam *Inſtitutionem religionis chriſtianae* ablegauit. Sic autem poſt alia *Caluinus*: „Itaque quid tibi velis non aſſequerer, niſi vtcunque tuis deliriis eſſem aſſuefactus: ignoſce; ita res me loqui cogit. Ego te nec odi, nec contemno, nec duris inſectari velim; atqui ferreus ſim, niſi commouear, quum te ſanae doctrinae tanta proteruia inſultare video." V. *Caluini* opuſcula edit. 1667. p. 522. Hac reſponſione adeo exacerbatus fuit *Seruetus*, vt plures poſthac ad eum ſcripſerit litteras, amarulentiae, obtrectationum, et maledictorum plenas; teſte *Caluino*, in *refut. errorum Serueti* p. 696. his verbis: „*Modeſtiam meam bonis omnibus probatam iri confido: niſi quod mollities potius videbitur. Ipſe vero quaſi hyppomanes hauſiſſet, quoscunque meos libros nanciſci potuit, non deſtitit inſulſis conuitiis farcire, vt nullam paginam a ſuo vomitu puram relinqueret.* Et p. 702: *Hoc puto, euidens ſignum fuit praefracti et indomabilis ſpiritus, quod tantum diris poſtea et execrationibus ſibi agendum putauit.*" *Caluino* viſum fuit ſilentium

tium ſeruare, qui non magis ſemet quam aſini ruditu fuiſſe commotum teſtatur. Certum vero eſt, eum aliquoties poſthac ad epiſtolas *Serueti*, quarum XXX ad calcem *Reſtitutionis Chriſtianismi* adtextae ſunt, reſpondiſſe; nonnullae enim earum indubitato reſponſoriae ſunt, ad litteras *Caluini*, quamuis concedi poſſit, raro hunc ad frequentiores *Serueti* reſponſionem dediſſe. Ex iisdem patet: *Seruetum* tanta maledicta non eructaſſe, quantorum *Caluinus* eum accuſauit; immo illum non adeo placide, acerbum ac incitatum *Serueti* ſcribendi adfectum ſuſcepiſſe, inſequens aduerſus *Seruetum* ira ac irreconciliabile odium demonſtrant.

Biennio *Lugduni Gallorum* peracto, conquiſitisque per labores in officina typographica viuendi ſubſidiis *Lutetias Pariſiorum* ſe iterum contulit, ibidemque, vt iam apud ſe conſtituerat, in ſtudium medicum incubuit, et quo vitae alimenta non deeſſent, docendi in facultate Philoſophica Priuilegia, et gradum Magiſterialem ſibi acquiſiuit, quamuis numquam in ſcriptis et epiſtolis nec hoc, nec Doctoris Medicinae titulo vſus fuerit. Ipſe Magiſterii priuilegio inſignitus Geographiam ductu *Ptolemaei*, aliasque ſcientias Mathematicas magno cum applauſu praelegens, a Medicinae Profeſſorum Academiae Pariſinae ore et inſtitutione ſimul pependit, tantumque in omnibus ſtudii huius partibus, inprimis vero in *Anatomia*, vix vno anno inſumto, profecit, quantum ſatis erat ad docendum alios, imo et ſcriptis inclareſcendum. Concinnauit nimirum librum de *Syrupis*, non mediocri ſcientiae medicae, pro iſtius temporis conditione, adparatu, nitidoque ſcribendi genere confectum, quo ſibi gloriam excellentis medici et doctiſſimi ſcriptorum *Galeni* interpretis comparauit. Plenus libri rariſſimi, quem *Bibliotheca Regia Regiomontana* habet, titulus eſt: *Syruporum vniverſa ratio, ad* Galeni *cenſuram diligenter expolita. Cui, poſt integram de concoctione diſceptationem, praeſcripta eſt*

vera

vera purgandi methodus, cum expositione Aphorismi: Concocta medicari. Michaele Villanouano auctore:

Πρὸς τον φιλίατρον·

Εὔρσα ποιησων τα τε σωματα, τατε πέπανων,
Ωμὰ, χυμῶν, ταύτης δόγματα ἴσθι βιβλȣ·

Parisiis, ex officina Simonis Colinaei. 1537. plag. 9. 8. Huius loci non est, de eius meritis in medicina, insigni in specie inuento, de *circulatione sanguinis in corpore* animalium, longo ante *Haruaeum* tempore, et de certamine partim suo fastu, partim Medicorum inuidia concitato, cum facultate medica Parisina dicendi, quae *Moshemius* p. 72. 499 et 500. seqq. et auctor *historiae itineris litterarii*, a. 1733. *Hagae Comitum*, p. 170. longa serie recensuerunt. Ex hac pugna *Seruetus*, qui *Apologeticam* disceptationem *pro Astrologia* scripto diuulgauerat, inferior discessit, *ipsique Astrologica institutio, praedictionesque ex astris serio interdictae sunt.* Cum vero ex his, maximum *Lutetiis* lucrum et vitae subsidia collegisset, taedio et necessitate commotus, huic Academiae, postquam gradum in medicina Doctoris sibi expetiisset, eodemque praestandis praestitis ornatus esset, valedixit, aliisque locis praxin medicam ad sustentandam vitam exercuit.

Contulit se anno circiter 1538 *Caroloregium*, (*Charlieu*) oppidulum 12 Milliaria gallica a *Lugduno*, aegrotisque consilio ac opera succurrit. Hoc loco triennium fere integrum insumsit, sed inde, testante Hyeron. Bolseco, de *Jo. Caluini vita, moribus, et rebus gestis*, C. III. p. 7. a. 1540. migrare coactus, in *Delphinatum* concessit. An a Magistratu ob maledicta abire iussus, an ipse sibi mala quaedam praesagiens, vltro vrbe excesserit, dici nequit. *Moshemio* p. 84. probabile videtur *Seruetum*, qui a. 1539. annum suum tricesimum attigerat, isto nondum impleto, a. 1540. ab Anabaptistis Baptismum iteratum petiisse, eiusdemque etiam compotem factum. Cum enim Christus anno vitae XXX baptizatus esset, putabat, hoc

hoc nobis exemplo factum, ne ante eandem aetatem Baptismum susciperemus. A Paedobaptistis, (vt ipse loquitur,) sine fide, sine intellectu, extra Ecclesiam Christi baptizati, sunt iterum in fide Christi, et eius Ecclesia baptizandi. *Restit. Christian.* p. 412. 491. *Caluinus* vero in *refut. errorum Serueti* p. 754. numquam eum iterasse Baptismum prodidit. An vera scripserit, dubitandi adhuc locus est, cum, quod hac de re *Seruetus* interrogatus fuerit, in Actis nullum vestigium reperiatur. Adeo, quae FUESLINUS, in praefatione ad acta et documenta hist. reformat. Heluet. p. LXI. et operis huius Tomo IV. *Moshemio* opposuit, hic respondit l. c. p. 41. 42. Mutauit vero sententiam suam, quam in pleniori *Serueti* historia proposuerat, qua ipsi probabile visum fuerat, *Seruetum* ad suscipiendum Baptismum, ad Anabaptistas Helueticos profectum, statuitque ipsum sacro fonte in Gallia tinctum esse, cum sectae huius homines etiam in Gallia isto tempore vixerint. Interea nec hoc omni exemtum est dubio, cum ipse *Seruetus* se esse Anabaptistam, constanter negaverit, nec eius aduersarii vnquam solido argumento eum Anabaptismi accusauerint.

Relicto *Caroloregio*, a. 1540. *Viennam*, Delphinatus inferioris vrbem se contulit, non autem *Lugdunum Gallorum*, quod *Caluinus*, et post eum omnes fere perhibent, qui secunda vice correctoris officio defunctum esse *Seruetum* tradunt. Initio anni 1541. *Viennae* iam fuit, quod dedicatio secundae editionis Ptolemaei d. 28. *Febr.* eiusdem anni *Viennae* data euincit, quae PETRO PALMERIO, *Archiepiscopo et Comiti Viennensi*, qui *Seruetum* multis cumulauit beneficiis, huncque commouit, vt *Viennam* locum mansionis suae eligeret, scripta est. Hoc loco feliciter ac satis tuto vixit. Prodierunt quidem *Lugduni Gallorum* Biblia *Pagnini*, cum notis *Serueti* anno 1542. his in fronte verbis: *Biblia sacra ex Sanctis Pagnini translatione*, sed et *ad hebraicae linguae amussim ita recognita et scholiis illu-*

illustrata, vt noua plane editio videri possit. Lugduni apud Hugonem a Porta 1542. fol. et exinde *Caluinus*, et alii, ratiocinati sunt, ipsum operis huius editionem *Lugduni* curasse; sed ista tituli verba, locum venditionis Bibliorum innuunt, quae, vt in fine legitur, *Caspar Trechselius* excudebat, qui paulo ante *Viennae* quoque officinam typographicam instruxerat; quod ex dedicatione secundae *Ptolemaei* editionis manifesto apparet.

In hac Bibliorum *Pagnini* editione, quam Dav. CLEMENT pluribus recenset in *Biblioth. hist.* et *crit.* T. IV. p. 127. seqq. *Seruetus* ex notis et obseruationibus auctoris post obitum inter eius manuscripta repertis, et ex exemplari eiusdem innumeris locis castigato, tertium eandem emendauit, atque hinc inde suas quoque adnotationes adiunxit. Tantum vero laboris in hoc nouum opus impensum non est, quantum Jo. NIC. VICTORIUS et SERUETUS in duplici praefatione praemissa iactant; nec veritati consentaneum est, cuius *Caluinus* l. c. p. 803. *Seruetum* accusat, quod singulas paginas, partim futilibus nugis, partim impiis deliriis inquinauerit; contrarium significante *Moshemio* l. c. p. 911. et 341. seqq. quo teste multae paginae, notis *Serueti* omnino carent, futiles vero nugae ac impia deliria in toto opere plane non, verum potius vbique animi Christum inuenientis ac venerantis et in hoc tantum errantis vestigia occurrunt, quod generis humani Reparatorem non in verbis librorum V. T. sed in rebus ac factis, quae verbis proferuntur, se reperiisse perhibeat. Praefatio *Serueti* huic Bibliorum editioni praemissa, nec non quaedam specimina illustrationum, libris propheticis subiunctarum, vna cum locis illis, quae in indicibus librorum expurgandorum et prohibendorum, castigantur, exposita sunt l. c. in documentis. n. VIII. IX. X. p. 406 — 414. *Seruetum* suis in Psalmos et scripta Prophetarum notis, ex suscepta hypothesi, quaedam de Christo vaticinia, ad placita sua traxisse, negari nequit. Sic *Ps.* II, 7. hanc

hanc notam adtexuit: *Ad diem resurrectionis Christi, vocem hodie refert Paulus, sicut in die, qua euasit ab hoste, dicitur Dauid hodie natus, et hodie denuo factus Rex.* Et *Jes.* LIII. ita explicat, ac si Propheta totius populi nomine conqueratur, quod Deus *Cyrum* propter Judaeorum crimina diem supremum obire iusserit, antequam Templum perfecte exstructum esset, quamuis mystico sensu mundi Seruatorem respexisse, concedat.

Librorum Ptolemaei et Bibliorum editione absoluta, omne tempus praxi medica, et expoliendo opere *Restitutionis Christianismi* insumsit. Et huic quidem studio vindicandi orbi deperditam, vt putabat, fidem, ad quod a Deo instinctu coelesti concitatus sibi videbatur, omnem curam et quamcunque operam tribuit. Qua confidentia ac persuasione, quod Deus per ipsum loquatur, quantoque zelo opus molitus fuerit, ex variis libri locis comparet, quod ex verbis breuioris prooemii quoque colligi potest, cui hac precum formula finem imponit: „*O Christe Jesu Fili Dei, qui de coelo nobis datus, deitatem patefactam in te ipso visibilem manifestas, te ipsum aperi seruo tuo, vt manifestatio tanta vere patefiat. Spiritum tuum bonum et verbum efficax petenti nunc tribue, mentem meam et calamum dirige, vt diuinitatis tuae gloriam possim enarrare, ac veram de te fidem exprimere. Caussa haec tua est, et tuam a Patre et Spiritus tui gloriam explicans, quae diuino quodam impulsu tractanda sese mihi obtulit, cum de tua veritate essem sollicitus. Tractare aliquando coepi, et nunc iterum tractare cogor, quia completum est vere tempus, vt ex rei ipsius certitudine, et ex signis temporum manifestis, sum nunc piis omnibus ostensurus. ——— Lucernam non esse abscondendam, vt nos docuisti, vt vae mihi sit, nisi euangelizem. Caussa communis omnibus Christianis agitur, cui omnes tenemur.*" Veritatem diuinam annos 1260 a temporibus *Constantini* et *Syluestri* Papae occultatam, a se, expleto hoc tempore, luci vindicandam esse,

esse, somniabat. Errorem vero calculi in determinando periodi huius interuallo commisit, cum ab anno 325, quo *concilium nicaenum* habitum, et qui terminus a quo, computationis *Serueti* est, ad annum 1552 quo librum suum typis commisit, anni tantum 1227 praeterlapsi. De se visionem *Joannis Apoc.* XII. 1. explicauit, hasque fanaticas opiniones in scriptis suis frequenter declarauit. Inter alia in ep. ad *Caluinum, Restit. Christ.* p. 638. ita scribit: „*In huius Ecclesiae restitutione ego iugiter laboro: et ob id tu mihi succenses, quod pugnae illi Michaelis immisceam, et pios omnes misceri desiderem. Sed locum illum diligenter expende, et videbis homines fuisse, qui ibi pugnabant, animas suas morti exponendo in sanguine et testimonio Jesu Christi.* — — — — — *Angelos vero dici, obuium est in scripturis.* — — — — — *Coelestis item regeneratio facit nos Angelis pares.* — — — — — *An non vides ibi agi de restitutione ecclesiae fugatae?*" Eadem fere scribit in ep. ad *Abelem Pepinum*, vel *Poupinum*, ministrum Ecclesiae *Geneuensem*. Partis tertiae librum primum hoc suspirio claudit: „*Da seruo tuo, militi tuo, vt contra Draconem, Serpentem, Diabolum, qui potestatem bestiae*, id est *Papae dedit, potentia tua magna viriliter pugnet.*" In eadem ep. ad *Pepinum*, ob hanc ipsam militiam sibi mortem praedixit: „*Mihi ob eam rem moriendum esse certo scio; sed non propterea animo deficior, vt fiam discipulus similis Praeceptori.*" Absque spiritus diuinatorii suggestione tragicum vitae suae exitum praeuidere potuit, cum firmiter apud se statuerit, luci publicae committere librum, quo et Euangelicos et Romano-Catholicos, idololatriae densissimaeque in rebus fidei coecitatis accusabat, quo doctrinam in coetu christiano horrendam pro reuelatione diuina venditabat, Romanum Pontificem tanquam Anti-Christum, et Ecclesiam Pontificiam tanquam Babelem et spiritualem Sodomam depingebat. Certo certior suum augurari potuit exitium, cum libri auctor, occultato etiam nomine suo, facili negotio cognosci potuerit, qui

iam ex aliis operibus ſatis innotuit, quique in *Diſſ.* I. de *Trinitate* p. 66. nomen ſuum ita profeſſus erat: *En adeſt*, Seruetus *eſt, quem ego quaerebam. Heus! Heus! quid hic ſolus tecum loqueris?*

Typis exſcribendum commiſit famoſiſſimum opus, *Balthaſari Arnollet*, Typographo Viennenſi a. 1552 propriis ſumtibus, quos ob feliciſſimam medicinae praxin ferre potuit, idque initio anni ſequentis 1553 in forma octaua adparuit, addito in fine auctoris nomine, litteris initialibus *M. S. V. (Michael Seruetus Villanouanus)* hoc titulo: *Chriſtianiſmi reſtitutio. Totius Eccleſiae apoſtolicae, ad ſua limina vocatio, in integrum reſtituta cognitione Dei, fidei Chriſti, iuſtificationis noſtrae, regenerationis, Baptiſmi et Coenae Domini manducationis. Reſtituto denique nobis regno coeleſti, Babylonis impiae captiuitate ſoluta et Antichriſto cum ſuis penitus deſtructo,* και εγενετο πολεμος εν τω ȣρανω. MDLIII. Varia in opere ſcripta coniunctim exhibentur, hoc ordine: *de Trinitate diuina, quod in ea non ſit, indiuiſibilium trium rerum illuſio; ſed vera ſubſtantiae Dei manifeſtatio, in verbo, et communicatio in ſpiritu, libri ſeptem; item, de fide et iuſtitia Regis Chriſti, legis iuſtitiam ſuperantis, et de caritate tribus libris. De regeneratione ac manducatione ſuperna, et de regno Anti-Chriſti, quatuor libris: epiſtolae XXX ad* Joan. Caluinum: *ſcriptum, cui titulus eſt: ſigna ſexaginta regni Chriſti et reuelatio eius iam nunc praeſens, ac denique de myſterio Trinitatis, et veterum diſciplina, ad Phil. Melanthonem et collegas eius, apologia.* Mille exemplaria *Seruetus* excudi iuſſerat, quorum haud pauca ipſius et typographi ſtudio diſſeminabantur; ſed maior eorum numerus variis locis, maxime ſuaſu *Caluini*, amicorumque eius, primo ſtatim initio, igne conſumtus eſt, reſidua vero iisdem flammis, quibus ipſe auctor perierunt. In examine *Geneuae* inſtituto, cum ſignificauerit, magnam exemplarium molem *Rob. Stephano* venditam eſſe, vt ad nundinas Francofurtanas mitteren-

terentur, *Caluinus* monitis ſuis obtinuit, vt iſta hoc loco priuatim flammis ſacrificarentur. Hanc ob rationem liber iſte rariſſime obuius eſt, nec, quantum conſtat, vltra ſex vel ſeptem exemplaria ad noſtra tempora ſunt ſeruata. V. *Moshemius* p. 342. ſeqq.

In Gallia, nemo, quantum ſcimus, cognouit, *Villanouanum* et *Seruetum* eundem eſſe hominem, quippe ibidem ſub *Villanouani*, vel *Michaelis de Villa noua* nomine tantum inclaruerat. In Heluetia plures per *Caluinum* et *Pepinum* certiores facti ſunt, quod *Seruetus* et *Villanouanus* vnum denotent ſcriptorem. Cum igitur liber euulgatus, a. 1553 *Geneuae* concitaſſet rumorem, Guilielmus quidam Trie, Gallus Lugdunenſis, a Romanis ſacris ad eccleſiam Helueticam transgreſſus, qui tum temporis *Geneuae* commorabatur, auctorem libri huius in Gallia, per litteras, ad amicum quendam Lugdunenſem Romano-Catholicum, ſcriptas notauit, ſuamque teſtabatur admirationem, quod in Gallia et *Viennae* quidem peſſimus haereticus, qui chriſtianae fidei fundamenta diuellere conaretur, tutus degere poſſit. An *Guil. Trie*, homo indoctus proprio motu, an *Caluini* inſtinctu et conſilio hoc fecerit, certo quidem ſtatui nequit; non tamen vanae videntur coniecturae, hunc illi dictaſſe epiſtolam, qua *Seruetus* tamquam haereticus exurendus accuſabatur. Lugdunenſis ille amicus conſcientia commotus, quae *a Trie* perceperat, miniſtro inquiſitoris muneri praefecto aperuit, isque *Archiepiſcopo Lugdunenſi* rem denunciauit, qui officii ſui partes curans, omni circumſpectione per delegatos ſuos vniuerſum negotium inquiſiuit. Ex denunciatione prima id quidem conſtabat, auctorem libri peſſimum eſſe haereticum; ſed nondum euictum erat, foetum eſſe *Medici Viennenſis Michaelis Villanouani*, huncque eundem ipſum eſſe Seruetum. Cum praeterea *Michael* ille *Villanouanus*, apud *Viennenſes* ob feliciſſimam praxin medicam, praeclaram eruditionem, aliasque animi dotes haud vulgares,

gares, apud Archiepiscopum Principesque status ecclesiastici multum valeret, caute in hac causa iudicibus visum est procedendum, nec prius *Villanouanum* in ius vocandum statuerunt, quam luculentissime euictum fuerit, eundem huius operis esse fabrum, quod breui tempore extra omne dubium positum est. Trie a *Caluino* aliquot epistolas *Serueti* autographas obtinuit, ex quibus plura, quam ex libro ipso peti potuerunt argumenta, *Seruetum* esse auctorem *Restitutionis Christianismi*, quae ad hunc plene conuincendum *Lugdunum* Gallorum transmissae. Cum istae in iudicum Viennensium manibus essent, hi rem ipsam a Senatu Lugdunensi primum excitatam, et vel ideo non facile negligendam, adgrediebantur, *Seruetumque* tanquam haereticum mense *Junio*, *Viennae* in custodiam coniiciebant. Senatus ecclesiasticus inquisitione finita et sententia aduersus pessimae haereseos reum lata, hac de re ciuilem Magistratum certiorem fecit, addito sine dubio consilio, vt eundem secundum leges ad supplicium traheret. *Seruetum* vero Magistratus maxima lenitate tractabat, et quamuis illum, ne speciem negligentiae et incuriae in rebus ad fidem pertinentibus prae se ferret, absque vlla diffamatione in custodiam traxerit, quamcunque tamen ipsi exhibuit humanitatem, vt dispatiari, cum quocunque colloqui, et famuli sui seruitio vti possit. Non facile haeretico inter Pontificios tanta contigit comitas, ex qua liquere videtur, Iudicibus Viennensibus propositum fuisse, nihil duri in eum statuere, ipsique occasionem praebere, vt fuga eriperet. *Balth. Arnollet*, typographus, vna cum auctore libri in custodiam trahebatur; sed innocentia eius probata, quippe qui omne crimen in correctorem voluebat, qui sine dubio iam aufugerat, in libertatem mox restitutus est. Maxime scriptoris saluti bene cupiebat ipse Archiepiscopus Viennensis, *Palmierius*, *Serueti* olim discipulus Lutetiis, et Promotor, quo fauente plures illi *Viennae* amici exstiterunt. Gestauit incarceratus circa collum catenam auream, qua pro istius temporis

more,

more viri graues ornati erant, ſex annulos aureos in digitis habuit, et in crumena non exiguum monetarum aurearum numerum, quae precioſa, praeter conſuetudinem erga haereticos vinculis conſtrictos, ipſi in carcerem ducto, hoc fortaſſis conſilio, conceſſa ſunt, vt illi in ſuſcipienda fuga, quam ſine dubio Regius Praefectus *le Court* (*De la Court Vibaillif et Juge du Delphinat*) forte etiam *Palmierius* optabant, pro viatico eſſent. Durius omnino fatum *Seruetus* inter Euangelicos *Geneuae* expertus eſt; in cuſtodiam enim ibidem datus, catenam auream, annulos aureos et 97 monetas aureas carceris cuſtodi tradere debuit.

Altero poſt incarcerationem Viennenſem die, et perendie duplex examen cum eodem inſtitutum, in quo epiſtolas ad *Caluinum* datas, a ſe ſcriptas, poſt varias tergiverſationes, palam profeſſus eſt. Antequam nouum inſtitueretur, ex quo peſſimum cauſſae ſuae exitum verebatur, die VII. Apr. hora quarta matutina, a vinctorum cuſtode clauem, quae ianuam horti aperiret, ſibi expetiit, ſub ſpecie in eodem obambulandi; hac venia accepta elabendi occaſionem nactus, fugae ſemet mandauit. Communicato conſilio id accidiſſe, et ab amicis ipſius, quorum copia carcere conſtricto non defuit, ita fuiſſe deliberatum, nullum eſt dubium. Accepto de eius fuga nuntio, *Servetus* vbicunque locorum pro more quaeſitus, ſed non repertus, iudicium tamen aduerſus eum ſiſti non potuit, cum iudices ex ipſius confeſſione eum abſentem quoque ſecundum leges ſuas mortis reum iudicare debuerint. Solemni igitur ritu adcitatus, et cum non appareret, Senatus regius Viennenſis die 17. *Jun.* praeſentibus Primariis cauſſarum patronis, ſententiam tulit, qua accuſatus, tanquam criminum conuictus, condemnatus, vt Regi mille libras in mulctae poenam penſitaret, et in carcerem aliquando ductus in locum ſupplicii carro vehendus, ibidemque viuus vna cum libro typis exſcripto comburendus eſſet; interea autem, abſentis effigies et libri exemplaria

 igne

igne cremanda, omnesque eius facultates, deductis litis expensis, Fisco vindicandas esse. Magnum exemplarium numerum, ipse *Seruetus* d. 13. Jan. 1553. *Lugdunum* miserat, apud quendam, *Petrum Marlinum* sub rudis chartae specie; quae magistratu iubente, *Viennam* translata sunt. Sententia igitur in hac caussa enunciata exsecutioni data est, exemplaria *Lugduno* aduecta, quae quinque fasces (Ballen) complectebantur, in carro ad locum supplicii translata, ibidemque effigies primum a carnifice ad patibulum suspensa, et paulo post, haec vna cum libris impressis, lento igne combusta sunt.

Rarissima proinde sunt *Restitutionis Christianismi* Exemplaria prelo exemta, calamo descripta frequentiora. Tenuit Bibliotheca *Ven.* D. *Jablonskii*, Prof. Acad. Francof. librum hunc ex impresso exemplari, *Claudiopoli* in Transyluania elegante Calamo descriptum, in *folio*, cui Sam. Crellius, a quo La Crozius illum magno pretio emerat, haec verba adposuit: *Christianismi restitutio descripta est, partim a socero meo,* Jo. Preussio, *partim a* Jeremia Felbingero, *partim ab ignoto mihi homine. In media parte libri a p. 367. ad p. 840. incl. manus est* Felbingeri; *p. 841. vsque ad p. 869. item p. 873. ad p. 920. est manus ignoti. Primam partem libri et reliqua omnia socer meus descripsit. Vsi vero sunt descriptores isto codice* Serveti *typis impresso, quem* Daniel Marcus Szent-Ivani, *Alumnus ecclesiae Vnitariae Transyluanicae, postea Plebanus ecclesiae Claudiopolitanae et Episcopus reliquarum per Transyluaniam ecclesiarum, in Anglia, nescio vbi et quomodo nactus, cum per Marchiam Brandenburgicam remearet in patriam,* (quod inter annum 1660 et 1670 contigisse colligo.) *cum* Preussio *communicauerat. Haec adscripsi in gratiam Ampl.* et *Excell. Dom. Possess. Berolini* d. 3. *Aug.* 1720. Sam. Crellius, Jo. Crellii, *Franci*, *nepos.* Impressum exemplar, quod tenuerunt Vnitarii Claudiopolitani, sine dubio in manus Jesuitarum incidit, de cuius fato

fato *Sam. Crellius*, in manu defcripto exemplari alio hanc notam adiecit. „Poftea *Amftelodami* anno 1735 a Clarif„fimo *Stephano Agh*, ecclefiae Vnitariorum Tranfyluano„rum, tunc alumno ftudiofo, nunc Profeffore Gymnafii „eorum Claudiopolitani, percepi, opus illud typis im„preffum Seruetianum, jam inter Vnitarios Tranfyluanos „non reperiri. Nam cum eis, occupata a *Leopoldo* Im„peratore Tranfyluania, vtrumque Templum Claudiopoli „a Romano-Catholicis adimeretur, imminente hoc peri„culo improuide fecuri, neglexerunt Bibliothecam fuam „e Templo maiore, vbi collocata fuerat, mature fubdu„cere, quae proinde a Iefuitis occupata fuit."

Quod non angufta res domi *Serueto* Viennae fuerit, immo potius *Galenus* ipfi opes haud mediocres dederit, vel exinde intelligitur, quod mille libris Gallicis (1000 Livres) fifco regio folutis et impenfis forenfibus deductis; tanta reftaret fumma, quam nobilis Gallus *de Maugeron* fibi pro filio fuo a Rege expetendam, iudicabat dignam.

Fuga mortis periculum praeuertens, apud fe conftituerat *Neapolim* proficifci, ibique inter Hifpanos ifto loco degentes ex praxi medica vitam fuftentare. Iter hoc per *Geneuam* ingreffus, vrbem hanc die 12 vel 13. *Julii* tetigit, in diuerforio per integrum menfem clanculum latuit, publice non prodiit, nec cum quoquam de rebus theologicis colloquutus, vel placita fua cuiquam perfuafit, occafionem itineris profequendi tantum exoptaturus. Sed praefentia ejus *Caluino* innotuit, qui id officii Deo et coetui fuo debere putabat, vt tantae proteruiae haereticus, vel ad recantationem errorum cogeretur, vel promeritas, vt arbitrabatur, poenas daret. Adeffe *Seruetum*, Senatori cuidam Geneuenfis reipublicae denunciauit, additis precibus, vt hominem fuo periculo in carcerem duci iuberet; quod, cum *Caluinus* multum auctoritate atque confiliis apud Geneuenfes valeret, die 13. Aug. factum eft. Ipfe in ep. ad *Sulcerum* d. 9. Septembr. in *Epp. Cal-*

 vini,

vini, n. 156. p. 294. ita ſcribit: „*Tandem huc malis auſpiciis appulſum, vnus ex Syndicis, me auctore in carcerem duci iuſſit. Neque enim diſſimulo, quin officii mei duxerim hominem, plus quam obſtinatum et indomitum, quoad in me erat, compeſcere, ne longius manaret contagio.*" Et in *Refut. errorum Serueti*, p. 187. „*Nec ſane diſſimulo, mea opera conſilioque iure in carcerem fuiſſe coniectum.*"

Iam diu *Caluinum* hoc mente ſua volutaſſe, ſi aliquando *Serueti* potiri poſſit, in ep. ad Viretum *Lauſonii in Heluetia* miniſtrum, perſcripſit: „*Seruetus cupit huc venire: Si venerit nunquam patiar, vt ſaluus exeat.*" Squalidum *Serueto Geneuae* triſtemque fuiſſe carcerem, ex eius ep. ad Senatum Geneuenſem quinta poſt incarcerationem Hebdomade ſcripta adparet. *Caluinus* famulum ac diſcipulum ſuum, *Nicol. de la Fontaine* ſubornauit, qui incarceratum ſollemni ritu, more recepto accuſaret, cui tenorem libelli accuſatorii, qui 38. criminationibus abſoluebatur, in calamum dixit, illumque die 14. Aug. quo primum cum conſtricto examen inſtitutum, Senatui exhiberi curauit. Ad errorum imputationem minus determinate reſpondit *Seruetus*, immo eosdem vel plane negauit, vel prouide excuſauit, a ſe tamen in Germania libros *de Trinitatis erroribus*, et in Gallia *Reſtitutionem Chriſtianismi* editos eſſe, nec non in *Ptolemaeum* et in *Biblia ſacra* obſeruationes confectas, non inficiabatur. Ad Articulum 37, quo in ius vocabatur, quod *Caluinum* quibuscunque obtrectationibus et calumniis aggreſſus fuerit, hocque auſu ſimul doctrinae Geneuenſium maculam adſperſerit, reſpondit: Quod *Caluinus* primus aggreſſor exſtiterit, ipſumque publicis ſcriptis eluſerit, aduerſus quem ſe defendiſſet et aduerſario ſuo proprios errores monſtraſſet. Non minus *Melanthonem*, mitiſſimum et malorum tolerantia inclytum, contumeliis ſuis adfecerat, in vltima *Reſtitutionis Chriſtianismi* parte; ſed earundem *Seruetum* in ius vocatum eſſe, non legimus. In ſecundo examine, quod d. 15. *Aug.* habebatur, *Caluinus* et miniſtri Geneuen-

neuenſes, rogante Magiſtratu praeſentes aderant. Pergebat in accuſatione *Fontanius*, vrgebatque, vt *Seruetus* cogeretur diſtinctius ad articulos reſpondere; qui etiam de dicenda veritate admonitus, alios conceſſit, alios a ſe amolitus, de nonnullis vero palam mentem ſuam declarare tergiuerſatus eſt. *Caluinus* vero ita captiuum ſua eloquentia et auctoritate tenuit, vt elabendi occaſionem repeririret nullam.

Si vera ſunt, quae ad *Farellum*, d. 20. Aug. in Epp. n. 134. p. 290. et in *Refut. errorum Serueti* p. 703. narrat, captiuus in feruore diſputationis dixit: *malis geniis ineſſe diuinitatem, immo ſingulis plures ineſſe Deos: quia Deitas ſubſtantialiter tam illis, quam ligno et lapidi communicata fuerit.* Excuſandus tamen omnino videtur, homo commiſeratione dignus, ſi in procelloſo hoc impetu, cuius auctorem infenſiſſimum coram intuebatur, quaedam loquutus fuerit, quae alio tempore et in tranquilla vitae ſtatione prorſus deteſtatus fuiſſet. *Caluino* in faciem dixit, quod ipſum adeo perſequutus fuerit, vt, ſi ex eius voluntate ſtetiſſet, in cinerem crematus iam eſſet. Examine hoc finito, inculpatus parum fauſta ſibi ominari potuit; eundem enim variis modis grauatum, ac palmaria capita aduerſus eum probata, Senatus enunciauit. Potuiſſet quidem *Seruetus Geneuae* exceptionem fori formare, imprimis cum Magiſtratus Viennenſis, vt ſibi extraderetur ex vinculis profugus flagitaret; ſed ipſe hoc forum recuſans, *Geneuae* iudicari maluit; mitius ſaltem inter Proteſtantes ſupplicium expectans; quae ſpes eum maxime fefellit, qui duriora inter Romano-Catholicos tormenta experiri non potuiſſet.

In tertio examine d. 16. Aug., Fontanius cum cauſſarum patrono, Iuriſconſulto, cui nomen *Germain Colladon* comparuit, omnesque libelli accuſatorii articulos ex libris *Serueti*, aliisque documentis accuratius probauit. Die 18. Aug. *Fontanius* iterum cum eodem procu-

ratore aderat et quaedam accuſationis momenta nouis argumentis adſtruxit, quibus omnibus *Caluinus* praeſens, eloquentia et diſputandi arte, in primis auctoritate ſua maximum pondus addidit. Poſt multas criminationes ex edito *Ptolomaei* opere, et adnotationibus Bibliorum editioni adtextis, tandem ad eiusdem errores de S. Trinitatis myſterio, et de Perſona Chriſti peruentum eſt, qui, iuxta placita ipſius aduerſus *Paedobaptismum*, principes excidii ſui rationes exſtiterunt. Praelegebatur locus ex *Reſtit. Chriſt.* quo orthodoxam de tribus in eſſentia diuina perſonis, doctrinam, *Auguſtini ſomnia*, ridiculas naenias, et qui eam defendunt, *Tritheitas* apellauit, hosque notauit, quod triformem Deum, tricipiti Cerbero ſimilem, ſibi fingerent. Ad quam criminationem prolixe reſpondit, inter alia prouocando ad antiquiſſimos Eccleſiae Doctores, *Ignatium*, *Polycarpum*, *Clementem Romanum*, *Irenaeum*, *Clementem Alexandrinum*, *Tertullianum*, *aliosque*, quorum teſtimonia in opere ſuo citaſſet, quique eandem fidem defendiſſent. Negauit, quod Tritheitas vocauerit, ſimpliciter Trinitatem diuinam ſtatuentes; ſiquidem ipſe eandem profiteatur; illos autem merito ita dici, qui realem diſtinctionem in diuina eſſentia ſibi imaginarentur; ab his enim vnitatem diuinae eſſentiae deſtrui, hos quoque Trinitarios et Atheos vocaſſe. Eſſe quidem in Trinitate, perſonale, ſed non reale diſcrimen; ſe cum omnibus Chriſti ciuibus in Deo tres credere perſonas, ſed vocabulum perſonae a ſe alio plane ſenſu accipi ac quidem a recentioribus. Perſonam ſiue hypoſtaſin ſibi eſſe ſubſtantiam viſibilem vel apparentem, (*une ſubſtance viſible ou apparente*) non erroris a ſe vocari eos, qui diſcrimen attributorum in Deo ſtatuerent, quod ipſe crederet; ſed illos ſe auerſari, qui Deum realiter diſtinguunt ac diuidunt. Quod veram Trinitatem cum Gentilium poetarum *Cerbero*, comparaſſet, conſtanter negauit; falſam ac imaginariam tantum ſimili hoc innuiſſe confeſſus eſt.

Ad

Ad *Seruatoris perſonam* quod attinet, ipſi exprobatum éſt, quod de eodem indecentes ac erroneas opiniones defenderit, diuinitatem ipſius negauerit, ſtatueritque, quod homo Ieſus in S. Sc. eam tantum ab rationem appelletur Deus, quia ex tribus eſſentiae Patris elementis, igne, aere, et aqua formatus ac compoſitus ſit. Inquiſitus per iniuriam ſibi haec imputari, querebatur; ſe enim Chriſti Deitatem credere, firmiterque ſibi perſuaſum eſſe, Ieſum Chriſtum eſſe Filium Dei, ab aeterno a Patre genitum, et in tempore per Spiritum S. in vtero virginis Mariae conceptum, diuinitatem autem tempore conceptionis, humanitati eius eſſe conceſſam, et carnem diuinitatis factam eſſe participem, carnis vero ipſius materiam a Maria virgine proueniſſe. Calumniam eſſe, quae de tribus in eſſentia paterna elementis ſibi tribuantur, cum defenderit ſaltem, quod trium horum elementorum, nec non omnium rerum creatarum conceptus in Deo fuerint. Duplicauit *Caluinus*, quod mentem ſuam occultare niteretur, variisque librorum ipſius locis monſtrare voluit, quod aliam plane tuitus fuerit opinionem.

Poſt longam acerbamque de his aliisque diſceptationem, ad argumentum de *Paedobaptismo* deſcenderunt, quem *Seruetus* acerrime oppugnauerat L. IV. P. III. *Reſtit. Chriſt.* his verbis: „*Paedobaptismum deteſtandam eſſe dico abominationem, Spiritus S. extinctionem, Eccleſiae Dei deſolationem, totius profeſſionis chriſtianae confuſionem, innouationis per Chriſtum factae abolitionem, ac totius eius regni conculcationem.*" Huic Iudicio ſubiungit preces: *O Pater omnipotens, Pater miſericordiae, eripe nos miſeros ab his mortis tenebris, per nomen filii tui Domini noſtri J. C. O fili Dei J. C., qui pro nobis mortuus es, ne moreremur, ſuccurre ne moriamur. Hoc vnum, vt nos docuiſti, te ſupplices oramus, ſanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum, et tu ipſe Domine veni. In apocalypſi ſponſa tua Eccleſia orans dicit, veni, ſpiritus filiorum tuorum ibi orans, dicit, veni. Omnis qui haec audit, oret,*

clamet,

clamet, et cum Joanne dicat veni. Venies certe tu, qui dixisti: Venio cito, Apoc. XXII. *et Anti-Christum aduentu tuo certo destrues 2 Thess.* II. *fiat Amen.*" Cum isto tempore Anabaptistae, hisque fauentes, tanquam homines rebelles, Magistratui aduersantes et mortis supplicio digni haberentur; *Seruetus* ex hoc accusationis momento maximum in se odium et vindictam conuertebat, praecipue cum coram iudicio profiteretur, baptismum ante annum vitae vigesimum inutilem esse, quia homines, peccato licet infecti, hoc ignorantiae tempore peccata mortalia non committant.

Denique ad istum libelli accusatorii articulum iterum deueniebatur, quo *Caluinum* et vniuersum Geneuensem coetum, fideiqué doctrinam ab hoc susceptam, lacessisse, ac contumeliis onerasse in ius vocabatur; quam imputationem accusatores, variis, praeter ea, quae ex *Restitutione Christianismi* adduxerant, documentis, praecipue litteris *Serueti* ad *Abelem Pepinum* datis, nec non notis manu sua libro *Caluini, institutioni religionis christianae* additis probatam dederunt. Ad hanc eadem, qua antea ratione, scilicet *Caluinum* calumniandi et obtrectandi initium fecisse, sibique, paria ipsi referenti, vitio id verti non posse, respondit; epistolam *Pepino* scriptam, et librum *Caluini* notis calamo adscriptis castigatum, nusquam lucem publicam vidisse, nec solidum grauaminandi argumentum substernere. De libro *Restitutionis* iterata vice interrogatus, libere omnia professus est, sicque finito examine, et semotis accusatoribus, Senatus iudicauit, plurima libelli accusatorii momenta esse comprobata, litemque hanc ita instructam, quo secundum leges et statuta, vlteriori procedendi modo et ordini, in hac republica recepto, committeretur. Interim die 21. *Aug.* in nouo examine testimonia Patrum antiquissimorum, de S. Trinitate, ad quae *Seruetus* prouocauerat, discussa et ita a *Caluino* explicata sunt, vt eadem *Serueto* non tantum minime suffragarentur, sed orthodoxam quoque doctrinam omnino euincerent. In hoc certamine accusatus varia quidem quaesiuit

recep-

receptacula, quibus expulſus maximam prae ſe ferebat indignationem. *Caluinus Refut. errorum Serueti*, p. 703. ſignificat, quae circa explicationem locorum *Juſtini* iſto tempore contigerunt, his verbis: „*Huius rei iocoſum et riſu dignum ſpecimen in Juſtino Martyre exhibitum fuit. Nam quia magnifice iactabat, aureo eius ſeculo incognitas fuiſſe de Trinitate et perſonis fabulas, codicem ſtatim adferri iuſſi, et digito monſtraui certos locos, in quibus ſanctus vir, non minus aperte fidem noſtram aſſerebat, quam ſi rogatu noſtro ſcripſiſſet. Atqui graecum ſermonem nihilo magis legere, quam puer Alphabetarius potuit. Tum ſe turpiter deprehenſum videns, ſtomachoſe latinam translationem ſibi dari petiit. Quid hoc rei eſt dixi? quum nulla exſtet latina translatio, Graece legere neſcias: tamen in Juſtini lectione te familiariter verſatum eſſe fingis. Vnde igitur tibi illa teſtimonia, quibus citandis adeo liberaliter tibi indulges? ille, vt ſolebat, ferrea fronte alio tranſiliens, nullum vel minimae verecundiae ſignum dedit.*" *Caluinum* in hac parte animo praeoccupato ac inuidioſo iudicaſſe, graecae linguae ignorantiam aduerſario obiiciendo, ex ſcriptorum *Serueti* oculari inſpectione luculenter adparet, in quibus varia *Ptolemaei* et *Galeni* loca ex Manuſcriptis codicibus correxit et integritati reſtituit, ex LXX. interpretum verſione et textu N. T. autentico haud pauca teſtimonia allegauit, eademque alio plane modo, quo ab aliis explicantur, expoſuit. Non graecae tantum, verum quoque Hebraicae linguae bene gnarum fuiſſe, ex ipſius iudicio in *Reſtit. Chriſt.* colligi poteſt: *In perniciofos illum incidere errores, qui ſanctas ſcripturas tractabit, ſine cognitione lingae ſanctae.* Hoc ipſo certamine, de vocabulis *Perſonae* et *Hypoſtaſeos*, diſceptatio ventilata eſt, in qua ex vtraque parte obiurgationes et conuitia effuſa eſſe, coniecturam facimus, quamuis *Caluinus* l. c. p. 695. teſtetur: *Se, quum Seruetus plenis buccis conuitia ſubinde in ipſum euomuerit, quorum iudices ipſos pudebat, ac pigebat, ab eius inſectatione abſtinuiſſe.* Diſceſſus *Caluini* cum Eccle-

ſiae

ſiae miniſtris pugnae finem fecit; *Serueto* ex iis, quae agebantur, certo augurante, rem ſuam ſerio tractari, maximumque ſibi vitae imminere diſcrimen. A iudicibus petiit, vt quidam libri pro pecunia, quam lictor in carcerem ducto abſtulerat, emerentur, et nonnullorum quoque operum ex iis, quae attulerat *Caluinus*, item chartae, atramenti ac calami concederetur vſus; quae omnia ex voto obtinuit.

Inculpatus d. 22. *Aug.* Senatui libellum ſupplicem Gallice ſcriptum transmiſit, (*Moshemius* l. c. p. 417) quo monſtrauit: quod ſecundum praxin et diſciplinam Apoſtolorum, ac primae Eccleſiae, in rebus fidei et explicatione S Scripturae, capitalis inquiſitio locum non habeat, immo potius de erroribus accuſatos, vna cum accuſatoribus, a iudiciis ciuilibus ad Eccleſiam ablegatos eſſe, cui controuerſias diiudicandi negotium tantum competeret, quod ex *act.* XVIII. et XIX. probauit, ſimulque addidit, eundem *Conſtantini* M. tempore ordinem in certaminibus *Arii* et *Athanaſii* ſeruatum eſſe; errorum ab Eccleſia conuictos ac damnatos, niſi reuocaſſent, et ad ſaniorem mentem rediiſſent, exſilio et excommunicatione, nec vnquam duriori poena eſſe adfectos. Si etiam vel maxime aduerſus haereticum capitalis accuſatio inſtitui poſſit, ipſum tamen eadem eximendum eſſe, cum nemini in diſtrictu Geneuenſi, nec alio loco, ſua doctrina ſcandalo fuerit, nec excitato tumultu publicam tranquillitatem turbauerit. Quamdiu in Germania verſatus eſſet, tantum cum *Oecolampadio*, *Bucero et Capitone*, in Gallia vero cum nemine de momentis grauioris argumenti ab eruditis ſaltem dignoſcendi, collocutum eſſe. Tumultuantes et aduerſus Magiſtratus rebelles Anabaptiſtas ſe toto pectore auerſari, ac proinde capitis accuſari non poſſe. Quodſi his non obſtantibus inquiſitionem inchoatam proſequi vellent, cauſſae ſuae Patronus ac defenſor concederetur; cum extraneus et ſtatutorum huius prouinciae ignarus, coram iudicio ſe defendere, et rem ſuam tueri neſciret. Finem,

quem

quem intendebat inquisitus, hoc libello non consequutus est, cum ex legibus reipublicae, inprimis istis, quae adversus haereticos priscis temporibus latae erant, et adhuc vigebant, absolui non potuerit, nec *Caluinus*, qui in ecclesiasticis plurimum valebat, in absolutionem consensisset, quo iudice aut publice reuocare, aut mori debuit. Quae praeterea in hac caussa omni respectu criminaliter instructa, d. 23. Aug. acta sunt, quid iussu Senatus inter *Calvinum* et *Seruetum* scriptis decertatum, et quomodo haec omnia ecclesiis helueticis ad iudicandum de illis commissa sint, ac qualis sententia ab his lata, haec et alia longa serie apud *Moshemium* l. c. p. 179. seqq. leguntur.

Transmisit nimirum Senatus scripta a *Caluino* et *Serveto* exhibita, quibus ille huius errores propriis auctoris verbis proposuerat, hic ab imputatis se purgare studuerat, ad Senatum *Tigurinum*, *Bernensem*, *Basileensem* et *Scaphusianum*, circa finem m. *Sept.* eo fine, vt virorum ecclesiasticorum sententiam exposcerent, an captiuus pro nocentissimo haeretico habendus, et quid, hoc euicto, secundum leges diuinas aduersus eum statuendum foret; ipsi vero Magistratus, quid statuta ciuilia in hoc casu praecipiant, cohibeant, vel permittant, communicato consilio enunciare velint. Interea temporis, cum Magistratus et Ministri horum coetuum de caussa *Serueti* deliberarent, et fama diuulgaretur, ministros non lenitatem, sed mortis supplicium suasuros esse, *Dauides Georgius*, epistolam (non primo *Julii*, vt in fine legitur, sed primo Octobris scriptam,) sine nominis subscriptione, Magistratibus helveticis hortatoriam et intercessionalem pro *Serueto* exhibuit. Testatur in eadem, quod, accepto nuntio, de pio *Serueto* ex inuidia et odio Magistratui tradito, deque viris ecclesiasticis mortis sententiam aduersus eundem pronunciaturis, tanta sollicitudine adfectus fuerit, vt tanquam membrum corporis Christi ob hanc iniuriam vocem suam extollere, animumque suum coram Domino exponere debuerit. Spem firmam se concipere, Magistratus non per-

versis

versis Ministrorum consiliis, sed potius supremo coetus Christiani Doctori obtemperaturos, qui neminem propter fidem occidi velit. Horrendam esse coecitatem ac tyrannidem, quando Euangelii ministri, a Deo vncti, vocati et missi, ad reuocandum mortuos in vitam, animasque emendandum, et ad veritatis agnitionem ducendum, a vero aberrantes mortis supplicio addicunt, et per mortem temporalem his aeternam quoque contrahunt. Nemini tale iudicium, nisi vitae auctori et animarum Redemtori conuenire. Magistratus officium esse, impios et sceleratos punire, pios vero defendere et praemunire, ne ab impiis propter fidem opprimantur et occidantur. Qui aliorum sanguinem sitiunt, non esse discipulos Christi, sed homicidas ab initio. Si licitum esset, haereticos interficere, vniuersalis caedes in hoc orbe foret, paucissimique homines viui seruarentur. Cauendum omnino esse, ne alii coetui gladius tradatur, ad trucidandum, quos haereticos iudicat. *Seruetum* haereseos ac contumaciae quamuis conuictum, non tamen esse occidendum et opprobriis afficiendum, sed potius amice admonendum, et incorrigibilem tandem vrbis terminis expellendum. Iussisse Ecclesiae Dominum Zizaniis iuxta triticum in agro coetus sui concedendum esse locum, sibique reseruasse, illa seculo demum futuro per messores suos a frumento separare. Finem epistolae seria adhortatione fecit, ad exercendam misericordiam, non effundendum sanguinem, nec iudicandum, ne ipsi iudicentur.

Nihil omnino epistola, nec imprudenter, nec plebeia ruditate scripta caussae *Serueti* profuit, cum *Caluinus* auctoritate et persuasione sua inter heluecticos quam plurimum valens, omnes iudicio suo fauentes iam antea habuerit. *Tigurini* ad votum *Caluini* responderunt, et Senatui Geneuensi ad seuerissima consilia aduersus impium et blasphemum suasores extiterunt. V. *Caluinus* l. c. p. 724. seqq. *eiusdemque epp. et resp.* N. 159. p. 297. seqq. Cum his conueniebant *Scaphusiani*, qui praeterea *Serueti* placita

placita refellere diſſuadebant, quod nihil aliud eſſet, quam cum inſaniente inſanire. *Baſileenſes* miniſtri hortabantur, vt Geneuenſes omne ſtudium in ſanando *Serueto* adhiberent, morboque, quo alios infecit, medicinam pararent; ſi vero incurabilis in contumacia perſtaret, pro officio et poteſtate a Domino acceptis eum coërcerent, ne Eccleſiae damnum conciliaret, fierentque nouiſſima prioribus deteriora. *Bernenſium* miniſtrorum litteras, *appoſitas Caluinus* ep. 161. ad *Farellum* l. c. p. 304. vocat, qua voce non tantum laudis his tribuere videtur, quantum reliquis, nec id ſine ratione, cum Bernenſes circa finem epiſtolae talia enunciarint, qualia *Caluinus* ipſos ſcripſiſſe nolebat. His enim verbis illam finiunt: „*Oramus Dominum, vt det vobis ſpiritum prudentiae, conſilii et fortitudinis, vt et peſtem hanc ab eccleſiis cum veſtra, tum aliis auertatis: et ſimul nihil admittatis, quod Magiſtratui Chriſtiano inconueniens videri poſſit.*" De *Magiſtratus Bernenſis* epiſtola, qua miniſtrorum conſilia comitabatur, *Caluinus* ſentit: quod non parum eadem ſtimulati fuerint *Geneuenſes. Jo.* Hallerus, miniſter coetus Bernenſis iſto tempore meritiſſimus, in *Ephemeridibus* rerum ab anno 1548 ad annum 1565 in vtroque ſtatu, politico et eccleſiaſtico, *Bernae* geſtarum, quas auctores *Muſaei heluetici* part. V. p. 79. ſeqq. typis exſcribi curarunt, multa fide digna de *Serueto* expoſuit. Inprimis exinde patet, reliquos coetus helueticos, ſententiae mortis de *Serueto* ſumendae calculum ſuum non adieciſſe. Sic autem l. c. p. 102: „*M. Sept.* (die potius 13 Auguſti) *Geneuae deprehenſus eſt* Michael Seruetus, *blaſphemus, qui S. Trinitatem non negabat modo, ſed Cerberum quoque Tricipitem vocare audebat; pertinax haereticus. Qui cum in vinculis ſuas adhuc blaſphemias tueretur, Senatus Geneuenſis helueticarum Eccleſiarum conſilio vti voluit, et miſit integros proceſſus ad omnes Eccleſias. Reſponderunt illae, ſicut poſtea typis vulgatum eſt. Non tamen in necem eius aperte omnes conſenſerunt. Tandem ille 27 Oct. Geneuae exuſtus*

 eſt.

est. Quod illius supplicium, licet illo dignissimus esset, multis dedit occasionem dissentiendi, cum alii hoc recte factum esse, defenderent; alii putarent, non admittendum fuisse eiusmodi exemplum in Ecclesiam, ne occasio daretur amplior Papistis erga fideles igne saeuiendi; et veteres etiam, haereticos verbo Domini, non supplicio vicendos esse duxissent."

Seruetum proinde omnium Helueticarum Ecclesiarum sententia damnatum esse ad mortem, statui nullo modo nequit, quamuis omnes illius errores damnauerint. Omnium coetuum litterae in eo conspirant, quod Geneuensium officium sit, captiui temeritatem compescere, et errorum incrementa impedire; qua ratione vero id fieri possit, vel debeat, nullus determinauit, multo minus *mortis*, nedum *viuicomburii* sententiam pronunciauit. A veritate hinc alienum est, quod *Caluinus* in *opusculis Theol.* p. 724. perhibet: omnes Helueticos Theologos morte dignum iudicasse *Seruetum.*

Nouae hinc, acceptis Magistratuum et Ministrorum consiliis, deliberationes a die 21. *Oct.* instituebantur a Geneuensibus, ad quas ordo quoque ciuicus vocatus, nec non nouum ministrorum circa hanc materiam responsum requirebatur. Vix dubitari potest, quin hi, *Caluini* auctoritate permoti, mortis supplicium suaserint. Reliqui iudices in sententia ferenda discreparunt, alii aliter damnarunt, nonnulli ad exsilium, alii ad perpetuos carceres, pars maior ad mortem, nisi recantaret, hi vero in mortis genere non conuenerunt. Tantem per plurima suffragia secundum leges antiquas aduersus haereticos latas, igni adiudicatus, haecque mortis sententia, die 26. Oct. in Senatus consessu enunciata est. *Caluinus* et ministri Geneuenses certiores de eadem facti, litteris ad Senatum datis, atrocissimum hoc supplicium in quoduis aliud minus horrendum precibus suis intercedentes, mutare studuerunt; *Caluino* enim sentiente capitale quidem de *Serueto* sumendum

dum, mortis vero genus mitigandum eſſe. Nihil vero rogantes obtinuerunt, et ſententia immota ſtetit, qua, crimine *Serueti*, ac rationibus, in hac cauſſa decidendi, adductis, tanquam nocentiſſimus maleficus condemnabatur, vt vinctus ad ſupplicii locum *Champel* dictum, ducendus, ibidem ad palum alligandus et vna cum libro ſcripto, (qui ſine dubio idem fuit, quem ante ſex circiter annos *Caluino* transmiſerat, *reſtitutio* nimirum *Chriſtianismi*, poſthac ab auctore pluribus locis correctus,) et typis expreſſo, ad cinerem concremandus ſit. V. *Moshemius* p. 444. ſqq.

Hoc ipſo die mortis ſententia *Serueto* publicata, addito nuntio, poſtero die exſecutioni dandam eſſe. Quanta animi perturbatio miſerum occupauerit, facile coniici poteſt, in primis cum occulti quidam amici, odio aduerſus *Caluinum* incitati, inquiſito bene cupientes, ſpem melioris euentus fecerint. *Seruetum*, mortis ſententiam audientem *Caluinus* deteſtando zelo et animo omnis humani ſenſus vacuo, l. c. p. 703. his verbis depingit: „*Ceterum ne male feriati nebulones, vecordi hominis peruicacia, quaſi martyrio glorientur: in eius morte apparuit belluina ſtupiditas, vnde iudicium facere licet, nihil vnquam ſerio in religione ipſum egiſſe. Ex quo mors ei denuntiata eſt, nunc attonito ſimilis haerere, nunc alta ſuſpiria edere, nunc inſtar lymphatici eiulare. Quod poſtremum tandem ſic inualuit, vt tantum Hiſpanico more reboaret: Miſericordia, Miſericordia.*" Circa hanc *Caluini* relationem, auctor ſub *Vaticani* nomine latens, qui libellum illius, quo oſtendere conatur, *haereticos iure gladii eſſe coercendos*, refutauit, p. 172. optime animaduertit: „*Etſi credo, omnia haec, inuidioſe et mala fide a Caluino dici, et accuſatorie magis, quam vere narrari, tamen etiam ſi vera eſſent, nullam hic video belluinam ſtupiditatem. Eam enim in militibus et inhumanis hominibus intelligimus, qui metu mortis non magis mouentur, quam belluae. Ad hominem moueri, humanum eſt, non belluinum. Edidit et Ezechias*

alta ſuſpiria, cum ei nunciata eſſet mors longe mitior, quam Serueto, et columbae, ſiue gruis ritu, quaerulos et miſerabiles clamores edidit. Jobus ipſe, qui patientiae ſpecimen proponi ſolet, haeſit attonito ſimilis totos ſeptem dies, cum tamen amici ei non tam triſte nuntium adferrent, quam inimici Serueto. Poteſt fieri, vt et pius aliquis in morte eiulet, et impius cantet: et contra, vt et pius cantet, et impius eiulet: ita non ſunt haec animi certa indicia. Seruetum *quidem commotum fuiſſe, nihil miror. Ipſe* Caluinus, *qui nunc mortuo tam petulanter inſultat, ſi eſſet in eo ſtatu, neſcio, quid faceret, cum ſaepe ſoleat, ſi quis in eum liberius loquutus eſt, cadere ſtatim in morbum ſuum, quem hemicraniam appellant; tanta eſt iracundiae impatientia. Fere fit, vt quo quisque magis ſerocit, dum abeſt a poena, idem magis frangatur, dum ea adeſt. Credite mihi, lectores, aliud eſt de igne ſub vmbra loqui, aliud videre, ſe a carnifice ſulphure conſpergi, et ignem faciei in orbem admoveri. O Caluine! Caluine, vide ne tecum in hac,* (id quod eſſet melius,) *vel in futura vita talione agatur.*" Libro iſti, in cauſſa *Serueti* aduerſus *Caluinum* concinnato, alium addimus, quem *Caluinus*, (a. 1564. die 27. Maii defunctus) non vidit, qui etiam poſt auctoris obitum in lucem prodiit, ſub tit: *In haereticis coercendis quatenus progredi liceat,* Mini Celsi Senensis *diſputatio. Vbi nominatim eos vltimo ſupplicio adfici non debere demonſtratur. Chriſtlingae* 1577. 8. Recuſus eſt cum *Theod. Bezae* et *Andr. Dudithii* epiſtolis duabus. *Baſil.* 1584. 4. V. B. A. p. 302. et *Schelhornius de Mino Celſo Senenſi, rariſſimae diſquiſitiones in haereticis coercendis quatenus progredi liceat auctore,* etc. nec non in amoenit. T. VII. p. 68. *Minum Celſum,* nomen auctoris proprium fuiſſe, non adſcititium, noſtra aetate ab omnibus conceditur; cum olim crederetur fictum, quo *Laelius* vel *Fauſtus, Socinus,* vel *Seb. Caſtalio* vel alius denique latere voluerit. Scripſiſſe autem illum librum ſuum primum italica, et deinde in linguam latinam transtuliſſe, auctor nos docet p. 117. *Minus* iſte

Celſus

Celsus Pauli V. Pontificis truculentia, qua in plurimos ſummae dignitatis viros ſaeuiebat, territus, aetate iam prouecta, patriam tellurem a. 1569. relinquere, et in *Raetia* ſecuritatem quaerere coactus fuit, vbi tum temporis Italorum ſeges abundabat, indeque poſt triennii moram circa a. 1572. *Baſileam* migrauit, vbi probabiliter vita quoque defunctus eſt.

Ipſa mortis ac ſupplicii die 28. *Oct.* compoſitum ac tranquillum homo commiſeratione dignus exhibuit animum, niſi quod tremendus ignis adſpectus, et dolor, quo excruciabatur, eum paululum turbauerint. Obitus ipſius hiſtoria ex litteris GUIL. FARELLI, Neoburgenſis coetus miniſtri, peti poteſt, qui *Seruetum* ad rogum comitabatur, *Ambroſio Blaurero* ſcriptis, ex quibus HOTTINGERUS in *hiſt. Reformat, Heluet.* p. 804. praecipua momenta expoſuit. His addenda eſt hiſtoria de truculenta morte *Serveti*, quam *Moshemius* p. 446. ſqq. ex *Vaticani* libro allegato p. 187. exſcripſit. FARELLUS Neoburgo euocatus, vt morituro in vltimo vitae diſcrimine, munere ſuo praeſto eſſet, qui Geneuenſes miniſtros omnes non ſine ratione pro inimicis ſuis habuit, ac propterea horum officium recuſauerat. Aderat *Farellus* hora 7. in carcere, *Seruetum* ſerio admonens, vt in vltimo vitae limine conſtitutus reſipiſceret, delicta, quibus Deum et Eccleſiam offendiſſet, triſtis agnoſceret, et ad veram de S. Trinitate, et Filio Dei doctrinam reuerteretur. Expetiit ſibi ad haec *Seruetus* a *Farello*, vt vnico S. Scripturae dicto euinceret, Chriſtum appellari Filium Dei. antequam e Maria virgine homo natus. Qua ratione eum meliora docuerit *Farellus*, non narrauit, id tantum addens: condemnatum in ſuo errore firmiter perſtitiſſe. Pergebat hortando, vt moriturus tanquam Chriſtianus, cum *Caluino*, quem offendiſſet, reconciliaretur, ad quod etiam miſerabilis paratum animum declarabat. Id cum e veſtigio nunciaretur *Caluino*, isque vt in carcerem ad *Seruetum* veniret, rogaretur, hoc ex ea ratione recuſauit, quod abſque permiſſu Senatus

 ſibi

ſibi licitum non ſit, cum *Servueto* loqui. Annuente Senatu duosque Senatores delegante *Caluinum* in carcerem comitantes, hunc hoſtem ſuum, *Seruetus* duabus ante mortem horis comiter ac ſubmiſſe excepit, et interroganti, quidnam vellet, reſpondit, ſe veniam omnium offenſionum ab eo petere. Quid *Caluinus* longa oratione ad eum dixerit, ipſe l. c. p. 687. his verbis narrauit: „*Ego ingenue praefatus, me nunquam priuatas iniurias fuiſſe perſequutum, quanta potui manſuetudine admonui: iam me ante annos ſexdecim, non ſine praeſenti vitae diſcrimine, obtuliſſe meam operam ad eum ſanandum, nec per me ſtetiſſe, quo minus reſipiſcenti manum pii omnes porrigerent. Deinde litteris priuatis, cum ipſo placide egiſſe, nec vllam captaſſe oſtentationem. Denique nullum a me beneuolentiae officium fuiſſe praetermiſſum, donec liberis meis obiurgationibus magis exacerbatus, rabiem magis, quam bilem effudit. Verum ſermonem de me abſcindens, rogaui vt veniam potius ab aeterno Deo peteret, in quem nimis atrociter contumelioſus fuerat, tres hypoſtaſes ex eius eſſentia delere tentans ac Cerberum tricipitem vocans, ſi realis inter Patrem et Filium eius et Spiritum S. diſtinctio ſtatueretur. Filium Dei ſibi placare, in animum induceret, quem foede ſuis commentis deformans et negans in ea carne, quam induit nobis ſimilem; ademto fraterno coniunctionis vinculo, vnicum Redemtorem abnegauerat. Quum monendo et hortando, nihil proficerem, nolui ſupra magiſtri regulam ſapere. Nam ab haeretico homine, qui αὐτοκατάκριτος peccabat, ſecundum Pauli praeceptum diſceſſi.*"

Poſt *Caluini* abitum, *Seruetus*, narrante *Farello*, in ſua ad mortem praeparatione pie ac deuote perrexit a Deo et Jeſu Chriſto peccatorum veniam rogans, de illis dolorem teſtabatur, Filiumque Dei, ſuum Seruatorem ac Redemtorem compellabat. Impetrari vero ab illo non potuit, vt *Chriſtum, aeternum Dei Filium* compellaret, quin immo conſtans ipſi fuit confeſſio, Chriſtum in S. Scriptura propterea dici Filium Dei, quia humana ipſius natura, ſuper.

ſupernaturali modo a Deo, in virgine Maria procreata fuerit. Tandem vltima miſeri hora aderat, qui comitante *Farello* inter ſuſpiria et preces ex carcere ad Tribunal ductus, vbi mortis ſententia publice conſueta ſollemnitate praelegebatur, qua audita in genua proſtratus ſupplex Magiſtratum precabatur, vt viui comburium in gladii poenam mutaretur, ne ad deſperationem cruciatuum atrocitate adigeretur, atque ita animam ſuam perderet; ſe, ſi quid peccauerit, peccaſſe ignorantia, cum ſemper gloriam Dei promouendam ſibi propoſuerit. Has *Farellus* ſupplices preces ſuo intercepit ſermone, et ad mortem condemnatum monere repetiit, vt crimen ex toto pectore profiteretur ſeriamque ſuam poenitentiam teſtaretur; hoc ſolo remedio gratiam conſequuturum, ſpem faciens. Reſpondit *Seruetus*, nullius ſe criminis conſcium, nec mortis reum eſſe, Deum vero precari, vt accuſatoribus crimen aduerſus ſe commiſſum condonet; quam innocentiae declarationem male tulit *Farellus*, qui eum hanc ob rem obiurgauit, additis minis, ſi ita loqui pergeret, ſe ab eo diſceſſurum, eumque iudicio diuino commiſſurum. Reprehenſio miſerrimum commouit, ſeruato ſilentio, vlteriori cauſſae ſuae excuſatione abſtinere, qua modeſtia et obedientia *Farellus* mitigationem poenae fuſiori oratione, irrito autem ſucceſſu, a Senatu petiit.

Abductus ad rogum, cum *Farello* aliisque eum proxime comitantibus preces fudit, ſubinde quoque clara voce, exclamans: *O Deus ſerua animam meam! O Jeſu Fili Dei aeterni, miſerere mei!* Vt ventum eſt ad ſupplicii locum, ſupplex orans in terram proſtratus, aliquamdiu pronus procubuit, *Farello* interea populum ita alloquente: *Videtis quantas vires habeat Satan, cum aliquem poſſidet. Hic homo eſt doctus inprimis, et fortaſſe ſe recte facere putauit; ſed nunc poſſidetur a Diabolo, quod idem vobis accidere poſſet.*" Vbi ſurrexit *Farellus* eum hortabatur, vt ad populum aliquid diceret, criminis ſui poenitentiam teſtando,

do, ac Jesum aeternum Dei Filium celebrando. Sed ille gemens tantum et suspirans clamabat: *O Deus! O Deus! Farello* interroganti, an nihil aliud suppetat, quod diceret, respondit: *Quid aliud possum loqui, quam de Deo? Farello* monenti, (qui eorum ignarus, quae coram iudicio confessus erat,) si vxorem liberosque haberet, ac testamentum condere velit, adesse Notarium publicum, nihil respondit; hortanti vero, vt adstantem populum precum pro ipso ad Deum fundendarum, commonefaceret, obediens spectatores rogauit, vt suspiriis suis praesto essent. Omnem denique *Farellus* operam suam reiterauit, vt Jesum aeternum Dei Filium profiteretur, ac inuocaret, quod ab eodem impetrari non potuit. Interim tamen nec errorum suorum memoriam repetiit, nec eosdem accusauit, nec defendit. *Caluinus* ex hoc silentio, quod libere *Seruetus* obseruauit, cum nemo alloquendi ipsum vsu prohiberet, infert, non tanquam martyrem occubuisse Hispanum, sed desperatione concidisse. LUBIENIECIUS, l. c. L. II. C. V. p. 99—105. sermonem quendam *Serueti* de vera Dei et Filii eius cognitione exhibuit, quem ante mortem, tanquam cygneam vocem, edidisset, et ex eiusdem autographo descriptum venditauit; sed absque dubio deceptus, cum ista oratio a quodam *Sociniano*, errorum specialium *Serueti* inscio, efficta, diuerso cogitandi ac scribendi habitu, qualis in *Serueti* scriptis obseruatur, fabricata sit.

Cum nihil amplius effari vellet ad rogum stans, horrendi supplicii actus tandem susceptus est, quem VATICANUS iste l. c. describit: „*Ita ductus est ad struem lignorum, fasciculis quernis viridibus, adhuc frondosis, admixtis lignis taleis constructam. Impositus est Seruetus, trunco ad terram posito, pedibus ad terram pertingentibus. Capiti imposita est corona, vel straminea, vel frondea, eaque sulphure conspersa: Corpus palo alligatum ferrea catena, collum autem fune crasso quadruplici aut quintuplici laxo, liber femori alligatus. Ipse carnificem rogauit, ne se diu torqueret,*

Interea

Interea carnifex ignem in eius conspectum, et deinde in orbem admouit: Seruetus viso igne ita horrendum exclamauit, vt vniuersum populum perterrefecerit. Cum diu langueret, accesserunt ex populo, qui fasciculos confertim in eum coniecerunt. Ipse horrenda voce clamans, Jesu, Fili Dei miserere mei, post dimidiae circiter horae cruciatum exustulatus et fumo suffocatus, animam exspirauit." Perhibuerunt quidam, *Caluinum* cum miserum vidisset ad supplicium duci, in tantum risum fuisse effusum, vt vultum sub sinu vestis tegere necesse habuerit; quod vero excogitatum ab iis videtur, qui quaecunque odiosa, aduersus eum hac occasione effinxerunt, cum tamen res ipsa ad censuram eius maxime sufficiat, nec vagis rumoribus indigeat. Adfert quidem *Caluinus* l. c. haud pauca, quibus caussae suae patrocinari putat; an vero eam ita defenderit, vt plane insons ac purus iudicari possit, dubitandum est. Inter alia l. c. ita scribit: „*Quum Magistratus tuendae religioni custodes praeficimus, non acuimus eorum gladios, vt de quolibet errore poenas sumpturi, mox ad sanguinem prosiliant. Scimus enim tres esse errorum gradus, et quibusdam fatemur dandam esse veniam, aliis modicam castigationem sufficere, vt tantum manifesta impietas capitali supplicio plectatur. — — — Secundum errorum genus etsi castigationem meretur, mediocris tamen adhibenda est seueritas: tantum ne indulgentia alatur eorum improbitas et contumacia, qui fidei vnitatem scindere cuperent. Sed vbi a suis fundamentis conuellitur religio, detestandae in Deum blasphemiae proferuntur, impiis et pestiferis dogmatibus in exitium rapiuntur animae: denique vbi palam defectio ab vnico Deo, puraque eius doctrina tentatur, ad extremum illud remedium descendere necesse est, ne mortale venenum longius serpat."*

Ex hac, quam exposuimus, fide digna relatione, PETRI HYPERPHROGENI, Gandauensis, Sociniani nondum mihi cogniti narratio, quam in Mspto *Sandius* vidit, et l. c. p. 8. quaedam excerpsit, corrigenda omnino est; ex-

cepta ista circumstantia, qua ventus tempore viuicomburii *Serueti* celeriorem flammarum effectum impediuerit, ipsique diuturniores cruciatus conciliauerit, quae ita se habere potuit. Idem l. c. p. 92. significat, quod *Andr. Voidouius* notas manuscriptas in *Pet. Hyperphrogeni* historiam, de morte *Serueti* reliquerit; V. B. A. P. II. p. 990. N. 3.

Sic *Seruetus* vitae anno circiter quadragesimo quarto occubuit; qua in re emendandus est *F. Socinus*, qui in libro aduersus *Wujeckum* C. II. p. 39. inquit: „*Certissimum est, Seruetum cum supplicio adfectus est, senem fuisse, et Caluino multo grandiorem natu.*" Ipse *Socinus* eodem loco recte *Bellarminum* et *Wuieckum* corrigit, qui 1555 *Seruetum* exustum esse perhibuerunt, cum id 1553 accidisse indubitatum sit. Toto semestri ante *Serueti* exustionem *Tilemannus Heshusius*, in publica *Wittebergae* 1553 d. 5. Maii habita disputatione, *Seruetum furentem Lutetiae mortuum esse falsissime narrauit. V. Propositiones Lutheri et Melanthonis* etc. *Witteb.* 1558 edit. p. N. 7. a.

Caluinum huius supplicii promotorem, solo pro gloria Dei et aduersus impios et blasphemos errores zelo, quod ipse perhibet, non commotum, sed subinde propria vindicta et *Serueti* asperitate, ac superbia, qua eum exceperat, prouocatum, omni dubio caret; quamuis eius defensoribus id facile concedendum putem, quod id mortis tremendae genus non vrserit, immo aliud potius, si ex ipsius sententia stetisset, voluerit. Quantam caede hac sibi contraxerit malae famae notam, vix dici potest; quamvis verissimum sit, odium eius personale, hominis superbi et vehementioris calumniis fuisse accensum, quas coram, et in scriptis effudit. Maxime iam irato bilem mouerat, cum adeo captiuus, exhibito Senatui Geneuensi scripto, *Caluinum* ob errores et sanginolentas machinationes capitis accusaret. Cum in lucem emitteret *Institutiones religionis Christianae Caluinus*, longe aberat ab iis, qui haereticos morte plectendos statuerunt; occiso autem *Serueto*, in

in libro cui titulum fecit: *Defenſio orthodoxae fidei, de S. Trinitate, contra prodigioſos errores* MICHAELIS SERUETI, *Hiſpani, vbi oſtenditur, haereticos gladio coercendos eſſe, et nominatim de homine hoc tam impio iuſte et merito ſumtum Geneuae ſupplicium, Geneuae ex officina Roberti Stephani* a. 1554. 8. contrarium qualicunque ratione probare annifus eſt. Nec morte adeo *Serueti* exſtinctum fuiſſe in animo ipſius odium aduerſus illum, ex enarratis adhuc ſatis adparet, et aliis argumentis euinci poſſet; quippe eum in comment. ad *act.* XX, 28. *canem Hiſpanicum* appellauit. Ad haec verba FRANC. LISMANINUS in ſuo *Comentariorum Caluini* exemplari, quod ex *Georgii Schomanni* Bibliotheca prodierat, huic a *Lismanino* donatum, manu ſua ad marginem haec verba notauit: CANIS A TE FACTUS, ſubdiditque Diſtichon:

Cur tibi ſum Caluine canis? tuus efficit ardor,
Ne canis (heu) dicar, ſed miſeranda cinis.

Exoptatiſſimam *Serueti* ſupplicium Pontificiis ſuppeditauit occaſionem, perſtringendi Euangelicos, hosque atrociſſimae tyrannidis accuſandi, quam tot vicibus antea in Pontificiis acerbe improbarant. Vix numerandi ſunt, qui inter Proteſtantes *Caluini* vindictam peſſime tulerunt. *Grotius* alicubi inquit: *Spiritum Anti-Chriſti non tantum ad Tiberim, ſed ad lacum Lemanum apparuiſſe.* Fuerunt tamen, qui *Caluini* et *Geneuenſium* partes defenderunt, de quibus V. *Biblioteque* raiſonnée T. I. p. 11. Artic. VIII. p. 366. ſqq. Praeter alios *Bullingerus* in *Praef.* ad *Joſ. Simleri Libb. IV. de aeterno Dei Filio* etc. ita ſcribit: „*Exuſtus eſt quidem Geneuae* M. SERUETUS, *ſed non citra conſilium reliquarum rerumpubl. helueticarum Euangelium profitentium, ad ampliſſ. Genuenſ. Senat. petitum. Et multa iam ſecula non viderunt vnquam adeo foedas, atroces, prodigioſasque et abominandas in Dei maieſtatem fideique verae ſinceritatem blasphemias, atque ſpurciſſimum hoc hominis monſtrum propudiumque libro edito in lucem profudit, et in mortem vsque impie, procaciter, et pertinaciter defendit.*

Nam

Nam quicquid annis plus minus 25 hausit, ex omnibus Judaeorum et Turcarum ſcholis, quicquid item ex omnibus haereticorum execrandis blasphemiis, ceu ex ſentinis et cloacis infernalibus collegit, hoc totum transfuſum, in deteſtandum opus typis excuſum, ceu poculum Circeum immo tartareum, populis et gentibus propinauit. Jubent autem omnes leges diuinae pariter et humanae, Imperatorum, Principum, vrbiumque et populorum ſaniorum de blasphemis ſumere ſupplicium. Quod cum ampliſſ. Geneuenſ. Senatus fecit, pro pio ſuo officio, quod debuit, fecit. Vnde eius factum iudiciumue ſanctum, nunquam accuſauimus, neque nunc quoque accuſamus, multo minus cogitauimus, nedum diximus vnquam, (quod Seruetianis in ore eſt) vrbem illam nouae inſtauratae crudelitatis Papiſticae officinam eſſe. Quin potius fidem et integritatem eius vrbis candide laudamus. Quod etiam Phil. Melanthon, *vir pius, magnique iudicii, ſcriptis litteris fecit.* Melanthon enim ab omni impetu et violentia alias remotiſſimus helueticis coetibus pro more ſuo blandiloquo ſe accommodaſſe videtur, ad *Bullingerum*, in *Epp. Jo. Caluini*, p. 174. ita ſcribens: „*Legi, quae de Serueti blasphemiis reſpondiſtis, et pietatem ac iudicia veſtra probo. Iudicio etiam Senatum Geneuenſem recte feciſſe, quod hominem pertinacem et non omiſſurum blasphemias, ſuſtulit. Ac miratus ſum, eſſe, qui ſeueritatem illam improbent. Mitto de ea quaeſtione breues pagellas,* (intelligit ſcriptum ſuum *de Serueto apud Geneuenſes ſupplicio adjecto) ſed tamen ſententiae noſtrae teſtes.*" V. *Melanthonis conſilia*, P. II. p. 204. *Caluini Epp.* et *Reſpp.* P. I. p. 416. *Jo. Henr. a Seelen* l. c. *de Serveto* ſupplicium eſſe ſumptum, non tanquam de haeretico, ſed blasphemo, non male admodum monuit. Sed miſerrimus homo, non omnium eorum, quae ipſi ab adverſariis ſuis imputabantur, reus fuit, et licet veriſſima forent, quorum accuſabatur, melius tamen famae ſuae, et indoli Chriſtianismi conſuluiſſent, ſupplicii huius horrendi auctores, ſi alio et mitiori modo proceſſiſſent.

Vtrum-

Vtrumque enim et Senatum Geneuenſem, et Caluinum, qui illum regebat, iuſtitiae limites, ne dicam amoris ac humanitatis leges, quibus erga errantes obſtringimur, transgreſſos eſſe, manifeſtum eſt. Multos adhuc poſt duorum ſaeculorum decurſus truculentus *Serueti* obitus triſtitia et horrore adficit.

Parum quidem is circumſpectionis, et aliquando moderationis in rebus a ſe ſuſceptis adhibuit; fuit tamen vir eruditus, nec omni in Deum pietate deſtitutus, qui proinde ob inſignes, quos collegerat ſcientiarum theſauros, ob eximium ſubtiliſſimumque ingenium, ob ſingularem in medicis experientiam, aeſtimatione dignus, nec ob errores, grauiſſimos licet, quos vero nunquam rudi plebi inſtillare conatus eſt, hoc mortis genere trucidandus, praecipue cum auidiſſimum veritatis cognoſcendae animum ſemper teſtatus fuerit. Non facile aequus harum rerum aeſtimator Geneuenſibus calculum ſuum adiiciet, immo potius vniuerſum tractandi modum, excepto tentamine haereticum per argumenta conuincendi, maxime in iisdem improbabit. Ne captiuatio quidem *Serueti* in Geneuenſium vrbe probanda videtur, cum nulla ipſis poteſtas legitima in hominem peregrinum competeret, *Geneua* tantum tranſiturum in alias prouincias, neque in hoc oppido vlla ratione errores ſuos ciuium animis inſtillantem. Multo minus ius ipſis erat, tam atrox ſupplicium de eo ſumendi, qui in eorum ditione nihil peccauerat. V. WEISMANNUS l. c. T. II. p. 523, DANNHAUERUS, *Hodomor. Caluin.* p. 1288. Non dubitandum, quin liberos parentum, qui atrociſſimae mortis reatum ſibi contraxerunt, niſi forte adeo ipſos iam parentes, huius ſupplicii, quod infectum fieri non potuit, poenituerit. Teſte enim *J. G. Keyslero*, in Itinerario ſuo p. 149. et viri eccleſiaſtici et politici *Geneuae* de iis, quae cum *Serueto* contigerunt, aegre loquuntur, et vt aeternae obliuioni committantur, optant. Haud pauca pro mitigando de *Serueto*

iudicio

iudicio adferri possunt, in quibus quoque temperamenti eiusdem ratio habenda, ipsique heterodoxo non omnis excusatio deneganda. Fuit vero *Melancholico-cholerici*, quo Hispaniae incolae magna ex parte praediti sunt, quodque effecit, vt maiora sibi imaginaretur dona et praerogatiuas, quam possidebat, et ad insuperabiles aliis res, efficiendas se satis instructum putaret. Hac permixtione intemperata in defendendis sententiis suis pertinacissimus fuit, vt vel dedecori vel religioni reputarit, mentis suae figmenta, quae ingenio fascinatus, diuinas veritates iudicauit, retractare. Quoad externum virtutis habitum, adeo ab omni scelere alienus fuit, vt maleuoli ipsius inimici nullius eum sub vllo praetextu criminis vel vitii accusare potuerint. Et commendabili morum ciuilitate et doctrina, multo labore acquisita, magnum amicorum numerum sibi conciliauit, quos in *Gallia*, *Germania* atque *Italia* habuisse constat. In reliquis, praeter religionis placita, eum instabilis animi, et variatione delectatum fuisse, non sine ratione colligimus, quod saepe studiorum genus et domicilium suum pluribus institutis itineribus mutauerit.

De scriptis infelicissimi auctoris, quantum satis visum, indicauimus; id saltem notamus, ex Alfonsi Lincurii Praefatione, *quinque libris declarationis Jesu Christi Filii Dei* praemissa, constare, *Seruetum* plura alia scripta meditatum esse. Haec autem sunt *Lincurii* verba: „Seruetus, *alias Rennes dictus, multa in Gallia et Germania passus, Venetias abire cogitabat, vt vniuersum V. T. commentariis illustraret, nisi Geneuae in transitu exustus fuisset. Sermones multos editurus erat, sub iis ni fallor titulis: de vera scripturarum intelligentia, de origine defectus ab apostolica doctrina, de potentia veritatis, de vera vnius Dei cognitione, de errore Triadis, de verbo et Spiritu S. de exaltatione hominis Jesu, de natura et ministerio angelorum, de zelo et scientia, de efficacia fidei, de vi charitatis, de corpore, anima et spiritu, de natis et regenitis,*

de

de vocatione et electione, de praescientia et praedestinatione, de humanis operibus et ceremoniis, de Baptismo aquae et spiritus, de coena Domini, de peccato et satisfactione, de iustificatione, de timore ac amore Domini, de vera Ecclesia, de capite et membris, de dormitione Sanctorum, de resurrectione mortuorum et viuentium immutatione, de die iudicii, de beatitudine Electorum etc.' Vnde Hispanus haec de *Serueti* moliminibus ac operibus edendis hauserit, ignoramus; habere autem ea verisimilitudinis speciem concedet, qui *Serueti* indefessum studium, intemperatumque in debellandis, quos sibi persuadebat erroribus, zelum considerat. Nonnulla autem argumenta eorum, quae tetigit *Lincurius*, in *Restitutione Christianismi* iam expediuit. Liber mysticus sub indice: *Thesaurus animae*, quem *Sandius* absque vlla addita coniecturandi ratione, l. c. p. 11. ipsi tribuit, quique in plurimas Europae linguas translatus, saepiusque editus est, non a *Serueto*, sed Monacho quodam Hispano ordinis *Hieronymi* concinnatus. Prodiit idem liber sub diuersis titulis, e. g. *Desiderius Dialogus vere pius, et cum primis iucundus, de expedita ad Dei amorem via; ex Hispanico, in Italic. Gallic. Germanic. Belgic.* et *Latinum sermonem*, conuersus, etc. V. Biblioth. Hal. T. XI. p. 314. *Moshemius* p. 374. sqq. Risui proinde se exposuit *Godofr. Arnoldus*, qui in *H. E.* et *haeres.* ex hoc libro defensionem *Serueti* suscepit. Eum errores suos in Polonia quoque sparsisse, nonnulli prodiderunt; quod si de scriptis illius intelligitur, verissimum est; ipse tamen nunquam ad Poloniae terminos accessit. *Serueti* effigies plus vna vice aeri incisa est, quam etiam *Fritschius Hamburgi* forma 4. orbi exhibuit.

§. VIII.

Alii *Seruetum Spinozismi* et *Pantheismi* reum faciunt, alii vero mitiores de eodem sunt iudices. Potio-

Potiora doctrinae ipsius capita ex scriptis eius indubitatisque testimoniis, exposituri, euictum dabimus, quam longissime a vero aberrare, qui eundem inter intrepidos euangelicae veritatis testes referunt, quod omnes fere *Sociniano* coetui addictos sine rubore fecisse deprehendimus. Rectius sentiunt, qui eum *Fanaticis*, somniantibusque *mysticis*, quorum numerus haud exiguus hoc tempore vbique exstitit, accensendum arbitrantur.

* *
*

Expositis aliquantum fusius historiae Seruetanae momentis, quae vera hominis huius fuerit opinio, significandum est, quamuis eandem ex parte iam indicauerimus. Plurimi eum, tanquam maledicentissimis constrictum erroribus depingunt; sed in iis determinandis ac exponendis a vero aberrarunt. *Paul. Stockmannus* in Elucidario haeresium p. 388 et 392. absque vllo teste prodit, eundem aliquando *Venetiis* captum asseruisse, se *Lutheranorum* hostem esse, et ad hanc exculpationem e carcere fuisse dimissum. Non deficiunt defensores, qui multo eum sensisse melius, de S. S. Trinitate et Seruatoris diuinitate iudicant, quam a plerisque perhibetur; inter hos fuit Godofr. Arnoldus l. c. nec non Ern. Christ. Kleinmannus in *replica* in *caussa* Hochmani de Hochenau et Jo. Angel. Werdenhagen. Ex aduerso Seruetum, *Chapelle* cum aliis pro patre *Spinozismi* et *Pantheismi* habuit. *Spinozismi* reum declarauit Jo. Henr. Schülerus in *Progr.* cui titulus: Michael Seruetus *Spinozismi conuictus; siue Theologiae Seruetianae tria principia prima, Spinozismi veneno infecta ex ipsius auctoris, raris admodum et magni pretii voluminibus sine partium studio enucleata. Idstein.* 1727. Vniuersum systema Seruetanum, quatenus ad Spinozismum accedit, ad tria haec principia reuo-

reuocauit: „I. *de oeconomia Dei, seu eius dispositione pri-* „*ma*, qua oracula et spiritus factus est. — Diuinum illud „numen, quod ante huius saeculi tempora, a nobis neque „animo concipi, neque cogitatione potuit comprehendi, „hoc vniuersum cum creare constitueret, in se ipso, pro „eius liberrima voluntate, duas sui ipsius *dispositiones*, siue „*Oeconomias*, vel *personatas repraesentationes*, *verbum* sci-„licet et *spiritum*, quem eundem Scriptura S. soepenu-„mero *angelum* vocare solet, produxit: quarum disposi-„tionum ope, duorum ad instar principiorum, in speciem „et similitudinem huius vniuersi conformatorum, sua „sponte omnino omnium rerum factum esse essentia, et „vnica, quod consequens est, atque indiuidua natura. Id-„que eum in finem, vt, se accommodans humani intel-„lectus concipiendi rationi sub cadentibus in nostros sen-„sus, *verbi specie*, et *spiritus flatu*, nobis se cognoscen-„dum praeberet, atque celebrandum. II. *de dispositione*, „*seu oeconomia diuina secunda*, qua oraculum et spiritus, „in Filii et Spiritus S. naturam sunt transformati. — Illae „diuinae naturae dispositiones, verbum et spiritus, non „erant, nisi exemplum, simulacrum et figura quaedam oe-„conomiae illius, qua suo tempore verbum in Filii Dei „carnem transiturum, verbi vero spiritus in humani spi-„ritus speciem transformandus, et Christo a mortuis susci-„tato, Spiritus S. nomine appellandus, re tandem vera „efficerentur, quod prius quasi typo expresserunt. III. „*De Deo, qualis futurus sit*, sub finem Oeconomiae Filii „et Spiritus S. — Oeconomiae praesentis mysterium, quo „tres diuinitatis personas, Patrem, Filium et Spiritum S. „veneramur, inueniet finem eo ipso tempore, quo Deus „erit omnia in omnibus." Tria haec principia ipsissimis *Serueti* verbis muniuit SCHÜLERUS, ex quibus id quidem colligi potest, *Seruetum* et *Spinozam* vario respectu conuenisse; sed supersunt plura momenta, in quibus magnum inter vtrumque discrimen animaduertitur. Quatenus *Seruetus* mundi animam statuisse creditur, eatenus eum

Wilh. Postellus defendit, quam apologiam ex autographo, quod in *Bibliotheca academiae Basileensis* seruatur, descriptam, *Moshemius* p. 455. orbi exposuit.

Alii Seruetum, *Sabellii* adplausisse placitis, putarunt, inter quos *J. G. Walchius* in Introduct. ad controv. extra Eccl. Luther. T. I. p. 555. qui paulo post sententiam suam retractauit, T. IV. p. 39. Theod. Beza in *Praefat.* ad *historiam Valent. Gentilis* p. 13. in vnico *Serueto* reuocatos esse ex inferis *Samosatenum*, *Arium* et *Eutychen*, immo quoque *Marcionem* et *Apollinarem*, iudicat. Ita enim id euictum dare nititur: „Negabat *Samosatenus* aeternam τȣ λογȣ hypostasin, quem duntaxat in mente et „decreto Patris ante conceptionem carnis in vtero Mariae „extitisse volebat: Docebat *Seruetus* Filium ex Deo fuisse, „non re ipsa, sed figuratiue: quia in eo Deus futurum „hominem genituriebat, mulierem exspectans, ex qua „gigneret. Sentiebat *Arius* τον λογον esse creatum quid„dam, ordine et tempore res coeteros creatas antecedens; „Sentiebat *Seruetus*, τον λογον tum cepisse exsistere, cum „mundus creatus est, ac etiam ideam quandam fuisse, ex „tribus increatis elementis compositam. Negabat *Euty„ches* Christum ex duabus distinctis naturis constare, quod „diceret τον λογον transformatum esse in carnem, quae „postea glorificata, in Deum conuersa fuit: affirmabat „*Seruetus* conceptum fuisse Filium in vtero virginis ex ip„sa verbi essentia in carnem transeunte, quae postea in „deitatem fuerit absorpta. Addere autem etiam istis licet „delirium *Marcionis* et *Apollinaris* insaniae proximum, „adeo portentum illud fuit errorum omnium foecundum. „Aiebat enim *Marcion*, Filium δοκησει i. e. opinione tan„tum, non re ipsa carnem induisse. *Apollinaris* autem „diuinitatem volebat carni assumptae loco animae fuisse. „Quid autem *Seruetus?* Certe non verum, sed imagina„rium corpus Christo tribuebat, quum illud negaret ex „semine Abrahae simpliciter fuisse genitum, sed partim „etiam ex tribus illis elementis conflatum, et substantiali

„qua-

„quadam Dei facie, quae ab initio ſanctis patribus viſa „fuiſſet, animam vero Chriſti ſane re ipſa exinaniebat, quum „illam diceret partim ex humano, partim ex diuino ſpiritu „fuiſſe compoſitam."

Cum inter Anabaptiſtas olim plures fuerint, qui S. Trinitatis myſterium oppugnarunt; hinc eorum ordini a pluribus accenſebatur *Seruetus*. Factum id eſt a BULLINGERO *aduerſus Anabapt.* fol. 62. b. qui inquit: „*In horrendis erroribus et blasphemiis contra S. Trinitatem, et diuinam Chriſti naturam, Seruetus a ſuis partibus habet, veteres iam olim damnatos haereticos*, PRAXEAM, SAMOSATENUM, ARIUM, *et alios plures; praeterea omnes Judaeos et Turcas et noſtra aetate complures praecipuos* ANABAPTISTARUM *Doctores*." Haud immerito eum certo reſpectu adnumerari Anabaptiſtis *Bullingerus* l. c. f. 64. b. ex verbis *Serueti* ſupra allegatis, colligit. Illuſtr. Princeps JOANNES FRIEDERICUS II. in *confutatione, ac condemnatione praecipuarum corruptelarum, ſectarum, et errorum* etc. quod opus prodiit *Jenae* 1559. 4. p. I. a. hoc de *Serueto* tulit iudicium: „*Is hac tempeſtate inter tot recentes haereticos ferme vnus ac ſolus articulum de eſſentia Dei blasphemis ſcriptis, adortus eſt: ac tetram illam* SAMOSATENI, *Photini, et aliorum veterum haereticorum blasphemiam renouauit, pertinaciter negans λογον verbum in Euangelio Joannis ſignificare perſonam diſtinctam a Patre, ſubſiſtentem viuam, intelligentem, incommunicabilem: ſed propoſitam duntaxat Patris et euaneſcentem cogitationem, ſeu vocem dilabentem in auras.*"

Si SERUETUM cum veteris aeui haereſiarchis comparamus, proxime illum ſtetiſſe *Paulo Samoſateno* et *Photino*, horumque homodoxis, cenſemus, quod etiam iudicium tulit *Sandius* l. c. p. 9. et olim PHIL. MELANTHON. MOSHEMIUS in exponendis *Serueti* erroribus, laudando aequitatis ac amoris ſtudio, leniſſime procedit, hancque in *Inſtit. hiſt. chriſt. recent.* Sec. XVI. Sect. III. C. IV. p. 304. de eo fert ſententiam: „*De diuina Trinitate ſigillatim,*

tim, et Seruatoris nostri Diuinitate, multo sensit melius, quam a plerisque sensisse perhibetur. Nec enim tria in diuina natura distinguenda esse negauit; sed hoc vnice, si res aequo ponderetur animo, statuit, magna Deum ab illis adfici iniuria, qui putent, tres in eo personas ita inter se disiunctas esse, vt tres personae humanae.'. Si haec *Serueto* de Trinitate in diuina essentia personarum, simplex ac seria mens fuisset, vix vllam orthodoxi auersandi eum caussam habuissent. Sed non omnis recte in hoc articulo sentit, qui tria in diuina natura distinguenda non negat, cum potius disquirendum sit, quomodo distinguat. Plures enim Antitrinitarios, et veteres et recentiores, tria in Deo diuersa concessisse, sed non tres eiusdem essentiae personas, coaeternas et coaequales, manifestum est. In *Mscto* reliquit *Moshemius* vniuersum *Serueti* Systema, ex ipsius libris in nexu expositum, quod vero lucem nondum vidit. Alii tamen iam hanc praestiterunt operam, et ex verbis ipsius *Serueti* fideliter allegatis, palmaria exposuerunt placita. Non tamen ex quibusdam librorum particulis, extra contextum propositis, firmum adeo de vniuerso auctoris systemate ferri potest iudicium. *Caluini* liber, in quo ex scriptis et epistolis *Serueti* hujus propria dogma exposita sunt, reperitur in illius *Opp.* tomo tractatuum theologicorum, p. 510. hoc titulo: *Fidelis expositio errorum Michaelis Serueti, et breuis eorundem refutatio.* Iungimus huic Jo. Wigandum, in libro de *Seruetianismo*, s. de *Antitrinitariis*, etc. *Regiom.* 1515. nec non Schlüsselburgium, l. c. et qui *primo loco* nominandus fuisset, Phil. Melanthonem, in *refutatione erroris* Serueti, *et Anabaptistarum, quae reperitur in eius corpore doctrinae christianae*, p. 831. edit. *Aegentor.* 1580. Si vera in systemate Serueti adornando non exponimus, ipse in culpa est, quippe qui animi sui sensa absque obseruato nexu raptim ac tumultuarie profert, indeterminatum ac vagum sub vocibus occultat conceptum, et omnino a contradictionis vitio liberari nequit.

Ante

Ante omnia, quae de Christo crediderit, dispiciendum, ex quibus simul, qualem sibi Trinitatem finxerit, in compendio patebit. Christum nudum fuisse hominem re ipsa statuit, duasque in eo naturas personaliter vnitas, euidenter negauit. Sic enim *de trinitatis erroribus* p. 92. circa orthodoxam doctrinam iudicat: „Ex his detegitur „veritas illius vulgatae sententiae, quod dicunt, duas na„turas in Christo vnitas, facere vnam personam et vnum „Filium, quia alia est natura verbi, alia natura carnis, et „haec duo sunt vna persona, quia verbum caro factum est. „In qua sententia tot sunt errores, quot verba, sed pro„prie loquendo dicitur, natura Dei et non natura verbi, „quia esse verbi est persona in Dei natura personata, im„mo adhuc male sapit naturam Dei, quam nescimus in „ius vocare, scripturaeque limites transgredimur, et ego „naturam nunquam capiam, nisi pro re ipsa, quae est „Deus." Hominem Jesum ideo dici Filium Dei, sibi persuasit, quia per semen generationis, hoc est verbum, genitus est, ita, vt generatio sit praefiguratio in mente Dei, secundum quam in tempore nasciturus esset. Et haec praefiguratio constituit generationem Christi ex Deo, verbum autem Dei, quod προφορικον putat, Christi denotare existentiam in tempore, venditat. Christum Filium esse Dei, quia Maria eundem ex essentia Dei concepit, qua conceptione facta, ipsum honorem diuinum esse consequutum. τον λογον esse conceptum vel ideam in Deo, de Christo futuro, huncque e caelo descendisse, et carnem vel naturam humanam factum esse. Sic *de Trinitatis erroribus*, lib. I. p. 16. inquit: „Intonuit de altis„simo Deus, et de coelo dedit vocem suam, et hic sermo „est in terra factus filius." *Libr*. II. p. 48: „Verbum „ergo in Deo proferente est ipsemet Deus loquens. Post „prolationem est ipsa caro seu verbum Dei. Antequam „sermo ille caro fieret, intelligebatur ipsum Dei oracu„lum, intra nubis caliginem nondum manifestatum, quia „Deus erat ille Sermo. Et postquam verbum homo fa-

„ctum eſt, per verbum intelligimus ipſum Chriſtum, qui „eſt verbum Dei et vox Dei. Nam, quemadmodum vox, „eſt ex ore Dei prolatus. Et quod ipſe nunc ſit verbum, „eſt clarus textus. Apoc. XIX. 2. Ipſe eſt enim, quem „ſedentem ſuper equum album vidit Joannes, cuius no„men eſt verbum Dei. Facto ergo tranſitu de verbo in „carnem, caro dicitur verbum. Nam de quo ſeruiret „nobis, quod verbum factum ſit caro, ſi caro nunc non „dicitur verbum. Joannes enim verbum vitae vidit, ma„nibusque contrectauit." Et libr. VII. p. 110. „Erat in „mente diuina Chriſtus praeformatus: erat quidam mo„dus, quem in ſe ipſo Deus diſpoſuit, vt ſe ipſum pate„faceret, ſcilicet Jeſu Chriſti effigiem in ſe ipſo deſcriben„do." Denique Lib, II. de Euangelii Joannis initio, haec profert: „In principio erat verbum, id eſt eloquium ſeu „vox Dei, quia in principio dixit Deus, fiat et factum eſt, „et verbum illud factum eſt lux vera. Dum dixit, fiat „lux, et illud idem verbum, illa eadem lux eſt homo Chri„ſtus. — — — — — λογος non illam philoſophicam „rem, ſed oraculum, vocem, ſermonem, eloquium Dei „ſonat. Vſurpatur enim a verbo λεγω i. e. dico, eo ma„gis, quia ipſa mundi geneſis interpretationem indicat; „quia Deus iam ab initio de Chriſto loquebatur, et eo „verbo loquendo operabatur, vt inde per Chriſtum, di„cantur eſſe omnia." Et paulo poſt, inquit: „In princi„pio i. e. ante omnia. Et dicitur ante omnia facta eſſe „ſapientia: quia, antequam homo loquitur, praerequiri„tur meditatio cordis. Et quia ſermo Dei eſt ipſamet ſa„pientia: nam Deus non poteſt inſipienter loqui. Et ita „eccleſiaſticus ſe declarat c. 1. nam poſtquam dixit, primo „omnium creata eſt ſapientia, adiecit ſtatim, fons ſapien„tiae verbum Dei. Et c. XXIV. Ego ex ore altiſſimi pro„dii, primogenita ante omnem creaturam, modo id, quod „ex ore prodiit ſermo eſt." Et p. 49: „Haud ſecus, „quam ſi ego proferens verbum ex ore meo, proiicerem „aurum aut margaritas; nam tum proprie loquendo dice-

„retur

„retur, quod vox mea facta eſt aurum; potuit potentiſſi-„mum Dei verbum ſine vllo rerum coagulo in carnis tran-„ſire materiam, et propterea Chriſtus nunc ipſe dicitur „verbum homo, verbum caro. Poteſt etiam intelligi, „verbum caro factum, ſecundum quod de Chriſto dicitur: „Ponam verba mea in ore eius, et in meo nomine loque-„tur." Librum tertium de Trinitatis erroribus ſic ordi-tur: „Verbum caro factum eſt, Joh. illuſtre praeconium, „quod in ſcrutandis Chriſti arcanis ſemper eſt praemit-„tendum. Ex quo facile intelligimus: antequam Abra-„ham naſceretur, ego ſum. Ego enim ſum illud Dei „oraculum, quod ante Abraham prolatum et manifeſta-„tum, ab ipſo Abraham eſt auditum et viſum, voce enim „viſibili ante Abrahamum, immo ante Adam prolata, „Chriſtus iam ab initio egreditur ex ore Dei." Paucis, quae prolixius hactenus indicauimus, *Seruetus* hiſce comple-ctitur verbis, in *Reſtit. Chriſtianismi*: „In Deo prius fuit „ſemen generationis, ſcilicet verbum, quam eſſet factus „realis Filius Dei." Actum huius generationis, maxime in Deum profano ac indecoro ſimili, colluſtrare audet, L. III. p. 68: „Hanc ſimilitudinem accipe; ſi potentia „mihi daretur, vt vice ſeminis viri, per oris flatum in „muliere filium generare, tunc ſi miſſo flatu, ego recede-„rem, dicere mulieri poſſem, filium genui, filium in te „relinquo, qui veniente temporis plenitudine factus ho-„mo ex te naſcetur. Et licet iſta ſint inepta dicere, meus „flatus eſt filius, immo verbum meum erit mihi filius; „tamen ratione ſeminalis virtutis tunc genitum filium di-„cimus, non quod fuerit realis generatio flatus illius, ſeu „verbi a Deo prolati; ſed externa illa verbi prolatione „facta eſt carnis generatio."

Eiusmodi inepta effinxit homo, qui totius doctrinae chriſtianae reſtitutionem ſibi commendatam a Deo eſſe, perhibuit. Nemo ſanae mentis enti ſimpliciſſimo affin-geret verbum προφορικον, os, linguam, ſermonem pro-prium et vocalem; vt reliqua exorbitantis ingenii docu-

menta praeteream. Si recte eum intelligimus, ex ipsius opinione Christus et merus homo, a Deo quidem genitus, sed modo prorsus metaphysico; huncque dici Filium Dei, non respectu communicatae essentiae diuinae, in qua subsistit, sed habita tantum ratione quorundam donorum ipsi concessorum. Persuasit sibi enim, Deum posse creaturae plenitudinem Deitatis communicare, ita vt illa sit, et praedicetur Deus. Ita l. c. L. I. inquit: „Quia diuina Christi „natura ex verbi arcanis pendet, simpliciore via nunc di„camus, Deum posse homini deitatis plenitudinem com„municare, dare ei diuinitatem, maiestatem, potestatem et „gloriam suam. Dignus est agnus, qui occisus est, acci„pere diuinitatem, potentiam, sapientiam, honorem et „gloriam, Apoc. V. Si Moses factus est Deus Pharaonis, „Exod. VII. Et Cyrus, Deus Israelis, Es. XLV. multo „fortius et excellentiore longe modo factus est Christus „Thomae, et omnium nostrum Dominus et Deus. Salo„mon quoque ad litteram dicitur. Ps. XLIV. etc." In sequentibus de Christo praeclare loqui videtur, quod tamen cum iis, quae aliis locis statuit, conciliari non potest. Sic enim pergit: „At illi erant dii non natura sed tempo„rali dono, Christus vero est naturali natiuitate Deus, „naturaliter genitus de substantia Dei, tota Patris deitas, „adoratio Dei, et visio Dei est in Christo vero Deo. Si„cut Pater est verus Deus: ita veram suam Deitatem, vni„co Filio suo vnice tribuens, efficit, vt ille sit verus." Sed cum neget, Filium Dei exstitisse, antequam ex virgine nasceretur, et in eo ex virgine nato, vnam duntaxat naturam agnoscat, deitatem non aliam naturalem in Christo agnoscit, quam suum illud figmentum, verbum Dei fuisse semen Christi, seu rorem naturalis geniturae Christi in vtero virginis, et hoc modo carnem Christi esse de substantia Dei.

In Synodo Reformatorum *Rupellae* in Gallia habita, et adornata ibidem fidei confessione, his verbis N. 14. *Serueti* errores in articulo de Christo succincte proponuntur:

tur: „Reiicimus Serveti opinionem, phantasticam deitatem Christo adscribentis, dum ideam eum, siue typum „aliquem esse, et non, nisi figurate Filium Dei dici posse „adfirmat, corpusque ei ex increatis elementis coagmen„tatum attribuit, naturas ita confundens, et quantum in „se est, annihilans. V. *Gotardi Arthusii Dantiscani Merc. Gallobelg.* etc. T. VII. L. II. p. 46.

Ipsius de *Spiritus S.* conceptus inconstans et dubius est, in quo explicando perplexarum cogitationum turbine, hinc inde volutatur. Quamuis dicendo maxime titubaret, hoc tamen certum est, quod negata Filii substantia, etiam Spiritus S. personalitatem neget. Hinc per eundem sapientiam diuinam, quatenus in Christo residet, vel vim ac operationem Dei in homine, credere videtur, omnesque animi motus et inclinationes mentis, quae cultum Dei, religionem, et in genere spiritualia concernunt, in S. Scriptura Spiritus S. appellatione innui, arbitratur. His enim verbis finem l. c. p. 109. Libr. VI. facit: „Dico „igitur, quod Spiritus S. est diuina in hominis spiritu „agitatio, siue quae agitando Deus illustrat, et illustrando „sanctificat: Nec exigitur hic definitio quidditatiua. Nam „de genere motus est, vox Spiritus, quasi motio, impe„tus, halitus, et quia sic mouendo, Christo credentes san„ctificat Deus: Ideo dicitur spiritus in homine sanctus et „ex fide Christi." Supposita hac sententia, quam infallibilem putabat, quaelibet S. Scripturae testimonia, illi aduersa, lusorie vellicauit. Trahit ad partes suas, quando duarum in Deitate personarum, in vno dicto fit mentio. Sic ad locum *Matth.* XI, 28. nemo noscit Patrem, nisi Filius; scribit: „Dum dixit Christus: Nemo nouit „Patrem, nisi Filius; dormiebat illa tertia res." Vocabulum *S. Trinitatis* adeo ipsi exosum fuit, vt orthodoxos mysterii huius confessores, *Atheos* dixerit, teste tamen solo CALVINO *Instit.* L. I. C. XIII. Num. 22. Varia de reliquis Seruetanae haereseos momentis, de exterminando Paedobaptismo, negato peccato originali, aliisque dici

 possent;

poſſent; ſed ſatis notatus videtur homo, cum pluribus haereticis comparandus, qui parti quintae *Reſtitutionis Chriſtianiſmi* his verbis finem impoſuit: „Quisquis vere „credit, Papam eſſe Antichriſtum, vere quoque credet, „Papiſticam Trinitatem, Paedobaptismum, et alia Papa- „tus Sacramenta eſſe doctrinas daemoniorum. O Chriſte „Jeſu, Fili Dei liberator clementiſſime, qui toties popu- „lum ab anguſtiis liberaſti, libera nos miſeros ab hac Ba- „bylonica Anti-Chriſti capitiuitate, ab hypocriſi eius, ty- „rannide et idololatria. Amen."

Peſſime proinde iudicant, qui hominis fanaticorum principis deformes errorum foetus, tanquam ſolidam ac genuinam oraculorum diuinorum explicationem, et ſupplicium eius tanquam martyrium propter veritatem praedicant, qui eundem innocentem, illuminatum, et ab omni culpa alienum praedicant. Licet modum et exceſſum maxime deteſtamur, quo in compeſcendis auſibus vſi ſunt eius iudices, et qui his a conſiliis fuit, ad *Seruetum* tamen ipſum totumque ab eodem exſtructum diſciplinae ſyſtema, exhorreſcendum eſſe arbitramur. Iisdem, vel ſimilibus erroribus fauentes eum Martyrem, magnum Doctorem, Virum orthodoxum ac maximis laudibus celebrandum ſuſcipiunt. Ad hunc modum, de eo loquitur F. SOCINUS, *Reſponſ. ad libellum Wuiecki*, C. I. p. 31. „Praeclariſſime, et ſupra ac contra omnem doctrinam Ma- „hometanam, ſenſit Seruetus de Chriſto Domino, quem „etiam, cum ad ignis ſupplicium duceretur, palam inuo- „care non dubitauit; licet, vt ii voluiſſent, qui illum du- „cebant, noluerit vnquam *aeternum Filium Dei*, ſed tan- „tum *aeterni Dei Filium*, eum confiteri, quae ipſius con- „ſtantia in extrema illa hora, teſtimonium dicet aliquando „contra eos, qui morti eum adiudicarunt, et contra omnes, „qui alios idem ſentientes et profitentes ad ſanguinem vs- „que inſectantur, ac perſequuntur." THEOPH. NICOLAI (q. e. *Val. Smalcius*) in libro de *eccleſia*, C. XI. p. 22. „Seruetum fratrem ſuum et ſeruum Meſſiae appellat." Et

miniſtri

ministri Transyluaniae in libro saepius allegato, de eo scribunt: „Quid praeterea post Erasmum non est perpessus Mich. *Seruetus*, Vir eruditus, atque veritatis „acerrimus defensor ac indagator? qui et ob hanc caussam Geneuae combustus est."

§. IX.

Eodem quo *Seruetus* tempore ad oppugnandam veritatem, arma tulit, circa annum 1546. in agro *Veneto*, maxime *Vicentiae* quadraginta immo plures viri conuentus instituisse, in iisque de expellenda superstitione et repurganda Ecclesia consultasse dicuntur. Sed toto orbe christiano variis disputationibus concitato, quidam inter illos noua parturiendi studio accensi, ad collegia ista accedebant, quibus fortasse priora *Serueti* scripta, de probata doctrina ambigendi occasionem suppeditarunt. Haud pauca quidem circa istos conuentus, horumque socios, obscura, nec omnibus scrupulis exempta traduntur, id tamen certum videtur, posita de iisdem veritate, cui quidam testimonium suum dederunt, non omnino immunes ab omni errore fuisse, qui illos frequentarunt, immo quosdam vel *Serueti*, vel similibus placitis imbutos fuisse.

* * *

Lustratis primis *Germaniae* ac *Heluetiae* regionumque vicinarum Antitrinitariis recentioribus, iam in *Italiae* quoque prouinciis prima in vniuersum *Antitrinitariorum*, in specie *Socinianismi* semina exploraturi sumus. Anno nimirum 1546 sacra, religionis caussa, in agro *Veneto*, maxime *Vicentiae*, a viris eruditionis ac pietatis fama conspicuis, inter quos alii alios praeclaris ingenii dotibus

dotibus antecellebant, instituta esse conuenticula, *Wissovatius*, *Sandius* ac *Lubieniecius* ll. cc. significant. Cum diuino beneficio in plurimis Germaniae, conterminisque regionibus christiana religio a fictis superstitiosorum fabulis repurgaretur, ac per vniuersam Europam fama *traditae Augustae Vindelicorum confessionis* celebraretur, multi eruditionis ac virtutis amore praecellentes viri, de emendanda, quoad doctrinam et mores Ecclesia in aliis quoque Europae prouinciis, frequentes instituerunt consultationes. Non defuere vbique, qui de repurgandae doctrinae necessitate conuicti, ipsi, quantum possent, puriorem veritatem anhelarent. Exactioris ingenii homines animaduertebant, aniles quasdam fictiones pro diuinis mysteriis hactenus venditatas, maioremque orbis Christiani partem densissimis obtectam tenebris, malam denique ex prohibita Scripturae S. lectione Ecclesiae pontificiae caussam non absque ratione suspicabantur. Non quidem dictorum certitudo fusiori indiget demonstratione, quippe quae pluribus historiae reformationis monumentis comprobata est; interim tamen a scopo non plane alienum videtur, quaedam haud vulgaria circa hoc argumentum in medium proferre, quae maxime Italiam concernunt. Pluribus illud exposuit DAN. GERDES, in *specimine Italiae reformatae; siue obseruata quaedam ad historiam renati in Italia tempore Reformationis Euangelii, vna cum syllabo reformatorum Italorum, Lugd.* 1765. 4.

Quantum Ecclesiae emendatio a LUTHERO suscepta, in *Italia* habuerit adplausum atque introitum, libellus testatur, qui sub titulo lucem vidit: GABRIELIS VALLICULI, *de liberali Dei gratia et seruo hominis arbitrio. Ad Episcopum Lunensem. Vide quaeso lector, vt euangelium, etiam in Italia, quantumuis opprimatur, tamen in lucem emergere, gestiat, propediem erupturum, inuitis omnibus persecutoribus eius. Norimbergae apud Joannem Güldenmundt*, anno 1536. 8. pagg. 36. Ipse nuntius Pontificis *Laurentius Campejus* ad comitia Norimbergensia, a. 1524. missus,

missus, enunciauit: Italos ad reformationem suscipiendam pronos esse, et *reipublicae Venetae ciues Lutheri scripta* auide iam legere. V. *Saligius* l. c. T. I. p. 74. et T. II. p. 54. seqq. Circa annum 1529—1534. ipsis adeo Venetiis, ex officina libraria *Pauli Manutii* prodiit Italica locorum Theologicorum *Melanthonis* versio, hac inscriptione: *I principii della Theologia, di Ippofilo de terra nigra. Con gratia de Priuilegio.* 8. fol. 87. absque nomine interpretis. Iam a. 1526. *Mart. Bucerus*, argentinensis in Italorum, ecclesiae meliorem statum desiderantium, vsum *Lutheri* Postillas e germanico in latinum conuertit, et fratribus Italis dicauit. *Lutherus* a. 1528. certior factus, in *republica Venetorum*, haud paucos esse, Euangelii desiderio flagrantes, Deo hac de re gratias egit humillimas, teste *Seckendorffio* l. c. p. 927. vers. germ. qui p. 2117. epistolam *nomine fratrum Venetorum*, *Vicentinorum* et *Trauisiorum a Balthasaro Alterio*, qui isto tempore a Secretis Legati Anglici apud Venetos fuit, d. 26. *Nov.* 1542. ad *Lutherum* scriptam lectuque dignissimam inseruit. His documentis, ad probandum *Italorum* cognoscendae veritatis, et repurgandae Ecclesiae studium, accensenda est ep. Phil. Melanthonis *ad Senatum Venetum*, data, qua huic partim palmaria momenta susceptae in Germania Reformationis circumspecte enarrat, partim eum sedulo monet, ne *Serueti* erroribus locum concedat. An eandem *Melanthon* ad *Senatum Venetum* scripsit, *Schelhornius* l. c. T. I. p. 422. dubitauit, cui probabile non videtur, illum adeo cordate et intime cum Senatu pontificiis sacris dedito, de religione contulisse; verisimilius vero statui iudicat, istam *ad Venetos quosdam Euangelii studiosos* datam esse, sub qua inscriptione etiam aliquot vicibus lucem vidit, nimirum in selectis declamationibus *Phil. Melanthonis* etc. *Argentorati*, ex officina *Cratonis Mylii*, a. 1541. 4. p. 804. seqq. in eiusdem operis editione *Argentina* a. 1570. T. III. p. 579 sqq. in *Melanthonis Opp.* T. IV. p. 833—836. et Epp. a *Peucero* editis, *Witteb.* 1565. p. 97. seqq. in eius-

dem

dem *consiliis Theol.* P. I. p. 336 — 343. In opere, quod primo loco allegauimus, epistolae inscriptio est: Ad *Venetorum quosdam Theologiae Studiosos.* Sed prima omnium autentica et antiquissima editio, quam manibus meis iam teneo, extra omne dubium collocat, epistolam hanc *Senatui Veneto* esse scriptam. Prodiit ea a. 1539. *Norimbergae* per *Hieronymum Formschneider*, (quod in fine legitur,) pl. 2. 8. hoc titulo: *Epistola* Philippi Melanthonis *ad Senatum Venetum. Oratio publice habita, Wittenbergae in promotione Doctoris Iuris. De scripto iure et dignitate veterum interpretum Iuris.* Exemplar, quod in *Bibliotheca Regia Regiomontana* seruatur, a *Melanthone Principi* Alberto *Seniori* transmissum, qui sua manu in fine tituli adscripsit: *accepi d. 17. Julii*, a. MDXXXVIII. *per Eliam Plesse, Wratislauiensem.* Verba haec luculenter probant, epistolam istam iam a. 1538. qui annus in fine quoque opusculi notatur, prodiisse. Tenet haec Bibliotheca eandem epistolam eodem tempore, quo exarata erat, calamo descriptam, cui praefixus legitur titulus: *Melanthonis* ad *Senatum Venetum epistola.* Poterant interea ipsi reipublicae Venetae Senatores, Reformationi bene cupientes, *Euangelii studiosi*, hoc est, qui omne studium ad promouendum Euangelium adhibuerint, adpellari. In vtroque tamen casu, siue *Senatui Veneto*, siue aliis *Euangelii Studiosis Venetis* epistola data fuerit, manifesto adparet Euangelium isto tempore inter *Venetos* suos habuisse amicos et promotores. Itali omnes, qui tunc Pontificiorum castra deseruerunt, commemoratione, in historica horum temporum recensione, digni censendi sunt. V. *Saligius* l. c. T. II. p. 1149. Hi enim, *vel* vere pii optimaeque indolis viri fuere, qui doctrina Euangelii, a superstitione humanisque commentis repurgata, ad correctionem morum mentisque vsi sunt, ac in pectore veritatem seruarunt, quam publice profiteri vitae periculo deterrebantur; *vel* ex odio pontificiae seruitutis, rationis frena laxantes, ad explodenda e religione christiana mysteria,

ſteria, animum peſſime induxerunt, vel alia quaecunque monſtroſa excluſerunt.

Quam multis vero accepta fuerit veritas per *Lutherum* reſtituta *Italis*, ex variis Romanae Eccleſiae Praeſulum conſiliis, quae de impediendo Euangelii in Italiam introitu ceperunt, colligitur. Memorabilis eſt epiſtola *Paduae* die 15. *Dec.* anno 1558 a GERARDO BUSDRAGO, *Epiſcopo Argolicenſi*, ſcripta, quae plagula vna, 8, ſub hoc titulo lucem vidit: *Exemplum litterarum, R. D.* GERARDI BUSDRAGI *in Epiſcopatu Patauino Suffraganei, ad Illuſtriſſimum et Reuerendiſſimum, D.* FRANCISCUM *Cardinalem Piſanum. In quibus agitur: Quanam ratione praeſeruari poſſit Italia, ne Lutherismo inficiatur.* Inſerta quoque eſt *Secretior. Hiſpan. Inquis.* ab *Vrſino* editis. Verebatur valde *Busdragius*, ne tota *Italia*, et cito quidem, peſte Lutheriana (vt ſcribit) inficeretur; inquiſitores enim videbantur ipſi impares ad exſtinguendas fauillas, aut potius carbones, qui in dies ſe accenderunt ac exſeruerunt. Ad haec tamen ipſum nunquam inueniſſe vllum titulum de inquiſitoribus in iure canonico, ac proinde illas inquiſitiones olim non in vſu fuiſſe, quae hoc tempore exerceantur. Poſt relationem, quomodo adhuc in *Italia* vitam trahentes, modo viuis vocibus, modo ſparſis libellis, *Lutheranismum* ſparſerint, haec addit: „Hoc quidem „agunt, qui nondum ex Italia profugerunt. Atqui pro„fugerunt et ſunt fere octingenti; (ad diſperſa *Busdragium* collegia in agro *Vicentino* aliisque locis reſpexiſſe, cum ipſe inter *Venetos* fuerit inquiſitor, veri ſimillimum videtur) „dedi enim operam, vt poſſem nouiſſe nume„rum, inter quos ſunt nonnulli non indocti, neque im„prudentes viri; hi demum ſunt, qui multa deſtruunt, „qui nos inquiſitores probe exercent, penetrant enim clan„culum in totam Italiam, modo ipſimet, modo ſui emiſ„ſarii, qui libros et ſermones ſpargunt, et plus poſſunt „vna die inficere, quam nos integro anno ſanare et mun„dare cum inquiſitionibus et ſollicitudinibus noſtris." Iu-

dicat

dicat igitur abſtinendum eſſe a crudelitate Inquiſitionis, qua intra 40 annorum, quibus *peſtis Papatus* graſſari coepit, ſpatium, absque omni effectu morbi curandi, plusquam centum hominum millia capitali ſupplicio ad Pontificum mandatum adfecti fuerint. Summa noui conſilii, de praeſeruanda Italia, ne propediem tota inficiatur, eo redit, vt Pontifex omne commercium et conſuetudinem inter Italiam et Germaniam, quam peſtis inuaſit, auferat, ita vt nullus Italus poſſit amplius vlla ex cauſſa in Germaniam ingredi, nec vllus Germanus in Italiam, *quia in eo tota res ſita eſt, ne noſtri* (ita inquit *Busdragius*) *catholici intelligant, quid aduerſarii dicant: nam vbi intellexerint, ſtatim aſſentiuntur.* Sed cum hoc difficillimum et toti Italiae maxime incommodum futurum ſit, nec plane ſufficiens, cum hoc modo Hiſpani, Galli, Flandri, Angli, Poloni, Hungari ab Italiae finibus arcendi eſſent; hinc colligit; difficillimum atque etiam impoſſibile eſſe, vt Italia poſſit praeſeruari. Tandem *Venetianos* accuſat, quod inquiſitioni arctiores poſuerint limites. *Poloniam*, quod Lutheranis faueat, *Pontificem*, quod *Ferdinandum* pro Imperatore agnoſcere nolit, et in votis habet, vt Pontifex Lutheranos non tanquam haereticos fulmine ſuo percuteret, ſed ſicuti *Graecos* toleraret, ſicque per hanc tolerantiam commoda et diuitias Eccleſiae promoueret. Digna lectu eſt epiſtola, quae ſpeciem Sarcaſticae illuſionis potius, quam conſilii prae ſe fert. Editam illam quoque eſſe a PETRO PAULO VERGERIO certo ſcimus. Non exiguus eorum fuit numerus *Venetiis*, *Vicentiae*, *Neapoli*, *Treuiſii*, *Bononiae* aliisque locis, qui fidelium liberationem a ſuperſtitionis iugo expectabant, in publicum tamen coetum coire non auſi ſunt, tormenta exhorreſcentes, et ſpe reformationis in publico concilio peragendae, a Pontifice Romano ſaepius facta mactati. Praecipue in Venetorum republica auctus eſt eorum numerus, qui Lutheri doctrinae adplaudebant, propter Senatus Venetiani humanitatem, cui crudelia Pontificum erga Diſſentientes

con-

consilia semper inuisa fuerunt. Episcopis enim et Inquisitoribus in reipublicae huius territorio minime permissum erat iudicium, sed his locorum Praefecti et Iureconsulti adiuncti erant, qui curarent, ne quid sub religionis praetextu inique in ciues Venetos admitteretur, a qua cautione nunquam, nec latum vnguem *Senatus Venetus*, frémente licet et fulmina explodente Pontifice, discedebat.

Innumera prostant documenta, quae plurium Italorum in Ecclesiae reformationem fauorem comprobant. Inter haec comparet scriptum rarissimum, duas tantum paginas, forma quarta, typis impressas, complectens, quo BONONIENSES quidam in ipso Pontificis territorio Reformationis cupidissimi *Legato Electoris Saxoniae* ad aulam Caesaream *Joanni* nimirum *de Planitz* a. 1533. *Nou. Jan.* animum suum testati sunt. *Seckendorffius* l. c. p. 1365 contenta huius epistolae, ex *Archiuo Winariensi*, in linguam Germanicam male translata exhibuit, in latina vero operis huius editione p. 68 in extenso legitur. Hi ipsi *Bononienses*, aliique veritatis diuinae cupidi, et huic iam consecrati, *fratrum Italicorum* titulo, in variis scriptis hoc tempore diuulgatis, et in epistolis *Phil. Melanthonis* ad *Vitum Dietericum* datis, insigniuntur, inter quos fuere *Petrus Martyr*, *Hieron. Galatheus*, *Hier. Marius*, *Coelius*, *Curio*, *August. Maynardus*, *Julius Milanus*, seu *Mediolanus* e carceribus Venetorum delapsus, *Stancarus*, *Imman. Tremellius*, *Celsus Martinengus*, *Hieron. Zanchius*, aliique complures, qui tandem relicto pontificiorum coetu Italia excesserunt. — — *Zanchius* inter primos Italos purioris doctrinae principiis imbutus, circa annum 1553 quo in Argentinam Academiam euocatus, ita scribit: „Ego tum recens egressus eram Italia religionis caussa, id„que prouocatus exemplo illustris Comitis, MARTINENGI „MAXIMIANI — — cum quo familiarissime annos ferme „16 in sancta amicitia vixeram. Ambo enim fueramus „Canonici Lateranenses, quos regulares vocant. — —

„Ambo ſimul, cum (*Petrum*) Martyrem, epiſtolam Pauli „ad Romanos publice interpretantem, et Pſalmos priua-„tim ſuis Canonicis explicantem audiremus: cepimus ani-„mum adiicere ad ſtudium ſ. litterarum; deinde etiam ad „longe meliorem ipſis Scholaſticis libris atque doctoribus, „Patrum atque inprimis Auguſtini, ac demum noſtri etiam „temporis doctiſſimorum quorumque interpretum lectio-„nem. Ac per annos quidem aliquot, Euangelium Chri-„ſti, quam potuimus, puriſſime praedicauimus. — — „Ille etiam prior me, propter Euangelium Italia valere „iuſſa, conceſſit ad Raetos, ac non ita multo poſt Gene-„vam, vbi etiam primus paſtorem eccleſiae Italicae ali-„quot annos fideliſſimum egit."

In eorum numero, qui *Italiam* luce Euangelii illuſtratam videre optarunt, *Olympia Fuluia Morata* quoque fuit, quod epiſtola eius ad *Flacium Illyricum* ſcripta teſtatur in operibus, quae curante *Coelio Secundo Curione*, *Baſileae* 1562. 8. prodierunt. Haec autem eſt lectiſſimae foeminae epiſtola p. 139. „Olympia M. pio atque eru-„dito viro Matthiae Flaccio Illyrico in Chriſto S. D. „Cum multum diuque cogitaſſem, vir optime, qua ratio-„ne meos aliosque *Italos* locupletarem his bonis, quibus „Germania adfluit, neque locum conſilii in me ipſa, ne-„que auxilii copiam haberem, mihi in mentem venit, me „id per alios doctos viros facile aſſequi poſſe: et cum „mihi tua ſcripta te notiſſimum feciſſent, tu primus oc-„curriſti, qui meis *Italis* in egeſtate caeleſtium bonorum „in multisque erroribus verſantibus magno adiumento „fore viſus es. Si autem libellum aliquem *Lutheri* ger-„manice ſcriptum, in quo eorum publicos errores coar-„guit, in Italicum conuerteres, (nam ego Germanorum „linguam nondum intelligo, alioqui laborem non fugiſ-„ſem) aut tu de eadem hac re aliquid Italice componeres, „quod profecto melius, quam ego praeſtare potes, vtpo-„te qui S. Scripturae libros peruoluiſti, quos ego vix pri-

„mo-

„moribus labris guſtaui, multis viris piis, certe te erro-
„res, quibus ducuntur, erepturum confido. Si Eccleſiae
„cauſſa, pro qua et vitam profundere debemus, hunc la-
„borem ſuſcipere voles, quos hoc tuo diuino beneficio in
„perpetuum tibi deuincies; magis autem ex vſu illorum
„fore videtur, ſi Italice ſcribas: quippe ipſorum multi
„litteras neſciunt; quod vt facias te etiam atque etiam
„oro, perque Chriſtum obteſtor, qui ſibi hoc beneficium
„datum putabit, et a quo, cum ego tibi gratiam referre
„non poſſim, pulchre tibi foeneratum duces. Pluribus
„verbis hoc a te contenderem, ſi JOANNES CREMERUS no-
„ſter affinis non tecum de eadem hac re per litteras egiſ-
„ſet, et ſi per ſe pietas non loqueretur. Vnum a te peto,
„vt ſi tibi meae litterae moleſtiam exhibuerunt, non id
„meae importunitati, ſed tuae pietati, qua freta ad te ſcri-
„pſi, attribuere velis. Si tibi opus erit opera noſtra,
„omnia noſtra ſtudia a nobis expecta; non fallemus opi-
„nionem tuam. Vale. VII Cal. Junii 1553. Suinphur-
„dii." Digna quoque lectu eſt, eruditiſſimae ac piae ma-
tronae ad eundem ep. p. 174. in qua ab eo contendit, vt Catechismum MART. LUTHERI *maiorem* a *Vincentio Opſopaeo* in linguam latinam conuerſum, in Italicam transferat, quod Italis et maxime iuuentuti ſummo emolumento futurum ſperat.

Habuit *Lutherus*, et ex eius partibus collocata veritas vbique et hoſtes ſuos et amatores atque patronos. In ipſa adeo *Praeſulis Romani* aula quidam aliquando verſabantur, cum *Luthero* conſentientes, quod adeo SADOLETI et MARONI, Purpuratorum exemplis euincitur; vt alios non commemorem. Inter *Venetos* praeſertim haud pauci fuerunt, qui Lutheri conſiliis adſpirabant, quod allegatae *Melanthonis* litterae extra dubium ponunt. *Venetorum* Magiſtratum ad *comitia Auguſtana* 1530 in cauſſa reformationis miſiſſe legatos, ſcimus; V. *Saligius* l. c. T. I. p. 179. BALTHAS. ALTERIUS *Lutherum* de multorum coe-

tuum in agro *Veneto*, *Vicentino* et *Taruisio* conſenſu cum eodem, certiorem fecit. V. *Seckendorffius* l. c. L. III. Sect. 25. §. 97. p. 401 ſeqq. Ad Phil. Melanthonem in *comitiis auguſtanis* praeſentem Lucius Paulus Rosellius, *Venetus*, epiſtolam Venetiis ſcripſit, quae legitur in *Coeleſtini* Hiſt. comit. aug. T. II. f. 274 ſeqq. qua ſe audiuiſſe ſignificat, *Melanthonem* inter lupos verſari, eumque quibuscunque modis hortatur, vt omni timore, immo ipſius mortis metu abiecto, Dei cauſſam et veritatem diuinam, impauide et fortiter defendat, ſpemque maximam impleat, quam *magna* Italiae *pars*, euangelicae veritatis cupida de ipſo conceperit.

Ex enarratis facile colligitur: quod ii, qui Reformationem in *Italia* meditabantur, plures quam quadraginta viri, litterarum fama nec non veritatis cupidine nobiles, in *Venetorum* agro prae aliis Italiae locis ſecuros ſe fore iudicauerint, quanquam ſpe ſua exciderint; dum conuentus iſti *Vicentiae* inſtituti, a. 1546 diſſipati atque ſoluti, et quidam illorum ſocii captiuitate conſtricti ac ſupplicio adfecti fuerint, pluribus fuga, vitae periculo ſe eripientibus. Veriſimillimum eſt, haec ipſa *Collegia Vicentina* ſumma ſociorum Ieſu vigilantia, quorum ordo haud ita pridem inſtitutus erat, detecta ac diſperſa eſſe, ſiquidem hi vbicunque locorum, Romanae curiae commodis, proſpiciebant, omnibusque ſocietatibus, ſuo pro ſeruanda Romani Pontificis auctoritate ſtudio, palmam praeripere conabantur.

In dubium vocat Moshemius in *H. E.* Sec. XVI. p. 309. eiusmodi conuentus *Vicentiae* eſſe inſtitutos, ex quibus *Socinianismi* primordia et ſemina repeti poſſint. Maximam pro negatiua rationem inde petit, quod *Sandius* l. c. p. 18. et *Andr. Wiſſowatius* in narrat. compend. l. c. p. 209. ſoli ſint, qui primam horum conuentuum mentionem fecerint, ex quibus reliqui omnes eandem hiſtoriam repetierint. Quae Fueslinus l. c. T. III. p. 327

p. 327 ſeqq. protulit dubia, eiusdem ſunt argumenti, quorum potiſſimum ſumma haec eſt: 1) Quod nec *Sandius*, nec *Wiſſowatius* vllos adferant teſtes, vel hiſtoriae huius fontes; 2) *Ochinus* iſtis collegiis Vicentinis intereſſe non potuerit, cum a. 1546 iſto loco praeſens non fuerit; 3) L. *Socinus*, non vt fugitiuus, *Venetiis*, ſed *Sienna* a. 1547 *Geneuam* appulerit; 4) nullus ſcriptor mentionem praeciſe fecerit illorum, qui ex ſociis conuentuum iſtorum carnificis manu perierint, cum tamen quaelibet ſecta ſuos celebrare martyres non intermiſerit. Sed rationes tanti ponderis mihi viſae non ſunt, vt vinuerſam de conventibus iſtis relationem fictionibus adnumerandam eſſe iudicauerim. Nullum quidem expreſſum pro veritate hiſtoriae huius teſtimonium adhuc ad oculos noſtros pervenit, quamuis haud pauca hunc in finem perquiſiuerim volumina. In conſilium vocaui hiſtoricos Italiae et reipublicae Venetae ſcriptores, inprimis Epiſtolographos Italos, et inter hos Barthol. Riccii *Luggienſis epiſtolarum familiarium libros VIII. Bononiae* 1560. Petri Bembi *Epp.* ad familiares, Baſil. 1555. etc. Praeterea *Orationes clarorum hominum* etc. *in Academia Veneta primum in lucem editas*, quarum ſecunda editio prodiit *Coloniae* 1560. 8. aliosque plures fere innumeros. Sed omne ſtudium fruſtra adhibitur, nec vllum de collegiis *Vicentinis* explicitum teſtimonium reperire contigit. Non tamen omnino deſunt argumenta, quibus relationem de iisdem, factaque in illis a quibusdam myſteriorum religionis chriſtianae impugnatione, probabilem, nec ſimpliciter reiiciendam eſſe, me confirmaui. Ipſam *Academiae Venetae* formam et conſtitutionem, in qua et docentibus et diſcentibus liberum antiquitus fuit, ſua exponere dubia, et de variis rebus confabulari, ſuppeditaſſe obiectionibus nectendis aduerſus Myſterium S. Trinitatis, inter *Venetos* occaſionem, haud immerito ſuſpicor. Haec Venetorum Academia, in ep. dedicatoria ad *Sereniſſ. Principem* Laurentium Priolum, *et illuſtriſſ. Venetam nobilitatem, be-*

 nigniſ-

nignissimosque Patronos de hoc argumento ita scribit: „*Atque idem*, (Academiae Stator) *vt commodo nostro consuleret, quotidieque vt consueuimus, ad varios sermones, variasque de scientiis, atque artibus disputationes conuenire possemus; commune omnibus atrium, et alia separatim loca praecipuis cuiusque doctrinae professoribus in aedibus suis attribuit, loquendi ordine ita instituto, vt alii, quemadmodum scientiarum dignitas exigit, sermonem habeant, alii, si quid ambigant ad ea, quae audierunt, proponant, postremo quidquid in dubitationem vocatum est, atque omnis plane quaestio, simul omnium sententiis dissoluatur. Accedit illud, quod non modo nostra, verum aliorum quoque scripta, tum antiqua, tum aetatis etiam nostrae, legimus et examinamus accurate, vel ad mores conformandos, vitamque nostram necessariis ac sapientibus praeceptis informandam, vel ad animos nostros thesauro scientiarum, qui nobis quidem omnibus diuitiis potior est, locupletandos.*"

Praefixa est memorabilis haec epistola libello, paucis viso, cui titulus: *Summa librorum, quos in omnibus scientiis ac nobilioribus artibus variis linguis conscriptos, vel antea nunquam diuulgatos, vel vtilissimis et pulcherrimis scholiis correctionibusque illustratos, in lucem emittet Academia Veneta.* In *Academia Veneta* MDLIX. 4. pl. 11. Inter plures libros ab *Academia* in *Theologia* typis exscribendos, quorum tituli in opusculo recensentur, sequentes quoque notantur, qui, si recte coniicimus, *ad ea*, quae in collegiis Vicentinis paulo ante agitata fuerunt, respectum habent. MAXIMUS *de Christi mysteriis ac confessione. De Spiritu S. disputatio, e sacrarum litterarum fontibus deducta. Disputatio aduersus Turcas. Athanasius de vnitate Trinitatis. Idem aduersus Arrianos. Graeci diuersorum auctorum in D. Joannis Euangelium commentarii.* etc. Ex libris ad ius canonicum spectantibus nominatur quoque: MARIANUS SOCINUS *maior in decretalium quintum*; et p. B. III. 6. idem *in caput: Quomodo et quando.* Inter scri-

ſcriptores in edendo conſiliorum iuridicorum corpore, qui ordine alphabetico citantur, comparet ANDR. ALCIATUS et BARTHO. SOCINUS.

Accedit ad hanc coniecturam, pro adſtruenda *Collegiorum Vicentinorum*, eorumque, quae in his deliberata ſunt, probabilitate, quod ab anno circiter 1538 in *agro Veneto Seruetianismi* ſemina ſpargi coeperint, quod ex *Melanthonis* epiſtola hoc anno, ad *Senatum Venetum* ſcripta, colligitur. Pluribus enim magiſtratum monuit, vt ſibi ab eiusmodi farinae hominibus iam cauerent, ſalvamque, dum adhuc tempus eſſet, ſeruarent rempublicam, non vaga enim fama dici ſupra 40 in eius vrbe ac agro numerari, qui veneno illo infecti eſſent, viros praenobiles, et ingenii acúmine eximios. V. *De Porta* hiſt. Reform. Eccl. Raet. T. I. L. II. p. 63. *Melanthon* Epp. T. I. p. 100. et in Conſil. et Reſp. P. I. p. 336. Nemini facile longam hac de re admonitionem legenti dubium videbitur, SERUETI errores apud *Venetos* ſuos habuiſſe defenſores ac patronos, a quorum contagio pios veritatis reſtitutae cultores ac promotores praeſeruare ſtudet MELANTHON. Ita autem ille in editione antiquiſſima allegata. p. A. 4. inquit: „*Intellexi* (ex BRACCIETO) *iſthic circumferri* SERUETI *libellum, qui renouauit errorem Samoſateni initio Eccleſiae damnatum et labefecit ſententiam de duabus naturis in Chriſto, negat in Joanne verbum ſignificare hypoſtaſin, ſeu perſonam, vt nunc vocant, cum Joannes ait: In principio erat verbum, et poſtea: Et verbum caro factum eſt. Etſi autem extat meum iudicium de hac controuerſia, ac nominatim in locis* (Theologicis, quorum italica verſio in lucem iam prodierat) *damnaui* SERUETI *ſententiam, tamen nunc quoque vos admonendos atque obteſtandos eſſe duxi, vt hortatores atque autores ſitis, vt fugiant, abiiciant, execrentur impium* SERUETI *errorem.* Poſt longam de *Serueti* ſpeculationibus et cauillationibus expoſitionem his verbis finem facit: *Haec ſcripſi verboſius,*

quam modus epiſtolae patiatur, ſed multo anguſtius, quam magnitudo cauſſae poſtulat. Verum iudicii mei teſtimonium vobis ſignificare volui, nec grauatim de tota controuerſia, ſi quis petet, copioſius diſputabo. In locis collegi praecipua teſtimonia ad hanc cauſſam pertinentia, quibus confirmatae mentes poſſunt contrarias cauillationes refutare. Porro vt quondam lex Caſtrenſis notabat ignominia non eum, qui gladium, ſed qui clypeum abiecerat, quia prior eſſe cura noſtri tuendi debet, quam hoſtes feriendi: ita his contentionibus prior eſſe cura debet, noſtras mentes confirmandi, poſterior refutandi aduerſarii." Haec a *Melanthone* ſcripta, niſi me omnia fallunt, narrationi de *Collegiis Vicentinis* fulcrum adferunt, monſtrantque iam ante annum 1546 prima errorum ſemina circa myſterium S. Trinitatis, in agro Vicentino effloruiſſe. Quando autem *Melanthon* in refutando *Serueti* errore, coram Magiſtratu Veneto antiquae eccleſiae Patribus *primum* locum concedit, hoc ipſo venerabilis et circumſpectus doctrinae coeleſtis defenſor, ſe ad *Venetorum* conceptum et iudicia commodauit, qui romanae Eccleſiae principiis imbuti, Patrum expoſitionibus tantum auctoritatis tribuebant, quos rectiora et veriora docendo offendere noluit. Nimium vero *Melanthonem* tribuiſſe patrum teſtimoniis et in hoc cum Pontificiis conſenſiſſe, qui putat, de contrario conuincetur, ex eiusdem tractatu *de Eccleſiae auctoritate, et de veterum ſcriptis, Witteb.* 1539. 8., quem *Celſiſs:* Principi Boruſſiae Alberto *Seniori* dicatum voluit.

Id ipſum, quod de conuentibus memoratis probabile viſum eſt, euincunt viri, qui illis interfuiſſe dicuntur, quorum niſi omnes, quidam ſaltem errore iam imbuti fuerunt, cum Italiam reliquerint: Busdragius, qui hoc tempore, quo iſta collegia inſtituta ſunt, *Venetiis* Romanae curiae inquiſitor exſtitit, eorum mentionem facit, qui magno numero ex Italia diſperſi, in alias regiones tranſierunt, quo ipſo haud obſcure, ad *Collegia* iſta diſturbata re-

refpicit. Paulo ante Vicentina Collegia, vel circa idem tempus, quo habita funt, in fuperiori *Italiae* parte ad *Heluetiae* terminos variae haerefes, et inter has maxime Antitrinitariorum errores pullulare coeperunt. Notum eft, CLAUDIUM *Serueti* affeclam inter Allobroges mentis fuae placita diffeminaffe, et in *Raetia*, quo *Itali* patria pulfi certatim confluxerunt, iam ante horum aduentum exftitiffe Anabaptiftas, aliosque circumforaneos.

Omnino autem concedendum, quod etiam res ipfa palam loquitur, in *Venetis* et *Vicentinis* collegiis eam religionis formam, quae a *Socinis* nomen traxit, minime effe conflatam; citius enim disiecti, et ad exfilium coacti, quam de primariis fectae alicuius, quae difficile in Italiae terminis exftruenda erat, placitis, plures vna mente confenferint. Concedi quoque debet, deliberationibus iftis non interfuiffe omnes, qui earum focii fuiffe dicuntur; *Ochinum* enim easdem non frequentaffe manifeftum eft; omnem tamen propterea in dubium vocare hiftoriam, nulla nos adigit ratio. SOCINUM Siena, non autem *Venetiis* appuliffe *Geneuam*, nihil prorfus in contrarium euincere videtur, ac facile conciliari poteft. Potuit enim Venetorum ditione egreffus, antea falutare *Sienam*, quam *Geneuam* contenderet. Nec maioris momenti dubium eft, quod nulla eorum apud fcriptores mentio fiat, qui ex iftorum conuentuum fociis carnificis manu periiffent. *Sandius* enim in *Add.* ad *H. E.* p. 90. expreffe ait: „Ex his fodalibus JULIUM TREUISANUM et FRANCISCUM de RUEGO captos effe, et Venetiis ftrangulatos." Fortaffis plura truculentae caedis exempla allegari poffent, fi liber ad manus noftras perueniret, qui allegatur fub titulo: FRANCISCI NIGRI (qui ipfis hisce Collegiis Vicentinis praefto fuiffe creditur, B. A. P. I. 554.) *Baffanenfis, breuis hiftoria de Fanini Fauentini, ac Dominici Baffanenfis morte, qui nuper ob Chriftum in Italia Rom. Pont.* iuffu impie occifi funt, a. 1550. 8.

Nonnullos, nisi plurimos, inter conuentuum isto-rum sodales, ab haereseos contagio liberos fuisse iudicamus, qui societati sine dubio bona intentione semet adiunxerint, quorum nomina ne quidem sunt notata; idem tamen de omnibus ferri non potest iudicium. De exsulibus in genere Italis, qui Religionis caussa in alias terras *Raetiam* maxime et *Heluetiam* ac inde in *Germaniam* et *Poloniam* excurrerunt, constat, quod fuerint inter illos viri ingenio et eruditione summi, etiam vitae innocentia et praeclaris moribus commendati, qui puritati Euangelii suam nauarunt operam; sed quoque non pauci ad *Serueti* aliorumque Antitrinitariorum placita inclinantes; et inter hos *Laelius Socinus*, *Bern. Ochinus*, duo Monachi excucullati, quorum vnus *Franciscus*, de patria *Calaber*, alter *Hieronymus* Mediolanensis, qui *Ochini* discipulos se adserebant, *Camillus Renatus*, *Siculus*, *Petrus Leo*, *Franciscus Niger*, *Stanckarus*, *Matthaeus Gribaldus*, *Jo. Paul. Alciatus*, *Celsus Martinengus*, Anabaptistarum labe infectus, *Val. Gentilis*, *Ge. Blandrata*, et ipse *Pet. Paul. Vergerius*. Non tamen hi omnes eandem viam calcabant, sed alii plura, alii pauciora capita defendebant, a suscepta doctrina diuergentia. Maxime S. Trinitatis mysterium in censuram quidam trahebant, idque abstrusum et contradictorium dogma reiiciendum putabant. Tum vero de statu animae post mortem curiosi, animae immortalitatem aperte fateri renuebant, dicentes pro certo asseri non posse, an anima etiam post mortem functiones suas continuet, vel an somno quasi consopita ad diem vsque iudicii. Nos non saluari per redemtionem et mortem Christi, sed per gratiam Dei Patris, Christi iustitiam nemini posse imputari, sed ex suis, quae quisque fecerit, coram Tribunali iudicandum esse; non adeo per peccatum corruptum esse hominem, vt nullum ad vere bonum habeat liberum arbitrium, Sacramenta tantum tesseras esse confessionis christianae et signa mnemonica mortis Christi. Praestare baptismum paruulis non adhibere, sed ad annos

dis-

diſcretionis differre. Praeter hos ſubtiles alii fuerunt, narrante de *Porta*, l. c. p. 63., qui quoque de ſequentibus articulis ſibi verba excidere patiebantur: Chriſtus non tam morte ſua nobis peccatorum remiſſionem acquiſiuit, quam potius vim quandam, qua in hoc mundo reddamur impeccabiles: Apoſtolos dum viuerent, non fuiſſe ſemper eo vsque peccatores, vt neceſſe habuerint precari peccatorum remiſſionem. Miniſterium non adeo eſſe neceſſarium; quidam diem dominicum non eſſe obſeruandum crepabant. — — Iſtorum hominum quidam prorſus erant illiterati, atque vix primis elementis tincti; et tamen Eccleſiis ſe ceu viae ſalutis duces ingerebant, ſancto et humili quodam faſtu cuiuis ſuggerentes, Apoſtolos etiam fuiſſe idiotas, et gentium tamen Doctores. Alii ſacra Pontificia auerſabantur, nec tamen euangelicae eccleſiae nomen dare volebant; ſed horum haud ſecus ac Pontificiorum coetus horrebant. etc. Initio aduentus eorum in Raetia ſuas illi opiniones diſſimulabant, aut caute admodum iis, apud quos opportunum videbatur, inſinuare ſtudebant. Hinc primi Euangelii miniſtri probi viri nihil vnquam ſiniſtri de illis ſuſpicabantur, quantumuis ex eorum ore nouas ſemper, dubias captioſasque quaeſtiones in medium protrahi audirent; ſed haec omnia Italico ingenio tribuebant. Verum ſorex mox ſuo ſe iudicio prodidit, et hi qualia mente premerent, ſemper occultare non potuerunt. De colloquiis et diſputationibus cum his circa varias quaeſtiones inſtitutis, plura *de Porta* ex Actis autenticis protulit, qui etiam quosdam ex Neoarianis notauit, ad meliorem mentem reuerſos et veritatem orthodoxam confeſſos. De omnibus autem hoc tempore Italis exſulibus iudicat, quod fuerint capita ſingularia, contentioſi, inquieti, ex quacunque re leuiſſima rixam mouentes, nec doceri a quoquam ſuſtinentes, nec a ſua pertinacia remittentes, hinc omnibus euangelicis moleſtiam procrearunt, praecipue in *Raetia*, quod idem auctor pluribus probauit documentis.

Non

Non verisimile videtur *Moshemio*, quod L. Socinus, iuuenis tum temporis vnum supra viginti annos natus, natali solo relicto ad *Venetos*, aut *Vicentiam* se contulerit, vt de rebus ad religionem pertinentibus libere cum aliis disputaret. Sed quae de praecoci *L. Socini* ingenio et inclarescendi conamine, dicturi sumus, huic rei fidem faciunt; quemadmodum quoque *Seruetum* iuuenili aetate inclaruisse, et reformandi pruritu abreptum, anno aetatis circiter vigesimo libros de *Trinitatis erroribus* scripsisse, antea notauimus. A vero quoque abesse putat, quod tanta *L. Socinus* adolescens valuerit auctoritate, vt inter tot viros doctrina praestantes, ac aetate prouectiores, quales fuerint, qui hos frequentasse conuentus dicuntur, principem locum ac praesidium obtinuerit. Sed vel errarunt in hac parte, qui externam huius societatis formam delinearunt, vel hoc figmento, sectae suae signifero maiorem praerogatiuam conciliare studuerunt. Verum ne hac quidem exculpatione opus est. Si enim recordamur, *Socinum* nobiliori loco natum, et ex celeberrima familia ortum fuisse, ac praeterea, tantum valuisse *Laelium* ingenio atque mentis acumine, quantum reliqui experientia, facile creditu est, omnes eidem primum cessisse locum. Qui eum isti sodalitio, anno 1546. iam dispulso, interfuisse negant, quod demum 1547. ex *Italia* excesserit, ac proinde adhuc per integrum annum post dispersionem collegii tutus in Italia vixerit *Laelius*, hoc argumento historicam traditionem non euertunt. Licet enim extra omne dubium positum esset, quod vulgo creditur, *Socinum* anno demum 1547 Italia valedixisse, potuit tamen tranquillus et cautus errorum suorum custos, nec improvidus propalator, inter amicos, per anni spatium in obscuro latere; ad quem modum etiam *Pet. Paul. Vergerius*, iunior, aliquod tempus in Italia commoratus est, quamvis Instigatores iudicii ecclesiastici vndique eum consectati fuerint. Quae de profectione *Laelii* ex Italia monentur, quod in ipsius vita non desint vestigia, quae diligentius

omnia

omnia ponderanti, ſententiam ſubminiſtrant, veri potius apud exteros inueſtigandi amorem, quam capitis praeſens periculum, diſceſſum ei ex *Italia* ſuaſiſſe; narrationem de collegiis *Vicentinis* non euertunt. Potuerunt ſuſcepti huius itineris plures eſſe cauſſae, nec mirandum, quod homo ſingulares adfectans opiniones, explorandi veri propoſitum venditauerit; cuius ſpeciem *Val.* quoque *Gentilis*, aliique prae ſe tulerunt. Eundem diſcendae veritatis praetextum *Laelius* in *Heluetia* obuertit, cum quorumuis errorum patrocinio ſibi vitae periculum contraxiſſet. Diſcendi veràque cognoſcendi amor, qui eum excitaſſe perhibetur exteras viſendi regiones, paulo ante eundem permouere potuit, patrio ſolo relicto, ad *Venetos* ſe conferre, haecque collegia in agro *Vicentino* frequentare. Socinianam autem diſciplinam a *Laelio* in his conuenticulis eſſe inuentam vel expoſitam, nec iſti ſtatuunt, qui illorum mentionem fecerunt. *Laelius* fortaſſis non ſerio, ſed ambigentis ſpecie, et paulo curatius res ad religionem pertinentes ſciſcitandi animo, dubia quaedam propoſuit, ipſe anceps adhuc haerens, quid ſtatueret. Eum vero ex Italia certam religionis formam omni ambitu exornatam ſecum tuliſſe, nemo vnquam credidit; quamuis fortaſſe eandem iam iſto tempore meditatus fuerit; nec facile quis ſibi perſuadebit, reliquos collegiorum ſocios ipſius ſententiae in omnibus calculum ſuum adieciſſe.

Poſſunt praeter haec plura pro hiſtoriae huius de collegiis Vicentinis veriſimilitudine, adferri argumenta. Quae ratio eſt, cur *Italorum* coetus *Geneuae* et alibi in Heluetia, maxime vero in Raetica ditione Italiae proxima collecti, omnium maxime hominibus turbati fuerint, qui in Deum, eiusque Filium heterodoxa ſtatuerunt? Multi, qui circa hoc tempus ex Italia huc acceſſere, vel eandem, vel ſimilem cum *Serueto*, ſtatim poſt ipſorum aduentum in hoc loco, declararunt mentem, quod vniuerſa horum motuum hiſtoria confirmat. Ex quo fonte, et quo loco, exſulan-

exſulantes *Itali* errores iſtos, hauſerunt? Non demum in *Raetia* vel *Heluetia*, quibus locis procreatos ingenii ſui foetus ſtatim cum appulerint, expoſuerunt. Veriſimillimum proinde eſt, quosdam ſaltim peregrinos Italos vetitam hanc mercem in *Italia* iam collegiſſe, et deliberato conſilio decreuiſſe in exteris Raeticis ac Helueticis regionibus, in ſpecie *Geneuae*, qui tamen locus ipſis poſt tremendum *Serueti* ſupplicium terrorem incuſſit, mercium ſuarum exſtruere emporium. Primi iſti Antitrinitariorum ſigniferi in collegiis iſtis, ex antiquorum haereticorum, qui in *Italia* aduerſus S. Trinitatem et aeternam Chriſti Deitatem male ſenſerunt, propagine fortaſſis exſtiterunt. Fuiſſe enim priſtinis iam temporibus, et ab *Arii* et *Manetis* aetate in *Italia*, qui vel *Arianismi*, vel *Manichaeismi* ſemina in occulto ſeruarunt, ex harum haereſium fatis per omnia ſaecula manifeſto conſtat. Licet enim horum haereticorum nomen non audiretur; ſub alio tamen titulo, vel *Katharorum*, vel *Paulicianorum*, vel alio quocunque minus odioſo nomine latebant et compellabantur. Haud pauci quoque triſtiſſimis patrum ſuorum territi veſtigiis, quippe quorum plurimi flammis ferroque perierunt, in latibulis deliteſcentes, in lucem non prodibant. Cum autem reformatae in *Germania* Eccleſiae fama, per totam *Italiam* diuulgaretur, hi, qui antiquorum haereticorum placitis priuatim imbuti erant, haec ipſa a patribus accepta dogmata, inter praecipua eſſe commendanda et reſtituenda in Eccleſiae reformatione aeſtimarunt. Irrigauit haec veterum haereſiarcharum in Italia ſemina, *Seruetus* libris in orbem expoſitis; opus enim eius *de Trinitatis erroribus* ab a. 1531. per *Italiam* et agrum *Venetum diſperſum*, multis, ſeceſſionem a Papatu tum temporis meditantibus, opinionem propinabat, eiusdem auctorem, excitatum a Deo legatum eſſe. Hinc Sandius in app. *ad Nucl. H. E.* p. 90. inquit: „*Neque certo dicere poſſum, fueritne inter illos, collegiorum commemoratorum ſodales* Seruetus: *libros ſane eius ſeptem, de*

erro-

erroribus Trinitatis, Basileae 1531 editos, per Italiam liberius sparsos errandi ansam praebuisse, constans fama est." Quamuis autem inter sodales istos non fuerit *Seruetus*, indubitatum tamen est, eumdem oretenus quoque in Italia suos aliis commendasse errores. Jo. MANLIUS in *locis commun.* T. III. p. 21. verissime testatur, eundem *Venetiis* praecipue sparsisse venenum suum. Commoratum quoque eum esse aliquamdiu in *Italia* circa a. 1533 vel 1534 a quibusdam memoriae proditum legitur. Vitam per aliquod tempus circa annum 1525—1528 in *Italia* et in agro *Veneto* traxisse, ibidemque habuisse amicos atque fautores, in aprico positum est; quapropter etiam ad vltimum vitae suae terminum cum quibusdam *Venetis* commercium epistolicum instituit. V. CALUINI *Refut. errorum Serueti*, p. 695. MELANTHON insuper a. 1538. ab erudito quodam *Venetiano Braccieto*, qui *Wittebergam* accesserat, certior factus *Seruetum* in Italia, et in agro Vicentino haereseos suae vestigia reliquisse, eaque post ipsius inde discessum inclaruisse. Apprime hinc *Zanchius* de Antitrinitariis, vbique locorum ecclesiam Christi turbantibus dicere solebat: Facile est diuinare, vnde hoc malum, et per quos fotum. *Hispania*, (*Serueti* patria) gallinos peperit, *Italia* fouit oua. Nos iam (in *Raetica* ditione, *Clauennae Vallae Tellina* etc.) pipinientes pullos audimus.

Quae diximus, THEOD. quoque BEZA in *Praefat. historiae Valent. Gentilis*, p. 14. confirmat, qui testatur prodiisse ex *Serueto*, tanquam ex ludo quopiam discipulos non paucos, sui etiam ducis et insaniam et impietatem pene superantes. Inter hos refert, *P. Alciatum*, *Val. Gentilem*, *Blandratam* et *Gribaldum*, his quoque fauisse, *Bernardinum Ochinum*, et *Laelium Socinum*, significat. His a *Beza* nominatis, inter *Italos*, Seruetianae haereseos promotores *Claudius* quoque *Allobrox* accensendus, de quo antea exposuimus, qui malam intentionem spargendi erroris

roris sui *Basileae*, *Bernae* et *Wittebergae* manifestauit, his vero locis impeditus, in Italiam a. 1537. rediit, vnde post aliquod tempus iterum in Germaniam se contulit; Beza l. c. significante. Id ipsum *Claudii* exemplum satis commonstrat, fuisse inter *Italos* paulo ante collegia ista Vicentina, qui pro *Serueti* partibus dimicarunt. In his ipsis conuentibus exstitere *Serueti* admiratores, quorum numero Laelius Socinus ab eodem Beza ep. 81. accensetur. Omnes fere, quos Lubieniecius, Sandius et Wissowatius hosce conuentus frequentasse narrant, immo plures, tanquam Serueti asseclas longo ante istos scriptores tempore, *Jo. Wigandus*, in libro de *Seruetianismo et Antitrinitariis* a. 1575. *Regiomonti edito*, p. I. b. allegauit, ita enim inquit: *Sectatores postea* Seruetus *accipit* Gentilem, Campanum, Ge. Blandratam *Medicum*, Matthaeum, Gribaldum *Iure consultum*, Jo. Paulum Alciatum, *Mediolanensem*, Gregorium Pauli, *Pastorem Cracouiensem*, Ochinum *et alios* —— *Eadem deliria secuti sunt*, *Leon. Abbas Calaber*, Martinus Cellarius, Laelius Sozzinus *Senensis*, *et alii quidam vt liber Antitrinitariorum, sine nomine editus, ipsemet annotat.* Innuit vero *Wigandus Ministrorum Sarmatiae* et *Transyluaniae libros de falsa et vera vnius Dei P. F. et Sp. S. cognitione.* V. *B. A.* P.I. p. 58.

Videtur quoque aliquid roboris ad probandam *Sandii*, *Wissowatii* et *Lubieniecii*, de Conuentibus Vicentinis a. 1546 disturbatis, narrationem conferre, quod *Venetorum Senatus* circa annum 1548 edicto promulgato ad perpetua curiae Romanae desiderata et postulata statuerit, vt libri a catholica religione discrepantes, certis delegatis traderentur, idque intra dies octo, quibus elapsis, inquisitum iri minabatur, et qui deprehensi fuerint, non impune abituros; iis quoque, qui denunciarent edicti huius contemptores, munera promittebantur. V. *Laur. Surius* l. c. p. 566. Eiusmodi quidem mandatum iam a. 1522. publi-

publicatum, anno autem 1548. ad inſtantiam Pontificis in Venetorum republica renouatum.

Ad fidem dictis conciliandam haud parum confert, quod breui tempore poſt conuentuum iſtorum diſperſionem, ab auctoribus allegatis ad annum 1546. notatam, Praeſul Romanus ſeuera lege Antitrinitariorum conamina coercere, maloque ingruenti quibuscunque mediis limites ponere neceſſe duxerit. Anno enim 1555. 7. *Id. Auguſti*, PAULUS IV. *Bullam* publicauit, qua *negantes Trinitatem* aut *diuinitatem J. C.* aut eius conceptionem de Sp. S. aut eius *mortem*, *vt nos redimeret*, aut virginitatem B. Mariae virginis haeretici declarantur. His autem verbis *Bulla* incipit: „Cum quorundam hominum prauitas atque „iniquitas eo vsque noſtris temporibus proceſſerit, vt ex „iis, qui a Catholica fide aberrant, et deſciſcunt, plurimi „quidem non ſolum diuerſas haereſes profiteri; ſed etiam „ipſius fidei fundamenta negare praeſumant, et eorum „exemplo multos in interitum animae deducant: Nos cu„pientes pro noſtro paſtorali officio et caritate huiusmodi „homines, quantum cum Deo poſſumus, a tam graui et „peſtilenti errore auocare, ac ceteros, ne in talem impie„tatem labantur, paterna ſeueritate admonere, omnes ac „ſingulos, qui hactenus aſſeruerunt, dogmatizarunt et cre„diderunt, *Deum* omnipotentem *non eſſe trinum in perſo„nis*, et imcompoſita omnino indiuiſaque vnitate ſubſtan„tiae, et vnum vnamet ſimplici diuinitatis eſſentia; aut „*Dominum noſtrum* J. C. *non eſſe verum Deum*, *eiusdem „ſubſtantiae per omnia cum Patre et Sp. S.* — — — ex „parte omnipotentis Dei, P. et F. et Sp. S. Apoſtolica „auctoritate requirimus et monemus, quatenus intra ſpa„tium trium menſium a publicatione praeſentium in Ro„mana Curia, quoad reſidentes in ea, modo infra ſcripto; „extra eam vero, quoad alios in illa non reſidentes, mo„do et forma per Dioeceſanos ſtatuendis, facienda inci„piendorum, quos pro primo, ſecundo et tertio, ac pe-

„remtorio termino, ac monitione canonica eis et eorum „cuilibet aſſignamus, ab eorum aſſertione, dogmatibus et „credulitate huiusmodi, ac quibuscunque aliis in fide „praedicta erroribus, in quos hactenus lapſi ſunt, reſi-„puiſſe, et ad vnitatem Eccleſiae redeundo, aſſertionem, „dogmata et credulitatem ac alios errores huiusmodi in „manibus Inquiſitorum haereticae prauitatis, ciuitatum „et locorum, in quibus ad praeſens degunt, realiter et „effectu abiuraſſe, et intra alios tres menſes a die abiura-„tionis huiusmodi inchoandos de eadem abiuratione ve-„nerabilibus fratribus noſtris Sanctae Romanae Eccleſiae „Cardinalibus, dictae haereticae prauitatis Inquiſitoribus „generalibus, plenam fidem feciſſe debeant." etc. Eandem Bullam confirmauit, iteratoque publicari iuſſit a. 1603. d. 3. Febr. Clemens VIII. Vid. *Bullarium Romanum*, ab Angelo Maria Cherubino, *Romae* 1638. fol. editum, Tom. I. p. 590. et Tom. III. p. 104.

Qui natales Socinianismi ex *Italia*, et *conuenticulis Vicentinis* repetendos eſſe, negant, argumento vt plurimum vtuntur, quod ſcriptores nominati de his exponentes, collegiorum iſtorum neque teſtes oculati, neque coaeui; ſed extranei, recentiores et longo interuallo ab Italia remoti fuerint, omnesque ex horum narratis hauſerint, qui eandem hiſtoriam expoſuerunt. Verum haec ab illis non efficta, ſed ex Budzinii coment. ineditis ac iam deperditis, et ex Laelii Socini vitae curriculo, ſuam hac de re notitiam hauſiſſe, dubitari nequit. Potuerunt haec ab extraneis reſciri, cum ipſi *Socini*, et *Laelius* et *Fauſtus* in Polonia praeſentes adfuerint, de collegiis iſtis teſtimonium omni exceptione maius exhibentes. Prouocat praeterea *Sandius* ad librum *miniſtrorum Sarmatiae et Tranſyluaniae* ſaepius allegatum. Vnus ſcriptor fide dignus haud raro admittitur, vt hiſtoriam, quam ſolus enarrauit, credamus: cum in hac cauſſa plures et antiquiores ſcriptores ſint, qui in genere eadem, quae *Sandius*, *Lubien.*, *Wiſſow.*

Wiſſow. et *Przypc.* tradiderunt, vel confirment, vel veriſimillimam hanc eſſe hiſtoriam, palam faciant. Teſtes huius rei in genere quidem ſunt *Melanthon*, *Busdragius*, *Beza*, *Blandrata*, *Budzinius*, aliique. Omnes ex Italia Socinianiſmi primordia repetunt, nec contradicunt ſcriptores coeti huic addicti, ſed potius, qui ex *Laelii* et *Fauſti Socini* ore pendebant, id ipſum concedunt atque aſſerunt. Cum Miniſtri et Antiſtites Eccleſiae in Hollandia et Weſtfriſia in voto ſuo ſignificauerint, homines iſtos *Italia* in primo ortu expulſos eſſe, JON. SCHLICHTINGIUS in *Apologia pro veritate accuſata*, p. 35. id non impugnauit. Eandem Socinianismi originem quoque indicauit LAURENTIUS LAELIUS in *indice controuerſiarum ac ſchismatum praecipuorum* etc. (qui liber *Onoldsbachi* anno 1612. 8. prodiit) p. 179. ad. a. 1561 notans: *Antitrinitarios ex Italia in Germaniam et Vngariam eſſe effuſos.* Probabile etiam videtur, quod HENR. PANTALEON, Baſileenſis in *Chronograph. Eccleſiae chriſtianae, Baſil.* 1550. p. 124. ad ea, quae 1546 in *agro Vicentino* acciderunt, reſpexerit, cum ad an. 1545. inquit: „*Haereſes multae et variae ſub ſpecie religionis componendae, paſſim oriuntur.*" NICOLAUS PACZ *Epiſcopus Kiiouienſis*, in libro, 1560 typis impreſſo hoc titulo: *Orthodoxa fidei confeſſio, de vna eademque Dei P. F. et Sp. S. diuinitate ac tribus perſonis*, licet conuentuum in *agro Vicentino* inſtitutorum non ad litteram meminerit, eosdem tamen haud obſcure ſignificat, et ex reformandi pruritu, natales *Socinianismi* deriuat, in dedicatione libri ad Jo. CHOTKOWITZ, *Supremum magni Ducatus Lithuaniae Mareſchallum, et generalem Samogitiae Capitaneum* ſcribens: *Paucis hisce annis, ab inquietis aliquot ingeniis, neſcio cuius in Eccleſia reformationis praetextu, fucato plane et hypocritico zelo, ita omnia carptim diſtracta et diuulſa ſunt, vt — — — — — — ipſa Filii Sanctique Spiritus diuinitas apud imperitam plebem etiamnum propalam in dubium vocetur.* BENED. ARETIUS, de *Valentino Gentili, Geneuae* 1567. 4. non quidem collegiorum iſto-

rum in ſpecie mentionem iniicit, nonnullos tamen *Italos* nouarum haereſium ſtatores *Geneuam* conceſſiſſe, p. 7. teſtatur: *Aderant tum in Italica ecclesia* (Geneuae collecta) *homines permulti ex tota Italia, qui alii alias ob cauſſas eo ſe contulerant: inprimis vero qui pietatis nomine extorres, e patria illuc profugerant. Inter hos erant quidam, καινῶν δογμάτων ευρεται.* Georgius enim Blandrata, *profeſſione medicus, negotium Trinitatis recenter coeperat conuellere: — — — — Voluebant idem ſaxum* Gribaldus *Iuris conſultus celebris, et* Ioan. Paul. Alciatus *quidam Mediolanenſis.*

Negandum interim non eſt, hanc narrationem, quam meris fictionibus et commentis nemo facile adnumerabit, omni adhuc caligine exemptam non eſſe, ita vt de pluribus circumſtantiis ad hoc argumentum ſpectantibus coniecturando tantum iudicare poſſimus. Dignae vero iſtae *crypto Photinismi Italici origines* eſſent, quae ab *Italo* docto, documentisque genuinis inſtructo, ex profeſſo deſciberentur, magisque dilucidarentur, quod plures eruditi et inter hos *Moshemius* et *Zeltnerus* in votis iam diu habuerunt. Quae de ſocietate iſta numerum quadragenarium excedente ſcriptores memoriae prodiderunt, rem omnem non conficiunt, multaque adhuc luce indigent. Inter ea, quae illuſtratione potiſſimum opus habent, numeramus, quod a nemine vnquam expoſitum ſit, qua larua ſibi ſumta, aut quo obtentu colloquia illa, Academici conuentus nomine habita ſint, an alio inducto colore. Nec alius de his aliisque momentis nos facere poſſet certiores, niſi rerum in patria geſtarum peritus *Vicentinus*, vel ſaltem *Italus*, cui ad ſcrinia publica pateret aditus.

Palmaria, quibus vel defendendis, vel repurgandis ſtuduerunt iſtorum collegiorum ſocii, dogmata, *Lubieniecius* L. II. c. 1. p. 38. ex Laelii Socini *curriculo et Budzinii comm. msſct.* his verbis ſpecioſe exponit: „*Pertractabant hi praecipua fidei christianae capita: Vnum ſcil. eſſe*

Deum

Deum altissimum, qui cuncta, vt crearit, potenti verbo et efficaci suo iussu, ita et sapienti et benigna sua prouidentia cuncta conseruet, Filium eius vnigenitum esse Jesum Nazarenum, hominem verum, at non simplicem, vtpote virtute Spiritus S. in casta virgine genitum. Hunc a Deo patribus promissum tempore definito posteris eorum missum, mysterium Euangelii salutaris hominibus annunciasse, viam vitae aeternae, non indulgendo carni, sed pie viuendo, consequendae monstrasse ex voluntate paterna vitam, parandae et sanciendae peccatorum remissioni impendisse, ab eo resuscitatum, et exaltatum esse, credentes in Christum, eique morigeros a Deo iustificari, ita pios homines immortalitatem in primo Adamo perditam, in nouissimo Adamo eandem recuperare: hunc solum populi sibi subiecti esse caput et Dominum, hunc omnium viuorum et mortuorum constitutum iudicem, in vltimo die ad nos venturum: interea regnum mille annorum recuperaturum et obtenturum; ad vltimum Deo Patri regnum traditurum, eique subiectum iri, vt Deus sit omnia in omnibus. Coeterum dogmata vulgo recepta de Trinitate, de Christo Dei, qui sit ipse Deus, Creator, idem Deus, qui Pater, de Spiritu S. Dei, qui Deus pariter sit, de iustificatione, vel per opera meritoria, vel per fidem solam, meritum Christi sibi applicantem, aliaque his similia esse opiniones per Philosophos graecos introductas."

§. X.

In his *Italorum Collegiis* arma aduersus S. Scripturae mysteria fabricata esse, ipsi sodales, qui illis interfuisse dicuntur, et fuga vitae periculo se eripuerunt, comprobant, qui, saltem plurimi *Serveti* vestigia prementes similes errores sunt professi, vel alio modo in diuinam veritatem rationis suae tela vibrarunt. Non quidem omnium, qui con-

ventus iſtos frequentarunt, nomina in lucem prolata ſunt; nec de omnibus, qui nominantur, indubitato adfirmirari poteſt, eos iure quodam ad hunc numerum eſſe relegatos; quidam etiam omnino Antitrinitariorum erroris in genere argui nequeunt. Hi omnes fere diſperſis collegiis iſtis ex *Italia* ad Eccleſiarum in *Raetia* et *Heluetia* Reformatorum ſinum ſe receperunt, ſpe quadam ſuſtentati, ſedem figendi inter ipſas, qua vero, ab orthodoxa doctrina circa myſterium S. Trinitatis deflectentes, in his terris fruſtrati, inter *Polonos* Proteſtantes ac Euangelicos aſylum quaeſiuerunt.



Quosdam horum conuentuum ſocios (omnes enim ad eandem claſſem referre nefas putamus,) aberraſſe a veritate, eamque temerario reformandi ſtudio oppugnaſſe, et euerſioni doctrinae orthodoxae de S. Trinitate infelicem operam commodaſſe, iam monuimus. His ſine dubio Philoſophiae abuſus viam ſtrauit, ad declinandum a doctrina Eccleſiae probata. Sentiebant quidam ſubtilioris ingenii, rationem in coetu Romano tot commentis ac fabulis faſcinatam omnemque eius vſum prohibitum, vt a pluribus nonnulla crederentur, quae magis riſu, quam fide digna haberi debebantur, nec quicquam ad ſalutem conferebant. Cum igitur, qui rationi tanquam cognoſcendi inſtrumento, ſuum pretium in religionis negotio concedendum eſſe ſtatuerunt, non debitos iudicio huic poſuerint limites, ſed vltra, quam par eſt, rationis principia et cognitionis ambitum venerarentur, ad deuia deflexerunt, et in aliud extremum delapſi ſunt, vt nihil credendum putarent, quod rationem tranſcenderet. Sic limitibus excedens cupido de hoc myſterio philoſophandi,

di, vt iam olim antiquis temporibus, ita quoque recentiori aetate, multiformes procreauit errores. Hinc ex conuentibus iſtis noui ingeniorum foetus prouenerunt, et quidam, vnitis quaſi viribus, peculiari inſtructa ſocietate, rationem captiuatam hactenus, in libertatem vindicare ſtatuerunt. Viguit tum temporis in *Italia* Philoſophia Ariſtotelica, cui plurimi, niſi omnes, quod probabile admodum eſt, conuentuum ſodales ſe conſecrarunt. Huius Philoſophiae dumetis et inſatiabili diſputandi deſiderio ita implicabantur, qui rationis dictamina pro norma explicandorum coeleſtium myſteriorum adoptarunt, vt non, niſi humani ingenii cogitata procreari et in orbem exponi potuerint. V. *Obſeru. ſelect. ad rem litterar. ſpectantes* T. I. Obſ. XV. *de haereſibus ex Philoſophia Ariſtot.* ortis. Iſta Collegia, quae LUBIENIECIUS *colloquia pia* vocat, auctoritate publica tandem diſſoluta, et eorum ſocios ad examen rigoroſum citatos eſſe, ſupra indicauimus. Quis vero conuentus illos primum detexerit ac denunciauerit, quibus legibus inſtituti, quando coeperint, quinam a principio ipſis ſuum nomen dederint, qua ratione inquiſitio et examen inſtitutum, quibus ſolemnitatibus ac circumſtantiis fuerint ſoluti, quo praeciſe menſe ac die haec omnia contigerint, et quae eius generis plura ſunt alia, cum omnibus adhuc ignoramus.

Nos hactenus iis contentos eſſe oportet, quae ſcriptores ſaepius commemorati narrarunt. Sed ne his quidem in omnibus aſſentiendum eſſe arbitramur; non enim omnes iſtos, qui inter ſocios horum conuentuum nominantur, ſaltem non iſto tempore a. 1546, quo diſſipata ſunt Collegia, iisdem interfuiſſe animaduertimus. *Camillus Siculus*, qui, poſtquam nomen euangelio dederat, *Renatus* dici voluit, iam circa annum 1542 ad *Vallem Tellinam* acceſſit, inde vero *Baſileam* diſceſſit. V. *de Porta* l. c. T. I. L. II. p. 81. De *Bern.* quoque *Ochino* absque omni dubio conſtat, eum iam a. 1541 e Roma profugum

ſupplicii et Banni terrore perculſum in *Raetiam* vel *Helvetiam* appuliſſe; eundem tamen conſenſiſſe cum reliquis Antitrinitariis, paulo poſt ex Italia in Heluetiam ſe recipientibus, nos habemus perſuaſos, nec adeo improbabile eſt, eum iam ante diſpulſa Collegia, cum horum ſodalibus priuatum quoddam inſtituiſſe commercium. Nonnulli viri conſpicui, relictis, quae in Italia habebant omnibus, in Raetiam iam a. 1540 et inde in Heluetiam contenderunt, ibique Euangelicorum coetibus iam inſtructis ſe adiunxerunt. Inter primos, qui ad Raetos acceſſit, fuit *Barthol. Maturus*, Cremonenſis patria, et olim Coenobii ibidem Dominicanorum Prior. Eodem anno ad Raetos confugit *Auguſt. Maynardus*, Pedemontanus, monachus olim, et *Julius Mediolanenſis*, Theologiae magiſter, vinculis, quibus ob labem Lutheraniſmi ipſi impactam *Venetiis* detinebatur, proſpere elapſus, eundem portum attigit.

Narrante *Lubieniecio* ex hac ſocietate erat Leonardus Bucali, (quem auctor *hiſt. Socinian. Gall. Abbe de Bucaſi*, p. 261 male adpellat,) *Abbas Calaber*, ſed patre hiſpano natus, qui arcanis hiſce colloquiis et ſtudiis euulgatis, cum aliis 40 viris fuga ſe eripuiſſe, apud Turcas ſalutem quaeſiuiſſe, *Damaſci* arte ſarcinatoria vitam ſuſtentaſſe, et ibidem obiiſſe perhibetur; quod *miniſtri Sarmatiae* et *Tranſyluaniae* l. c. L. I. C. III. quoque referunt. In *Mſcto* quodam, alio loco inferendo Leonardus quidam inter primos ſectae huius concionatores allegatur, ac de eodem narratur, quod *Cracouiae* Regis Poloniae concionator, remotus ob religionem ab officio fuerit. An vero is *Leonardus Bucali* Collegiorum iſtorum antea ſocius fuerit, idemque qui poſtea inter Turcas ſalutem quaeſiuerit, pro certo adfirmare non audeo. Inquirenti mihi arcanam Collegiorum Vicentinorum hiſtoriam, alius innotuit Leonardus, cognomine Pomarus, *Hiſpanus*, qui fortaſſis inter *Serueti Hiſpani* amicos, vel patronos refe-

rendus,

rendus, quod tamen accuratiori examine indiget. Coniecturae tamen huic locum faciunt, quae de Leonardo Medico, ipsiusque religione ac persequutionibus toleratis narrantur, in epistolis Christophori Longolii, *Basil.* a. 1533. 8. p. 227. 209 etc.

Alii ex eadem Societate *Thessalonicam* concesserunt, exceptis tribus, nimirum *Julio Treuisano*, *Francisco de Ruego*, et *Jacobo de Chiari*, quorum duo priores *Venetiis* suffocati, alligatis ad collum lapidibus maris fluctibus commissi, quod mortis genus in haereticis puniendis, *Venetiis* consuetudine receptum fuit. Tertius *Jacobus de Chiari* cum his eodem tempore carcere quidem inclusus, morte tamen opportuno tempore insequuta, supplicio exemptus est, cui sine dubio viuus subiiciendus fuisset.

Non tamen haec calamitas solos adflixit Antitrinitarios in *Venetorum* republica, sed post annum 1546 dispersis iam conuentibus istis, omnes, qui liberationem a Pontificum iugo optabant, ferro et igne territi, immo quidam truculentissimis suppliciis adfecti sunt. *Balthasar Alterius*, vir orthodoxus et pius, qui ex Italia in Helvetiam contendit, ibidem Italorum Protestantium caussam commendaturus, hoc facto per Raetiam iterum in Italiam remeauit. Scripsit vero e *Curia Raeticae ditionis*, ad *Bullingerum*, d. 28. Jul. 1549: „Dum hic essem, *Venetiis* „allatus est nuntius, acerbiorem in dies fieri persequu-„tionem in sanctos Dei; itaque non sine discrimine illuc „proficiscor; scis enim quam inuisus sum Papistis et im-„piis; sed non temere me committo itineri. Deus ser-„vabit me ab omnibus hisce malis. Tu pro me rogabis „illum."

Sandius in *B. A.* p. 18 plures haeretico sodalitio adscriptos nominat; nimirum praeter *Laelium Socinum*, reliquosque a *Lubieniecio* compellatos, *Bernard. Ochinum*, *Nicol. Parutam*, *Valent. Gentilem*, *Franc. Nigrum*, *Darium Socinum* et *Paulum Alciatum*. His *in App. ad Nucl.*

H. E. p. 90. iungit *Jac. Palaeologum*, *Matth. Glirium*, *Andr. Dudithium*, *Complatium*, addit tamen expresse: *Nisi de paucis forte dubitandum.* Immo nullum dubium, vltimo loco nominatos istis conuentibus non interfuisse. Omnium horum vel ex *Budzinii* commentariis *Mscpt.* vel ex *Laelii Socini* vitae curriculo notatorum historia, suo ordine recensenda est.

Qui ex fuga quorundam sociorum, dispulsis Collegiis Vicentinis, inter Turcas, consequentiam ad eorum consensum cum Muhamedanis trahunt, praeceps iudicium ferunt, cum aliae rationes hos commouere potuerint, ad infideles potius, quam ad terras Euangelii luce iam collustratas se recipere. Absit, vt omnes, religionis caussa Italia extorres vel pro sociis collegiorum istorum, vel pro Antitrinitariis, multo minus pro hominibus Muhamedanismo deditis habeamus. Id notatu dignum videtur, quod, nisi omnes plurimi tamen *Itali*, quotquot a Pontificiis sacris desciuerunt, vel helueticam confessionem amplexi sint, vel eandem adfectarint, propter errores vero in ipsis detectos, ab orthodoxe sentientibus communione ecclesiastica exclusi fuerint. Quidam ex italica natione propter religionem exsules, neutri se parti associarunt, quamuis ipsi ab Antitrinitariorum erroribus probabiliter immunes iudicandi sint. De *Petro Paulo Vergerio*, quo nemo magis aduersus Pontificis Romani dominatum stylum suum vnquam acuit, certo constat, quod nulli semet confessioni ex animo addixerit, et Hieron. Zanchius in *ep. nuncupatoria Miscellaneis suis* praemissa, nulli se coetui esse adscriptum, testatur his verbis: „*Lutheranus non sum, nec esse volo, quamquam Lutheri scripta et libenter et non sine fructu iam inde a mea iuuentute legi, et modo etiam, cum vacat, lego: sic etiam aut Zuinglianum, aut Caluinianum, aut quouis alio sectario nomine, me quis appellet, me esse pernego. — — Christianus igitur sum, non sectarius.*"

§. XI.

§. XI.

In Antitrinitariorum Italorum conſortio *Jo. Val. Gentilis* fuit. Quamuis enim de eodem certo ſtatui nequeat, quod iſtorum collegiorum Socius extiterit, hiſtoriae tamen conſcribendae ordo requirit, vt hoc loco eius placita et fata recenſeamus. Ratione quidem temporis habita, alii eſſent praemittendi; cum vero iſta ex *Valentini Gentilis* hiſtoria ex parte innoteſcant, hunc inter principes Antitrinitarios famoſiſſimum, et Bernae a. 1566 die 9. Sept. decollatum, primo loco in ſcenam producendum putauimus.

* * *

Jo. Val. Gentilis, qui *Serueto*, quoad triſtia fata et infauſtum errores ſpargendi et defendendi ſtudium, vario reſpectu comparandus, *Campano Italus*, filius *Franciſci Gentilis*, ex *Coſentia*, *Calabriae vrbe* natus, qui poſt relictam patriam *Coſentiam*, peragrata *Neapoli*, *Sicilia* et *Italia*, eodem tempore cum *Paulo Alciato Geneuam* conceſſit, in qua vrbe *Italorum* coetus iam inſtructus erat, cui opinionum inuentores, Italia extorres, ſemet iunxerunt, vel iungere ſtuduerunt. Quo anno natus ſit, certo dici nequit; notauit tamen *Sandius* l. c. p. 26. ex *Budzinii* Mſptis, eum iam ſenem fuiſſe, cum Geneuenſes eum perſequerentur. Quo determinate anno *Geneuam* acceſſerit, obſeruatum eſſe, non memini. Concinnatae ibidem fidei confeſſioni, de qua deinceps, a. 1558 d. 18. *Maii* ſubſcripſit; quo ipſo tempore iam aliquamdiu eundem *Geneuae* commoratum fuiſſe, indubitato conſtat. Ipſa enim *Gentilis*, cum aliis ſortis ſuae hominibus molimina et diſſeminati ab his errores, ad hanc doctrinae euangelicae teſſeram occaſionem ſuppeditarunt. Cum

nouus

nouus hofpes, Italorum quorundam, praecipue *Blandratae*, *Gribaldi*, *Alciati*, aliorumque concertationes de myfterio S. Trinitatis *Geneuae* intellexiffet, ipfe acumen ingenii circa illud argumentum exercere cepit, nifi iam errore infectus huc acceflerit, quod probabile videtur. „*Ac in eo*, (vt ARETIUS loquitur) *breui cum aliis ita profecit, vt non dubitaret affirmare, Ecclefias Euangelicas adhuc grauiter errare, vna cum Papiftis, quibus in articulo Trinitatis adhuc parerent. —— Nam illas, cum Papatu tueri non Trinitatem, fed quaternitatem potius. Veram Trinitatem habere tres aeternos ac diftinctos fpiritus, non tam perfonali, quam effentiali numero differentes. Haec tum omnium communis et vniformis erat fententia, a qua mox alii aliis diuerticulis abeuntes, in opiniones pugnantes et monftrofas funt prolapfi. Requifiti etiam Geneuae ob eam fententiam, alii aliis modis elapfi funt.*" Quo malo huic obuiam irent, coetus Italici Geneuenfis Seniores, fidei confeffionem praelucente, nifi forte ipfa verba concipiente *Caluino* confignarunt, cui *Gentilis* fubfcripfit, fed paulo poft, fpreto iureiurando, fimplices ac imperitos fuis irretire infidiis, ac ad erroris fui focietatem pertrahere aufus eft. Hac re perfpecta Senatus cognitionem fufcepit, ac ftatim multorum teftimoniis periurii conuictus, confcientiae ftimulis fe fuiffe coactum perhibens, malam rem fuam defendere ftuduit. Cumque orthodoxi eum rationibus vrferint, hoc effugio vfus eft, fe difputandi arte deftitutum effe. Primo tres effe fpiritus diuinos effentialiter differentes cum *Tritheitis* docuit, licet id fibi vnquam in mentem veniffe, in carcerem coniectus negauerit. Poftea cum id omnino defendi non poffe animaduerteret, ex inconftantia, quae fortis huius hominibus communis fuit, in *Arianorum* delapfus eft errores, ac inter tres perfonas diuinas folum Patrem gaudere effentia diuina, vnumque illum effe altiffimum Deum, atque vt vocabat *effentiatorem*, Filium vero ac Spiritum S. fobolem quandam eius conftituere, illoque longe effe inferio-

feriores, ab aeterno vero a Patre productos et essentiatos, statuit. Hinc Patrem solum esse αὐτόθεον credidit, quo enunciato intellexit ȣσιαν diuinam. Interim hac in parte excusari posset, nisi alio modo pessimos errores suos manifestasset. Quamuis enim Filius et Sp. S. quoad *ipsam essentiam* diuinam sit αυτοθεος, quoad *modum* tamen habendi hanc aseitatem, solus Pater est αυτοθεος, quod proprietas personalis Patri competens requirit, secundum quam est αγέννητος et απνευςος.

JOSIAS SIMLERUS *de aeterno Dei Filio* L. I. p. 2. ita ipsius mentem exponit: „*Patrem, Fil. et Sp. S. tres esse aeternos Spiritus, eiusdem quidem naturae, ordine tamen, gradu, et proprietate distinctos. Patrem esse Jehouam illum Deum Israelis, qui solus habet αυτȣσιαν et est αυτοθεος, qui in se deitatis essentiam immensam possidet, ab hoc Filium et Spiritum S. essentiatos esse, qui suam deitatem ab illo dependenter habeant. Ne autem vnitatem, toties praedicatam in S. litteris tollere videatur, Deum vnum inquit dici, non quod vnus sit numero aut essentia, sed αυτȣσιας, principii et originis ratione; ideoque Patrem duntaxat, vnius Dei nomine appellari in scripturis, qui solus sit αυτοθεος, αναρχος et αναιτιος: verum tamen Filium et Spiritum S. esse vnum cum Patre natura, maiestate etc. non tamen vnum eundemque Deum.*" Gloriabatur quidem, coelesti reuelatione placitum hoc sibi *esse traditum*; quod etiam *Seruetus* et alii mentiti sunt. Sed ministri Geneuenses veritatis diuinae puritati prospicientes, in scripto infra allegando, ipsi monstrarunt, quod errores suos a Magistro suo *Gribaldo* didicerit, quos *Gentilis*, condiscipulus *Georgii Blandratae*, sedulo huc illuc spargendos curauit. Potuit hominem, quem Pontificiorum persequutio patria expulerat, *Serueti* supplicium monere, cautius *Geneuae* mercari, sed, quod mirandum, de *Calvini* vigilantia parum sollicitus erat; incuriae tamen poenam dedit. Subscripsit quidem confessioni ecclesiae Italicae,

licae, illamque ex toto corde se seruaturum promisit, ac sub poena periurii iurauit; attamen inopinato accusatus, et medio *Julii* 1558 in vincula coniectus, magistratus auctoritate, promouente tamen ac monente *Caluino*. Incarceratio eum docuit, maius instare supplicium, ipsumque in mortis periculo versari; quod vt auerteret, in carcere discendi animum, ac tandem poenitentiam simulauit. Instante enim Iuris criminalis Praefecto ipsi processus coram magistratu ac syndicis reipublicae instructus est, cuius acta, quamuis incompleta ab *Aretio* collecta hoc indice extant: *Valentini Gentilis iusto capitis supplicio Bernae adfecti breuis historia et contra eiusdem blasphemias orthodoxa defensio articuli de S. Trinitate. Censura propositionum, quibus nituntur Catabaptistae in Polonia probare Baptismum non successisse circumcisioni. Auctore D. Bened. Aretio, Bernensis Ecclesiae Doctore Theologo. Geneuae ex officina Francisci Perrini*, 1567. 4. pl. 8. Ad cognoscendam hanc historiam quoque facit *Bezae* tractatus, cui titulus: *Valentini Gentilis, teterrimi haeretici impietatum et triplicis perfidiae et periurii breuis explicatio, ex actis publicis Senatus Geneuensis, optima fide descripta, Geneuae ex officina Franc. Perrini*, 1567. 4. pl. 18. In hoc plurium dissertationum fasciculo, post praefationem *Bezae* p. 32—49 occurrunt: impietas Val. *Gentilis* detecta et palam traducta, nec non Protheseos *Gentilis* refutatio breuis, per D. *Jo. Caluinum*, eiusdem *Caluini* responsio ad quasdam quaestiones, a *Ge. Blandrata* propositas, p. 50—56. Eiusdem duplex admonitio ad *Polonos* fratres, p. 56—64. *Josiae Simleri* ad *Polonos* epistolae, p. 65—75. *Jo. Wigandi* refutatio Arianorum, nuper in Polonia exortorum, p. 76—101. *Alex. Alesii* assertio doctrinae Ecclesiae catholicae de S. Trinitate, cum confutatione erroris *Val. Gentilis*, p. 101—128. Ministrorum Geneuensis Ecclesiae epistola ad Principem *Nicolaum Radziuilum*, d. 14. Cal. Apr. 1565. scripta, p. 128—135 et tandem *Theod. Bezae* Theses,

seu

ſeu axiomata de Trinitate Perſonarum et eſſentiae vnitate.

Gentilis incarceratus varias Senatui confeſſiones exhibuit, quae p. 3. 4. inſertae leguntur. In his quoque epiſtola comparet ſub indice: *Idem Valentinus Gentilis inutilis ſeruus Jeſu Chriſti, captiuus Geneuae propter confeſſionem veri Dei, Domino* COPO, RAYMUNDO, HENOCO, *caeterisque fidelibus verbi Dei diſpenſatoribus, gratiam et pacem illo vnico Deo Iſraelis, vero Patre, et a Jeſu Chriſto vero ac naturali eius* Filio, *per Spiritum S. Amen.* Incipit ep. his verbis: „*Si quis vnquam indigne perſecutionem paſſus eſt ab iis, qui veram pietatem profitentur, ego quidem, optimi viri Dei, vere et ſine fuco is dici poſſum. Nam cum ab extremis Italiae finibus, propter verbum Dei in longinquas ac peregrinas regiones me contuliſſem, nulla alia de cauſſa hanc veſtram Eccleſiam potiſſimum elegi, niſi vt Dominum* CALUINUM, *quem antea nomine obſeruabam, de facie cognoſcerem et audirem. Poſtea vero, cum apud noſtros Italos quaeſtio de Trinitate agitaretur, equidem meam ſententiam libere in medium protuli, cupiens docere de iis, quae tum occurrebant, haud vulgaria illa quidem, ſed coeleſti potius ſpiritualique ſpeculatione digniſſima. Ac ne quis quicquam mea fide indignum, (vt eſt hominum libido prona ad malum,) ſuſpicaretur, diſertis verbis declaraui, me omnem pluralitatem deorum, et minoritatem Filii toto pectore deteſtari. Sed quidam imperioſi homines, qui puriſſimam fidem meam denigrare conati ſunt, Dominum* CALVINUM *adeo in me irritauerunt, vt ille de me aperte male ſentire non dubitarit. Tandem contentio per illuſtriſſimum magiſtratum ſedata fuit, egoque cum aliis doctis et probis viris ſubſcripſi confeſſioni Domini* CALUINI, *putans fore, vt inpoſterum omnia tuta et tranquilla cernerentur. Quum interim ecce tibi miniſter noſter, neſcio quo oeſtro percitus, nos omnes, qui ſubſcripſeramus, apud exteras nationes, oratione publica non ſolum vt* ARIANOS *et* SERUETANOS *notarit, verum etiam vt* GEORGIANOS, *aut ſi quid peius dici cogitatiue*

riue potest. Quod cum ego resciuissem, statim me conuerti ad vnicum illum Deum Israel, quem toto pectore colo, purasque manus in coelum extollens, rogaui illum, qui solus innocentiam meam nouit, vt veritatem suam patefaceret, meque ab hisce calumniis et imposturis tandem (si vellet) liberaret. Exaudiuit ille preces meas, et veritatem, quam hactenus subobscuram et implicitam tenebam, fugatis tenebris sole ipso sua benignitate clariorem ostendit. Quam veritatem ipsemet Deus Israel, qui hanc Ecclesiam suam singulari amore prosequitur, sua diuina prouidentia fecit, vt ego iussu illustrissimorum Dominorum frequenti Tribunali confiterer. Quod quidem, (vt bonum ac fidelem seruum decet,) sincere et sine vllo fuco feci, iuxta modulum fidei, quae mihi tradita est."

Finem epistolae ita fecit: *Haec pauca attigi tantum, vt intelligeretis, veritatem ipsam et vniuersam Scripturam a me stare. Vnum illud addam, optimi viri Dei, me ob nullam aliam caussam persecutionem pati, quam quod constanter affirmem, Christum esse Filium illius vnici Dei Israel, Dei inquam Abraham, Isaac et Iacob. Quasi vos non idem et sentiatis et quotidie concionemini: inprimisque dominus* RAYMUNDUS, *qui nunquam non in diuinis suis concionibus hanc sententiam inculcat: sed ne quis existimet, me aliquid detrahere aeternae maiestati Filii Dei, testatum omnibus facio, me illum exceptis proprietatibus, siue distinctionibus aequalem Patri facere. Pater enim est solus verus Deus, Christus autem est filius simul et verus Deus: neque tamen duo dii, sed vnus idemque Deus. Habet enim Christus vnam eandemque essentiam cum Patre. Vestrum esto nunc iudicium, optimi viri Dei, an haec mea sententia* ARIUM *sapiat, aut* SERUETUM, *vt aduersarii cauillantur. Mihi quidem illi certe potius videntur vana* SERUETI *somnia sectari, qui asserunt, Christum esse Filium, nescio cuius personae phantasticae, Scripturis sacris prorsus incognitae. Praeterea hanc meam sententiam delirium appellat dominus* CAL-

VINUS

VINUS. *Vtinam veteres doctores ſic deliraſſent. Nunquam enim tantas tenebras offudiſſent hominum mentibus. Sed non eſt meum de me dicere. Si vera ſunt, quae vobis propono, ſoli Deo laudes debentur, non mihi, qui nunquam talia odoratus eſſem, niſi a Deo didiciſſem. Illud vnum bona cum venia veſtra addam, hanc ſolam diſtinctionem ſatis eſſe ad probandam veram Trinitatem, aduerſus omnes haereticos et infideles. Praeterea vniuerſa ſcriptura eſt adeo aperta, ac vbique ſibi ſimilis, vt nullus fucus faciendi locus haereticis amplius relictus ſit. Quam quidem diſtinctionem, vt tenacius cunctis haereat, viſum eſt hiſce exemplis, quaſi quadam in tabella ſpectandam omnibus proponere.*

Pater verbi eſt Deus Iſrael.

Verbum eſt Deus Iſrael.

Hae propoſitiones ambae verae ſunt, ſed conuerſiones non ambae. Siquidem Deus Iſrael eſt Pater verbi, vera eſt, non autem Deus Iſrael eſt verbum. Propterea quod verbum, Filiationem et eſſentiam deſignat: Deus autem eſſentiam tantum, vt Pater. Quod ignorans SABELLIUS, *confundit omnia, terram mari, mareque coelo permiſcens.*

Quam ob rem, optimi viri Dei, innocentiam meam vobis etiam atque etiam commendo. Equidem in tam optima cauſſa nullum alium iudicem quaero, praeterquam ipſam Trinitatem, vosque etiam omnes. Quomodo enim, qui verbo Dei nitor, Miniſtrorum fidelium verbi Dei iudicium recuſabo? Veſtrum igitur erit, de quaeſtione tam ſeria ſententiam ferre. Equidem polliceor, me, (modo perſonas, quas ſuſtinetis, optima fide referatis,) ne latum quidem vnguem a veſtra ſententia diſceſſurum. Valete, viri Dei omnes in Domino, et me veſtris precibus ſedulo iuuate, ipſumque Dominum CALUINUM *aequiorem, ſi poteſt, mihi reddite. Datum e carceribus. — — — — — Ego, qui ſupra* VALENTINUS GENTILIS, *manu propria."*

Hanc ſuam ſententiam, appoſitis IRENAEI et TERTULLIANI teſtimoniis, l. c. p. 24. paulo clarius explicat:

 „Equi-

„Equidem putabam, primam perſonam Patris in vnica „eſſentia eſſe ſophiſticam, atque ideo hoc ſenſu excudendam a myſterio Trinitatis. Nam ſi Pater eſſet indiuiduum in eſſentia ſimile Verbo, non diceretur vere neque „ſolus Pater, neque ingenitus, neque principium totius „Trinitatis. Praeterea eiusmodi ſententia QUATERNITATEM potius, quam Trinitatem videretur conſtituere. „Quod ſic probari poteſt: Vnica illa Eſſentia, quum absque conſideratione perſonarum ſit ex ſemet ipſa verus „Deus: et vnaquaeque trium perſonarum ſit eſſentialiter „Deus. Sequitur ergo quaternitas non Trinitas. Quam „ob rem exiſtimabam Patrem eſſe ipſam vnicam eſſentiam, „Verbum autem ſplendorem gloriae Dei, et impreſſam „imaginem ſubſtantiae illius, hac ratione a Patre diſtinctum, quod Pater, (vt ait Chriſtus) eſt ſolus verus Deus „et eſſentialiter, id eſt informator indiuiduorum: Verbum vero, Filius ſimul et verus Deus, neque duo Dei „tamen: ſed vnus Deus. Haec erat ſumma ſententiae „meae de vero Patre, veroque Filio. Nam de Spiritu S. „nulla erat quaeſtio, et tamen confeſſioni Domini *Caluini* „ſubſcripſi."

Coram iudicio inquiſitus, ſponte confitebatur, quod paulo poſt ſubſcriptionem confeſſionis reuerſus fuerit ad priſtinas cogitationes, eas diſſeminauerit, et quoscunque potuit, ad easdem allexerit, idque eo praetextu, quod Sophiſticum commentum putauerit, attribuere Patri propriam perſonam in eſſentia Deitatis. Refutarunt illas Miniſtri Geneuenſes, (vel ipſorum nomine *Caluinus*) peculiari ſcripto, quo etiam *Irenaei* et *Tertulliani* loca ita interpretati ſunt, vt nullum pro errore *Gentilis* refugium inde reperiri poſſit. Is et a Senatu, et a Miniſtris verbi, aliisque doctis hominibus in carcere admonitus, accepto miniſtrorum ad ſuam epiſtolam reſponſo, in eadem, qua incepit petulantia (ita in actis legitur) audacter ad dies aliquot perrexit. Noluit culpam ſuam agnoſcere, immo

immo perſtitit, tam ſermone, quam ſcriptis obſtinate et impudenter opinionem ſuam aſſerere, conuitia etiam adverſus orthodoxos, tanquam quaternitatem, duos Patres et Deum Turcarum ſtatuentes, effutire. Vbi tamen ſecum propius expendit, ſe intemperanter contradicendo iudicum animos magis exaſperaturum, metu poenae et *Serueti* exitio exterritus, depoſita temeritate, ad preces ſe conuertit, ac poenitentiae praetextum. Antequam vero id fecerit, duas adhuc ex carcere ad Magiſtratum ſcripſit epiſtolas, (vel fortaſſis apologias coram in curia elocutus eſt,) quas ex actis hoc loco inſerimus. Ex quibus ſane patet, *Caluinum* eodem impetu ac feruore aduerſus *Gentilem* fuiſſe agitatum, quo aduerſus *Seruetum* paulo ante vſus erat, nec minus illi ſupplicium contrahere voluiſſe, quam quo hunc oppreſſerat. Satis quoque ex illis patet, *Gentilem* non ex conuictione, ſed terrore veſtigiorum *Serueti* ad reuocationem eſſe commotum; quod eius quoque relapſus, cum *Caluini* perſecutionibus exemtus eſſet, comprobat. Haec autem prior eſt Apologia:

„Illuſtriſſimi ac vere pii Domini, ſi vos legiſtis illam „meam confeſſionem, quam iuſſu veſtro nudius quartus, „extemplo exaraui: non dubito, quin ex ea facile intelle„xeritis, me ſat diſertis verbis oſtendiſſe, ſententiam D. „*Caluini* Quaternitatem non Trinitatem ſtatuere. Quum „vero nudius tertius ipſius D. *Caluini* praecipue partes eſ„ſent, ſe tam execrabili errore expurgare, ſciens ſe malam „cauſſam apud hoc ſanctiſſimum Dei Tribunal minime „poſſe ſuſtinere, (vt vos probe noſtis,) ne verbum qui„dem fecit, ſed totum tempus terens in conuitiis, et ne„ſcio quibus nugis *Serueti* artificioſe quidem, ſed parum „honeſte eluſit. Equidem bis coepi rem (vt dicitur) at„tingere: ſed ille ſua mordacitate et conuitiis me ſemper „deterruit. Inſuper (vt vos ipſi audire potuiſtis) minatus „eſt, hoc in caput meum eſſe vertendum. Quapropter „cum ſatis aperte declarauit, ſe eſſe animo in me nimis „infenſo, peto a vobis, ne potentia et volubilitate linguae

„hominis, mea innocentia opprimatur, vt mihi patro-
„num et Aduocatum concedatis, qui meam optimam
„cauſſam, vt par eſt, tueatur. Nam ingenue fateor, me
„non poſſe tuta conſcientia Quaternitatem Domini Cal-
„vini admittere. Exhibeat ille, vt tantum miniſtrum Dei
„decet, veram Trinitatem, et nulla inter nos erit contro-
„verſia. Siquidem eo ſum natus ingenio, vt veritatem
„promptam in fronte geram. Vt enim ipſam Quaterni-
„tatem pernego, ſic veram Trinitatem et Vnitatem toto
„pectore amplector. Praeterea vos oratos etiam atque
„etiam velim, me, quo poſſim extra carcerem meam
„cauſſam tueri, ſub idonea cautione liberari. Meam
„enim innocentiam et integritatem ſpero adeo cunctis Ec-
„cleſiis notam facere, et quaſi manibus tractandam prae-
„bere, vt ipſi etiam aduerſarii fateantur, me boni ac pii
„munere functum fuiſſe. Haec pauca viſum eſt, a vobis
„perquam humiliter poſtulare, certo ſciens, qua eſtis
„ſanctitate ac pietate praediti, vos quod rectum eſt exe-
„quuturos, praeterea nihil: praeſertim cum me eſſe pe-
„regrinum hominem, imperitum linguae veſtrae, ac
„prorſus ignarum rerum curialium probe intelligatis. Sic
„vnicus ille Deus Iſrael, verus ac naturalis Pater verbi,
„cuius cauſſa nunc agitur, huic ſanctiſſimo Tribunali ſua
„virtute perpetuo aſſiſtat, vosque omnes et hanc vrbem
„veſtram in dies magis magisque ſuis donis augeat, exor-
„netque dixi. — Inutilis Chriſti ſeruus, Valentinus Gen-
„tilis Coſentinus."

Altera ep. ſiue apologia, quam triſtium fatorum metus extorſerat, his verbis expoſita eſt: „Illuſtriſſimi ac
„clementiſſimi Domini: Niſi cauſſam meam vobis magis,
„quam mihi ipſi notam eſſe plane intelligerem, pluribus
„equidem vobiscum agerem. Sed quia rem omnem pro-
„be tenetis, paucis me expediam. Principio noſtis me
„iuſſu veſtro confeſſionem edidiſſe. Illa autem edita,
„meas partes duxi, quicquid ad eam rem pertineret, ſine
„fuco

„fuco Ecclesiae proponere, eaque ratione conscientiam „meam omni scrupulo liberare. Quod etsi a me liberius „fortasse, quam oportuit, factum est: gaudeo tamen hoc „nomine, quod amplissimi Consistorii conscientiae ac iu„dicio me penitus submiserim. Nunc vero cum sapien„tissimi viri, quorum opera Deus manifeste vtitur, in col„ligenda Ecclesia sua, luculentissimo scripto meam opi„nionem vno ore erroneam testentur, visum est potius „ipsis vel somniantibus, quam mihi vigilanti credere. „Itaque, vt pollicitus sum, eorum conscientiae, ac sen„tentiae libenter acquiesco, eamque (vt debeo) toto pe„ctore amplector. Quamobrem si quid in ipsa actione „mihi imprudenter exciderit, quod ipsos Dominos Mini„stros, ac vos quoque offenderit, supplex peto, vt sim„plicitati meae ignoscatur. Nunc enim primum ante „Tribunal steti: atque difficile est, in rebus nouis homi„nem ita se gerere, vt aliqua in re non labatur. Sed de „his hactenus. Omnia enim bona de clementia vestra et „spero et mihi polliceor. Venio ad Dominum *Caluinum.* „Absit vt tantum Doctorem in numero Sophistarum vn„quam habuerim. Ingenue fateor, impius nedum ini„quus essem, si de tam incomparabili viro, ac de re pu„blica christiana optime merito talia sentirem. Soleo „equidem Sorbonistas, coeterosque magistros Papistarum „Sophistas appellare. De eius doctrina nihil me tale su„spicari, religio est dicere. Quare vos etiam atque etiam „oratos velim, ne mihi haec nota inuratur, vt illa mea „verba, quasi in sanctissimam Ecclesiam vestram dicta de„torqueantur. Testis est mihi Dominus, me nunquam „tale quidquam cogitasse, quin potius hanc Geneuensem „Ecclesiam coeteris omnibus puriorem et mundiorem et „habui et semper praedicaui. Facessant igitur vanae su„spiciones, et nuda regnet simplicitas. Si quid tamen „extat in meis scriptis, quod *Caluinum* vrgeret: id non „laedendi sui caussa a me dictum esse, mihi velim creda„tis, sed defendendi mei. Quapropter si quid a me mi-

„nus reuerenter in eum dictum eſt, non modo ab eo ve-
„niam peto, verum etiam (quae viri eſt charitas ac pietas,)
„oro, vt me totum amplectatur, et foueat, inque eorum
„numero habeat, qui ſui nominis ſunt perquam ſtudioſi.
„Quod, ſi in tot meis miſeriis mihi contigerit, munere
„videbor donatus immortali. Equidem quod ad me at-
„tinet, dabo operam, vt tam dictis veſtris exſequendis,
„tam illius pietate colenda, me omnes fidelem ac conſtan-
„tem praedicent. Si Deus etc."

Hac conteſtatione Magiſtratus et miniſtri Eccleſiae nondum contenti, ſolemnem errorum recantationem vrſerunt, quae etiam ab homine ad incitas redacto, facile ſequuta eſt. Confeſſus enim, ſe grauiter peccaſſe et Eccleſiam haeretica impietate offendiſſe, et hac de re quam maxime poenitere. Sic non ſermone tantum, ſed etiam ſcripto abiurauit errores, teſtatusque eſt, in Eccleſia Geneuenſi puram et orthodoxam fidem doceri; quae omnia ſequente Epiſtola ex carcere ſcripta declarauit: „Magni-
„fici Domini, Certum eſt, quo tempore ex veſtro man-
„dato meam illam confeſſionem vobis obtuli, me tanto
„zelo fuiſſe percitum, vt fuerim paratus quoduis ſuppli-
„cium ſubire, eius defendendae cauſſa: verum ſimulatque
„perlegi et attente expendi ſolidam illam et veris rationi-
„bus ſuffultam Conſiſtorii reſponſionem ad omnes meas
„obiectiones, viſum eſt Patri miſericordiarum, qui me
„paſſus erat ad tempus euagari, ita me afficere, vt erro-
„rem meum cognouerim, qui quidem tribus praecipue
„fundamentis falſiſſimis nitebatur. Primum igitur in eo
„peccaui, quod cum affirmarem vnicum illum Deum Iſrae-
„lis eſſe Patrem J. C., non animaduerti Filii diuinita-
„tem excludi per illas Antitheſes Vnius Dei Patris et Chri-
„ſti: *Secundo*, cum eſſentiam conſiderarem extra perſo-
„nas, inde eliciebam Quaternitatem: quod temere feci,
„quoniam eſſentia non eſt alibi, quam in ipſis tribus per-
„ſonis conſideranda: quarum vnaquaeque eſt integre tota
„eſſen-

„essentia. *Tertium* peccatum fuit, quod affirmarem personam Patris esse Sophisticam: quod ipsum quoque falsissimum est, vt est mihi perspicue demonstratum. In summa putridis istis ruinis superstructae sunt multae falsae consequutiones, quas ego abominor et detestor, profiteorque me non aliter haec intelligere, quam Consistorium in illo suo scripto mihi explanauit. Itaque putaui vos mihi esse precandos, vna cum Ministris totaque adeo Ecclesia, vt graue et enorme istud facinus mihi condonetis: sicuti non dubito, quin Deus ille cordium scrutator id mihi condonarit, vt, qui effecerit, vt meum errorem summo cum animi dolore agnoscerem. Etsi enim dum recordor, quantum offendiculum toti Ecclesiae obiecerim, praesertim cum eximio Dei ministro et summo Theologo *Jo. Caluino* tam inconsiderate respondi, idem ille Deus, adeo grauiter conscientiam meam vulnerat, vt non facile inueniat, in quo acquiescat: confido tamen fore, vt mea ista perturbatio in me ipso gignat verae poenitentiae fructus, adeo vt futura mea vita, omnem istius offendiculi labem in posterum abstergat. Quoniam autem mihi constat, tantam esse horum sanctorum ministrorum clementiam ac bonitatem, vt miseram hanc pecudem, quae cum antea aberrauit, nunc in viam redit, non modo intra Ecclesiae gremium, et ouium gregem sint recepturi, sed etiam exultaturi de mea conuersione, nihil aliud habeo, quod dicam, praeter hoc vnum, quod a vobis magnopere peto, nempe vt quemadmodum summam operam adhibuistis, in curando animi mei morbo, ita etiam nunc habeatis eius aegrotationis et inopiae rationem, in qua nunc sum constitutus, vt qui abhinc sesqui mensem in vestro carcere retinear, paupertate simul et morbo pressus, vt illud Christi merito possitis vsurpare, nos totum hominem seruauimus. Hoc certe factum, praeterquam quod conuenit principibus Christianis, pro singulari beneficio ducam, si Deus etc. — Humillimus vester seruus Valentinus Gentilis."

Tandem ipſa confeſſio et abiuratio conceptorum antea placitorum propria manu deſcripta et Senatui Geneuenſi, cum ſuperiori fortaſſis epiſtola miſſa, haec erat: „Confiteor Patrem, F. et Sp. S. eſſe vnum Deum, id eſt, „tres perſonas diſtinctas in vna eſſentia. Pater non eſt „Filius, nec Filius eſt Spiritus S. Sed vnaquaeque illa„rum perſonarum eſt integra illa eſſentia. Item, Filius „et Spiritus S. quantum ad diuinam naturam, ſunt vnus „Deus cum Patre, cui ſunt coaequales et coaeterni. Hoc „illud eſt, quod ego ſentio, et corde ſimul ac ore profi„teor, et confido fore per Dei gratiam, vt in hac confeſ„ſione viuam et moriar. Omnes autem haereſes huic „ſanctiſſimae veritati contrarias damno ac deteſtor, et qui„dem nominatim blasphemias illas, quas ipſe mea manu „deſcripſi: quibus inter coeteros errores Quaternitatem „aſſerebam, et Chriſtum ſtatuebam vnius Iſraelitici Dei „Filium, ita vt aeterna ſua diuinitate ſpoliaretur. Deni„que, quoniam ex falſis iſtis fundamentis, multae falſiſſi„mae conſequutiones oriuntur, omnes illas damno et exe„cror, et palam profiteor, me in omnibus perque omnia „aſſentiri ſanctae huius Eccleſiae doctrinae, et quidem in„primis ac diſerte in hoc ſanctiſſimo Trinitatis articulo: „in quo agnoſco me tam grauiter tantaque cum blasphe„mia peccaſſe, vt libenter velim iam olim interiiſſe, ne „tantum ſcelus admitterem. Hoc illud eſt, quod ſentio „in corde meo: et infinitam Dei miſericordiam precor, vt „in poſterum me afficiat tanto iſtarum rerum ſenſu, vt ali„qua ex parte poſſint verae meae poenitentiae fructus ab „omnibus cognoſci, d. 29. Aug. 1558.

Palinodiam hanc in Originali *Principi* Nic. Radzivilio *Palatino Vilnenſi* poſtea miſerunt Geneuenſes, vt inde iudicari poſſit de haeretico, in *Poloniae* terminis priſtinos errores iterum diſſeminante. Interim facta recantatione et poenitentiae teſtificatione in hac cauſſa criminali ſequens ſententia enunciata eſt: „Nos Syndici, iudices „cauſſa-

„caussarum criminalium in hac vrbe, viso processu criminali coram nobis formato, ad instantiam et prosecutionem Iuris praefecti, contra te *Valentinum Gentilem*, ex „quo et voluntariis tuis confessionibus inter manus nostras „soepius iteratis, certo constat ac liquet te aggressum esse „et conatum spargere haereticam et falsam doctrinam et „blasphemiis plenam, contra sacrum mysterium Trinitatis: idque contra datam fidem et iusiurandum, tam vbi „pollicitus es te fore obsequentem nobis, quam vbi expresse abiurasti tuam haeresin. Nihilominus summa „impudentia et arrogantia conatus es coram nobis impugnare rectam fidem pro tua temeritate et impietate. Atque hoc modo non solum periurio te implicasti, sed te „declarasti apertum hostem et aduersarium Dei et Ecclesiae: quod crimen detestabile, et graui poena corporali „dignum pronuntiamus. His iustis caussis et aliis adducti, sedentes pro Tribunali, loco maiorum nostrorum ac secundum antiquum morem, participato cum „ciuibus nostris consilio, post inuocatum Dei nomen, vt „det nobis recte iudicare, Deum et S. Scripturas prae oculis habentes, cum praefatione consueta, in nomine Patris „et Filii et Spiritus S. Amen." — „Quamis malitia et „prauitas, qua vsus es, merita sit, vt extermineris e numero hominum tanquam seductor, haereticus et schismaticus: tamen habita ratione poenitentiae et conuersionis tuae, de qua apud nos protestatus es, simul ad misericordiam magis quam ad rigorem propensi, hac nostra „definitiua sententia, quam ex scripto recitamus et edimus, te *Valentinum Gentilem* adiudicamus huic poenae, „vt exutus vsque ad camisiam pedibus nudis et capite disco„operto, facem accensam manu tenens, genubus in terram „flexis, veniam a nobis et iustitia depreceris, fatendo te „impie et scelerate sparsisse falsam et haereticam doctrinam, et scripta tua in eius defensionem detesteris, eaque propriis manibus tuis in ignem hic accensum conii„cias, donec in cinerem redigantur, tanquam perniciosis

„mendaciis referta. Et quo amplior ſit reparatio, vt ad „clangorem tubae ducaris, per omnia vrbis compita in „hoc habitu, cum prohibitione egrediendi ex vrbe. Sit igi„tur haec poena in exemplum aliis, qui tale crimen imi„tari vellent."

Haec ſententia, tragica pompa actui inquiſitionis Romanae ſimili, cum imitatione veſtimenti poenitentialis, aliarumque lugubrium cerimoniarum, d. 2. Sept. a. 1558. exſecutioni data.

Simili ratione cum aliis quoque Antitrinitariis *Geneuae* actum, et vni eorum infamiae notam inflictam fuiſſe, ex BEZA reſponſione ad FRANCISCI BALDUINI *Ecebolii conuitia*, *Geneuae* 1563. 12. collegimus, vbi p. 113. inquit: „*Non defuerunt (Geneuae)* SERUETANI, *qui tres Deos facerent. Illos, cum pertinaces fuerunt, contentus fuit pius Magiſtratus ciuitate arcere, quum etiam peregrini eſſent:* vnum horum fuiſſe MATTH. GRIBALDUM, paulo poſt expoſituri ſumus, *alios qui reſipuerunt, ne leuiſſima quidem ignominia affecit.* SERUETANI duo, *quum ſe reſipiſcere ſimulaſſent, notati quidem ſunt aliqua infamia* (peior vix excogitari potuit,) *ob inſignem blasphemiam, et carceribus addicti, ſed mox Magiſtratus clementia liberati, quamuis ſeſe vrbe non exceſſuros ſolenni iureiurando obſtrinxiſſent, tamen fuga mox arrepta ab eo tempore Eccleſias turbare nunquam deſtiterunt.*" Die quinto Sept. GENTILIS exhibito libello ſupplici a Senatu petiit, vt absque interpoſito vade, praeſtito iureiurando e carcere dimitteretur, cum ipſe prorſus inops, extraneus, ſolus, absque vllis conterraneis, cognatis, vel aliis quibusuis, qui vicem ſuam commiſerentur, vadem nanciſci nequeat. Viſum igitur eſt Senatui, hac ſupplicatione accepta, praeſtita a GENTILE iureiurando, ſe dominorum iniuſſu vrbe non exiturum, e carcere illum dimittere. Hoc impetrato, cum nemo ei moleſtiam faceret, ſpreta iurisiurandi religione, *Geneua* clam aufugit, ad locum, quem MATTHAEUS

GRI-

GRIBALDUS poſſidebat, pagum *Fargiatum* (*Fargias*) in confinio Geneuenſis territorii ſub praefectura *Gayenſi*, ditionis *Bernenſium*, vbi quoque *Alciatus*, et alius quidam Paedagogus filiorum GRIBALDI, cuius nomen expoſitum non eſt, comorabantur, tempusque variis diſputationibus vna cum hoſpite ſuo conſumebant. Quod in fugam ſe dederit, quia *Geneuae* ſe non ſatis tutum crederet, ibidemque in conſpectu CALUINI verſaretur, facile quisque ſibi perſuadebit, maxime cum hortantibus ALCIATO, BLANDRATA et GRIBALDO reuocationem ob mortis terriculamenta ſimulatam apud animum ſuum mature oblitterauerit. Mox *Lugdunum* ſe conferens, ibidem copia librorum per *Baptiſtam* quendam *Lucenſem* adiutus, ex Patribus ſubſidia pro defendendo dogmate ſuo qualiacumque conquiſiuit. Cumque animaduertit, latinos et graecos, ab orthodoxis pro confirmanda doctrina ſua de Trinitate allegari, ipſe quoque ſtatuit, ad antiquiſſimos quosque refugere. Concinnabat igitur aduerſus *Athanaſii* ſymbolum confeſſionem de Trinitate, quae ſine dubio eadem eſt, quam Praefecto oppidi *Gaii* dedicaſſe, paulo poſt narrabimus.

Collegit (narrante ARETIO l. c. p. 8) mutila quaedam teſtimonia ex Ignatii epiſtolis, Juſtino Martyre, Hilario, Tertulliano, nec puduit eum ex Alcorano ſubſidia petere. Reliquos ſcriptores ferme omnes pleno ore coepit damnare, Auguſtinum, Hieronymum, Baſilium, Chryſoſtomum, Damaſcenum, et ſi qui alii Trinitatis negotium contra ipſius mentem apertius explicarent. In Juſtino Martyre et Tertulliano coepit etiam quosdam libros damnare, alios in dubium vocare. Ex hiſce lucubrationibus libellum compoſuit, ANTIDOTORUM titulo, (V. B. A. P. I. p. 371. N. 5.) in quo ſeſe contra Geneuates purgare et diluere conabatur, quae miniſtri Italicae eccleſiae contra ſententiam ipſius attulerant. Hic vero libellus editus non eſt, ſed ſcriptus apud eum a Bernenſibus poſtea repertus. His inſtructus cauſae ſuae munimentis

mentis, *Gratianopolin* (Grenoble) superioris Delphinatus oppidum petiit, quo loco *M. Gribaldus* amicus et familiaris ipsius isto tempore publice docebat. Apud eundem morbo adflictus commodum tutumque hospitium curandae valetudinis habuit. Cum reconualesceret, simul coepit innotescere dogma ipsius, quod intra pectus suum non tenuit; hinc ab otdinario Magistratu efflagitabatur illius confessio. Hanc ita adtemperauit, ac patrum oraculis exornauit, vt a Romano-Catholicis admitteretur, inprimis quod Euangelicas Ecclesias et nominatim *Caluinum* in eadem perstrinxerit, caput vero rei et controuersiae non attigerit: *Cameracum* inde vicinum oppidum adiit, sed de placitis suis differens, minus securum sibi locum ibidem esse, ominabatur, quapropter inde Fargias rediit.

Praefectus *Gayensis* de praesentia hominis certior factus et admonitus, missis idoneis ministris, *Gayum* perduci eum curauit, ac carceribus mancipauit. Simulata vero iterum veritatis specie ac probitate, post aliquot dies e carcere dimissus, ea conditione, vt posthac tranquille et pacifice viueret, quam per reseruationem mentalem ad dogmata non pertinere sibi persuadens, nihilo segnius pergebat sua spargere. Quae Sandius exponit, quod eum pauperem ex captiuitate Gayensi redemerit amicus *P. Alciatus*, quem vtpote locupletem, nobili genere ortum, immo et militem, simili modo non ausi fuerint aggredi, veri similia non videntur.

Efflagitauerat Gayensis Praefectus a *Gentile* confessionem, quam examinandam ministris Ecclesiae Bernensis transmitteret. Hanc ipse typis excudendam tradidit, eamque vna cum *Prothesibus* annotationibusque in *Symbolum Athanasianum*, criminationibus in *Athanasium*, praeliminari epistola sub ficto *Theophili Typographi* nomine, ad filios Ecclesiae, *Lugduni* editam (licet *Antwerpiam* titulus praeferat) *Gayensi Praefecto* dedicauit. V. B.A.P.I. p. 370.

p. 370. N. 1. Iniuriam hanc grauiſſime tulit *Praefectus*, vt, ſi in manus eiusdem incidiſſet *Gentilis*, ſtatim ad carceres fuiſſet retractus. In ſua ad filios Eccleſiae praefatione, lectoribus maximos parui libelli theſauros commendat, huncque dignum pronuntiat, quo omnes fruantur Eccleſiae, fingitque mirifice anhelantem typographum, ad reliqua *Gentilis* ſcripta publicanda. Praefectum Gayenſem conuitiatus eſt, quaſi hoc iubente confeſſionem luci commiſerit, cum incarceratus iuſſus quidem ab illo eſſet, exhibere confeſſionem, quam miniſtris daret inſpiciendam, non autem vt eandem ab orthodoxis ſub examen non vocatam, typis exſcribi curaret, ſibique dedicaret.

Lugduni, confeſſione hac prelo exemta, ab vrbis Praefecto ob eandem captus, et ad 50 dies in carcerem coniectus, ex quo tamen ſimili ſtratagemate poſt varias pollicitationes et propter teſtatum in *Caluinum* odium dimiſſus eſt. Sic enim attemperauit libellum *Antidotorum* et confeſſionem, vt ſolum *Caluinum*, non vero S. Trinitatem impugnaſſe iudicaretur.

Aeſtiuo tempore anni 1562 in Poloniam contendit, ibique cum aliis errorum auctoribus plures excitauit turbas, quos in hiſt. Socin. Polon. expoſituri ſumus. Id ſaltim notamus, Poloniae terminos eum adiiſſe, inuitatum a *Blandrata* et *Alciato*, quibus *Gentilis* imperterritus miles ad res innouandas per Poloniae eccleſias videbatur, quique iam ante ipſum in hoc regnum ſe receperant. E Polonia eum excedere coactum eſſe, a. 1566 a ſcriptoribus perhibetur, qui tamen ipſi tradunt, eum Biennium tantum ibidem conſumpſiſſe, quare ante iſtum annum Poloniae valedixiſſe, probabile videtur. JAC. DELADERCHIUS in *annal. eccl.* ab a. 1566. quo *Rodericus Raynaldus* deſiit, vsque ad a. 1567. continuatis T. XXII. *Romae* 1729 fol. p. 124 narrat: *Val. Gentilem* e Polonia abire iuſſum, Regi librum dedicaſſe confertum in ſanctiſſimam Trinitatem ac Dei Filium horrendis blaſphemiis, criminatum-

natumque esse in praefatione, profanas ac monstrosas voces, ὁμοουσίος, Persona, Essentia, Vnitas, Trinitas in Ecclesiam friuole esse inuectas. Qui anno 1566 Polonia excessisse narrant, eum per edictum eodem anno in *comitiis Petricouiensibus*, die 5. *Martii* celebratis, aduersus peregrinos noui dogmatis auctores publicatum, regni terminis exclusum esse iudicant. Inde in *Morauiam* concessit, vbi cum *Anabaptistis* consusurrasse dicitur a *Wigando*, de Seruetianismo. p. 89. Hinc in *Austriam*, *Viennam* accessit, vbique suos commendans errores. Cum vero nullibi tutus atque acceptus subsisteret, de reditu in *Sabaudiam* cogitauit, cuius regionis Ecclesias pacatiores et sinceriores iudicauit, praeterea superstitem adhuc esse *Gribaldum*, aliosque, quorum amicitia in istis regionibus iuvari posset, putauit. Obierat quoque interea *Caluinus*, quem acerrimum antagonistam erat expertus. In hisce terris tanquam in portu post tot naufragia ac praesentissima pericula vitam se habiturum tranquillam augurabatur; quae vero eum prorsus opinio fefellit, cum semet vltro in capitale exitium non absque inconsiderata temeritate praecipitem dederit.

GAYUM enim ipsum et Praefectum loci accessit, cui, aegre id ferenti et indignanti, antea confessionem suam typis excusam dicauerat. Ab hoc sibi publice disputandi veniam expetiit, vel eius potius nomine conflictum publicum significauit; sed tantum abfuit, vt voti sui compos factus, vt potius iubente ipso ad carcerem ductus fuerit. Scriptum, quo sub nomine Praefecti Gayensis publicam disputationem indixit, quodque *Aretius* l. c. p. 47. ex eius autographo descripsit, his verbis erat concinnatum: „*Vniuersis et singulis Ecclesiarum Pastoribus, Doctoribus, Diaconis et Senioribus, qui passim in Gallia et Sabaudia Euangelicam pietatem profitentur, has nostras litteras, inspecturis, lecturisue salutem et pacem in Domino. Lectis ac diligenter expensis supra scriptis inter se oppositis propo-*

propositionibus: audita quoque VALENTINI GENTILIS *Itali, perquam iusta petitione, nempe vt de re tanta iudicium fiat ex simplici Dei verbo: visum est Magnifico Domino Gaji Praefecto vtriusque assertionis dogmata in varia Galliae et Sabaudiae loca, praesertim Geneuam et Lugdunum transmittere, vt si quis Domini* CALUINI *discipulus voluerit praeceptoris sui sententiam tueri, possit intra hebdomadem Gayum accedere, ea conditione cum* GENTILI *congressurus, vt nisi quisque assertiones, quas tuendas susceperit, ex aperto Dei verbo, veras esse demonstret, sit tanquam manifestus impostor et falsae religionis assertor, capitis poenam luiturus. Quodsi nemo ad praescriptum tempus comparuerit, Magnificus Dominus Praefectus cum vniuerso Senatu Gayensi, vti par est, clare pronuntiabit, praefatum* GENTILEM, *de altissimo Deo et Filio eius Iesu Christo, pie et orthodoxe sentire,* etc."

Gayensis prima vice GENTILEM e carcere dimittens, *Bernatibus* semet ipsum suspectum fecerat; hinc melius maculam a se auerti non posse arbitrabatur, quam cum *Gentilem* in Sabaudia reducem vinculis constringeret, eumque *Bernatibus*, quibus suberat, traderet. Die igitur 11 Jun. a. 1566 *Gaii* custodiae traditus, idque factum esse, *Senatui Bernensi* statim denuntiatum. Hic cum intelligeret, eum errores docere multoties abiuratos, et ex alio capite periurii reum esse, Ecclesias euangelicas quasi Papatui adhuc subiectas calumniari, ab eodem conuelli articulum de S. Trinitate, et tandem mirum in modum per eum, suosque complices paulo ante turbatam Poloniam, his aliisque rationibus permotus GENTILEM *Bernam* deduci iussit. Erat ipsi quoque de dedicatione libelli, nomini *Praefecti Gayensis* facta, respondendum, qui fraudis et iniuriae vindictam vrgebat. Ipse GENTILIS, cum offensum animaduerteret Praefectum, ad Senatum Bernensem prouocare, commodum sibi putabat, hinc *Bernam* d. 19. *Jul.* perductus est. Hoc loco Senatum iudicem

iudicem habuit, qui quosdam peculiari autoritate instruxit, caussam speciali indagine inquisituros. Praesides in hoc negotio fuisse *Nicolaum a Diesbach*, *Nicolaum a Graffenried*, et *Petermannum ab Erlach*, Senatores, ex dedicatione, qua *Aretius* libellum suum his adscripsit, manifesto constat. Post aliquot dies captiuitatis iubente Senatu *Gentilis* scripta, quae penes ipsum inuenta erant, inspecta, horumque argumentum accuratius expositum est. Fuerunt haec: 1) Liber propria manu scriptus, quem Poloniae *Regi Sigismundo dedicauerat*, in quo vniuersa eius doctrina comprehendebatur; quamuis diceret, locupletiorem haberi descriptum a *Blandrata*. In prolixa ad Regem praefatione, hunc sibi et caussae suae propitium efficere conatur. Repetit deinde suas confessiones *Geneuae* exhibitas, antequam reuocasset; cum harum vltima a *Geneuensibus* confutata esset, subiecit confutationi huic libellum *Antidotorum*, deinde refutare nititur, *institutionum* Caluini caput 13. L. 1. de *S. Trinitate*. His adiecit *protheses*, ex *Augustino*, praesertim ex quindecim libris de *Trinitate*, quas cum authore reiicit, ac calumniose traducit. Addidit noua collectanea ex S. Scriptura, Patribus et *Alcorano*, pro sua sententia. Tandem annotationes suas in *Athanasianum* Symbolum ad calcem libri adiecit. 2) Carmina ipsius manuscripta de Trinitate, quibus Trinomium Deum perstringit eiusque cultores. 3) Libellus Italicus et similis latine compositus, de Christi incarnatione. 4) Libellus impressus *Lugduni*, Praefecto Gayensi adscriptus. Ex his scriptis quatuor capita actionis sunt statuta. Nimirum 1. Quod in doctrina de Trinitate ab Orthodoxis differat. 2. Calumniis inauditis Ecclesias Euangelicas oneret, ac haereseos nomine traducat. 3. In scriptis expositas esse blasphemias nefandas in S. Trinitatem, a quibus neque in ipsa litis actione abstinuit. 4. Imposturas in aprico positas esse, quibus tum sua fucate palliauit, tum astu periculis semper se expediuit, ac alios etiam capitalibus periculis obiicere est conatus.

Primum

Primum igitur propositum est, vt candide et ingenue confiteretur, ipsum in mysterio Trinitatis intolerandos concepisse errores, recte sentientibus falso imposuisse multa, scripta sua passim habere voces blasphemas, quae non in docentium personas, sed in ipsum sacrosanctum negotium, de quo ageretur, redundarent, malitiose quoque eum caussam obscurasse agendo saepius de eo, de quo non fuerit controuersia, vt videatur data opera latibula quaerere. Ad hoc momentum multa Gentilis praefatus est, de corporis debilitate, capitis doloribus, memoriae infelicitate; vix enim sese recordari vnius diei acta, ideoque ad omnia respondere non posse. Istas exculpationes hoc fine accersiuit, ne constitueretur *reus*, sed vt ius actionis ad se raperet, et vt haberetur *actor*; quod, nisi ipsi daretur, testatus est, non posse de tanto negotio commode fieri iudicium. Vt persuaderet iudicibus, actionem sibi competere, his vsus est rationibus: se sponte huc accessisse, vt ageret negotium apud *Bernates*, se adsertorem esse eminentiae Patris et Euangelicae veritatis aduersus Sophistas, nondum conuictum vllius erroris, nec scire, quos hic aduersarios sit habiturus. Hac exceptione non admissa, responsum est, eum in vinculis et carceribus pii Magistratus iam contineri, quae conditio non actoris, sed rei sit. Iustum esse, vt captiuus, qui vinculis liberari velit, prius audiat caussas incarcerationis, quas honestis rationibus, si suppetunt, diluat; non moris esse, vt actor caussam dicat e vinculis contra reos. Quod sponte in hanc regionem aduenerit, parum ipsius caussae prodesse, cum diuino iudicio id saepe accidat reis, vt sponte petant loca, e quibus nunquam emergant. Verum quidem esse, quod *Gayum* vltro accesserit, sed illic certis de caussis custodiae traditum, et huc captiuum perductum esse. Quod se praedicet Patronum eminentiae Patris, et veritatis contra Sophistas, frustra dici. Iudices enim nondum esse confirmatos de ipsius vocatione, necdum approbare illos horrores et motus, quibus edi-

 xerat,

xerat, bis fuiſſe concuſſum inter orandum *Geneuae* et admonitum tacita ſpiritus ſuggeſtione, vt diceret, orthodoxos tueri quaternitatem. De ipſius erroribus vero ſatis conuictos eſſe, cum totam hanc doctrinam ipſemet *Geneuae* reuocaſſet, et idcirco publicam dixiſſet recantationem. Hanc doctrinam, raro poenitentiae exemplo damnatam, nunc vero poſtliminio reuocatam, non debere tam malae fidei habere actorem: praeterea indubitatum, quod periurii reus ſit, cum *Geneua* egreſſus. Ad hoc periurii crimen nihil aliud ab ipſo reſponderi poſſe, quam quod de eo doleret. Eosdem eum habere accuſatores et aduerſarios, quos habuit *Geneuae*, vbi Palinodiam cecinit; iuxta hos etiam eos, qui ipſum vna cum aliis peregrinis et noui dogmatis auctoribus e *Polonia* eiecerunt; imo etiam Eccleſias per Germaniam, quae doctrinam ab ipſo euulgatam vt *Arianam* publice damnarunt; habere aduerſus ſe ſcholarum iudicia, in quibus illa exploditur, et nominatim ipſe *Val. Gentilis* haereſeos damnatur. Ex horum numero fuit ALEXANDER ALESIUS, in ſchola Lipſiaca, *cuius aſſertio doctrinae Eccleſiae catholicae de S. Trinitate cum confutatione erroris* VALENTINI GENTILIS, iam a. 1564 lucem viderat, quae etiam in *Bezae* opere de *Gentili* p. 101—128 legitur.

His rationibus ab actione excluſus, ad propoſita accuſationis capita ſigillatim reſpondere iuſſus eſt. Nonnullae poſitiones ex ipſius ſcriptis excerptae ſunt, quas ore quoque ſaepius confeſſus et tueri conatus eſt. Fuere autem iſtae: 1) *Trinitas merum eſt humanum commentum, catholicis Symbolis incognitum, cum Euangelica veritate e diametro pugnans.* 2) *Solus Pater vnus ille Deus eſt, qui in ſcripturis vnus et ſolus Deus dicitur.* 3) *Filius a ſe ipſo non eſt, ſed a Patre, cui vt eſſentiatori ſubordinatus eſt.* 4) *P. F. et Sp. S. quoad* οὐσίαν *diuiſi ſunt.* 5) *F. a P. genitus eſt ſecundum* οὐσίαν, *vt ſubordinatus Spiritus differens a Patre.* 6) *Tres ſunt aeterni ſpiritus, quorum qui-*

quilibet per se Deus est. 7) *Hos tres Spiritus distinctos esse ordine, gradu, et proprietate* κτισις.

Quo theses istas stabiliret, nouo interpretationis genere oracula diuina euertit, publica Ecclesiae Symbola reiecit, et antiquos Patres vel probrose insectatus est, vel ad aliquos secum quasi consentientes confugit, ne omni antiquitatis praesidio destitutus videretur; illorum tamen auctoritate et sententiis abutebatur. Blasphemiarum quoque accusabatur, v. g. quod S. S. Trinitatem nouum vocauerit idolum; *Tripersonatum Deum*, sophisticum Deum, Diabolicam, Sophisticam et Phantasticam Personam, fictitiam proprietatem in nouo Deo, etc. In memoriam ipsi reuocabatur, quod pessimis calumniis orthodoxam doctrinam onerauerit, v. g. quod Euangelici Christum *vnius Dei Filium* imprudenter negent, nouum Deum eumdemque quartum, Trinitatem nimirum in Christianam religionem temere inuexerint, Deum Trinum confinxerint, hinc eos Antitheos, haereticos Iudaeis similes, Turcis pares edixerit. Tandem variae imposturae ipsi exprobratae sunt, quibus piis hominibus fucum fecerit, v. g. quod in ementita, confessioni suae praefixa praefatione, sub *Theophili* Typographi nomine, magnifice scripta sua praedicauerit, sibiquemet ipsi laudum praeco extiterit, locum editionis libri huius *Antwerpiam* mendax perhibuerit, quod mala fide venditauerit, iussisse *Praefectum Gayensem*, vt confessionem tot erroribus scatentem sub ipsius nomine in publicum ederet. Hanc quidem imposturam non aliter diluit, quam quod diceret: Praefectum non quidem iussisse vt ederet, sed quoque non prohibuisse. Imposturarum eius non minima fuit, fastuosa illa ad disputandum publica prouocatio, qua suas propositiones pias, iustasque iudicauit, octo dierum spatium determinauit, intra quos disputaturos secum idque capitali poena adcitauerit. Hac de re quaesitus, nihil praeterea respondit, quam id eo fine factum esse, vt pauciores haberet aduersarios.

Narrata adhuc argumentum actionis cum Gentili a quinta m. *Aug.* ad nonum *Sept.* continent, circa quod, cum illi caussa dicenda ac doctrina defendenda fuit, hanc ambigue proposuit, saepius ad alia prorsus diuersa declinauit, et de rebus, extra controuersiam positis, rixas excitauit. Tandem tenax semper et immobilis suis adhaerens placitis, morti a Senatu addictus et *Bernae* a. 1566 *die* 9. *Sept.* capite plexus est. An iure, ad christianae disciplinae praescriptum, non difficile cognitu est. Viuicomburio eum periisse, Hornius in H. E. p. 349 male narrat; nec supplicium consilio Caluini, hocque instigante, (qui a. 1564 d. 27. Maii fatis iam cesserat,) decretum est, quod *Godofr. Arnoldus* falso prodidit. Referunt quidam, quod in carcere Christi nomen pronuntiare non potuerit, sed dubia fide. Formulam sententiae de eo latae Aretius l. c. p. 49. ita exhibuit: „Valentinus hic Gentilis ex Consentio, Neapolitani regni oriundus, postquam sibi ante annos octo proposuisset articulum Trinitatis impugnare, passim docere coepit, tres „esse distinctos spiritus, essentiali numero differentes: „inter quos Patrem solum agnoscit illum adorandum et „infinitum Deum, non sine magna Filii Dei blasphemia. „Huic dogmati alii etiam adnexi sunt errores, ob quos „pridem a magnifico Magistratu Geneuensi comprehen„sus, ad plenam errorum declarationem palinodiam ce„cinit. Etenim et errores palam agnouit, et detestatus „est, et abiurauit, et insuper iure iurando se adstrinxit, „vrbem se illam, sine Senatus venia, non egressurum. „Verum quia illa omnia non tanti apud ipsum fuere mo„menti, quin neglecta iuramenti religione, clam inde „profugeret, ac deinceps ad errores abiuratos postlimi„nio rediret, maiorique deinceps conatu, et disputando „et scribendo contra aperta Scripturae testimonia, pro„pugnarit: quibus inaudita accedunt maledicta et hor„rendae blasphemiae in Dei Filium, et Trinitatis myste„rium. Demum quia iam etiam in vinculis magnifici Se-

„natus

„natus ad plenam et sufficientem instructionem incurabi-
„lem sese praebet, pertinaciter in erroribus sui dogmatis
„persistendo: censuit magnificus Senatus huius Reipubl.
„ad praecapenda dissidia, et eliminandos tam atroces er-
„rores, capite plectendum."

Ad supplicium ductus, ex obfirmata errorum suorum defensione martyrii gloriam aucupans, se ipsum celebrauit, quod pro honore Dei altissimi passus et passurus sit. Praeterea omnes Euangelicos esse Sabellianos, et Deum habere Trinomium edixit; quae subinde et alia eius generis repetiit, vsque dum gladio carnificis iugulum esse committendum videret. Tum labascere coepit ac vrgere, quod cum Euangelicis idem sentiat, dummodo hi Christum esse Filium Dei crederent; quod cum numquam ab Euangelicis negatum esse exciperetur, tum rursus manifeste patuit dolus, qui Dei appellationem ad solam Patris personam restringere consueuit. In hac mente perseuerans, implorante Dominum toto, qui adstabat, coetu, vt eius animum immutaret, et Ecclesiae ministris assidue ad resipiscendum hortantibus, ense periit.

BULLINGERUS in ep. ad H. ZANCHIUM *Tiguri* d. 5. Julii 1566 scripta *in huius Opp.* T. VIII. f. 283 tragicam historiam hoc modo in compendio narrat: „*Gentilis captiuus Bernam ducitur. Captus est in pago Gex ad lacum Lemanum. A.* 1558 *reuocauit Arianismum. Mox* 1561 *eundem defendit. In Poloniam descendit, et Ecclesias mirum in modum turbauit. Dominus rependet illi.*" Idem *ad eundem* d. 6. Jan. a. 1567 l. c.: „*Cupis audire, quid cum Gentile sit actum. Cum is pergeret omnes admonitiones contemnere, et multoties victus, errores blasphemos suos nihilominus tueri, damnatus publice, ductus et capitis supplicio est affectus. Erant, qui ipsum incendio dignum clamarent; sed gladio resectum est illi caput impium. Ferox et pertinax fuit, donec in supplicii locum venisset, vbi*

demum cristas demisit et moestus periit. Et vtinam BLANDRATA, *cum suo* ALCIATO *vel resipiscat, vel mox sic pereat.*" Eundem non *Bernae*, sed in Prouincia *Gesia* (im Lande Ger) capite plexum esse, in *nouis litterariis Tigurinis* a. 1759. N. XI. p. 85. occasione recensionis KLAUSINGII *comment. hist. de haereticis misera morte extinctis*, proditur.

Supplicium de *Val. Gentile* sumtum, tantum eius auctoribus ac iudicibus non contraxit odium, quantum *Serueti* caedes huius occisoribus, quia in *Gentilem* non tanquam in haereticum, sed potius CONTUMACEM, periurum et temerarium statutorum Magistratus contemptorem, sententia mortis enunciata est, quippe qui aduerssus interdictum, in regionem, qua proscriptus iam erat, rediit, aliosque seducendi et ad partes suas trahendi repetita experimenta fecit, quae ipsi durissimis minis iam antea inhibita erant. Hanc ipsam ob caussam, quod cum eo tanquam malefico constitutionum secularium transgressore, a magistratu in ius vocato ageretur, gladio quoque periit; cum haeretico ex pessimo eorum iudicio, qui illum mortis poena adficiendum sentiunt, flammis potius pereundum fuerit. Hinc intelligitur ratio, cur ne isti quidem, qui ab occidendis haereticis, vt par est, quam maxime abhorrent, *Gentilis* supplicium non omnino improbauerint. *Minus Celsus, Senensis*, in libro, de quo inter scripta *Laelii Socini* expositguri sumus, inquit: „Quodsi opponant, nobilem illam BERNATUM Rempubli„cam VALENTINUM GENTILEM capite mulctasse, non „religionis caussa id accidisse constat, sed quia, quum ea „de caussa ipsum indicta capitis mulcta proscripsissent, „lege despecta in vrbem reuerterat. Qua in re BERNA„TES nihil aliud egerunt, quam suam legem seruarunt. „Narrata narro: et narrantibus fide dignis fidem adhi„bui. Sit tamen veritati locus." A quam plurimis Tritheitarum ordini accensetur *Gentilis*; idque non immerito; quamuis paullo accuratius omnibus, quae de ipso pro-

prostant, collatis, eum *Arianis* dogmatibus propiorem stetisse, iudicari debeat. *Tertulliani* laudauit effatum: „Fuit tempus quando Filius non fuit, et *Ignatii* dictum, „Filium non esse absque initio." *Arius* statuit aliam Patris, aliam Filii esse ουσιαν, eidem calculum suum adiecit *Gentilis*, Patrem a Filio disiungens secundum ουσιαν. Concessit quidem, λογον de substantia Patris genitum et eidem consubstantialem esse, in quo ab *Ario* differt; sed tamen separationem substantiae vrget. Vterque inter se consentiunt, quod secundum essentiam Filium a Patre numero differre crediderint. *Arius* solum Patrem principio carere, λογον vero principium habuisse, dixit. *Gentilis* genitum quidem Filium dixit, sed actum generandi praecessisse, ex quo manifeste sequeretur, generationem fuisse tempore posteriorem. Pro gloria Patris se martyrium sustinere gloriabatur; de quo *Aretius: Gentilis de se ita loquutus est, neminem adhuc, quod ipse quidem sciret, pro gloria et eminentia Patris mortuum esse. Prophetas, Apostolos eosque martyres pro Filii gloria persecutiones, mortem et extrema quaeque passos esse; eminentiam autem Dei Patris nullos adhuc martyres habere.* Fuit interea in assertis suis maxime variabilis, quod huius conditionis hominibus proprium esse solet. In synodo *Pinczouiae* 1562 die 4. Nou. celebrata, hanc proposuit sententiam: *Deum creauisse in latitudine aeternitatis spiritum quendam excellentissimum, qui postea in plenitudine temporis incarnatus est.* De scriptis *Gentilis*, quae in B. A. P. I. p. 370 recensita leguntur, non male *Franc. Stancarus* in *praefat. libris IV. de Trinitate et vnitate Dei* praemissa, iudicavit: „*Simplices eius scripta intelligere non possunt, docti vero etiam mediocriter, illorum contradictiones facile possunt cognoscere.*" Praeter scripta iam allegata, historiae huius praecipua momenta exposita leguntur in Baylii Lex. sub titulo *Gentilis;* Du Pin Biblioth. etc. Lauterbachii Polnisch-Arianischen Socinianismus p. 76 seq. Jac. Sponii histoire de Genev. Lib. III. T. II. p. 80 seqq.

§. XII.

Valentinum Gentilem in indice Antitrinitariorum Italorum excipiunt, qui ex illius hiſtoria iam ex parte innotuerunt, *Matthaeus Gribaldus*, *Joannes Paulus Alciatus*, *Georgius Blandrata*, *Nicolaus Paruta*, *Franciſcus Niger*, et *Marcellus Squarcialupus*, Plumbinenſis Italus, qui omnes pro eadem cauſſa diuerſo ſucceſſu decertarunt, *Laelii* vero *Socini*, quem conuentibus Vicentinis interfuiſſe, plurimi putant, vitam et ſcripta peculiari capite expoſituri ſumus.

*　*　*

Seminarium primae Antitrinitariorum familiae in Italia luſtrantes, reliqui, quorum nomina celebrantur, conſiderandi ſunt. De ſingulis quidem certo non conſtat, quod ſocietatis Vicentinae membra fuerint, absque omni tamen dubio Antitrinitariorum claſſi adnumerantur, quos nominaui. Ex qua ratione quidam Gregorium Pauli Italorum catalogo inſeruerint, cum fuerit Polonus, nec vnquam, quantum ſcio, viderit Italiam, ne coniectura quidem aſſequi poſſum. Inter Italos igitur, Matthaeum Gribaldum, vel *Gribaud* (quem *Kettnerus* de Vnitariis ſec. XVII. male nominat *Gribwaldum*) Mopha, Cherianum, a loco natiuitatis *Quiers Pedemontii* dictum, celeberrimum iurisconſultum primum offendimus. Natiuitatis annum a nemine notatum inuenimus, eum vero iam circa finem Seculi decimi quinti, vel in primo ſaec. XVI. initio in orbem hunc fuiſſe expoſitum, coniicimus, cum Beza eundem a. 1558. pene iam veteranum appellauerit. Iurisconſultus *Patauinus* et *Ticinenſis* ſcriptoribus dicitur, immo in pluribus Italiae et Galliae Gymnaſiis et Academiis docuit, *Piſae*, *Peruſiae*, *Toloſae* et *Valentiae*. Quod a *Senatu Veneto* ob propenſionem ad Euangelicorum Reformatorum partes dimiſſus fuerit, Melanthon ſignificat,

cat, et *Pancirollus de Gymnasio Patauino* etc. edit. *Patauii* 1598. 4. p. 19. b. de eodem inquit: „An. 1548. MATTH. GRIBALDUS *Cheriensis collega fuit* TORNIELLI, *auctor commentariorum in Pandectas iuris et librorum trium de Methodo, ac ratione studendi in iure ciuili; qui de haeretica prauitate suspectus abire Patauio necesse habuit.*" Adfuisse eundem desperabunda morte exspiranti animam *Spierae Atheo* a. 1548. *Sleidanus* L. XXI. testatur his verbis: „*Multi praeterea Spieram in eo statu viderunt, magni nominis viri, et in his* MATH. GRIBALDUS, *qui et rem omnem,* quam ipse coram vidit et audiuit scripto complexus, *in lucem edidit.*" Hoc tempore publico docendi munere Patauino dimissus videtur, ipsique in inuisendo *Spiera* praesto fuit *Pet. Paul. Vergerius. Cael. Sec. Curio* in praefatione, editae circa annum 1550 historiae de *Francisco Spiera* praemissa, de *Gribaldo* ita honorifice iudicat: „*Quis eum non agnoscit, virum inprimis nobilem et clarum, deinde etiam iuris ciuilis scientia et professione celeberrimum? Illius grauitatem, constantiam, fidem, praestantiam, prudentiam agnouit Germania, sensit Gallia, experitur Italia. Nec vero siletur, admirabilis quaedam et incredibilis in legibus interpretandis, aequitate explicandis peritia. Neque enim magis iuris consultus est, quam iustitiae. Itaque quae proficiscuntur a legibus, et iure ciuili, semper ad facilitatem aequitatemque referre solet.*" In praefatione secunda operi allegato praefixa, *Coelius* testatur, *Gribaldi* epistolam de *Spiera*, quam ex *Patauio* quinto *Cal.* Dec. 1548. scriptam, p. 33—56. huic opusculo inseruit, variis locis in Germania editam fuisse. Tristis *Spierae* e vita discessus ipsi stimulus fuit ad pietatis exercitia, melioremque doctrinam amplectendi studium confirmauit, quemadmodum quoque *Vergerium* in consilio puriora sacra quaerendi, iisdem, quae in *Spiera* viderat, confirmatum scimus. Id ipsum *Gribaldi* propositum ab infelici multorum tunc temporis Italorum propensione ad noua et heterodoxa, adeo adulteratum est, vt, cum

non defuerint, qui eius mentem corrumperent, in *Antitrinitariorum* ſententias delapſus fuerit.

Relicta *Italia* et ſtatione ſua in Galliam contendit, quod ex *praefatione*, quam priori editioni libri ſui de *methodo ac ratione ſtudendi* praefixit, ex *Valentia Allebrogica cal. Jan.* a. 1553. ſcripta, patet, ex qua colligimus, eum, antequam vel *Geneuae* vel prope hanc vrbem ſedem fixerit, per aliquod tempus *Toloſae* in Galliae Gymnaſio iura ciuilia interpretatum eſſe. Hoc tamen anno *Geneuam* contendit, eodem tempore, quo hoc loco *Serueti* cauſſa inquirebatur. Expetiit ſibi ibidem a *Caluino*, cuius fauorem et miſericordiam pro *Serueto* lucrari ſtuduit, colloquendi copiam, quam ei aliquando recuſauit, tandem vero, vt colloquium praeſentibus *Caluini* collegis tribusque ſenioribus haberetur, adnuit. Acceſſit *Gribaldus* ad praeſcriptum locum, ſed cum ille ipſi manum porrigere detrectaret, antequam eius fidem in articulo *de Trinitate et Chriſti Deitate* cognouiſſet, re infecta diſceſſit. Paulo poſt coram Magiſtratu comparere ac doctrinae ſuae rationem reddere iuſſus eſt, cumque exhibita ſua confeſſione plurimorum errorum ſuſpicionem ſibi contraxiſſet, *Geneua* excedere coactus eſt. Ita *Caluinus* in ep. ad *Georgium* Comitem Würtebergenſem et Monsbelgardienſem data *Geneuae* 6. non. Maii a. 1557. in epp. et reſponſis edit. Geneu. 1575. p. 183. rem hanc exponit: „*Quia de Matth. Gribaldo vobis ſciſcitari placuit, breuiter quomodo ſe hic geſſerit, exponam. Ac primum in hac vrbe verſatus eſt, vt nunquam vel Senatui noſtro operam ſuam addixerit, vel obſtrictus etiam fuerit, opera ſua fide data, ſed habitus ſemper fuerit inter exteros et hoſpites. Atque vt fere quotannis ſolebat huc venire, forte hic erat, quo tempore in carcerem coniectus eſt* Seruetus. *Ac tunc diſſimulans ſibi cum impiis his erroribus quicquam eſſe commune, tantum obliquos ſermones ſerebat, non eſſe de falſis dogmatibus exigendas poenas, quia libera cuique eſſet fides. Poſtea tamen aperuit, quod initio tegebat, ſe ideo conqueri de Sena-*

Senatus nostri seueritate, quia impune sibi permitti cuperet impia sua deliria vomere. At tunc quidem colloquium meum petiit, fateor: quod ideo negaui, quia ante expertus fueram, quale esset hominis ingenium. Nec melior occurrebat ratio, quam vt idonei adhiberentur testes nostris sermonibus, qaod ipse fugitabat. Ita tunc discessit. Paula post eum reuersus esset, significaui per familiarem amicum, liberum ei fore, si vellet, mecum fraterne conferre, modo id fieret coram symministris meis ac tribus ecclesiasticis Senioribus. Denuntiaui etiam, ne quid periculi aut fraudis metueret. Assensus est ac venit, quo vocatus erat. Sed ingressus in locum vbi considebamus, quia primo ingressu manum ei porrigere nolui, tumultuose mox discessit: et tamen humaniter, immo etiam blandis verbis excusaui, mihi id non licere, donec inter nos de fidei principiis conueniret. Rem enim magis seriam agi, quam vt fallacibus ceremoniis ludendum foret. Postquam vidimus hominem amice non posse placari, dedimus operam vt vocatus in curiam, de sua fide responderet. Vbi non solum tergiuersatus est, sed palam ostendit, se nolle, quid sentiret, illic profiteri. Paulo post tamen elapsae sunt ei voces, ex quibus colligere promptum fuit, quam prauis erroribus esset implicitus. Cum ad modestiam hortarer, ventosa sua ostentatione palam fecit, nihil esse audacius inscitia. Itaque in tanta pertinacia nihil profuit pia et vtilis admonitio. Interea hunc clypeum opposuit, nimii et iniusti esse rigoris, quia in doctrina fidei a nobis dissentiret, non ferri in vrbe. Quae eius obiectio, vt par erat, refutata fuit. Senatus hominem exterum vlterius vrgendum non statuit, et nobis etiam satis fuit curare, ne impietatis suae virus postea hic spargeret. Hoc meum testimonium, quid fidei mereatur, iudicabit vestra Celsitudo. Certe ab odio proficisci non potest, quod nullum vnquam inter nos fuisse, GRIBALDUS *quoque ipse fatebitur. Coeterum quamuis multa deliria simul misceat, specimen vnum proferre visum est: ex quo facile intelliget vestra Celsitudo, minus aspere hactenus de homine loquutum esse, quam fere-*

que

bat deteſtabilis eius impietas, imo etiam poſtulabat. Neque enim de meo vel alterius cuiuspiam relatu hic agitur: ſed quia doctrinae genus, quod in eo damnamus, manu ſua ſcriptum prodidit, inde iudicet Veſtra Celſitudo, ferendus ne ſit profanus homo, qui tam peruerſe Dei eſſentiam lacerat, et Chriſtum fingit nouitium Deum a Patre diuerſum et cui non eadem ſit cum Patre eſſentia. Sed quia mihi nunc propoſitum non eſt, eius ſacrilegia refutare, ne taedio ſit epiſtolae meae prolixitas, putaui, non poſſe me, ex animi Veſtri ſententia melius officio defungi, quam ſi confeſſionem manu eius ſcriptam et ſubſcriptam, in qua ſe Italis fratribus purgare conatus eſt, Celſitudini Veſtrae mitterem. Vnde illuſtriſſimus Princeps nepos veſter ſatis ſuperque cognoſcet, quam profane ac ſcelerate hic miſer praecipuum fidei noſtrae caput conuellat ac peruetat."

Relicta *Geneua Gribaldus* TUBINGAM contendit, ibique P. P. VERGERII et HIERON. GERHARDI, qui Principi Würtenb. a ſecretioribus fuit conſiliis, fauore introductus, inſigni cum applauſu, magnoque auditorum concurſu legum ſcientiam docuit. Ipſius in hac academia docentis diligentiam et iuris ſcientiam *Melanthc.* praedicat in ep. *Joach. Möllero* iuris Doctori a. 1555 d. d. 24. Julii data in epp. a *Peucero* editis P. II. p. 521. his verbis: „*Dei beneficio in fratre Theodorico et natura eſt doctrinae capax et morum moderatio vere ethica — — — — — — ſic procedit in ſtudio iuris, vt ſperem, eum Reipubl. Deo iuvante vſui fore. De Academia alia adeunda mihi hoc in mentem venit: cum neque Lipſiae, neque hic aſſiduitatem praeſtent lectores, et iam* GRIBALDVS *iuriſconſultus Patavinus Tubingae doceat, dimiſſus a Senatu* VENETO, *quod oſtendit ſe non abhorrere a doctrina noſtrarum Eccleſiarum, profuturum eſſe fratri, ſi audiet eo in loco* GRIBALDUM, *et alios, qui magis aſſidue docent, quam noſtri."* Animum vero ad Antitrinitariorum placita propendentem nec *Tubingae* celauit, quae iam in Italia, ac ex ſodalitio cum reliquis huius ſectae patribus in Heluetia, vel ex lectione libro-

brorum *Serueti*, hauserat. *Hieron.* igitur *Gerhardi* vigilantia et prudentia detectus, poenarum vel examinis instituendi timore, cum aufugisse *Tubinga* a. 1556. significat. *Melch. Adami* in vita *Hieron. Gerhardi*, in vitis Germanorum Iureconsultorum p. 208. Sed eundem adhuc a. 1557, die 6. Jun. ibidem commoratum fuisse ex Lud. Melch. Fischlini *memoria Theologorum* Würtenbergens. P. I. p. 109. apparet, quo teste hoc ipso die *Jacobus Andrea* cum *Gribaldo* actionem et colloquium instituit. Publice quoque *Gratianopoli* (Grenoble) eum docuisse, *Aretius* in hist. *Gentilis* p. 8. prodit, tempus vero non indicauit, docuisse vero ibidem anno circiter 1559 vel 60 probabile est. Anno enim 1558 in pago *Fargiarum* Gribaldus subsistebat, confugitque ad istum *Gentilis*, qui post commorationem *Lugduni*, iterum ad Gribaldum *Gratianopolin* tendebat. Nec diu ibidem substitisse, eandemque ob caussam vrbem hanc reliquisse videtur, quae Tubinga exire eum admonuit vel coegit.

Quod intimus fuerit *Val. Gentili*, quem quoque ad tempus in praedio suo sustentauit, ex enarratis liquet. Acquisiuerat autem sibi pagum istum *Forgiarum* vel *Fargiarum*, (male *Lubieniecio* l. c. p. 108. *Turgiarum*) in regione *Gayensi* (*Gex*), in quem locum *Gentilis* ad tempus se recepit. Propter hoc commercium aliaque infecti animi indicia *Gribaldus Bernae* incarceratus, sed metu poenae territus speciem abnegati ac depositi Arianismi praebuit, subscripta a. 1558. confessione orthodoxa, hincque in libertatem restitutus est. Quod eadem mente id fecerit, qua *Gentilis*, cum quo ad pristinam sententiam rediit, facile colligitur. Idem ipsi propter susceptos et diuulgatos errores supplicium destinatum erat, quod *Val. Gentili*, nisi morte praeuenisset, quod Beza in *vita Caluini* non obscure innuit. Peste enim correptus periit, fugientibus illum omnibus, vt vix esset, a quo sepeliretur, teste eodem, in praefatione historiae *Val. Gent.* praemissa p. 23. circa

circa finem anni 1565 vel initium anni 1566. *Val.* enim *Gentilis* in Sabaudiam a. 1566. rediens *Gribaldum* adhuc viuere putabat, nec de eius morte certior factus erat. Mortuum eum esse a. 1565. et quidem M. Sept. quod *Niceronius* et *Baylius* l. c. perhibent, verisimillimum non est, cum, si iste obitus ipsius annus statueretur, *Gentilis* de illius morte iam certior factus, cum adhuc in viuis esse sperare non potuisset. *Beza* in vita *Caluini* ad annum 1555. p. 378. haec de *Gribaldo* tradit: „*Domi* Serueti *cineres pullulare coeperunt, cuius blasphemiis fauere deprehensus est* Gribaldus, *quum Geneuam forte venisset* — — *deductus ad* Caluinum *a quibusdam Italis, quos Patauii docuerat, recusante Caluino dextram porrigere, nullum postea locum vllis admonitionibus vel argumentis reliquit. Itaque quod ei iam tum praedixit Caluinus, graue nimirum Dei iudicium pertinaci ipsius impietati imminere; hoc re ipsa postea expertus est, Tubinga primum profugus, quo fuerat* Vergerii *fauore introductus:* Bernae *postea captus, simulataque abnegatione liberatus. (Bernae Wolfg. Musculus Gribaldum* ad Palinodiam coegit, teste *Melch. Adamo* l. c. p. 383.) *Ad ingenium postea rediens et* Gentilis *illius fautor et hospes, superueniente demum peste correptus, paratum sibi in terris supplicium anteuertit.*" In Actis *Val. Gentilis* p. 31. *Gribaldus* vocatur homo, *Valent. Gentili similis, turbulenti prauique ingenii et fatuis speculationibus deditus, qui domo sua profugus, in quoddam latibulum se abdiderat, vbi petulantius, quam vnquam bacchari coepit, sed apud capras et boues, quia locus fere desertus erat.* Et in praefatione huic libro praefixa, Beza scribit: „*Fuit in hac cohorte discipulorum* Serueti *pene veteranus* Gribaldus, *homo sane improbus, vt cui nulla religio fuerit, dogma, quod corde retineret, manifesto periurio abnegare.*"

Scripta *Gribaldi* edita maxime ad iurisprudentiam spectant, ac recensita sunt in Jo. Fabricii *Hist. Biblioth.* P. V.

P. V. p. 475. et *Sandio* l. c. p. 18. In catalogo librorum, quos *Academia Veneta* in lucem emittere propoſuit, *Venet.* 1559. inter ſcriptores *conſiliorum Juridicorum* peculiari Volumine complectendos, *Matthaeus Mopha Gribaldus* quoque nominatur. Circa ſcriptum, quod tit. *Methodus et ratio ſtudendi in iure ciuili*, Lib. III. *Lugduni* a. 1544 et 1556. lucem vidit, obſeruamus: praeter Lugdunenſes editiones plures a *Sandio* non notatas in lucem prodiiſſe. Impreſſus eſt liber a. 1553. *Colon. Agripp.* in *aedibus Petri Horſt*, plag. 23. pagg. 349. 8. hoc titulo: *Matthaei Gribaldi Mophae, Iuriſconſulti Cheriani, de Methodo ac ratione ſtudendi. Libri III. Lege quisquis ingenio delectaris, et fruere.* Dicatus eſt *Tholoſanis legum auditoribus*, quibus opus hoc, vix octo dierum, praecox ſane atque abortiuum adpellat. p. 85 et 185. *Gribaldus* libri a ſe ſcripti ſub indice: *axiomatum* mentionem facit, quem ab aliis allegatum non animaduerti. Alia libri editio, in qua nec *dedicatio* haec, nec nomen *Gribaldi* in fronte occurrit, a. 1569. *Venetiis* apud *Dominicum de Farris* prodiit, haecque verba in fronte habet: *Methodus ac de ratione ſtudendi in iure. Libri tres. Praeterea capita nouorum iuris intellectuum nonnulla atque eiusdem declarationum*, pl. 17. pag. 136. 8. Multum tamen differt haec editio a priori, quod huius loci non eſt, vt pluribus ſignificetur. Alia quoque eiusdem libri editio lucem vidit a. 1572, 8. et *Lugduni* 1574. 8. etc.

Scriptum, quod *Sandius* allegat ſub tit: *Recentiores Iuriſconſulti ſingulis diſtichis comprehenſi*, Baſil. apud *Jo. Oporinum*, 1545. 4. idem ſine dubio eſt, quod ad calcem libri, de methodo ac ratione ſtudendi adtextum eſt, ſub indice: *Catalogus aliquot interpretum iuris ciuilis.* Inſertum quoque eſt Jo. LORICII HADAMARII *Catalogo Juriſconſultorum*, et NIC. REUSNERI *cynoſurae iuris artic.* 25. nec non *Poetis, hiſtoricis, J. conſultis, medicis et philoſophis* a *Ger. Fauſto*, *Ge. Fabricio*, *Math. Gribaldo*, et *Joanne Bartholomaeo*, diſtichis deſcriptis. Görlitii 1574. 8.

Li-

Libellus GRIBALDI: *historia Francisci Spirae, secundum quae ipse vidit ac audiuit*, impressus est *Basil.* 1550. pluribusque aliis opusculis eiusdam argumenti adtextus. In confessione sua teste *Sandio* l. c. professus est: *se tres aeternos spiritus, non confusos tamen, sed gradu numeroque distinctos, pia mente complecti; Deum Filium et Spiritum S. vni summo Deo et Patri, rerum omnium auctori ita subordinare, vt omnis ratio deitatis et Filii et Spiritus S. aliorumque coelestium spirituum ad vnum illum solum Deum Patrem, origine carentem et a se ipso Deum, tanquam ad vnicum fontem et caput omnis essentiae et diuinitatis merito, referatur. Spondanus* in annal. eccl. ad a. 1561. T. II. f. 614. de eodem significat, quod 1560 blasphemos articulos euulgauerit, verum et aeternum Deum nullas habere personas; et sicut animal brutum persona vocari non potest; sic neque Deum. Sed nemo quantum scio, articulorum istorum vllam fecit mentionem. In *catal. Biblioth. Acad. Francof.* f. 130. citatur sub nomine *Matth. Gribaldi* libellus, cui inscriptio est: *Communes Opiniones*, quem videre mihi non contigit, nec istum, qui in *Catal. Biblioth. Bodlej.* edit. *Thom. Hyde*, *oxon.* 1674. fol. p. 306. ipsi tribuitur, *de omni genere homicidii*, *Spirae Nemetum* 1592. 8. et ibid. 1583. 8.

Venetiis in *Bibliotheca* conuentus *S. Joannis* et *Pauli*, quod Monasterium Dominicanorum est, inter 28 haereticos ex ligno artificiose sculptos catenisque ligneis constrictos et copulatos, quorum statuae et effigies librorum scrinia suffulciunt, etiam *Matth. Gribaldi* figuram conspici, vna cum *Bern. Ochini*, *Lutheri*, *Melanthonis*, *Bugenhagii*, *Brentii*, *Zuinglii* et aliorum statuis in eundem ordinem collocatis, *Steph. Schultzius* testis est in der Leitung des Höchsten auf Reisen, T. III. p. 157. V. de *Gribaldo Lubieniecius* l. c. p. 108. *Hoornbeck* l. c. p. 24. *Du Pin* l. c. p. 340. *Bayle* l. c. sub tit. *Gribaud. Hist. Socin.* gall. script. p. 257. *Sponius* l. c. T. II. p. 85. *Lexic. vnivers.*

verſ. hiſt. T. II. p. 298. *Tomaſini* Gymnaſium Patauinum, *Vtini* 1564. p. 257. *Caluini* Epp. n. — 238. p. 440.

Sequitur Jo. PAULUS ALCIATUS, de quo *Caluinus* in *tractat. Theol.* p. 659. *homo non ſtolidi tantum et veſani ingenii, ſed plane phreneticus ad rabiem vsque; et* BEZA *in Praefat.* ad acta *V. Gentilis: quod iam antea homo plane phreneticus et vertiginoſus fuerit, antequam in Heluetiam veniret.* Fuit is nobilis Italus, non *Pedemontanus*, vt quidam perhibent, ſed *Beza* et *Baylio* teſtibus *Mediolanenſis*, e ſocietate Italorum, qui inter conſilia reſtaurandae Eccleſiae, ratione ducti, diuerſa ingenii inuenta in articulo de Trinitate procrearunt. Plurium huius nominis virorum fama a ſcriptoribus hiſtoricis celebratur. *Freherus* l. c. mentionem facit *Franciſci Alciati*, Cardinalis, qui 1580 obiit p. 46. *Andreae* a. 1550. defuncti p. 826. et *Melchioris*, qui 1618 mortuus, p. 1020. De *Andrea*, qui teſte *Mich. Beuthero* in *Ephemerid.* hiſt. p. 152. a. 1492. natus eſt, plura exponunt *Ge. Richterus* in oratione de *Andrea Alciato*, *male transfuga iuris a nonnullis dicto*, quae inſerta eſt eiusdem orationibus, *Dec.* II. et *Chriſtoph. Longolius* in Epp. *Baſil.* 1533. 8. p. 118 ſeqq. Epiſtolam eius *contra vitam Monaſticam ad Bernardum Mattium* recenſuit *Freytagius* in *Appar.* litter. T. II. p. 761. Ex opuſculis eius ſeparatim editis, quoddam ad manus meas peruenit ſub tit. *Viri Clariſſimi D. Andreae Alciati Juriſconſultiſſ. Mediol. ad D. Chonradum Peutingerum, Auguſtanum Juriſconſultum, emblematum liber, iam denuo emendatus et recognitus,* 1534. 8. pl. 6. Libellus elegantiſſimis figuris, ligno excifis, ornatus, *Auguſtae Vindel.* per *Henr. Steyner* d. 29. Jul. 1534. lucem vidit. Prima editio prodiit, *Mediolani* a. 1522. ſecunda a. 1531. In *ſumma librorum, quos in lucem emittere Academia Veneta* conſtituit l. c. p. B. 1. b. inter ſcripta ad Ius canonicum ſpectantia allegatur: *Andreas Alciatus* in primum caput de Iudicibus. *Quaedam Petri Bembi* ad eundem epiſtolae illius epiſtolis familiari-

 bus

bus *Basil.* 1555. plag. 11. p. 634. insertae sunt. In *Desid. Erasmi Roterod. Opp.* T. III. vna *Alciati* ad *Erasmum*, et sex huius ad illum exstant epistolae. *Th. J.* ab *Almeloueen* in *Plagiariorum syllabo* p. 185. inter plagiarios eum collocauit, et ex *Robortello* et aliis sua desumsisse, accusauit. Vtrum *Andreas* frater, an patruelis *Jo. Pauli Alciati*, certo definiri nequit. *Franciscus Alciatus*, Mediolanensis, natus 1522. in Academia Ticinensi Professor Iuris primarius, summo cum applausu docuit. *Romam* euocatus, Ciuitanensis in Beneuentana prouincia Episcopus factus, annoque 1565 *Borromei* commendatione, quem iuris Doctorem antea creauerat, *Purpurati* dignitate ornatus, ad quem *Paulus Sacratus*, Canonicus Ferrariensis, quasdam dedit epistolas, huius Epp. Libb. VI. *Lugd.* 1581. 12. p. 367. 393. etc. insertas.

Primum *Jo. Paul. Alciatus* scientiis medicis operam nauauit, licet *Alciatorum* familia Mediolanensis complures habuerit in iurisprudentia conspicuos; posthaec vero pro illius temporis more, stationi militari addictus, militum praefectus exstitit; hinc eum *Beza* militem Mediolanensem vocauit. *Blandratae* fuit intimus, nec minus *Gribaldo* amicus. Constrictus ingenii figmentis in articulo de Trinitate, valedixit *Italiae*, an libere, an coacte, certo dici nequit. Heluetiam contendit, ac *Geneuae Val. Gentili*, quem e carcere quoque redemit, *Sandio* narrante l. c. p. 26. familiaris. *Lubieniecius* p. 107. *Gentilem*, rogante pro eo *Alciato*, ab oppidi Gayensis praefecto liberum dimissum esse narrat. *Hottingero* teste in H. E. T. III. 850. circa annum 1553 vna cum *Blandrata* per *Raetiam* in Italiam iter faciebat, homines in ista regione secum consentientes, inprimis Italos profugos populares suos in eadem mente obfirmaturus. Anno 1562. in itinere ad Poloniae terminos *Gentili* comes exstitisse, plurimis videtur. *Aretius* vero in hist. *Val. Gent.* et *Beza* ep. [illegible] verissime tradunt, *Gentilem* in Poloniam contendisse,

cum

cum iam *Blandrata* et *Alciatus* ibidem placita ſua diſſeminauerint. Qui perhibent hos ambo, *Val. Gentilis* fatis et morte commotos eſſe, vt in Poloniam ſe reciperent, temporis ordinem non attendunt, ſiquidem *Gentilis* ab illis in Poloniam inuitatus, et cum iisdem ſimul in hoc regno commoratus eſt.

Inter Polonos cum *Alciatus* Arianismi ſpargeret lolia, tantum in ſe conuertit gentis odium, vt aliquando in eum *Cracouiae* verſantem, *Academiae huius loci ſtudioſi* hoſtili impetu irruerent, de quo triſti fato, et quomodo ſe eodem expediuerit, ita *Mart. Ruarus* Epp. *Cent.* I. n. 47. inquit: „*Memini ab Andrea Voidouio mihi narratum, Alciatum virum, vt ipſe aiebat, pium et Socino ομοψηφον, cum Cracouiae aliquamdiu egiſſet, periculum vitae praeſentiſſimum a petulantibus ſcholaſticis propter Arianam, vt illi ferebant, religionem intentatum, ridiculo ſchemate euaſiſſe, cum ſe non* Arianum, *ſed* Marianum *eſſe diceret: quod cum illi, quid ſibi vellet, quaererent, reſpondiſſe, credere ſe, Jeſum Chriſtum Dei viui et Mariae filium. Illi non minore ſtupore, quam malitia obſeſſi, audito venerando Mariae nomine incolumem dimiſerunt.*" Ille tamen ex impetu iſto maiora pericula augurans, relicta *Polonia* in alium locum conceſſit. Quod ſibi aduerſa fata, peregrinarum opinionum perſuaſione et diuulgatione, contraxerit, explorata ad liquidum veritas eſt; cum odium eius in orthodoxam doctrinam tantum fuerit, quantum vix in alio. *Caluinus* in ep. quam de *Blandrata* ſcripſit, horrendum *Alciati* ſcomma profert, tres ab Euangelicis diabolos adorari, peiores omnibus idolis Papatus. Eundem *Gregorio Pauli* dediſſe epiſtolas *Huſterlitio*, 1564 et 1565. quibus hunc a ſententia, quod Chriſtus exſtiterit, antequam ex Maria naſceretur, abducere ſtuduerit, *Sandius* l. c. p. 28. prodit, qui plura eum hac de materia ſcripſiſſe, ad *Budzinii Mſcta* et *And. Dudithii* epiſtolam ad *Bezam* prouocat; ſed ex hac, quae *Alciatus* concinnauerit ſcripta, non

vidimus. In epp. ad *Greg. Pauli*, (B. A. P. I. p. 8. N. 1.) teſtatur, quod Mahomedanorum doctrinam magis rationi conuenientem habeat, quam orthodoxorum de tribus in eſſentia Dei perſonis. E Polonia in Morauiam, comite *Val. Gentile* contendit, ibidemque per aliquod tempus ſubſiſtens, poſtea *Conſtantinopolin* profectus, ibique ſecundum *Hoornbeeckium* l. c. p. 29. et quam plures alios ſcriptores, renegatus factus. Vtrumque autem merito in dubium vocandum, imo inter falſa referendum eſt, cum nulla cauſſa ſuppetat, cur *Ruaro* illius fata et migrationes exponenti fidem denegemus, quo narrante circa annum 1565 *Gedani* mortuum eſſe nos perſuaſos habemus. Conciliari tamen hoc nequit cum iis, quae *de Porta* in Hiſt. Reform. Eccl. Raet. L. II. c. 23. p. 632. narrat, quo teſte *Alciatus* et *Blandrata*, qui fratres ſuos confirmando circumibant, a comitiis trium foederum adhuc die 11. Jan. 1579. ſolum Raeticum mutare iuſſi ſunt, et ſi pererrare deprehendantur, capti iudicio ad cauſſam dicendam ſiſtantur. Aſſeuerarunt iſtum *Alciati* ad Mahomedanismum tranſitum *Spondanus* l. c. ex quo eundem repetit *Voetius*, *Maimburgius* l. c. T. III. p. 344. *E. S. Cyprianus*, de mortibus Socinianorum, et innumere fere alii. *Hornius* in H. E. p. 351. inquit: „*Alciatus tranſiit ad Turcas, ac Mahomedismum amplexus, inter eos vitam finiit.*" Eadem referre *Lubieniecium* plurimi ſibi perſuadent, qui *Neuſerum Alciati* in itinere Conſtantinopolitano comitem fuiſſe narrat; accepiſſe vero haec, quae de tranſitu *Alciati* ad Muhamedanos expoſuit, teſtatur ex ſola fama, quae haud raro mendax eſt; imo ipſum, quae ex communi fama ſignificauit, non crediſiſſe, haud obſcura indicia produnt. Primam huic rumori occaſionem fecit *Val. Gentilis*, de quo *Beza* ep. 81. ſcribit: „*Quum de* Alciato *rogaretur, factus eſt, inquit, Muhamedanus, nec mihi cum illo iam pridem vllum commercium fuit.*" Sed vel *Gentilis*, iudicum ſuorum fauorem ingenua, quam ſimulabat, confeſſione, ſibi conciliare voluit, Muhamedanum vocando eum,

eum, a quo ſolum Jeſu Chriſti Patrem, pro ſummo Deo agnoſci ſciebat, vel ab *Alciato* aduerſa fata auertere ſtuduit, quae facile ipſi per epiſtolas Magiſtratus et Miniſtrorum reipublicae Bernenſis conciliari potuiſſent, vel ex alia quacumque ratione falſa haec enunciauit. Nec potuit *Gentili* de *Alciati* tranſitu ad Turcas, ſi etiam accidiſſet, aliquid innoteſcere, cum ab huius conſortio paulo ante ſeiunctus, quo tempore abſque vllo dubio adhuc inter Antitrinitarios extitit. Falſiſſimum enim erat, quod *Val. Gentilis* addidit, nullum ſibi iam pridem cum *Alciato* fuiſſe commercium. Veri ſimile videtur de *Porta* circa annum 1579. quo *Alciatum* ex Raetia proſcriptum narrat, hallucinatum eſſe, cum *Ruarus* adductis ſpecialioribus circumſtantiis et teſtimoniis narrationi ſuae fidem faciat, in ep. ed *Calouium*, d. 3. *Non. Apr.* in Epp. Cent. n. 47. ſcribens: *Tu noris Alciatum in hac vrbe (Gedani) vitam per aliquot annos chriſtiano ritu, ſingulari cum pietate, exegiſſe, et moriturum animam Chriſto Seruatori commendaſſe. Id* Catharina Weimera *vxoris meae auia, quae tanquam vicinum in platea, quam caninam vocant, habitantem, familiariter norat, et morti eius interfuit, marito ſuo Dauidi Wernero Büttelo, (Sociniano, de quo in Hiſt. Socin. Pruſſ.) qui adhuc in viuis eſt, ſaepius narrauit. Socrus quoque mea, vxorem eius viduam, quae marito annos aliquot ſuperuixit, ſibi ſoepe diuque viſam in hac vrbe, vel heri mihi retulit. Cyprianus* l. c. C. 7. hanc *Ruari* narrationem in dubium vocauit, quia vetulam tantum quandam pro auctore habet, eandemque *Ruarus* ſubleſtae fidei, qui ipſe exſtitit *Socinianus*, narrauerit. Verum et vetula in hac cauſſa indubitatum teſtimonium dare potuit, et *Ruarum* partium ſtudio ductum mentitum eſſe, quae dixit, iniquum eſt ſibi perſuadere, maxime cum mendacii huius iſto tempore a *Calouio* conuinci potuerit. V. *Zeltnerus* l. c. p. 199. et in notis ad *Ruari* ep. p. 184. *La Croze* diſſ. hiſt. T. I. p. 138. Fortaſſis *Alciatus*, antequam *Gedanum* appulit, regni Ottomannici fines ex Po-

lonia in Morauiam, vel inde Prussiam commigrando attigit, quod rumori de ipsius Apostasia locum fecit. *Baylius* perhibet famam de *Alciati* ad Muhamedanos transitu, ex itinere eiusdem in Turciam, securitatis caussa suscepto, ortam esse, sed de hoc nullum reperitur vestigium. Mirum tamen videtur, cur *Alciatus* in vita degens, cum haec Apostasiae eius fama percrebuit, falsi huius rumoris calumniam non refutauerit; cuius vero silentii obseruati variae esse potuerunt caussae, nec inde pro contraria sententia validum argumentum sumi potest. V. *Pet. Adolph. Boysen* de *Apostasiae merito et falso suspectis*, p. 25. seqq. Vxoratum fuisse eum, ex allegatis *Ruari* verbis constat; eum autem non egenum, sed opulentum exstitisse coniicimus, quod *Alciatus* quidam, qui filius *Jo. Pauli* sine dubio fuit, a. 1586 Synodo Socinianorum Lublinensi sumtuum partem ex propriis suis facultatibus obtulerit, vt *Fausti Socini* Responsio ad *Volanum* typis exscriberetur, testantibus id *Act. Msc.* Quod ad illius sententiam in specie attinet, diuersa eum a *Gentile* credidisse manifestum est; hinc nec *Tritheitis*, nec *Arianis* stricte dictis, sed potius *Socinianis* accensendus. *Moreri* in diction. tit. *Alciatus*, in *Arianorum* classem eum collocat, cum tamen epp. eius ad *Greg. Pauli* datae clare efficiant, credidisse eum, Christum non exstitisse, antequam ex Maria nasceretur. Vid. B. A. P. I, p. 7.

In recensendis primis Socinianismi initiis ex Italia repetendis, ad *Georgium Blandratam* accedimus, inter primos haereseos huius statores referendum, quem *Beza Praef.* ad *hist. Gent.* p. 14: „*Gentili* quidem indoctiorem, sed multo etiam impudentiorem et sceleratiorem adpellat. Fuit is *Italus Saluciensis Pedemontanus*, omnino iis accensendus, qui in *Italia* exorbitantis ingenii dubiis in Articulo de S. Trinitate hinc inde volutabantur, quamuis eundem collegiis in agro Vicentino institutis, interfuisse, certo statuere nequeam. Medicis scientiis imbutus, per Italiam

Italiam insignis ipsius fama celebrabatur. Primum *Papiae*, quae *Ticinum* alias dicitur, aliquot annos vitam egit, et iuxta artis suae studia ac medicae praxis exercitia, speculationibus theologicis ad Philosophiae spuriae gustum compositis, curiosus nimis et temerarius vacabat. Quae in Deum impia ipse excogitauerat, vel ab aliis hauserat, verbis propalare, suorumque placitorum socios et defensores sibi conducere non destitit; hinc multum non abfuit, quin in iudicii ecclesiastici inquisitionem inciderit. Opportuno autem tempore *Ticino* elapsus, circa annum 1556 Geneuam venit, seque coetui ex *Italis* collecto associauit. Quod iam ante hanc ex *Italia* fugam, in *Poloniam* et *Transyluaniam* se contulerit, ibique vt experientissimus Medicus magnam iam isto tempore consequutus sit famam, inde vero *Italiam* repetierit, *Saligius* l. c. T. II. p. 625. prodit. Nullum dubium est, *Blandratam*, postquam in Polonia et Transyluania praxi sua medica celeberrimam famam, nec non opes haud mediocres acquisiuerit, *Genevam* se iterum ad breue tempus contulisse, et Tigurinam quoque rempublicam, cum pluribus Germaniae vrbibus salutasse, ac quocunque loco aeternam Christi deitatem primum indoctis et plebeiis quauis occasione dubiam reddere, deinde doctis et eruditis opiniones suas explicare studuisse. Exposuit eas *Geneuae* Pastori coetus Italici, *Maximil. Martinengo*, qui tantum aduersus eundem odium concepit, vt eius ope atque consiliis in suo ac coniugis suae morbo vti amplius detrectaret. Non veritus est, ipsi *Caluino* mentis suae aperire cogitata, qui soluere eius argumenta, eumque veriora docere in initio non recusauit. Cum vero tela haec saepius vibraret, nouis semper Machinationibus instaret, solidamque refutationem ac conuictionem abnueret, *Caluini* iram in summo gradu sibi contraxit. Saepe huic testabatur, responsionibus ipsius sibi quantum satis est, factum esse; breui autem tempore iisdem armatus telis rediit, nec sciscitari et scrutari desiit, quae plus vna vice iam iam audierat. *Caluinus*

proinde eum, vt ipse fatetur, ep. 321. ita est alloquutus: „*Vultus tuus detestabile monstrum mihi ostendit, quod in corde occultum foues.*" His aliisque increpandi formulis eum aspere obiurgauit, vt, si fieri posset, corrigeret perfidiam et fallacias, dolosque tortuosos, quorum fastidio quodammodo erat defessus. Nec ad ea quidem desiit inuisere *Caluinum*, ac cum eo colloqui, qui ad eius dubia denuo prolata tandem peculiari scripto respondebat, quod inter acta *Val. Gentilis* comparet. Cum vero *Blandrata Caluinum* ex scripti autographi contentis diffamandi ansam arripuisset, hoc ipso inimicitiae et irae *Caluini* maiora dedit incitamenta, qui, quamuis prae se ferret, illatam sibi iniuriam non esse vlturum, *Blandratae* tamen timorem incussit, ne forte Magistratum iniuriarum vindicem excitaret. Contigit praeterea alius casus, qui ipsum in hoc timore confirmauit. Cum *Caluinum* in auditorio docentem attendere aliquando statuerit, ingredientem forte *syndicum* conspexit, de quo *Blandrata*, malae conscientiae stimulis compunctus, suspicabatur, quod a Senatu missus ipsum hoc loco perquireret. Sudario proinde naribus admoto, quasi sanguinis stillicidio laboraret, et *Caluini* auditorio et *Geneua* eodem tempore elapsus est, ac nunquam iterum in vrbem rediit; fortasse tamen primum ad breue tempus ad *Fargiarum* pagum *Matth. Gribaldi* se recepit. Ita *Beza* l. c. p. 15. inquit: „*Blandrata cum sibi a Caluino satisfactum diu simulasset, tandem vanissimo timore a semet ipso expauefactus, quasi a Magistratu quaereretur, repente et ipse ex vrbe in vicinam ditionem aufugit.*" Non tamen vanissimo eum timore pauefactum esse, *Caluini* character, ipsiusque *Blandratae* confessio docent; vbicunque enim locorum in Polonia serio testabatur, sibi a *Caluino* paria fata, quae *Serueto* fuisse destinata.

Quae *Geneuae* egerit, et quos cum eo labores susceperit *Caluinus*, hic in compendio recensuit, et historiam hanc litteris suis ad *Felicem Crucigerum* huiusque collegas, nec

nec non ad Miniſtros et Seniores Eccleſiae Vilnenſis, *Geneuae* d. 9. Octobr. 1561. ſcriptis adtexuit; qui etiam *Blandratam* in Poloniam profectum biennio poſt pluribus epiſtolis proſequutus eſt. Ita vero l. c. inquit: „*Ne putetis temere fuiſſe quicquam a me creditum, hiſtoricam narrationem dictaui, quae vos omnium certiores faceret. Tacere vero in tanto veſtro diſcrimine fas non fuit, cum intelligerem, non modo lupum in ouile admiſſum fuiſſe, ſed ouibus datum eſſe cuſtodem. Nunc tamen ſi reſipiſcere in animo habeat Blandrata, re ipſa demonſtret. Quod ſi mihi reconciliari velit, ignoſcere paratus ſum, ſimulac mutatum fuiſſe in melius cognouero. Sed profecto vobis illudit, dum ſe indigne traductum fuiſſe conqueritur. Quid? cum ſcirem impiis deliriis imbutum, an non fuiſſet proditorium, de tanto vos non commune facere periculo? Sincere ergo de ſalute veſtra ſollicitudinis officium praeſtiti, cuius nunquam me poenitebit. Valete* d. 9. *Octobr.* a. 1561.

Geneua a. 1558 in *Poloniam* ſeceſſit, non vero, vt *Hornius* putat l. c. p. 351 ſtatim poſt SERUETI ſupplicium. V. *Bayle* l. c. Primum ipſius nomen in *Act. Synod. Mſſcc.* ad annum 1558 legitur, menſe Nouembri, quo tempore *Synodo Pinczouienſi* interfuit. E Polonia eum ad tempus in Heluetiam rediiſſe, et ex *Bezae* ep. LXXXI. colligitur, ita enim inquit: „*Ita ſors tulit, vt* BLANDRATA, *qui medicinam diu in Polonia primum, deinde in Tranſyluania apud Reginas fecerat, eo reuerteretur.*" Narrante *de Porta* l. c. L. II. c. 23. p. 632. anno 1579 vna cum *Alciato* in *Raetia* circumiuit, et haereſeos ſuae ſocios confirmauit. Ambo enim d. XI. Jan. eiusdem anni a comitiis trium foederum, ſolum Raeticum deuitare iuſſi ſunt, ſtatutumque, vt ſi pererrare deprehendantur, capti iudicio ad dicendam cauſſam ſiſterentur. Praecipuum dubium, quod *Geneuae* agens *Caluino* propoſuerat, teſte *Lubieniecio* fuit: *Quicunque inuocat Deum illum Deuter. VI. propoſitum, qui eſt ex ſententia Trinitariorum,*

P. F. et Sp. S. debet inuocare per Mediatorem. Sed P. F. et Sp. S. ſimul non habent Mediatorem. Ergo ſimul non inuocantur. Vocat illud *Lubieniecius* praeualidum, quod debita reſponſione dilui non potuerit; quod nemini de *Caluino* perſuadebit. Praeſentem in Polonia, propter experientiam in re medica, omnes, inprimis ii, quos iam antea in hoc regno ſibi amicos conciliauerat, humaniſſime exceperunt. Tanti eum fecit Rex, vt eidem curam regii corporis committeret. Feliciſſimus rerum in initio ſucceſſus, quo in hoc regno vtebatur, etiam *Alciato* et *Val. Gentili* incitamento fuit, in hanc terram abeundi, ad quod ab ipſo *Blandrata* inuitati erant.

Sed paulo poſt animus ipſius ad haereſin non tantum propendens, ſed eadem plane occupatus, Reformatorum in Polonia coetui, cui ſe iungere ſtatuit, expoſitus eſt. *Caluino* in hac ipſa loci diſtantia non defuerunt media, aduerſario ſuo damnum inferendi, vel ſaltem orthodoxe ſentientes in myſterio S. Trinitatis admonendi, vt ſibi ab homine hoc eiusque conſortio, quam maxime caverent. Dedit praeter eas quarum paulo ante mentionem feci, ad *Vilnenſes* Eccleſias litteras, (v. *Caluini* Epp. N. 319.) in quibus de *Blandrata* hoc modo iudicauit: „*Valde miror hominem, quem ſola oſtentatio et faſtuoſus vultus commendat, tanti apud vos fieri, vt quaſi nouus Atlas Eccleſiam ſuſtineat ſuis humeris. Certe tam inconſideratae credulitatis niſi me puderet, gentem veſtram non amarem.*" Et in ep. 320. „*Vnum non diſſimulo, eos, qui tam humaniter* GEORG. BLANDRATAM *exceperunt, parum fuiſſe cautos et prouidos et male conſuluiſſe veſtrae exiſtimationi. Magis etiam miror, quosdam primariae auctoritatis viros grauiter offendi, quod libere hominem detexerim.*" Et ep. 321. „*Ergo non vulgare fecit operae pretium longo itinere, quod tantum ſibi nomen acquiſiuerit. Nullus eſt apud alias gentes, vos admiramini non aliter ac angelum e coelo delapſum. Veſtras delicias minime vobis inui-*

inuideo." His aliisque *Caluini* litteris, haud parum impedita sunt *Blandratae* ipsiusque sociorum et amicorum molimina in Polonia; maximum vero ipsius consiliis obstaculum posuerunt dissensiones et certamina inter eos, qui quidem in oppugnando S. Trinitatis mysterio consenserunt, sed in diuerso oppugnandi modo et in aliis doctrinae momentis quam longissime ab inuicem discreparunt.

Vixit aliquamdiu *Blandrata* sub Principis NICOLAI RADZIUILII, *Palatini Vilnensis* tutela, qui eum quoque a. 1561 die 25. *Jan.* ad Synodum ablegauit, *Pinczouiae* die 30. Jan. instituendam, quod *acta Mscta* testantur; ex quibus corrigendus est terminus a *Wergescio* et *Baylio* ll. cc. d. 25. *Junii* notatus. Huic synodo *Blandrata* fidei suae confessionem a veritate orthodoxa non adeo alienam, nisi quod aliud in corde senserit, quam protulerit verbis, exhibuit. Quae vero ab eodem acta sunt, in synodis, qua ratione Regni Magnatibus sua commendauerit placita, et quae praeterea in *Polonia* et *Transyluania* expertus fuerit fata, in *hist. Socin. Polon. et Transylu.* ex *Act. Mscc.* expositurі sumus.

Flagrantibus inter ipsos Antitrinitarios dissensionibus, cum *Blandrata* animaduerteret sibi contradicentes, nec quod vnus omnium esset, qui auctoritate in Polonia valeret, de sede sua mutanda cogitauit; cui etiam commoda praesto erat occasio, cum 1563 a JOANNE SIGISMUNDO *Transyluaniae Principe*, ob eximiam in arte et praxi medica scientiam, vt valetudini suae praeesset, euocaretur; quod munus suscipiens in *Transyluaniam* concessit. Quamdiu in Polonia vixit, *Ecclesiarum minoris Poloniae Senior* exstitit; ita enim epistolam Ecclesiae Lublinensi scriptam d. 29 Septembr. 1561 quam *Mscptam acta synod.* 1561 seruarunt, subscripsit: *Frater Blandrata Doctor et Senior Ecclesiarum minoris Poloniae.* Ab hoc autem tempore *Jo. Sigismundi*, nec non *Stephani et Christophori*

ſtophori Bathoreorum, Tranſyluaniae Principum, immo et *Stephani* ad regnum Poloniae iam euecti, archiater, ac conſiliarius intimus ſalutabatur. *F. Socinus* in ep. qua ſecundam reſponſionem ad *Volanum* ei dicauit, eum appellat: *Stephani inuictiſſimi Regis Poloniae* etc. *archiatrum et conſiliarium intimum, Dominum ac patronum ſuum perpetua obſeruantia colendum.* etc. In eadem epiſtola *Blandratam*, qui multum apud Regem eiusque fratrem *Chriſtophorum*, et Filium *Sigiſmundum* Tranſyluaniae Principem pollebat, precibus efflagitauit, vt ipſius opera *in horum Principum notitiam adduci, locum ſuae doctrinae ac coetui facere, praeſidiumque aliquod tandem impetrare poſſet.* Quas *Blandrata* in Tranſyluania cum *Franciſco Dauidis*, quem ſecum traxerat, habuerit pugnas, qui ad *Iudaizantium* caſtra tranſiit, et negata Chriſti deitate inuocationis honorem ſimul eidem denegauit, et qua ratione acerrimum aduerſarii ſui Antagoniſtam, Faustum nempe Socinum ex Heluetia in Tranſyluaniam acceſſiuerit, in *Hiſt. Socin. Tranſylu.* enarrabimus.

Tandem lucri cupidine ductus, cum *Stephanum* Poloniae Regem animaduerteret, magis fauere Jeſuitis, quam Socinianis, in ſtudio ſuo horum commodis inſeruiendi frigeſcere coepit, quo mutato habitu maiorem Regis liberalitatem et optima munera lucraretur. *F.* proinde *Socinus* triſtes effudit querelas de ingratitudine illius erga Eccleſias vnitarias tandem demonſtrata, in libro aduerſus *Wueckum* C. XI. p. 33 ita inquiens: „Haud „paulo ante mortem ſuam, viuente adhuc Stephano Rege Poloniae, in illius gratiam, et quo illum erga ſe liberaliorem, (vt fecit) redderet, plurimum remiſiſſe de „ſtudio ſuo in Eccleſiis noſtris Tranſyluanicis noſtrisque hominibus iuuandis, immo eo tandem deueniſſe, vt „vix exiſtimaretur priorem, quam tantopere fouerat, de „Deo et Chriſto ſententiam retinere: ſed potius Jeſuitis, „qui in ea prouincia tunc temporis Stephani Regis et „eius

„eius fratris CHRISTOPHORI Principis, haud multo ante „vita functi, ope ac liberalitate non mediocriter florebant, „iam adhaerere, aut certe cum eis quodammodo collude„re. Illud certiſſimum eſt, eum eo tempore, quo li„beralitatem, quam ambiebat, Regis Stephani erga ſe eſt „expertus, coepiſſe quosdam ex noſtris hominibus, quos „cariſſimos prius habebat, et ſuis opibus iuuabat, ſper„nere ac deſerere, etiam contra promiſſa ac obligationem „ſuam, et tandem illos penitus deſeruiſſe, atque omni „verae et ſincerae pietatis ſtudio valedixiſſe, et ſolis pecu„niis congerendis intentum fuiſſe, quae fortaſſe iuſtiſſi„mo Dei iudicio, quod grauiſſimum exercere ſolet contra „tales deſertores, ei necem ab eo, quem ſuum haeredem „fecerat, conciliarunt."

Multas ipſi dedit *Galenus* et inſatiabilis auri fames, opes, quas aetate prouectior auidiſſime cumulauit; quamvis ipſe coelebs non habuerit prolem. Suum igitur ex fratre nepotem opum ſuarum conſtituit haeredem, a quo, opulentae haereditatis quam primum obtinendae cupido, in lecto iacens ſuffocatus dicitur. De obitu eius LEON. RUBENUS *de Idololatria*, L. II. C. II. has expoſuit circumſtantias: „*Blandrata quo cum ſano ante aedes eius fuiſſem, ſecunda nocte ſubito extinctus eſt, vtrum a Satana, an ab affine, toto, quo fui, in Tranſyluania tempore, ſub iudice lis fuit. Hoc certum, quod optimo, priusquam cubitum concederet, vino incaluerat.*" Hoc ſane plurium teſtimonio confirmatur, quod mane in lecto faucibus laqueo conſtrictis interſtinctus repertus fuerit. Errat proinde MAIMBURGIUS, qui ex *Reſcio* de *Atheiſmo euang.* refert, eum in rabie eſſe defunctum. Quo praeciſe anno mors eius contigerit, certo dici nequit. Eum adhuc a. 1585 ſuperſtitem fuiſſe, ſed 1592 iam ex vita diſceſſiſſe conſtat. Secundum quosdam anno 1586; ſecundum alios 1588 die 14 Maii exſpirauit. A vero igitur aberrant, qui eum a. 1606, vel a. 1611 obiiſſe narrant. Anno 1592 eum iam in viuis non fuiſſe ex *Antiwujecko Socini* diſcimus, qui

qui a. 1592 concinnatus. Ex mutata ipſius ſententia *Zeltnerus* l. c. p. 182. n. D. recte rationem petit, quare ne verbo quidem in tota *crypto-Socinismi Altorfini* hiſtoria atque confabulationibus ſodalium et ſtudioſorum, *Blandratae* mentio facta fuerit. Feliciſſimae praxis medicae fama, *Blandratae* nomen vbique celebrauit. Apud *Joannem Sigismundum* Tranſyluaniae Principem, ſemper aegrotantem et morbis conflictatum, *Stephanum*que Poloniae Regem ita ſe acceptum reddidit, vt medicis omnibus praeferretur. Fauſti ſucceſſus in curandis aegrotis ſingulare documentum Jo. Mich. Brutus, Regis Poloniae hiſtoricus ſeruauit in ep. ad *Jo. Cratonem a Crafftheim*, *Albae Juliae*, *Cal. April.* a. 1574 ſcripta, et huius epiſtolarum libris quinque, *Cracouiae* 1583. 8. editis, p. 109 inſerta, qua ſibi, iſto tempore lethali morbo decumbenti, auxilio adfuiſſe *Blandratam* praedicat.

Ad eius placita ſpeciatim quod attinet, non haec aeſtimanda ſunt ad fidei confeſſionem ſynodo exhibitam, hanc enim ſub bona ſpecie et ad auertendam malam famam inſinuauit. In genere myſterium Trinitatis plane negauit; in initio tamen adhuc dubius haeſiſſe videtur, ad quam ſeſe verteret partem. Adſpirauit autem primum Arianorum doctrinae a *Val. Gentili*, cuius intimus fuit, ſeductus, eiusque diſcipuli notante *Sandio* in *H. E. enucl.* p. 428 palam nomen et doctrinam *Arii* tuebantur. Verum non diu in his caſtris arma tulit; ſed *Samoſateni* dogmata amplectebatur, ad quae per *Franc. Dauidis* errores pertractum eſſe, teſtatur Beza ep. 81: *Incidit* Blandrata *in Tranſyluaniam rediens in quendam* Franc. Dauidis, *paulo magis quam ſuperiores illi, vt aiunt, prouidum, qui cum nimium craſſam eſſe, illam Tritheitarum blaſphemiam ſimpliciter propoſitam animaduertiſſet, maluit omnia inuoluere, permixtis omnium pene hac in re haereſium commentis, quam ſimpliciter ſuam ſententiam profiteri.* Sandius l. c. p. 428 inquit: Blandrata *poſtea in*

de-

deliria Sabelli et Samosateni incidit, teste ipso Valentino Gentile. Quantam in eum, antequam cum Jesuitis rem communem fecit, fiduciam collocauerit *F. Socinus*, qui ipsum validissimum *coetus sui fulcrum* iudicauit, ex huius ad illum epistola, quam allegauimus, in Epp. F. S. p. 690 patet. Nec dubitandum, quin *Blandrata* inter principes promotores sectae Vnitariorum in Polonia et Transylua-nia exstiterit; quod alio loco pluribus comprobaturi sumus.

Scripta eius in B. A. P. I. p. 56 recensita a nobis leguntur. Ad duplicem ea referri possunt classem; *alia* enim ipsi propria sunt, eumque auctorem agnoscunt, *alia eius* cura et auctoritate in Transyluania luci exposita sunt, ad quae tamen symbolum suum contulit. Male dicentissimum omnium in B. A. P. I. p. 58. N. 14. recensetur, cui manus admouerunt praecipue *Blandrata* et *Franciscus Dauidis.* Adscriptus est liber *Principi Joanni II. electo Regi Hungariae, Dalmatiae, Croatiae,* etc. per epistolam datam *Albae Juliae*, d. 7 *Aug.* 1567, de quo ita *Wigandus* in praef. operis de *Seruetianismo* p. a. 3. iudicat: „*In hunc librum Antitrinitarii quicquid errorum et blasphemiarum habent, in vnum quasi aceruum contulerunt, nec potui eum absque horrore ac dolore legere. Nam vidi homines istos in mentem reprobam prorsus traditos, subinde in impietatis gurgitem magis magisque sese immergere, et intellexi, ipsos tamen quosdam suorum deliramentorum applausores inuenire.*" Librum istum *Wigandus* ad examen vocauit, ita tamen, vt ad alia quoque Antitrinitariorum argumenta responderit. Huius consilii rationem p. 19 b. significat: *quia nimirum Antitrinitarii in libro illo communi, magno conatu et singulari studio, suas illas rationes et argumenta in vnum quasi aceruum conuexerunt — — — Nam in coeteris suis libellis tantum aliis verbis subinde eadem coccisant. Blandratae* in hoc volumine et aliis scriptis operam commodauit FRANCISCUS DAUIDIS, immo hunc maxima ex parte istorum fuisse compilatorem, ex

F. So-

F. Socini *fragmento* disputat. cum *Franc. Dauidis* de adoratione Christi p. 126 constat, sic enim hunc alloquitur: „Quanquam tu ipse in iis scriptis, quae hactenus communiter cum aliis edidisti, satis aperte aduersus Trinitarios „defenderis, Spiritum S. non esse personam."

Ex scriptorum istorum communi opera concinnatorum numero est: *Refut. scripti* Ge. Maioris etc. V. B. A. P. I. p. 61. N. 21. In eodem verba ex 1 Joh. II. *hic est Antichristus, qui negat Patrem et Filium; quisquis negat Filium, is nec Patrem quidem habet*, a *Ge. Maiore* exordio libri sui praeposita ita aduersus eundem his argumentis retorquentur. 1) „Quicunque nobis Deum trinum „et vnum, patriarchis, prophetis, et apostolis incogni- „tum, qui Christi Pater esse non possit, proponit, is nec „Filium habet etc. 2) Quicunque vnicum Christum in „persona, et duplicem naturis, alterum videlicet aeternum „absque matre, alterum in tempore absque patre, prae- „ter omnem scripturam, cum Anti-Christo docet, is nec „Filium nec Patrem habet. 3) Quicunque de Christo „doctrinam scholasticam, quae Anti-Christi est, sequi- „tur, is sophisticam et falsam de Dei Filio doctrinam ha- „bere cogitur; Atqui etc. 4) Quicunque seposita verbi „Dei puritate et simplicitate, patrum, conciliorum et sym- „bolorum, de Patre et Filio figmenta et varias opinio- „nes, sequitur, is solidam de Patre et Filio doctrinam „habere non potest. 5) Quicunque alium Dei Filium „praedicat, praeter illum, quem misit Pater, et quem „sanctificauit Pater, falsum Dei Filium, vel duos filios „inducere cogitur. Atqui etc." Vitio petitionis principii haec laborare argumenta, quisque videt; minorum praeterea propositionum probationes vel negliguntur plane, vel iterum petitione principii fulciuntur, et disputatores rei elenchum ignorant. Disputant de Deo confuso ac tripersonato, et orthodoxis affingunt, quod Deum ex essentia et tribus personis compositum: aut ex tribus

per-

perſonis in vnam eſſentiam conflatum credant. Hinc in fine epiſtolae dedicatoriae eosdem *Tritheitas* et *Athanaſium Tritheitarum anteſignanum* appellant. V. de *Blandrata*, *Lauterbach* l. c. p. 98 ſqq. *Salichius* l. c. L. VI. C. IV. T. II. p. 643 ſqq. et p. 847 ſeqq. *Hornbeeck* l. c. p. 25. 26. *Micraelius* l. c. p. 958. *Schmeitzelius* diſſ. *de ſtatu Eccl. Luth. in Tranſyluania* p. 55. *Paulus Debrezenius* in *hiſt. Eccl. Reform. in Hung.* p. 147 ſqq. *Bayle* l. c. T. I. f. 582 ſqq. *Du Pin* l. c. T. I. P. I. p. 338. *Lamy Hiſtoire du Socinianiſme* P. I. C. XIII. p. 46 ſqq. et P. II. C. XVI. p. 318 ſqq.

Inter eos, qui circa 1546 in agro *Veneto* conuentus de rebus ſacris inſtituerunt, Nicolaus Paruta natione Italus collocatur. *Parutarum* gens in Luccenſi republica, ob praeclara in patriam merita, inſignem gloriam obtinuit. *Paulus* circa annum 1317 patriae ſuae ob belli tempeſtatem, a Pontifice et Caeſare excitatam valedixit, ac *Venetias* habitationis ſuae locum elegit. Fuere *Paulo* tres filii, *Ambroſius*, *Joannes* et *Bartholomaeus*. *Bartholomaeo* autem nati ſunt ſeptem filii, ex quibus aliqui et litteris et munerum functione, clarum nomen conſequuti ſunt. V. *Niceronius* l. c. T. IX. p. 376 ſqq. et *Jo. Fabricius* l. c. P. V. p. 538. De *Nicolai Parutae* vita ac fatis ſcriptores, quos in conſilium vocaui, altum ſeruarunt ſilentium. Diuerſus ſane eſt a *Nicolao Paruta*, Patritio Veneto, ex legationibus dextre peractis celeberrimo, de quo Freherus in *theatro vir. erud.* f. 947. Noſtrum Antitrinitarium aliquot annos in *Morauia* commoratum eſſe, omnes, qui nominis ipſius mentionem fecerunt, ſignificant. Probabile eſt, ipſum eandem viam ingreſſum eſſe ex *Italia* in *Heluetiam*, et inde in *Poloniam* et *Morauiam*, quam reliqui, quos in ſcenam produximus, inceſſerunt, eumque tanquam priuatum vixiſſe, nec adeo diſſeminandis erroribus ſuis intentum fuiſſe, quo reliquos ſtudio incitatos vidimus. Si enim aliter cum ipſo res ſe haberet,

maior eius fama in libris et Actis Antitrinitariorum celebraretur. Propria *Parutae* placita, tacentibus de iis monumentis manuscriptis atque impressis indicari nequeunt. *Serueti* fautoribus adnumeratur; quod, cum de pluribus exsulibus Italis, collegiorum Vicentinorum sociis, dici debeat, de eodem quoque valere, veri haud absimile videtur.

Nec plura de Francisco Nigro dicenda suppetunt, quem istis Italorum collegiis de religione institutis interfuisse, *Lubieniecius* ac *Sandius* l. c. p. 19 referunt, quamuis in *B. A. Sandii* nulla eiusdem specialis mentio facta sit. Vocatur *Bassianus*, seu *Bassanensis*, alias *Louerio* ex *Valle Tellina* oriundus. Conuentibus Vicentinis vel omnino nunquam, vel saltim 1546 non interfuit. Iam enim circa annum 1543 *Clauennae* in *Raetia* cum *Stanckaro* commorabatur, et cum *Camillo* in controuersiis sacramentariis rem communem faciebat, plurimasque ibidem excitabat dissensiones. Studiosus exstitit *Stanckari* assecla, cum quo in articulo de Sacramentis, ab eodem persuasus, consensit. *De Porta* de eodem iudicat l. c. quod fuerit vir facilis, non satis constans et firmus; alias vir bonus. Qua ratione vna cum *Camillo* et *Vergerio* Ecclesiam *Clauennensem* per noxias quaestiones turbauerit, et ministris molestiam attulerit, *de Porta* prolixe narrat l. c. p. 91, qui quoque notauit eum apud Nobiles *Raetos* Paedagogum egisse. Quae posthac habuerit fata, et quae singularia in mysterio S. Trin. conceperit placita, ignorāmus; id saltem sciscitantibus nobis comperire contigit, eum cum aliis huius generis hominibus in *Morauia* vixisse, ibidemque cum Anabaptistis vel societatem iniisse, vel eandem ambiisse. Sine dubio idem est, qui hoc nomine in historia litteraria celebrem famam tulit, scriptisque *de situ et moribus Rhaetorum*, de regulis elegantiarum, nec non libello satyrico, cui titulum fecit: *Tragedia di libero arbitrio, di F. N. B.* aliisque pluribus inclaruit. V. *Schelhornius* l. c. T. II. p. 29.

Chorum

Chorum claudit eorum, qui collegiis iſtis Vicentinis interfuiſſe creduntur, *Marcellus Squarcialupus*, Plumbinenſis Italus, propter Religionis cauſſam ex patria profugus; de quo nihil fere noſſe datum eſt, praeter quod in B. A. P. II. p. 907. de eodem ſignificauimus. Cum a. 1570 per conuentum *Curienſem* in *Raetia* ab Euangelicis dogmata Ariana, Anabaptiſtica et alia quaecumque a cynoſura ſanae doctrinae aliena damnarentur, *Squarcialupus*, hoc tempore in regionibus Raeticis viuens, decretum hoc ſcripto memoriali iniuriae accuſauit, et, vt aboleretur volit, vna cum *Bartholomaeo* quodam *Syluio* et *Mino Celſo Senenſi*, nuper ex Italia adfuga. V. *de Porta* l. c. T. I. L. II. p. 502. *Tobias Eglinus* ad *Bullingerum* d. 18. *Febr.* 1572 ita ſcribit: *Plurii* nouus ſurrexit Academicus, nomine *Marc. Squarcialupus*, Medicus, homo doctus, qui prodigioſam iſtam quidquid ſentiendi impune ſententiam, non mediocribus viribus aſſerere, procul dubio conabitur. V. *Muſ. Heluet.* P. XVII. p. 137.

§. XIII.

Bernardum Ochinum Senenſem Italum haud pauci Antitrinitariorum numero eximendum iudicant, aliis contrarium ſtatuentibus; quem eadem opinione, qua reliquos in hoc fidei articulo aberraſſe a vero, ſolidis ducti argumentis arbitramur, quem quoque *Sandius* huic ordini accenſuit, ad cuius etiam conſenſum *F. Socinus*, aliique Antitrinitarii haud raro prouocarunt.

* * *

Multi hiſtoriae eccleſiaſticae Scriptores Bernardinum Ochinum, quem etiam *Occhinum* et Ocellum eſſe appellatum ſcimus, numero eorum, qui in primis fidei

christianae articulis de mysterio S. Trinitatis et Christi deitate a vero declinarunt, eximendum putant; sed instituta librorum ipsius lectione et vniuersa re accuratius considerata eidem inter Antitrinitarios recentiores competere locum, arbitramur. Numquam eum fuisse sodalem conuentuum Vicentinorum, quod *Sandius* ac *Lubieniecius* perhibent, si isti a. 1546. demum instructi fuerint, nec eundem excessisse Italia isto tempore, quo illi a Magistratu dispersi dicuntur, indubitatum est; cum iam circa annum 1542 *Italiae* valedixerit, ac *Geneuae* habitaculum suum fixerit. Dubie quoque Sandius in *app.* ad *nucl. H. E.* p. 90. hac de re loquitur: „An inter eosdem fuerit *Bernard. Occhi-* „*nus*, qui anno circiter 1546 in Italiae ditione Veneta „apud Vicentiam colloquia ac collegia frequentarunt, cer- „to assere non ausim."

Erat Ochinus conterraneus Laelii Socini, *Senensis Italus*, *Senam*, vrbem *Tusciae* fere principem et Academia inclutam, patriam nactus, quo loco a. 1487. natus; territorio enim Tigurensi a. 1563 eiectus, natum se dixit annos septuaginta sex. De ipsius parentibus non constat. Singulari quidem et ampla eruditione instructus non erat; vix enim linguae latinae gnarus et in theologicis mediocriter versatus: attamen naturae donis insigni copia exornatus, quibus id facile compensabat, quod in disciplinis studio acquisitis ipsi deerat. Praeclara enim intellectus ac ingenii vi praeditus, commendabilem mentis suae cogitata explicandi facilitatem ac dona praecipue paraenetica et homiletica habuit. Linguam vernaculam tanto ornatu ac habitu loquebatur, vt omnes auditores in stuporem raperet. Ordinem ingressus fratrum S. *Francisci*, de obseruantia nuncupatorum; cum vero adparere inciperent fratres *Capucini*, eorum visa viuendi austeritate, a. 1534. habitum assumsit, huiusque ordinis tandem *Generalis* exstitit. Ante hoc tempus eum studio medico operam suam nauasse, traditum est. Sunt quidam, qui eum

eum pro ordinis *Capucinorum* auctore habent, vel inter quatuor priores collocant, qui illi professionem dederunt. Cum vero ista Monachorum societas iam a. 1525 initium ceperit, et a. 1528. a P. R. *Clemente* VII. constitutione publica confirmata fuerit, *Ochinus* autem teste *Raemundo* in *hist. haer.* saec. XV. p. 231. a. 1534. demum in eundem fuerit receptus; a veritate declinat *Beza*, qui eum Capucinorum ordinis auctorem habet. V. *Memoire de Litterature de M. Salengre* T. I. p. 183. 184. *Spondanus* ad annum 1525. N. 27. testatur, plures trecentis huic ordini fuisse adscriptos, antequam *Ochinus* a. 1534. in eundem reciperetur. Testantur historiarum monumenta, vel *Matth. de Bassio* vel *Godofredum Varaglium Buscanum*, Pedemontanum, sodalitatis huius fuisse statorem, quae a longioribus Capuciis seu cuculis nomen est sortita. V. *Hottingerus* l. c. P. V. p. 505.

Quod Primario Praesuli Romano a sacris concionibus et confessionibus fuerit, quod plurimi credunt, quibusdam nondum persuasum est. Dubitat hac de re *Baylius* l. c. Adfirmat idem *Lubieniecius* l. c. p. 110. sed nullo assertum hoc testimonio comprobauit. Ordinis sui regulas omni rigore obseruauit, quapropter magnam sanctimoniae famam consequutus est. Ipse relictis iam Pontificiorum Sacris, non aegre tulit, fuisse aliquanto in papatu Monachum, quandoquidem scelera se non commisisse, quae fortassis patrasset, si extra Monachorum sodalitia vixisset, ipse confitebatur. Maxime per totam Italiam, ob insignem eloquentiam sacram, dicendi feruorem, probosque vitae mores aestimabatur, vt quoque concionatoris omnium praestantissimi gloriam tulerit, et non tantum apud plebem, sed apud Principes et Primates quoque magno in pretio fuerit. Testantur id *Capucinorum* annales, in quibus *Bzowius* ad annum 1542 de eodem inquit: „In tanta tum erat existimatione, vt vnus optimus „totius Italiae concionator haberetur, vt qui admirabili

„quadam cum actione, tum linguae facundia auditorum „animos, quocunque vellet, raperet, ac tanto magis, „quod vita doctrinae resonaret." Praeter excellentissima in arte homiletica dona eum non parum commendarunt habitus in prouectiori praesertim aetate, venerabilis adspectus, singularis viuendi ratio et nonnulla alia, quae auctor vitae *Commendonii*, Purpurati de eodem notauit. Hoc teste habuit barbam infra pectus vndulatam, canos capitis capillos, vultum pallidum, qui aduersae valetudinis speciem prae se ferebat. In itinere semper pedibus incedebat, nec vmquam equo vehens, aut curru insidens visus est, quamquam veteranus et corporis viribus destitutus. In Principum ac Nobilium palatia susceptus, ordinis sui paupertatem et austeritatem, absque vlla commodioris vitae cupidine obseruabat. In conuiuiis vno tantum, eoque vilissimo ferculo vescebatur, et vini potu modice vtebatur, ita vt eodem fere abstineret. Lectis commode paratis vti declinabat, terra cubandi ac acquiescendi locus ipsi erat, et pallio pro tegumento vtebatur. Vndique celebrata sanctimoniae ipsius fama vnicuique venerationem sui instillabat. Eum omnes Magnates ac Principes tanquam virum sanctum et a reliquis hominibus distinctum honorabant, accedenti obuiam ibant, eumque quibuscunque honoris ac gratiae documentis excipiebant, eodemque modo abeuntem comitabantur.

Fidem fere excedunt, quae de applausu, quem sermonibus sacris, praecipue iis, qui tempore quadragesimalis ieiuuii quotidie habentur, a scriptoribus narrantur. Moris erat in Italia, eloquentissimos ex aliis locis inuitare Oratores, qui in primariis celebriorum vrbium templis sermones istos haberent. Quaelibet igitur vrbs primaria desiderio flagrabat audiendi *Ochinum*. In hoc omnium de *Ochino* nanciscendo oppidorum certamine difficile singulis fuit eodem potiundi. *Veneti*, qui eiusdem a. 1538 tempore quadragesimali consequendi, magno tenebantur de-

desiderio, Purpuratum *Bembum* flagitarunt, vt in procurando ipsis *Ochino* omnem operam adhiberet, qui *Victoriam Columnam*, magni herois *Ferdinandi Dauali* viduam, quae apud *Ochinum* multum valebat, rogauit, vt hunc persuasionibus suis commoueret, anno sequente 1539 flagrantibus *Venetorum* satisfacere votis. His arbitris *Veneti* exspectationis suae compotes facti, eum praedicantem, tanto exceperunt suffragio, quanto ante hac neminem; quod *Bembus* d. 23. Febr., 15. Mart. et 4. Apr. a. 1539 per epistolas *Victoriae Columnae* significauit. V. *Schelhornius* l. c. T. III. p. 771 seqq. *Bouerius*, quamuis l. c. aduersus *Ochinum*, quem Apostatam appellat, multa turpia ac scelerata odio ductus perhibeat, eius tamen miranda in concionando, et commouendis adfectibus dona summis laudibus praedicat, maximique assensus, quem in se conuertit, dignus fide testis est. *Perusiae* cum circa annum 1540 sermonem sacrum haberet, omnes ciuium oppidi huius lites et inimicitias composuisse dicitur. Paulo post *Neapoli* tanto cum applausu, et in numerosissima auditorum panegyri, praedicauit, vt vnico Eleemosynae quaestu, quinque millia aureorum pondus impetrauerit.

Quamdiu in sermonibus aduersus pontificia sacra et Pontificum ac sacerdotum mores loqui abstinuit, tamdiu omnibus acceptus, imo Pontifici, Purpuratis, Episcopis, Praesulibus, magnisque Principibus, eruditis atque illiteratis, in magna dignitate constitutis aeque ac inferioribus, gratus fuit ac commendatus. Quirinius *Purpuratus*, in *Diatriba*, tomo III. epp. Reginaldi Poli praemissa p. LXXXVI. haec scribit: „Nemini mirus esse debet, tam a „*Contareno*, quam ab aliis doctissimis sapientissimisque „Romanae Ecclesiae Praesulibus magni habitam fuisse do„ctrinam, et pietatem *Vermilii* (Petri Martyris) et *Ochini*, „dum inter Catholicos degerent; eo siquidem tempore, „quam illi personam gererent, quam religiosam scilicet, „et sanctam, christianoque populo salutarem, luculenta

„eius aetatis nos edocent documenta. Luculentiſſimum „certe ſuppeditat Cardinalis *Theatini* epiſtola ad *Ochinum* „in hiſt. Cleric. Regul. ab *Joſepho Silos*, qui eandem ex „*Joanne Baptiſta Tuſo* exſcripſit, recitata. Inter cetera „his verbis eundem Cardinalis *Theatinus* compellat: Tu „ſignaculum ſimilitudinis, tu praeco Altiſſimi, tu tuba „longe lateque ſonans, tu plenus doctrina, tu decorus „ſcientia, tu Cherubin, eximius et protegens, tu in deli„ciis Paradiſi fuiſti; poſuit te Dominus in monte ſancto „ſuo, poſuit te in lucernam ſuper candelabrum, poſuit in „ſolem populorum, poſuit columnam in templo ſuo, po„ſuit te cuſtodem in vineis, poſuit te paſcere gregem po„puli ſui. Et infra: Adhuc in auribus noſtris reſonant „illae tuae luculentiſſimae conciones etc. Adhuc ante „oculos noſtros appares nudis pedibus etc. Vbi illae „tuae voces magnificae de mundi contemptu etc. Vbi „acerrimae illae tuae inuectiones contra bonorum cupidi„tates etc. Vbi tu ipſe, qui praedicabas, non furandum „etc. Vbi tu ipſe Magiſter etc. Quae omnia et de Euan„gelico *Ochini* feruore a Cardinale *Theatino* eleganter et „vehementiſſime (vt ſcilicet eumdem ad bonam frugem „reduceret) iuſte poſſent praedicari, promeruerunt mag„nopere vel illae conciones, quas Venetiis (1539) habuit „haud multo ante, quam Bononiam ad *Contarenum* adiret; „eaeque pariter promeruerunt, vt Ochinus Venetiis Ro„mam contendens, Veronae honorifice exciperetur a „ſanctiſſimo eius vrbis Epiſcopo *Matthaeo Giberto* etc."

Tantis ornatus donis, tantoque exceptus adplauſu, in generali capitulo, a. 1538. *Florentiae* habito, familiae Capucinae primarius Antiſtes et Director, qui vulgo *Generalis* dicitur, conſtitutus eſt. Anno 1541 circa feſtum Pentecoſtes *Capucini Neapoli* capitulum celebrabant, ad nouum ordinis ſui *Generalem* eligendum, quo officio adhuc *Ochinus* per triennium inſigni cum prudentia et omnium voto perfunctus erat. Sed ipſa haec digna mu-

neris

neris procuratio, et vniuerſalis omnium in eundem fauor, ordinis ſocios permouebant, vt eum in dignitate adhuc optime adminiſtrata ſingulari exemplo ipſoque *Ochino* renitente, tandem vero ordinis auctoritati cedente, confirmarent.

Hoc praeciſe tempore, immo iam antea meliora in religione edoctus videtur, cum *Neapoli*, (non *Venetiis*, quod quidam prodiderunt) conſortio *Joannis Valdeſii*, Hiſpani vteretur, quod *Bouerius* quoque l. c. ſignificat, qui *Ochino Valdeſium* diſceſſum a Romana Eccleſia perſuaſiſſe, illique quaedam *Lutheri* et *Buceri* ſcripta, nec non *Caluini inſtitutionem chriſtianae religionis* ad legendum exhibuiſſe, exponit. Idem teſtatur *Caracciolus* in *Collectaneis hiſtoricis de vita Pauli IV.* qui p. 240. *Jo. Valdeſio* propoſitum *Ochini* de relinquendis Pontificiorum ſacris tribuit, hocque expoſito ſequentia addit: „*Bernardinus* „(Ochinus) magni concionator nominis, oſtentatione „aſperrimi victus atque indumenti, egregiae ſanctitatis „famam ſibi conciliauerat. *Petrus* (Martyr) vero lingua„rum peritia excultus in Coenobio S. Petri, cui praeerat, „Epiſtolas Pauli Apoſtoli publice exponendo, ad ſenſum „haereticorum dextre peruertebat. Initium detegendae „impietatis a Noſtris (Theatinis) factum. Quippe *Caje*„*tanus*, perſpicaci vir ingenio, rem odorari coepit. „Aduertit enim dogmata, quae illi Satanicae Reipublicae „Triumuiri, de purgatorii poenis, de ſummi Pontificis „poteſtate, de libero hominum arbitrio, de reorum iu„ſtificatione, paſſim inſpergebant, ſapere nouitatem, te„merariam atque adeo deteſtabilem impietatem. Obſer„uaueratque, *Ochinum* ab vsque anno 1536 quo in aede „S. Joannis Maioris concionatus fuerat, ambiguis qui„busdam dilemmatis et obtrectatione in Eccleſiaſticos Ma„giſtratus coepiſſe auditores nequiſſimis perſuaſionibus „ineſcare. Hoc vero anno 1539 nempe paulo poſt quam „Noſtri Paulinam aedem adepti ſunt, is ipſe *Occhinus* ci„licino indumento et raucis declamationibus, hoc eſt, in-

„ſtrumentis ad concitandam multitudinem inſtructiſſimis, „e Metropolitani Templi pulpito multo liberius apertiusque Lutheriana ferebat dogmata. *Cajetanus* igitur, qui „ad hos audiendos obſeruandosque et ipſe ire, et alios „dedita opera mittere ſolitus erat, nihil iam cunctandum „ratus, Cardinalem *Theatinum*, qui tum Romae *Paulum* „III. P. M. ad inſtituendum in ea vrbe ſupremum Inquiſi„tionis Magiſtratum magis magisque ſollicitabat, de iis „rebus atque hominibus impiis certiorem fecit, at Nea„politanos interim ipſe monuit, vt porro ſibi cauerent. „Denique conatus eſt modis omnibus hypocritis illis lar„vam detrahere. Quocirca etſi illi ſub ouina pelle lupi „aliquot annos, cum magna *Campaniae* pernicie latitaue„runt; tamen aliquando tandem, creſcente nimirum in „dies nequitiae ſuſpicione, et patefactis promiſcuis et pu„dibundis virorum ac foeminarum coetibus, quos clan„culum cogebant, omnes, vt periculo praeuerterent, „quod ſibi ab vrbe imminebat, alius alio aufugerunt. „Ad fugae iſtorum nuntium Cardinalis *Theatinus*, miſſa „ad *Occhinum* e ſolis S. Scripturae verbis contexta epiſtola, „qua demulcendo, qua increpando, conatus eſt reducere „errantem ad Catholicas caulas. Sed fruſtra id fuit. Nam „ille paullo poſt, relicta Italia, Tigurum Heluetiorum vna „cum cacomartyre conuolauit."

In determinando tempore, quo *Ochinus* pro concione diſſentientem animum ſuum a Pontificiorum doctrina teſtatus fuerit, *Caracciolus* a vero ſine omni dubio aberrauit. Si enim illud a. 1539. iam accidiſſet, neutiquam eidem Capucinorum ordo a. 1541. in ſolemni Capitulo *Neapoli* habito, dignitatem *Generalis* prolongaſſet, ipſumque inuitum in eadem confirmaſſet. Nec illa animi mutatio in *Ochino* Cardinali, *Joanni Petro Caraffae* (qui ſub *Pauli IV.* nomine Pontifex factus) ignota fuiſſet, qui ipſe *Theatino ordini* adſcriptus, per *Cajetanum Thienaeum* de eadem admonitus, *Ochini* diſſenſum *Paulo III.* denuntiaſſet,

tiaſſet, qui electionem illius pro *Generali* ordinis Capucini non confirmaſſet, ſed potius eundem ad dicendam cauſſam Romam citaſſet. Si verum eſt, quod *Caracciolus* perhibet, *Ochinum* a. 1539. *Neapoli* ſermones pro concione habuiſſe, id ſaltem de tempore quadrageſimali eiusdem anni intelligi nequit, quo *Venetiis* extra omnem controverſiam, inſigni cum applauſu ſermonibus paſſionalibus vacauit. Ab omni proinde veritatis ſpecie alienum eſt, quod idem tradit, *Ochinum* iam a. 1539. Italiae valedixiſſe, qui potius teſte *Bouerio*, a. 1541. occaſione Capituli ordinis Capucini *Neapoli* inſtituti, per *Jo. Valdeſium* ad Euangelicorum partes ductus, a. 1542. relicta Italia non *Tigurum* (in quem locum *Pet. Martyr* conceſſit), quod iterum falſo tradit *Caracciolus*, ſed *Geneuam* ſe contulit, quemadmodum quoque *Caraffa* ad *Ochinum* epiſtolam illam non dedit, antequam hic Italia exceſſit; ſed poſtquam Italiae terminis ſemet iam eripuerit. Quod interim et *Neapoli* mutandae mentis ſuae conſilia pro concione haud obſcure teſtatus fuerit, imo puriorem doctrinam aliis quoque ibidem ſuaſerit, *Ferreras* teſtis eſt, in Hiſt. Hiſp. T. IX, p. 297.

Veneti, teſte Bouerio in *Annal. Capucin.* et ex his exponente *Schelhornio* l. c. anhelantes *Ochinum* praedicantem iterum tempore quadrageſimalis ieiunii audire, a. 1542. Pontificem magnopere rogarunt, vt illum Venetias concionabundum delegaret; qui petitis adnuens Cardinali *Rudolpho Pio Carpenſi*, ordinis p. t. Capucini Protectori mandauit, vt *Ochinum* ad habendum conciones quadrageſimales *Venetias* mitteret. Conceſſit itaque mandato accepto in hunc locum, ac in templo S. S. Apoſtolis ſacro, quod eo tempore primarium in oppido fuit, in maxima nobilium ac ciuium panegyri ſermones expetitos habuit, quibus nonnulla a Pontificiorum diſciplina diſcrepantia immiſcuit. Haec cum comperiſſet *Pontificis Nuntius*, *Ochinum* ad dicendam apologiam adcitauit. Is, cum ea, quae

quae pro concione Pontificiis ſacris aduerſa adhuc dixerat, circumſpecte et timore praemonitus aequiuoce expoſuerat, ſe coram Nuntio ita purgauit, vt ab eodem primum abſolueretur. Cum vero paulo poſt *Nuntius*, *Julium Mediolanum*, eundemque *Joannis Valdeſii* diſcipulum, ac *Ochini* intimum in carcerem duci iuſſerat, triſte hoc amici fatum, ita commouit *Ochinum*, vt aliquando adfectu concitatus ita libere ad *Venetos* loqueretur: „Quid conſilii „nobis relictum eſt o Domini! In quem finem tantas in „nos ſuſcipimus moleſtias ac aerumnas, ſi illi, o vrbs „praecellens! o maris Adriatici Regina! ſi illi, inquam, „qui tibi veritatem praedicant, in cuſtodiam traduntur, „in ergaſtulis occluduntur, ac catenis et compedibus con„ſtringuntur? Quis nobis ſuperſtes erit locus, quinam „liberior veritati relictus erit campus? Vtinam ingenue „et liberaliter veritas annunciari poſſit! Quot coeci, lu„men non adſpicientes ac in tenebris palpitantes illumi„narentur!"

His *Ochini* animaduerſionibus *Nuncius* ad iram prouocatus, illi ſermonibus habendis continuo interdixit, remque aulae Romanae ſignificauit. Sed *Veneti*, eloquentia *Ochini* capti patrocinio ſuo obtinuerunt, vt poſt triduum praedicandi vltro venia illi concederetur, qua accepta in reſiduis concionibus abſtinuit, quibus ſibi apud Nuntium, qui exploratores ſubornauerat, ſuſpicionem contrahere poſſit. Praecipue eundem et Nuntio et reliquis aulae Romane ſeruiliter addictis haereſeos ſuſpectum reddidit, orthodoxa articuli de *iuſtificatione* confeſſio, de qua ita *Aonius Palearius*, horum optime gnarus in *Actione in Pontifices Romanos et eorum aſſeclas* inquit: „Integerri„ma vita et admirabili vir *Bernardinus Ocellus* Senenſis, „cum ex lege non eſſe iuſtitiam, ſed per Jeſum Chriſtum, „ſuperioribus annis euangelice et Apoſtolice doceret, et „vos ob id ipſum Italia expuliſſetis, appellauit Pontifices „Romanos Antichriſtos." Imo, ipſe, ſuam de iuſtificatione

tione hominis peccatoris coram Deo, *deque fide iustificante*, confessionem, *quam tamen admodum obscure publice, priuatim vero multo clarius edixisse fatetur*, caussam conciliatae sibi persequutionis allegat in ep. ad Magistratum Senensem post excessum ex Italia scripta. Plura huius rei documenta allegauit *Schelhornius* l. c. p. 793 seqq.

Finitis apud Venetos quadragesimalibus, *Athesin (Veronam)* se contulit, in quem locum ordinis Capucini socios Sacro ministerio dicatos adcitauit, quo eosdem ad hoc officium debite institueret. In quem finem illis epistolas Paulinas exposuit, ac dogmata a disciplina Pontificiorum aliena instillauit. Et his ipsis lectionibus, et actione *Nuntii* sui ad rempubl. Venetorum, Pontifex olim *Ochino* admodum fauens, vt ipsi dignitatem Cardinalitiam destinasse crederetur, ad excandescentiam commotus, vt eum narrante haec *Bouerio* per Protectorem ordinis Capucini Romam adcitaret. Is iter hoc Romam ingrediebatur, in via autem *Bononiae* patronum suum *Casp. Contarenum* Cardinalem, haud ita pridem ex comitiis Ratisbonensibus, quibus Legatus Papalis interfuit, reducem, inuisit, quem morbo decumbentem inuenit, ex quo etiam paulo post diem obiit. *Contarenus Ochino* secreta cordis sui exposuit, quod ipse, quamuis fortiter in coeteris momentis restiterit Protestantibus, in hoc tamen, quod per Christum iustificemur, cum illis clam et in animo suo consentiret, narrante haec *Ochino* Tom. I. sermonum, N. X. Hoc loco *Romam* adeundi propositum mutauit, et *Florentiam* potius contendit, ibidem cum *Petro Martyre* colloquuturus, qui vna cum *Ochino* celerrimum cepit consilium, *Italia* excedere; quo statuto intra paucos dies *Ochinus* Geneuam, *Petrus Martyr* Tigurum fuga se recepit. Hoc consilium vt ille caperet, rumor maxime probabilis eum commouit, Romae mortis supplicium sibi iam esse praestitutum, et sex Cardinales ad sententiam de eo ferendam esse designatos. Quemadmodum quoque paulo post certior factus, satellites armatos die 22. Aug.

1542.

1542. *Sienam* et *Florentiam* ad eum capiendum fuisse missos, quorum vero manibus euasit. Exposita haec sunt ab ipso *Ochino* in ep. *Hieronymo Mutio Justinopolitano* Geneua 1543. d. 7. April. scripta, quae Tomo II. sermonum adtexta est.

Ex hac fide digna relatione limitanda paulisper sunt, quae a *Sandio* et *Lubieniecio* proferuntur, quod *Ochinus* praesente Papa Romae pro suggestu fastum, tyrannidem horrendaque scelera reprehenderit. Nec omnino fidem habere videtur, quae *Sandius* in *Adp.* ad *Nucl. H. E.* p. 90. narrat: eum pro concione sacra, quasi per prosopopoeiam, argumenta aduersus mysterium S. Trinitatis proposuisse, responsiones vero ad eadem in aliud tempus distulisse, caussando horam elapsam, simul vero ac coetus exiisset, equo ad fugam parato protinus conscenso Roma et Italia excessisse, sicque inquisitores illusisse. *Ochinum* enim in Italia adhuc verbum Dei praedicantem, dubiis aduersus mysterium S. Trinitatis iam constrictum fuisse, nullo testimonio confirmari potest. Multifariam ipse testatus est, nunquam ab ecclesia Romana se discessisse, si in eadem ipsi concessum fuerit Christum, quamuis sub velamine et occulto praedicare. Quidam scriptores Pontificii produnt, eum sua deseruisse, quod spe consequendi Cardinalitiam vel episcopalem dignitatem exciderit; verum hoc cum charactere *Ochini* conciliari nequit, et ex aliis rationibus fidem meretur nullam.

Quae *Florem. Raemundus* l. c. de *Ducissa Ferrariensi* Renata, quae Euangelicis saepius fauorem suum testata est, opem ferente, et alium amictum subministrante, in fugam se vertenti, vt incognitus iter faceret, narrat, figmenta non videntur, qualia alias plura auctor iste compilauit. *Geneuam* praecipue se contulisse videtur, quia in hunc locum plures iam ante eum conuenerant exsules Itali, quibus peculiari templo adhuc destitutis minister Ecclesiae priuatus praeesse, illisque lingua Italica Euangelium

gelium praedicare potuerit. Praeterea Reipublicae Geneuensis disciplina, ordo, constitutiones et leges, nec non cultus sacer ipsi accepta fuerunt, quam quoque hanc ob rem magnopere omnibus commendauit, T. I. *sermonum Ital.* N. X.

Maximam, viri per vniuersam Italiam celeberrimi et amantissimi e patria discessus, et ad Euangelicos transitus inter Pontificios conciuit admirationem et obturbationem. Infensissimus omnium a Pontificiis sacris dissentientium inimicus *Jo. Pet. Caraffa*, Purpuratus ad eum dedit epistolam, periculum facturus, an ad pristinum coetum reducere possit, huius tenoris: „*Quid tibi in mentem venit, o Bernardine? Quis te malus velut reprobum olim Israeliticum Regem arripuit spiritus? Pater mi, Pater mi, currus* ISRAEL *et auriga, quem paulo ante quasi in spiritu et virtute* ELIAE *ascendentem mirabamur in coelum, quid modo cum curribus et equis Pharaonis descendentem dolemus in infernum? quomodo cecidisti Lucifer; qui mane oriebaris? quomodo obscuratum est aurum, et mutatus est color optimus, argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mixtum est aqua.* etc. *Quid orbatum lugemus et sterilem, quem innumerabilium videbamus Patrem laetantem filiorum? Totus ad te confluebat Italicus populus, totus inter vbera tua morabatur, tu terram prodidisti, tu populum occidisti: O delire senex, quis te fascinauit, vt alterum tibi confingeres Christum, quem a catholica Ecclesia non didicisti?* etc. *Ah, quam magnus eras* BERNARDINE *in oculis omnium, —— Ah, quam pulcher eras et speciosus* etc. *Consartum illud sacrum tuum rude, rubentes pileos et Pontificum mitras superabat, nuditas tua purpurea pretiosaque operimenta vincebat, nobile illud stratum tuum in crate ac tabulis, mollissimis cubilibus deliciosius poterat aestimari, profunda illa tua et admiranda paupertas omnes terrae diuitias possidebat; exaltata erat in mundo, et vsque ad coelos gloria tua.* etc.

Circa idem tempus d. 20. Octob. a. 1542 Ochino epiſtolam Roma ſcriptam dedit Claudius Tolomeus, quam ex *Italico* in *latinum* tranſtulit Joach. Camerarius vna cum Ochini reſponſoria. Vtramque iterum excudi curauit Schelhornius l. c. T. III. p. 1005 ſeqq. Ita Claudii Tolomei ep. inchoat: „Reuerſo ſuperioribus „diebus ex villa Romam, noua quaedam mihi ſubito fue- „re nuntiata, quae non ſolum noua, ſed ſtulta, incredi- „bilia, formidoloſa viſa ſunt. Dictum enim eſt, te, ne- „ſcio quo peruerſo conſilio, tranſiuiſſe de exercitu Ca- „tholicorum in caſtra Lutheranorum, dando nomen ſe- „ctae illi haereticae et ſceleratae. Totus fui conſterna- „tus, et quemadmodum dici ſolet, crucem ante me de- „ſignaui. etc." Digna quoque lectu ſunt, quae de muta- tione *Ochini* eiusdem intimus ac venerator *Aonius Palea- rius*, in oratione pro ſe ipſo ad Patres conſcriptos Reip. Senenſis eloquutus eſt, expoſita a *Schelhornio* l. c. p. 987. Idem circa finem epiſtolae *Jo. Caluino* ſcriptae inquit: „*Commendo tibi conſeruum noſtrum* Bernhardinum Ochi- num, *quibuscunque eum rebus iuueris, Chriſtum iuueris.*"

Maxime omnium ordinis Capucini fratres hoc *Ochi- ni* diſceſſu ſummo moerore adfecti ſunt, quod abundan- ter *Bouerius* l. c. teſtatur, qui ſemet lachrymis temperare non potuit, cum illud p. 441 ſeqq. narraret. Per to- tum ordinem, inprimis vero in *Venetorum* ditione rigo- roſum inſtituebatur examen eorum, qui *Ochini* perſuaſio- nibus aures ac animum praebuerunt, quo facto alii qui- dem in fugam ſe dederunt, alii ſuſcepta ab eodem dogma- ta recantarunt. Pontifex Romanus adeo ira accenſus fuit hac apoſtaſia, vt ſibi propoſuerit vniuerſum *Capucinorum* ordinem abrogare, a quo tamen propoſito aliorum ro- gatu deſtitit.

Ochinus *Geneuae* ſecuritatem nactus, ſuum ad Euan- gelicos tranſitum tribus epiſtolis, vna *Senenſi Magiſtratui*, altera *Claudio Tolomeo*, populari ſuo, (Schelhornius l. c.

p. 1145.

p. 1145 ſeqq.) tertia, *Hieron. Mutio Juſtinopolitano* ſcriptis, lucique publicae expoſitis defendit, ac aduerſus Papam et coetum Pontificium libere teſtatus eſt. Hoc loco etiam a. 1543 et 44 quasdam ſermonum ſacrorum Italicorum collectiones prelo commiſit, quibus abſens Italis popularibus inſeruire ſtuduit. *Geneuae* CALUINUM habuit ſibi fauore adſpirantem, qui a. 1543 d. 14 *Febr.* haec MELANTHONI ſcripſit: „*Habemus hic* BERNARDINUM *Senenſem, magnum et praeclarum virum, qui ſuo diſceſſu non parum Italiam commouit. Is, vt vobis ſuo nomine ſalutem adſcriberem, petiit.*" V. *Syllog. Epp. Burmannianam* T. II. p. 230. Abſentem poſt aliquot annos a *Geneua*, *Caluinus* adhuc magni aeſtimauit, eumque a. 1551 laudabili decorauit teſtimonio, in libro ſuo de ſcandalis. Quod ex Italia meretricem ſecum duxerit, et cum hac aliorum veſtimenta *Geneuae* lauerit, quo ſe ſuſtentaret, Pontificiorum male animatorum nugae ſunt, quae vel ex ſolis *Caluini* verbis calumniarum arguuntur. Secum vero eum duxiſſe ex Italia affinem ſuum et ſororem, quos etiam a. 1545 comites habuit *Auguſtam* ſe recipiens, certis documentis comprobatum eſt. Nugis quoque accenſendum, quod *Varillaſius* et *Spondanus* produnt, eum a *Calvino* Geneua fuiſſe expulſum.

A. 1545 *Geneua Baſileam* ſe contulit ad *Sebaſt. Caſtalionem*; inde vero eodem anno *Auguſtam Vindel.* vocatus eſt, quo loco in templo *S. Annae* ſacro, Italicos habuit ſermones, quadrimeſtri ſtipendio 50 floren. Argumentum concionum, ad quas audiendas Paſtores Auguſtani populum hortabantur, petiit ex epiſtolis Paulinis, magnumque facundia ſua apud omnes linguae Italicae gnaros, praecipue mercatores conſequutus eſt adplauſum. V. *Mart. Cruſius* in *Annal. Sueuic.* T. II. p. 656. Hoc loco PHIL. VLHARTUS *Ochini* explicationem epiſtolae *Pauli* ad *Rom.* a. 1546 et eodem anno VAL. OTHMARUS eiusdem ſermones in epiſtolam *Pauli* ad *Galatas*, vtrumque

in Germanicam linguam translata, typis exſcribi curarunt. Alia quoque duo ſcripta ibidem in lucem emiſit. Eodem tempore Joannes Diazio, *Hiſpanus*, vir pius, paucis diebus antequam a fratre ſuo *Neoburgi* ad *Danubium* horrendum in modum d. 27 Martii interficeretur, litteras dedit ad *Ochinum* Neoburgo d. 22 Martii ſcriptas, quas memoria dignas, *Hottingerus* inſeruit H. E. N. T. Tom. IX. ſaec. XVI. P. V. p. 282.

Rerum iſto tempore geſtarum ratio eum coegit a. 1547 *Auguſtae* valedicere, quo loco exoptatiſſimum adhuc habuerat hoſpitium. Cum enim Imperator eodem anno d. 23 Jul. numeroſo exercitu ad oppidum accederet, *Ochinus* paulo ante *Baſileam* conceſſit. Narrante *Hottingero* in *hiſt. Heluet.* T. III. p. 776 Imperator ab Auguſtanis *Ochinum* voluit ſibi tradi, qui vero iam *Conſtantiam*, et per *Tigurum*, *Baſileam* fuga ſe receperat. *Baſilea* a. 1547 *Argentoratum* demigrauit, vnde eum pariter ac *Petrum Martyrem*, Florentinum, Theologiae Profeſſorem Argentoratenſem, *Thom. Cranmerus*, Archiepiſcopus Cantabrigienſis in Angliam euocauit, vt alter *Oxoniae* ſacras litteras interpretaretur, alter coetum doceret. V. *Sleidanus* L. XIX. In regionem hanc tranſmarinam m. Sept. profectus videtur; *Coelius* enim *Sec. Curio*, in ep. ad Jo. Kekum, *Londinum* d. 7. Sept. 1547 ſcribit: „Reliqua, quae breuitas litterarum non fert, a „ſapientiſſimo ſene *Bernardino Ocello* cognoſces." In pluribus praeterea *Coelii epiſtolis*, quae operibus *Olympiae Fuluiae Moratae* attextae ſunt, *Ochini* cum laude fit mentio. Nullum eſt dubium, quin in hac feliciſſima pro veritate coeleſti in *Anglia* cataſtrophe, ſceptrum tenente *Eduardo* VI. Rege, *Londini* Italis Euangelium praedicaverit, teſtante id Nicolao Sandero de *origine ac progreſſu ſchiſmatis Anglicani*, qui liber *Oliuae* prope *Gedanum*, in coenobio ob pacis inſtrumentum notiſſimo, lucem vidit a. 1690. 8. p. 349. V. *Simleri* oratio de *vita*

et

et *obitu Pet. Martyris*, p. 13. Quod ibidem *Elisabethae*, *Angliae* deinceps *Reginae* gratia vſus fuerit, ex dedicatione, qua illi *Labyrinthos* ita dictos voluit ſacratos, colligitur. Reliquum vitae ſuae tempus in Anglia tranſegiſſet, niſi inopinatus EDUARDI *Regis* obitus, et hunc inſequuta triſtiſſima Euangelicis ſub *Maria* Regina mutatio, quae *Ochino*, pontificiis admodum exoſo, crudeliſſima fata minabatur, et eum et alios compulerit a. 1553 ex regno hoc diſcedere. De mutata hac in Anglia religionis forma, et duriſſima perſequutione eorum, qui aduerſus doctrinam pontificiam teſtati ſunt, etiam poſt mortem, digna omni memoria leguntur in libro, cui titulus eſt: *Hiſtoria vera de vita, obitu et ſepultura, accuſatione haereſeos, condemnatione, exhumatione, combuſtione, honorificaque tandem reſtitutione beatorum atque doctiſſ. Theologorum, D. Mart. Buceri et Pauli Fagii, quae intra annos XII. in Angliae regno accidit. Item hiſtoria Catharinae Vermiliae, D. Petr. Martyris Vermilii* caſtiſſ. atque piiſſimae *coniugis, exhumatae, eiusdemque ad honeſtam ſepulturam reſtitutae. Cum orationibus, concionibus, Epitaphiis variisque Encomiaſticis carminibus lectu digniſſimis. Omnia pauciſſimis hactenus viſa*, 1562. 8. Alph. 1. pl. 4. In fine legitur: *Excuſum Argentiae, apud Paulum Machaeropoeum*, ſumptibusque *Joannis Oporini*. A. MDLXI.

Ex Anglia *Ochinus* ſe primum contulit *Argentoratum*, inde autem *Geneuam*, in quem locum d. 28 *Oct.* a. 1553 appulit, adeoque poſtridie ſumti de *Seructo* atrociſſimi ſupplicii, id quod ſcripto: *Contra libellum* CALVINI, *in quo oſtendere conatur, Haereticos iure gladii coercendos eſſe*, p. A. VI. narratur his verbis: „BERN. OCHI„NUS redux ab Anglia Geneuam peruenit poſtridie, quam „SERUETUS combuſtus eſt: ad eum venit quidam, qui ei „mortem SERUETI narrauit. BERNARDINUS vero ita lo„quutus eſt, vt appareret, ei non probari factum, quae „res eum reddidit inuiſum." Hoc ipſum fortaſſis triſte

Serueti fatum eum admonuit, post aliquod tempus *Geneua Basileam* contendere, quo loco veterani quidam eiusdem amici adhuc superstites erant, ipse vero vitam editis ibidem scriptis nonnullis sustentare potuit. *Olympia* quidem *Fuluia Morata* in ep. *Victoriae Moratae* sorori scripta, d. 6 Id. Aug. a. 1555 in Opp. illius *Basil.* 1562 p. 198 inquit: „Audio *Bernardinum Ocelium Senensem*, „virum *sincere Christianum*, *Geneuam profugisse.*" Non vero loquitur de eo, quod proximo tempore accidit, sed de reditu *Ochini* ex *Anglia*, qui iam anno 1553 contigerat. Hinc quoque eadem in ep. a. 1555, nonis *Jul.* ad *Coel. Sec. Cur. Basileam* data, hunc iubet *Ochino* salutem dicere, qui in responsoriis ad *Fuluiam*, *Basil.* 7 Cal. Sept. 1555 scriptis, id se fecisse narrat, l. c. p. 186. *Geneuae* a. 1553 vxorem duxit, obscuri, vt coniicimus, nominis, opibusque destitutam, quae perhibente id *Raemundo* seruilibus et abiectis ministeriis vitam misere duxit, et vulgo dicta est *Madame d' Ochina la lingiere.* Si huic scriptori fides habenda, ipse *Ochinus* adeo paupertatis amans fuit, vt diuitias partem diaboli esse dixerit, nec Christi ciui fas esse proprium quid habere praeter coniugem.

Basilea a. 1555 *Tigurum* euocatus est, ibidemque *Locarnensi* coetui Italico, cuius etiam membrum fuerat *Petrus Martyr*, Minister praefectus, facta ab eodem antea fidei suae confessione, et praestito iuramento, quo obseruaturum ritualia ecclesiastica et synodi decretis obedientiam praestiturum, fidem fecit. Praefectura *Locarnensis* vna ex IV. praefecturis est, quas dux Mediolanensis *Maximilianus Sforzia* a. 1513 pagis helueticis, pro praestito sibi in bellicis turbis auxilio cessit. In hoc *Locarnensi* agro iam a. 1531 Monachus Carmelitanus, cui nomen *Balthas. Fontana* Euangelium ab inquinamentis purgatum praedicauit. Hunc eodem loco alius veritatis Euangelicae testis excepit *Jo. Baccaria* a. 1536, qui inter plures calamitates ex Euangelii professione sibi contractas

purio-

puriorem doctrinam feminauit, ac propterea *Locarnensium Apostolus* dictus est. Tandem praefecturae huius confeffores Euangelici 210 partim nobiles, partim inferioris conditionis ciues, circa initium anni 1555 ad emigrandum inde coacti, maxima ex parte *Tigurum* fe contulerunt, quibus linguae teutonicae infciis Magiftratus Tigurinus *Beccariam* primum Miniftrum praefecit, deinde vero ad exfulum eorum preces *Ochinum*, qui 1555 d. 13 Jun. ad hoc officium inauguratus eft. V. Hottingeri *H. E. heluetica* T. III. p. 559. 762. 786. 818 feqq. Specialiora coetus huius fata *Simon Sulzerus*, Theologus Bafileenfis expofuit, in ep. *Joanni Marbachio*, Argentoratenfi fcripta a. 1555 d. 25 Febr. quam *Schelhornius* inferuit l. c. Tom. III. p. 1163 feqq. Errauit igitur *de Porta*, qui l. c. prodit, *Ochinum* iam a. 1553 *Tiguri* Locarnenfibus a facris fuiffe. Coetui huic, quem etiam catechetico libro typis exfcripto erudiuit, *Ochinus* laudabili dexteritate praefuit, fimulque vita pia ac modefta praeluxit, vfque dum *Tiguro*, vbi familiariffime vfus eft *Bullingero*, excedere coactus eft. Ad hoc temporis punctum ibidem magna in exiftimatione erat, quod variis euinci poteft documentis, inprimis eo quoque nomine, quod ad ardua Collegii Ecclefiaftici Tigurini confilia aliquando inuitatus fuerit. Tandem maximum fibi contraxit Magiftratus et Minifterii huius loci odium, promeritamque, quamuis iufto feueriorem, vt arbitramur, poenam, qua munere ecclefiaftico exutus, *Tiguro* grandaeuus annum vitae feptuagefimum fextum agens, pulfus, cum quatuor liberis, hiemali tempeftate, *Bafileam* exful miferrimo habitu tetigit, quo ipfo loco iterum egredi iuffus, in *Poloniam* fub initium anni 1564 venit, ac inde in *Morauiam* feceffit. Hanc fibi miferiam Dialogis XXX *Bafileae* 1563 prelo exemtis aliisque iam antea fparfis heterodoxiae fementis conciliauit. Praecipue ex Dialogo XXI, quo Polygamiae defenforem egit, actio aduerfus eum eft inftituta, quae intra paucos dies tanto feruore agitata eft, vt

Magiſtratus Tigurinus eidem exſilii ſententiam dictaret. *Ochinus* paulo poſt apologiam cauſſae ſuae concinnauit, cui Miniſtri Tigurini oppoſuerunt ſcriptum hoc titulo: *Spongia aduerſus aſpergines* Bernardini Ochini, *qua verae cauſſae exponuntur, ob quas ille ab vrbe Tigurina fuit relegatus;* quod inſertum eſt *Hottingeri* H. E. N. T. T. IX. p. 475 ſeqq.

Obiectum ſibi crimen, quo ſine praeuia cenſura Tigurina Dialogos in lucem emiſerit, quod omnium non minimum erat, in apologia ita diluere ſtudet, Deum teſtans, ignotum ſibi prorſus fuiſſe, quod ſcriptum alio loco committendum prelo, *Tiguri* etiam cenſurae ſubiiciendum fuerit. Legem enim Typographis Tigurinis latam eſſe, ne quid ſine cenſura typis exſcriberent. Librum vero ſuum Baſileenſi prelo eſſe mandatum, ibidemque cenſuram nactum eſſe. Quod vltimo loco perhibet, ab aduerſariis eius negatur. Vera autem dixiſſe illum, librumque *Baſileae* cenſurae fuiſſe exhibitum, *Schelhornius* l. c. p. 1185 ex ep. quadam *D. Wolfgangi Weiſſenburgii*, *Bullingero* ſcripta, quam etiam *Hottingerus* l. c. p. 872 inſeruit, colligi poſſe arbitratur. Ex eadem omnino patet, librum hunc a typographo Baſileenſi Rectori Academiae p. t. *Baſilio Amersbachio*, et quidem italice ſcriptum, fuiſſe traditum, qui linguae Italicae ignarus illum iudicio *Coelii Secundi Curionis*, Itali commiſit, qui vero typographo Mſctum reddidit, idque publica luce non indignum iudicauit. Cenſura vero hac obtenta Typographus non italicum, ſed latinum exemplar prelo ſubiecit. Accedit, quod nulla Typographo *Petro Pernae* mulcta fuerit impoſita, vel alia poena, qui impunitus non euaſiſſet, ſi librum prohibente lege abſque cenſura prelo ſubieciſſet. Magiſtratus Tigurinus de Dialogorum publicatione per litteras certior factus, *Bullingero*, *Gualtero* et *Wolffio*, operis huius examen commendauit; qui cum haud pauca animaduerterent, fidei orthodoxae aduerſa,

verſa, alia autem ambigue expoſita, inprimis Antitrinitariorum obiectiones non ſolutas ac euerſas, et Polygamiam defenſam, haec Magiſtratui nunciarunt. Is rebus omnibus ponderatis, praecipue quod liber in publicum absque legitima Tigurinorum cenſura editus, quibus ex legibus reipublicae competebat, de libris imprimendis et *Tiguri* concinnatis iudicare, ſequentem tulit ſententiam: „*Quoniam* OCHINUS *contra leges et edicta Magiſtratuum, librum publicaſſet, quem ſatius erat ſupprimi, et cuius nomine Eccleſia et reſpublica male audit, ideo ſe velle et iubere, vt quam primum ex vrbe et agro Tigurino excederet.*"

Referunt quidam, et inter hos *Melch. Adamus* l. c. in vita *Bullingeri* p. 497, quod ante publicatam ſententiam *Ochinus* nomine Senatus a *Miniſtris* monitus fuerit, alio ſcripto Eccleſiae ſcandalo mederi, maculamque eluere; cum vero id ſe praeſtiturum recuſaret, exſilii ſententiam ipſi latam demum eſſe. Petiiſſe eundem, antequam diſcederet, a *Bullingero* commendatitias, ab hoc vero negatas, etſi ob ſenectam et liberos eius doluerit, *Bullingerus* ipſe prodit, qui totum negotium in praefat. ad Libb. *Joſ. Simleri* ita exponit: „*Habitaſſe illum aliquot annos apud nos Tiguri, poſteaquam rediiſſet ex Anglia, Eccleſiarum Doctorumque praecellentium teſtimonio ornatus: ac toto illo tempore, quo apud nos vixit, concordiam in doctrina et ritibus palam cum omnibus Tigurinae Eccleſiae miniſtris profeſſum, et profeſſionem illam ſuam iureiurando interpoſito publice atteſtatum eſſe: tandem vero clancularia adiutum Italorum quorundam, quemadmodum et ipſe Italus erat, opera, ſuos illos lingua Italica ſcripſiſſe Dialogos, quos conuerſos in linguam latinam opera Italorum, vt aiunt, quorundam, inſciis Tigurinae Eccleſiae miniſtris, Baſileae per Italum quendam, ipſi admodum familiarem et amicum, excudi curauit. Quod, quamprimum hic innotuiſſet, admonitus eſt eius rei ampliſſ. Baſileenſ. Reipubl. Magiſtratus. Is protinus cum Typographo expoſtulauit,*

et ne vlla amplius Dialogorum exemplaria distraherentur, mandauit. Quae alibi quoque, loco admodum celebri, igne sunt concremata. Expostulatum est Tiguri quoque a pastoribus ecclesiae cum Ochino authore, et aliquot errores ei sunt indicati; oblata est item collatio, totumque negotium ad ampliss. Tigurinae Reipubl. Senatum est relatum. Coeterum cum ille, quo se legitime et honeste excusaret, non haberet, neque de iis, quae vulgarat, disputare vellet, dimissus a Senatu, ac solum vertere, cum omni sua familia iussus est. Hinc vero eiectus recta in Poloniam ad suae farinae homines se recepit, quos ille sciebat, non esse nobis amicos aut socios, sed hostes infensissimos. Cum his vero vlulare lupus cum lupis incipiens, ingratissimum se Deo inprimis, deinde nobis quoque benefactoribus suis, exhibuit. Quod ideo in praesentiarum commemoraui, — — — vt omnes intelligant, etsi Ochinus *aliquando et aliquamdiu inter nos habitauerit, nobis tamen cum ipso et cum Dialogis eius execrabilibus, nihil esse commune, quodque ille sponte sua, nulla legitima de caussa a nobis defecerit, et ex amico inimicus, et ex praecone veritatis sincerae profanarum haeresium errorumque multorum subdolus adeoque academicus assertor et doctor factus sit."*

Tiguro quod diximus *Basileam* concessit, ibique ministros Ecclesiae et professores, vt pro obtinendo securo domicilio precarentur Magistratum, supplex orauit; sed nihil et ne commorandi quidem cum liberis suis per hiemem veniam impetrauit; hinc intra breue tempus egressus *Mühlhusium* se contulit. Erat tum temporis, narrante *Sandio* ex *Petri Pernae* ep. ad *Czechouicium*, asperrima hiems viis omnibus niue et glacie impeditis, cum senex a Tigurinis expelleretur. Male quoque sensit Andr. Dudithius *Tigurinorum* seueritatem, in ep. ad *Bezam* data. V. *Bezae* opera T. III. ep. 1. p. 390. *Dudithii* grauaminibus non satisfecisse *Bezam*, conciuesque suos male defendisse, nec melius defendere potuisse, recte *Baylius* l. c. ob-

obſeruat. Plures praeterea ob hanc *Ochini* Tiguro eiectionem, graues mouerunt querelas, quibus Tigurini reſponderunt, in tractatu paullo ante allegato: V. *Hottingerus* l. c. T. IX. p. 493 ſqq. *Mühlhuſae* eum *Bullingerus* epiſtolis ſuis inſectatus dicitur, quod tamen documento vel teſtimonio euictum non reperimus; interea paullo poſt etiam huic loco valedixit et in *Poloniam* contendit. In hoc enim regno Antitrinitarios vel horum fautores ipſum vt fratrem excepturos, omnemque opem in exſilio laturos, ſpem certam concipere potuit, quemadmodum quoque ibidem ſibi quosdam per epiſtolas conciliauerat Patronos, quod ex recenſione Scriptorum *Ochini* patebit. *Tiguro* excedens incertusque, quo ſibi eundum, cum occurreret *Schafhuſiae Lotharingio Cardinali*, paratum huic animum obtuliſſe fertur, multos Euangelicorum, inprimis reformatorum, errores detegere, ſi hoc modo Purpurati fauorem ſibi conciliaret: qui eum indignabundus repudiauerit; referente id Beza ep. ad *Dudithium* a. 1564. Sed an vera haec ſint, dubitamus, cum *Jacobo Rugero* ea ſollicite ſciſcitanti non innotuerint, teſtante eius epiſtola ad *Bullingerum*, Schaffhuſiae, d. 5 idib. Jan. a. 1564 ſcripta, in *Fueslini* Epp. Cent. I. n. XCVI. p. 463. Beza populares ſuos a criminatione iniuriarum *Ochino* illatarum defendens, omnia corraſit, ex parte vera, partim quoque quae vagus fallaxque rumor ſparſerat. Ita enim in *Epp. Theol. Geneu.* 1573. 8. p. 10 inquit: „*Ochinum* „praeterea narras indicta cauſſa, hyeme acri, decurſa iam „aetate, ſenem cum vxore et liberis, Tiguro eiectum. „Deus bone, quae eſt iſtiusmodi calumniatorum audacia, „qui haec tibi inſuſurrarunt? Sceleratus hypocrita, Arianorum clandeſtinus fautor, Polygamiae defenſor, omni„vm chriſtianae religionis dogmatum irriſor, quum eo „tandem audaciae erupiſſet, vt ſua portenta in publicum „ederet, (iuſto ſane Dei iudicio, ne latere diutius tantum „malum poſſet) delatus ad Magiſtratum, pro eo, quod „ſeueram poenam pro tantis ſceleribus merebatur, non

„ſane indicta cauſſa, (quod, qui dicunt, magnam iuſto et „pio magiſtratui iniuriam faciunt) ſed non ad viuum re- „ſectis omnibus, vt cum illo quam clementiſſime agere- „tur, iuſſus eſt e Tigurinorum agro faceſſere. Magnam „certe crudelitatem. At ſenex erat: tanto nocentior ve- „terator. At hyems erat: nempe longa fuit non vnius „integri diei via. At vxorem et liberos habebat: de vxo- „re falſum eſt, quod ex bono *Alciato*, ſiue quouis alio „cognouiſti. Fregerat enim collum horrendo Dei iudi- „cio domi impium ſenem perſequente, priusquam foras „productum eſſet ipſius ſcelus. Baſilcam igitur venit, „vbi quum itidem ſuos errores damnatos videret, tandem „ad ſuos ſiue Tritheitas, ſiue Arianos, ſiue Samoſatenia- „nos ſe contulit. Vix Baſilea egreſſo (quod narro, ſcito, „me non vt rumorem incertum, ſed vt certam hiſtoriam „narrare) occurrit Lotharingus Cardinalis ex Italia re- „diens, cui ſeſe operamque ſuam omnem obtulit, polli- „citus ſeſe centum errores iſtorum, inter quos tamdiu „haeſiſſet haereticorum, demonſtraturum. Spreuit homi- „nem toties Apoſtatam Cardinalis. *Ochinus* vero ab „ipſis etiam Papiſtis repudiatus, familia non mediocri „ſumptu circumducta, tandem obiit, tam inops et egens „ſcilicet, cui nec petere nec accipere vnquam religio fue- „rat, vt plus ſane reliquerit haeredibus, quam bona col- „legii noſtri pars poſſideat."

Nemo ſibi perſuadebit, Cardinalem deſideratiſſimam reducendi *Ochinum* ad pontificios occaſionem adeo frigide neglexiſſe. Fabuloſa autem eſſe, haec a *Beza* narrata, *Jacobi Rugeri* ad *Bullingerum* epiſtola allegata, ſatis euincit. Ita autem l. c.: „De Colloquio Cardinalis et Bern- „hardini nihil plane intelligere potui. Cardinalis hic „celeriter tranſiit per vrbem circa dimidiam tertiam 17 „Dec. cum quatuordecim equitibus, qui omnes cum ipſo „erant obducti albis palliis. — — — Percontatus ſum „per alios ab hoſpite, annon canus aliquis cum Cardinale „con-

„contulerit, vel an talis, vel talis eadem nocte secum pernoctarit: Aiebat se talia non obseruasse. — — — Hic „omnes paene hospites quaesiti sunt celebriores de huiusmodi hospite, sed nemo quidquam recitare potuit. „Itaque nescio, an hac per Schaffhusiam ad Rhetos iter „fecerit *Ochinus*, et an cum Cardinale contulerit."

Polonia diuturnam exsuli mansionem non praebuit, cum ipso tempore, quo in hoc regnum aduenerit, consilia de expellendis eodem peregrinis, haeresium semina spargentibus, caperentur. Maxime autem *Ochino* Pontificis ira extimescenda erat, quem non tantum fuga et Apostasia, sed quoque Apologia, variis criminationibus aduersus Ecclesiam *Romanam* plena, exacerbauerat. Exsilium igitur eius ipsum adeo Praesulem Romanum attentum reddidit, ad prosequendum fulmine suo, quem Helvetia terminis suis expulerat, quemque in Poloniam iter suum tendisse compererat. Dedit in hac caussa Cardinalis CAR. BORROMAEUS litteras ad *Cardin.* HOSIUM d. 5 Febr. a. 1564, quas *E. S. Cyprianus* in *Tabul. Eccl. Rom.* saec. XVI. p. 347 seruauit. In his ille inquit: „*Nuntium ex Heluetia accepimus, quod Tigurini, et post hos Basileenses pestiferum fidei abnegatorem* BERNH. OCHINUM, *Senensem expulerint, qui in his terris lolium, vt ipse optime scis, disseminauit, idque eam ob rationem, quia libros quosdam imprimi curauit, qui adeo haereticis nauseam procreant. Idem nuntium significat, hunc nebulonem sibi proposuisse in quendam regni Poloniae locum secedere, hinc Pontifex commodum iudicat, vt Regiam Maiestatem de corrupto viri huius animo peruersisque moribus certiorem facias, ac in id curam tuam conuertas, ne in hoc regno suscipiatur, suoque contagio, quod integrum est, inficiat ac maius dissidium in regno excitet.*"

Non dubitandum, quin *Hosius* et huic mandato, et suo adfectui, qui in persequendis ab Eccl. Rom. dissentientibus excitatissimus erat, satisfecerit, omniaque in-

fensa

ſenſa aduerſus *Ochinum* molitus fuerit. In ep. ad Comitia regni ſcripta eundem appellat *non bipedum ſolum, ſed etiam quadrupedum omnium impuriſſimum*, criminaturque *quod non tantum Chriſti deitatem inficietur, ſed etiam ambigat, an Deus exiſtat, ipſique curae ſint homines.* V. Stan. Rescii *vita Cardin.* Hosii *L. II. c. XXI. p.* 212. et *L. III, c. VI. p.* 294. edit. Oliuenſ. a. 1690. 8. Idem negotium Nuntius ac Cardinalis *Franc. Commendonius* ſibi habuit commendatum, qui non deſtitit, antequam *Ochinum* cum aliis Poloniae terminis excedere coegerit, quod *Ant. Maria Gratianus* in vita *Commendonii*, Paris 1669. 4. p. 124 et 134 exponit. V. *Saligiūs* l. c. T. *II.* p. 663. Cum igitur a. 1564 in conuentu *Parſcouienſi* mandatum publicaretur, quo peregrini, diuerſam a communi diſciplina doctrinam profitentes, aliisque eandem perſuadentes, e regno diſcedere iubebantur, *Ochinus* cum aliis quibusdam Poloniae valedixit, poſtquam Italis Cracouiae habitantibus per breue tempus ſacras conciones habuiſſet. *Lubieniecius* ſignificat, quod complures regni Proceres miſericordia commoti conceſſionem regiam ſubſiſtendi in Polonia ipſi procurare voluerint; hanc autem eum recuſaſſe ac dixiſſe: „*velle ſe obedire mandato ſuperiorum, ſi quoque ipſi in via vel inter lupos in ſiluis moriendum eſſet.*"

In *Morauiam* proficiſcentem peſtis *Pinczouiae* aliquantum retinuit. Qua correptum *Philippouius* nec metuens, nec dedignatus, in domum ſuam recepit, fouit, et ei miniſtrauit. Pro qua inſigni humanitate ita ei gratias egiſſe dicitur: *Phillippoui, frater, gratias ago Deo, quod te dignum fecerit, vt Ochino in tali caſu benefaceres.* Amiſſis peſte, duobus filiis et vna filia, inſtitutum iter proſequutus, intra tres hebdomades *Slaucouiae* ſ. *Slacoviae* (male *Lubieniecio* aliisque *Sclauoniae*) circa finem anni 1564 diem obiit. Errat hinc *Maimburgius* l. c. perhibens, eum in Tranſyluania miſeram vitam finiiſſe; et *Schrammius* in Program. de Socinianis §. III., miſere eum

in

in Anglia periiſſe narrans. Omnino fabulis accenſendum, quod *Bouerius* l. c. venditat: *Ochinum* Geneuae ante mortem reſipuiſſe, haereſes abiuraſſe, peccata ritu Catholico confeſſum eſſe, denique vere poenitentem obiiſſe. De genere mortis itidem Monachi figmenta varia excogitarunt. Alii tradiderunt, Geneuenſes *Ochini* diſcipulos, arreptis pugionibus, quos occultos geſtabant, in lecto iacentem, et manus ad coelos tendentem, confodiſſe; alii eum Magiſtratus edicto extra vrbem raptatum lapidibusque obrutum fuiſſe. Alio modo a vero deflectit *Morerius* in Diction. aſſerens: Eum tanquam Atheum ex hac vita diſceſſiſſe.

In diuerſas partes diſcedunt auctores, de *Ochino* iudicium ferentes. B. G. *Struuius*, qui (teſte *Heumanno* in miſcell. Lipſ. recent. T. I. p. 303.) auctor eſt *Apologiae* in *obſerv. Halenſ.* et in *introd.* in *notit. rei litter.* p. 804. eum plane defendit, niſi quod vnicum in ipſo improbandum eſſe ſignificet, quod in Dialogo XXI. de Polygamia non ad Orthodoxorum mentem ſenſerit. *Saligius* l. c. T. II. p. 422 et 573. eum non fuiſſe Antitrinitarium, ſed Theologiae practicae ſtudioſiorem, quam contemplatiuae, qui in ferenda Chriſti cruce, non fucatum ſeſe Seruatoris praeſtitit ſectatorem, ſcriptaque eius lectu eſſe digniſſima, et mereri, quae iterum luci exponerentur publica, vt a pluribus legi poſſint; quod de ipſius ſermonibus ſacris, quoad maximam partem vtique ſtatuendum iudicamus: hinc quoque ob pium eorum argumentum quasdam ex illis particulas Euangelicorum libris inſertas deprehendimus. Ita eiusdem manuductio, quomodo exercitium precum inſtituendum ſit, in germanicam linguam translata legitur, in libro precum, qui prodiit Aug. Vindel. apud Phil. *Vhlart*, a. 1560. p. k. VII. Eiusdem cum *Saligio* ſententiae eſt *Fabricius*, in Hiſt. Bibl. P. V. p. 148. et *Godofr. Arnoldus* l. l. T. II. p. 320. Imo in *Henr. Pantaleonis*, *Baſilienſis* Chronographia Eccleſiae Chriſtianae, Baſil. 1550. 4. p. 153. *Ochinus*, cum *Wicelio* inter Patres

et

et lumina Ecclesiae cum *Caluino*, *Pomerano*, *Bullingero* et aliis locum obtinuit, et ab aliis inter Martyres coetus Protestantium collocatur. V. *Bailii* Opp. T. III. p. 730. 731. Alii eum omnium hominum pessimum iudicant.

Non in omnibus eum orthodoxam circa mysteria fidem, tenuisse, sed noua prorsus et a veritate aliena, in medium protulisse, negari omnino nequit. Id quidem a vero alienum est, quod *Varillasius* perhibet, eum a *Calvino* propter Antitrinitariorum et Arianismi errores *Geneua* et a Duce Somersatensi Anglia esse expulsum. Iniqui pariter iudices sunt, qui eum inter *Atheos* collocandum, et auctorem esse famosissimi libri, de *tribus impostoribus* calumniati sunt, quas nugas *Baylius* in opp. T. IV. p. 163. et auctor *Obs. Hal.* T. III. p. 434. solide refutarunt. Accessus ipsius ad Socinianos non satis apertus videbatur *Moshemio* in *instit. H. E. Christ.* p. 812. qui tamen paulo ante p. 788. enunciauit, *abiisse illum in Poloniam, atque ad Antitrinitarios et Anabaptistas defecisse.*

Quin Antitrinitariis accensendus sit, nullum mihi dubium est, quamuis eum in horum numero fuisse a. 1546. cum conuenticula Vicentina disturbarentur, *Sandius* falso prodat. Veri tamen simillimum est, eum *Tiguri*, a *Laelio Socino*, conterraneo suo, vel alio loco, subtilioribus huius dubiis ac callide repetitis obiectionibus, quibus soluendis impar erat, ad Antitrinitariorum castra esse perductum. Qui eum excusandum putant, quod aliorum saltem dubia circa mysterium S. Trinitatis, non vero proprios sensus proposuerit, nullam sententiae suae probabilitatem adferunt, cum ex illorum parte rationes extantiores, qui eum pluribus dubiis fuisse agitatum, et tandem ad errorum compita abreptum statuunt. De *Porta* l. c. L. II. p. 391. fide dignis instructus documentis tradit, *Ochinum*, cum *Tiguri* coetui Locarnensi minister praefectus esset, litteris ad fratres Italos per Raetiae ditionem dispersos, in peruersa de Christi expiatione doctrina con-

confirmare ſtuduiſſe, qui ſibi perſuadebant, orthodoxam de ſatisfactione mortis Chriſti doctrinam in S. litteris non tradi. Deum enim nunquam Filio ſuo iratum fuiſſe, nec vnquam aequiualens pretium pro nobis ab illo poſtulaſſe, immo vero tale nec vnquam dari potuiſſe. Satis equidem factum fuiſſe Deo per Filii mortem; at eam vim, quae vulgo ſupplicio Chriſti tribuatur, totam deberi gratiae Dei, quae mortem Filii ſui, Sacrificium declarare voluerit, et loco poenae nobis infligendae acceptare. *Hottingerus* H. E. T. III. p. 877. ſignificat, *Ochinum* libellum quendam, titulo: *Prudentia carnalis* conſcriptum, per *Vallem Tellinam* diſſeminari curauiſſe, et eius Mſctum apographum ex *Raetia Bullingero* fuiſſe transmiſſum. Iam diu, antequam Dialogos, qui exſilium ipſi contraxerunt, laborauit, vt opiniones in his proditas, in coetibus *Raeticis* radices agerent, quod ipſius epiſtola autentica ad *Fridericum Salicetum Tiguro*, d. 4. *Jun.* 1558. ſcripta, proinde certiſſimo documento probauit, de *Porta*, l. c.

In Dialogis XIX et XX. quod vel fugitiua lectio comprobat, ita aduerſariorum aciem et partes contra Chriſti et Spiritus S. diuinitatem longe accuratius et validius inſtruxit, quam eam diſpulit ac euertit, ita vt omnino teſtetur, aduerſariorum potius doctrinam a ſe commendari ac inſinuari, quam orthodoxam vindicari ac defendi; quod pluribus euictum dedit *Hoornbeeckius* in *Adparatu* etc. p. 49. Quam hac de re in medium profert in praefatione, exculpatio, malam ſuſpicionem magis auget, quam minuit. Omnes Antitrinitarii *F. Socinus*, *Lubieniecius*, *Sandius* et alii *Ochinum* ſuo vindicant ordini, immo a *Voidovio* iſtos *Ochini* dialogos, *Smalcio* primo loco ad hunc ſeducendum fuiſſe propoſitos, *Zeltnerus* l. c. p. 1162. not. a. commemorat, qui recte addit: „*Ex his, quibus primum vſus eſt* VOIDOUIUS, *ad Smalcium, ſibi ſuisque hypotheſibus, conciliandum inſtrumentis, non obſcure colligi poteſt, Dialogos iſtos S. Trinitatis et ſatisfactionis Chriſti vicariae myſteriis*

ſteriis oppugnandis deſtinatos fuiſſe, certe a Socinianis ad credentes ad ea labefactanda tanquam primum et praecipuum arietem admotos eſſe." *Beza*, qui *Ochini* indolem bene exploratam habuit, in *Praef.* ad *Val. Gentilis hiſt.* p. 15. ſcribit: „*Ochinus Gentile callidior dubitare de ſingulis Academicorum more videtur maluiſſe, quam quicquam definire. Quod facit per Dialogos* etc." Quod vtique iudicium non praepoſtere enunciatum, agendi modus in dialogorum libris euincit.

Quod erroris in articulo de S. Trinitate famam adverſus ſe excitauerit, ipſe in *praef. Dialogi* XIX. teſtatur, quem in eum finem conſcripſiſſe dicit, quo ſe ſuſpicione liberaret, quam autem non auertit, ſed eam adeo non effictam fuiſſe re vera prodidit. Dialogo XX cauſſas, ob quas Chriſtus Dei Filius ſit, et vocari poſſit, recenſet quinque 1) Quia vt homo ipſum eſſe ſuum habet a Deo, 2) Quia ſummus erat vates, Rex et Sacerdos. 3) Quia ex Spiritu S. genitus eſt. 4) Tum ex beneficio ſanctificationis atque adoptionis. 5) Denique ex diuinitatis aliqua participatione, vti cryſtallus particeps fit radiorum ſolis. Deinde quaerit: *Quare vnigenitus Dei ſit filius*; ſed iterum, quae ad rem maxime faciunt, omittit. Loquitur quidem de Chriſto, natura Deo, et de tribus diuinis perſonis, ſed haec eum vel in ſpeciem tantum dixiſſe, vt incautos ſeducat, et erroris infamiam periculique metum a ſe auertat; vel vt doctrinam orthodoxam, tanquam ſibi repugnantem deſcribat. V. *Simlerus* l. c. L. I. p. 3. et p. 73. quo loco inquit: „*Etſi* Ochinus *in ſuis Dialogis nihil conſtanter adfirmet, ſed academico more in vtramque partem diſputat, tamen cum ſcribat, Chriſtum primogenitum omnis creaturae, ideo a Paulo nominari, quod ante coeteras res creatas Deus Spiritum quendam condiderit, per quem ceu inſtrumentum aut Miniſtrum coetera omnia a Deo ſint creata, hunc eſſe Chriſtum ſermonem ſeu λογον a Joanne appellatum: et hanc opinionem ſaepe repetat, inculcet, eamque prae coeteris illi placuiſſe coniicimus.*" *Jo. Chriſtoph.*

Wolf.

Wolffius in ep. ad *La Crozium*, in *thes. epist. La Croziano* T. II. p. 132. scribit: „*Incidi his diebus in Bern. Ochini dialogos, et miratus sum hominis in bonis caussis defendendis asserendisque ἀκρίβειαν, in malis ornandis ingenium. Quod ad Socinianam in specie attinet, non puto vllum argumentum temere ab eo praetermissum ex iis, quibus adseclae inprimis inniti consueuerunt.*" HIER. ZANCHIUS in *Opp. theol.* T. I. P. II. c. IX. p. 561. mysterium *S. Trin.* creditu ad salutem Christi ciuibus necessarium esse, aduersus *Ochinum* argumentis comprobauit. *Jo. Brunsmannus* in *Monogamia victrice*, p. 58. eum *Serueti* fuisse discipulum, asserit, quod tamen aeque veritati aduersatur, ac quod prodidit *Hoornbeeckius*, qui *Laelii Socini* Praeceptorem eum fuisse perhibet. Interim *Sandius* in *Adpend. ad nucl. H. E.* p. 90. inquit: „*Illud noui, Ochinum Praeceptorem L. Socini dici.*" *Gregorius Zarnouecius* in libro, quem *F. Socino* oppositum voluit, hunc *Ochino* vsum esse magistro, iterum falso narrat, cum ille nullum in Theologicis, praeter *Laelium* agnouerit praeceptorem. Prouocat tamen *Faustus* ad *Ochinum*, quod eadem secum in dialogis docuerit, quae ipse in libro *de J. C. Seruatore*, inprimis quoad negationem satisfactionis per eum praestitae proposuerit; et cum *Zarnouecius* hunc cum *Ochino* consensum *Fausto* obuertit, is eundem non negauit, sed potius hoc argumento vsus est, quod noua non docuerit dogmata, sed quae ab *Ochino* in Polonia olim iam exposita fuerint. Idem in ep. ad *Martinum Vodouitam*, in Epp. F. S. p. 594. ad *Ochinum* prouocat, qui annos triginta quinque ante se eadem docuerit, in *dialogis*, quae ipse in disputatione sua de J. C. Seruatore tradiderit. Hunc enim iam negasse, quod Christus diuinae iustitiae sanguinis sui fusione persoluerit, quod nos debebamus, seu pro nobis peccatisque nostris satisfecerit; idque vllo modo opus fuerit: eundem statuisse, quod Deus peccatorum nostrorum poenas a nullo repetat, sed ista liberaliter absque aliena solutione remittat ac condonet.

Plura de eodem expoſuerunt *Bouerius*, *Spondanus*, *Bzouius*, *Varillarius* l. l. c. c. *Anton. Maria Gratianus in vita Commendonii*, L. II. c. 9. *Lamy* in *Hiſtoire du Socinianisme* complures de *Ochino* fabulas compilauit, P. II. p. 229 ſeqq. *Niceron.* l. c. Tom. XV. p. 114 ſeqq. Verſ. Germ. *Lubieniecius* l. c. p. 109. *Jo. Rhodius* de auctoribus ſuppoſititiis, p. 33 ſeqq. *Placcius* l. c. p. 509. *Fabricius* l. c. P. V. p. 148. *Voigtius* Catal. Libr. rar. p. 430. Auctor libelli, *La Guerre Seraphique, ou Hiſtoire des perils, qu'a courus la barbe des Capucins par les violentes attaques des Cordeliers*, *Hagae Com.* 1740. 12. *Thuanus* l. c. L. XIII. *Sleidanus* l. c. L. XIX. *Struuius* in *Obſerv. Halenſ.* T. IV. Obſ. 20. et T. V. Obſ. 1. ad quas obſeruationes leguntur ſtricturae in den unſchuldigen Nachr. a. 1703. p. 281. Praecipue ſolide et ex fontibus hic argumentum tractauit *Schelhornius* l. c. T. III. p. 765 ſeqq. In collectione imaginum miniſtrorum Euangel. a reformationis tempore ad a. 1548. quam *Jo. Frid. Rein, Chalcographus* adornauit T. I. N. 38. *Ochini* effigies exhibetur, cum breui vitae ipſius expoſitione.

Reſtat *ſcriptorum Ochini* noſtro tempore rariorum recenſio, in qua ab aliis prolata vel emendabo, vel iis haud pauca additurus ſupplementa. Quod primo loco exhibeo, poſtremum quidem tempore, ſed omnium famoſiſſimum eſt.

1) Bernardini Ochini *Senenſis Dialogi XXX in duos libros diuiſi, quorum primus eſt, de Meſſia, continetque Dialogos XVIII. Secundus eſt, cum de rebus variis, tum potiſſimum de Trinitate. Baſil. per Petrum Pernam*, 1563. 8. Liber primus paginas habat 440. alter 518. Opus Italico ſermone ſcriptum et a Seb. Castalione, *Prof. Baſil.* ſuppreſſo tamen nomine ſuo (cui neque *Ochinus* in initio ſuum nomen addidit,) ſine adprobatione eorum, quae in illo continentur, in latinum idioma transfuſum eſſe, Sandius ex Dudithii *adnotationibus* Msscc. euictum dare,

re, et *Bullingerum* meliora edocere voluit, qui in *Praef.* ad Jos. Simleri librum de *aeterno Dei Filio* prodidit, opera Italorum quorundam Dialogos iſtos in linguam latinam eſſe translatos. Scriptos fuiſſe primum italice epiſtola *Caſtalionis* extra dubium ponit, nunquam vero Italico habitu lucem viderunt.

Prioris libri, quem auctor dicauit *Comiti Bethſordiae*, argumenta ſequens pagina ita exponit: *Jeſum verum fuiſſe Meſſiam oſtenditur* Dialog. I. p. 7. *Jeſum fuiſſe ſpiritualem Meſſiam*, II. p. 59. *Vtrum nos Deus per Meſſiam amauerit ad vitam aeternam, nobisque peccata non imputauerit;* an contra, III. p. 84. *Quemadmodum Jeſu opera perfectam ſpiritualemque libertatem conſequuti ſumus*, IV. p. 101. *Quemadmodum Jeſus mundo lumen nouum dederit*, V. p. 134. *Quemadmodum Jeſu opera nobis condonata ſint peccata*, VI. p. 161. *Oſtenditur, quomodo Jeſus nos redemerit et emerit, ſicuti facturus erat Meſſias*, VIII. p. 192, *Jeſum placaſſe iram Dei, nosque Deo reconciliaſſe, id quod facturus erat Meſſias*, IX. p. 203. *An a Jeſu Chriſto regenerati amplius peccent*, X. p. 211. *Vtrum Jeſus nos a peccato originali liberauerit, necne*, XI. p. 227. *An Dei legi in hac vita Jeſu ope obedire poſſimus*, XII. p. 296. *An Chriſti opera adultus homo iuſtus fiat obediendo legi.* XIII. p. 320. *Solius Jeſu opera nobis ignoſci peccata*, XIV. p. 342. *Quinam per Jeſum ſalui fiant*, XV. p. 352. *Quemadmodum per Jeſum orantes exoremus Deum*, XVI. p. 364. *Quo pacto ſcire poſſit, Jeſum fuiſſe verum Meſſiam*, XVII. p. 378. *De peccato in Spiritum S. quid ſit, et an, qui id commiſit, ſcire poſſit, ſe commiſiſſe*, XVIII. p. 391—440.

Secundus liber, ſpecialem prae ſe ferens titulum, qui in generali iam comparet, dicatus eſt *Principi* Nicolao Radziuilio, *Palatino Vilnenſi, Ducatus Lithuaniae Archi-Cancellario, et Supremo Mareſchalcho ac exercitus Polonici Imperatori.* Fallunt vero manifeſto, qui inde colligunt, Dialogos iſtos famoſiſſimos ab auctore in Polonia ſcrip-

tos fuiſſe, quamuis dedicatio coniecturae locum faciat, *Ochinum* hac Principis beneuolentiae captatione ſibi viam in Poloniae terminos pacatumque ibidem hoſpitium parare voluiſſe, quem etiam ſibi fortaſſis praefiniuit, cum Dialogum *XXVIII.* Sigismundo *II. Regi Poloniae dicaret.* Eidem dicaſſe librum de Polygamia, huncque in Polonia fabricatum eſſe, *Sandius* l. c. p. 5. ex *Bzowio* perhibet, cum tamen Dialogus *XXI de Polygamia* p. 186. nec in Polonia conſcriptus, nec Regi Poloniae, ſed *omnibus* et *maritis, qui de Vxoribus, et vxoribus, quae de maritis conqueruntur*, dicatus ſit. In ep. nuncupatoria *Radziuilio* data, quae pariter ac ſuperior ad *Comitem Bethfordiae* ſcripta, nullam loci et temporis notam habet, ita *Ochinus* inquit: „Quoniam in reformatis Eccleſiis varias exiſtere de Trini„tate opiniones audio, iudicaui mei eſſe officii, non occul„tam habere eam huius rei cognitionem, quam mihi lar„gita eſt diuina benignitas, ſed eam ad ipſius declaratio„nem proferre. Et quoniam opinionum hanc varietatem „in Poloniae quoque eccleſiis emergere audio, quarum „tu, pro tuis raris virtutibus ſingularique pietate, nomi„natim patrocinium defenſionemque ſuſcepiſti, viſum eſt „mihi, duos hosce dialogos tibi dedicare, quo tuo ſplen„dore et auctoritate commendati, fructum afferant maio„rem. In quorum priore Trinitatem eſſe oſtenditur, et „nominatim perpenduntur rationes et argumenta, quae „de ea ab hominibus in medium adducta ſunt, neque non „de ſermonis corporatione non nihil explicatur; deinde „eius veritas ex ſacris veteris nouique foederis litteris di„uinisque rationibus probatur. In altero Dialogo de„monſtratur, Trinitatem credere noſtri eſſe officii.” Epiſtolae his verbis finem facit: „Quaeſo te, vt munuſculum „hoc boni conſulas, et non librum, ſed voluntatem meam „ponderes, Chriſtoque et eius fratribus viuas, et totius „rei omnem laudem, honorem, gloriam coeleſti Patri tri„buas per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.” Ex ep. quadam a Principe *Radziuilio* ad *Caluinum* a. 1564.

Menſe

Menſe *Febr.* ſcripta, quam *Schelhornius* l. c. p. 1182. ex *Mſc.* orbi expoſuit, colligitur, librum *Ochini* in via interceptum ad Principis manus non peruenifſe. Ita autem *Radziuilius*: „Prodiiſſe dicunt non ita pridem certos Dia„logos de Trinitate *Bernh. Ochini*, Viri de pietate Chri„ſtiana optime meriti, qui in iisdem Dialogis ſuis vete„rum ſcholaſticorum doctrinam de hoc dogmate non ob„ſcure taxet ac reprehendat: Qui quidem libellus, tametſi „nobis dicatus eſt, eum tamen hactenus nedum legimus, „ſed ne vidimus quidem. Aiunt quidem ad nos fuiſſe „miſſos, ſed tamen ſtudioſe a quibusdam interceptos, ne „ex Germania in Poloniam penetrent."

Dialogorum ſecundi voluminis argumenta in proxima poſt titulum pagina ita exhibentur. *Oſtenditur tres eſſe diuinas perſonas, P. et F. et Sp. S. re ipſa diſtinctas, tametſi conſubſtantiales et coaeternas, et ad hos litterarum locos et argumenta, quae contra adduci ſolent, reſpondetur,* XIX. p. 9. *Oſtenditur nobis neceſſarium eſſe credere Trinitatem,* XX. p. 146. (expreſſe tamen iudicat ſaluos fieri poſſe, qui non credunt hoc myſterium, multis arduis involutum) *De Polygamia,* XXI. p. 186. *Quemadmodum ob adulterium fieri liceat diuortium,* XXII. p. 228. *Licere ob infidelitatem diuortium fieri,* XXIII. p. 253. *Qua poena plectendi ſunt adulteri,* XXIV. p. 270. *Quaenam ſit omnium, quae vsquam vel fuerunt, vel ſunt, vel eſſe poſſunt, peſſima ſecta haereticorum,* XXV. p. 282. *De ratione exſtruendi regni Chriſti, et deſtruendi regni Antichriſti,* XXVI. p. 315. *Quibusnam rebus cognoſci poſſit, quaenam Eccleſia vere Chriſti et ſincera puraque ſit, aut non ſit,* XXVII. p. 329. *Quo pacto tractandi et quando occidendi ſunt haeretici,* XXVIII. p. 379. *Quanto ſit agens Theologia contemplante praeſtantior ac ſalutarior,* XXIX. p. 422. *De humana diabolicaque arrogantia,* XXX. 464—518. Pluribus libri ſecundi dialogis peculiarem praemiſit praefationem. In iſta, quam Dialogis de *Trinitate* praepoſuit,

rationes exponit, cur de re tam ardua atque abdita aggredi ad ſcribendum auſus ſit, inter quas ſequentes indicat p. 6: „Illud addo ad ſcribendum de ea oratum fuiſſe me, „ab amicis quibusdam clariſſimis, honorisque Dei cupi„dis, quos tam honeſta iuſtaque poſtulantibus repudiare „mihi religio fuit. Adde, quod nonnulli, nulla a me da„ta occaſione, incipiebant non ſolum ſuſpectum habere „me, verum etiam a me eam non credi dictitare, quae „me res coegit, eorum errorem oſtendere. — — — — „Neque non fieri poterit, vt negent aliqui tanta vi proba„tam a me defenſamque eſſe Trinitatem, quanta debuerit; „quibus ego reſpondeo, eius probandae ac defendendae „nullam eſſe poſſe firmiorem rationem, quam qua ſum „vſus ego, videlicet ſermone Dei. Neque vero eis dice„re licebit, non eſſe a me adductos omnes eos locos, qui „ſunt ad eam probandam validiſſimi, et inſuper eis locis „non patrocinatum me eſſe, quam fieri potuerit maxime. „Neque omnia dixiſſe, quae ſciuerim. Non debebunt „igitur de me conqueri, poſtquam omni ope ac ſtudio „hoc argumentum tractaui, quin potius mihi gratias age„re, non ſolum quia ipſos ad loquendum de ea excitaue„rim, verum etiam, quia, ſi rem pro dignitate non tra„ctauerim, at viam quidem eis apertam reliqui, ad pro„bandam validioribus locis Trinitatem, quam ego feci, ſi „id praeſtare poterunt: Quam rem ſi praeſtiterint, rem „mihi iucundiſſimam fecerint, modo id cum Dei ſpiritu „et veritate faciant. Quod ſi quis dicet, ieiune a me re„futatos eſſe eos locos et argumenta, quae contra adducta „ſint; reſpondebo, ſi eſt, (vt eſt) vnus Deus et tres diui„nae perſonae, coaeternae ac conſubſtantiales, idque in„ſuper ex S. litteris perſpicuum eſt, cum id credere debe„remus, fatendum eſt, quicquid locorum et argumento„rum contra adduci poteſt, id inualidum, fallax, debile „infirmumque eſſe, ita vt ſua ſponte concidat. Itaque „qui ea, quae contra Trinitatem adducta fuerint, aliquid „habere virium iudicauerint, hoc ipſo oſtendent, ſe eam

„eſſe

„esse non credere. Praeterea scit Deus, me in respon„dendo dixisse, quicquid potui: quodsi ipsi plura sciunt, „magnam habent occasionem persequendi reliquias meas, „quae res mihi maximam afferet voluptatem. Quare ex„hortor omnes, qui librum hunc lecturi sunt, vt affectio„nes et perturbationes omnes exuant, quae possunt tene„bras offundere iudicio, vt veritate perspecta vtantur ad „honorem Dei, et coelesti optimoque Patri suo omnem „honorem et gloriam tribuant per Christum Jesum."

Dialogo XXVII. L. II. p. 329. hoc praemisit breue praeloquium ex quo, quem de Ecclesia animum fouerit, colligi potest: „Omnibus Ecclesiis, quae se Christi Eccle„sias esse profitentur, *Bern. Ochinus* ex animo perfectio„nem optat. Quoniam multi falso putant, Ecclesias suas esse „Christi Ecclesias, et in eis puram Euangelii doctrinam „publice doceri, et sacramenta sincere, ac secundum Chri„sti institutum administrari, et Christiane viui, denique „ita esse perfectas, vt eorum nonnullae omnium aliarum „se regulas esse velint: et tamen insunt in eis errores, vi„tia, superstitiones, corruptelae; quodsi scirent, se ipsas „reformarent, cum nunc sic viuendo pereant, et aedificari „a se putantes euertant, existimaui rem esse consideratu „inprimis vtilem et necessariam, quibusnam rebus cogno„scatur, quaenam Ecclesia sit Christi, aut non sit, et qua„lem oporteat esse Ecclesiam, vt sit perfecta etc."

In Dialogis haud pauca reperiri, cum orthodoxa veritate non concilianda, cuius eosdem attente legenti patet, praecipue euidentissime constat, *Ochinum* sceptice ac dubitanter de S. Trinitate, aliisque christianae fidei articulis iudicasse. Sic Dialogo 7. *Jacobum* Judaeum, haec loquentem introducit: „At vos Messiam satisfecisse dicen„tes, falsum dicitis, et quod nusquam in sacris litteris vel „disertis vel idem indicantibus verbis exstat." Cui *Ochinus* respondit: „Licet dicere, Christum in cruce mo„rientem satisfecisse duobus modis, primum, quia di-

„vinae voluntati ſatisfecit, dum Deo ad crucis vsque mor-„tem obediuit, faciens quicquid ei Deus mandauerat, „eumque facere volebat. Alio item modo ſatisfecit, dum „pro peccatis noſtris ſatisfecit, propterea quod eius ſup-„plicium mortemque Deus gratis acceptum habuit, pro „ſatis magna ſatisfactione pro peccatis noſtris, quamuis „ea per ſe ac ſua ipſa natura, non ſatis eſſet, vt Deum ad „ipſam pro tali accipiendam obſtringeret. Itaque, non „niſi Dei beneficio ſatisfaciens fuit mors Chriſti." In Dialogo XXI de *Polygamia*, cui etiam tres proxime ſequentes iungendi ſunt, pluribus eam defendere viſus eſt, idque non absque ratione. Colloquitur in eodem *Ochinus* cum TELIPOLYGAMO, qui ſibi conſilium ac reſponſum ad hanc propoſitionem p. 187. expoſcit: „Vxorem habeo „non ex animi mei ſententia: Quo fit, vt eam amare ne-„queam. Accedit eo, quod, quantum video, ſterilis eſt, „et inſuper valetudinaria: et ego rurſum haud eum me „eſſe ſentio, qui foemina carere queam: Liberos etiam „cupio, tum vt ſint, qui mihi ſuccedant, tum vt eos ad „officii munus erga Deum inſtruam. Poſſem autem, „quod faciunt multi, vnam aut alteram concubinam alere: „ſed repugnat conſcientia: poſſem et vxori meae falſum „adulterii crimen imponere, eamque repudiare: ſed et „Deum offenderem, et famae tum meae, tum vxori no-„tam inurerem: itaque nolo. Poſſem et veneno eam de „medio tollere: ſed id nunquam faciam. Venit autem „mihi in mentem, alteram vxorem ducere, et tamen hanc „non repudiare, et mihi videor diuinitus ad hoc afflari ac „vocari: proinde velim, vt mihi dicas, vtrum hoc mihi „ſancte facere liceat."

Ochinus quidem TELIPOLYGAMO plus ſimplici vice contradicit, et plures habere vxores rem eſſe foedam, inhoneſtam, ſanctoque matrimonio inimicam obteſtatur. Interim illi fortiora tribuit argumenta, ad quae vel nihil reſpondet, vel obiectiones multo cum ingenio offuſas

tepide

tepide saltem et obiter soluit, quem modum etiam in defendenda S. Trinitate seruauit, *ac tandem prorsus cedit.* Interroganti eum: *Quid vero mihi das consilii?* respondet p. 227. O. „*Vt plures non ducas, sed Deum ores, vt tibi continentem esse det.* T. *Quid si non dabit?* O. *Dabit, si fidenter oraueris.* T. *Quid si nec donum mihi, nec ad id petendum fidem dabit?* O. *Tum si id feceris, ad quod te Deus impellit, dummodo diuinum esse instinctum exploratum habeas, non peccabis. Siquidem in obediendo Deo errari non potest. Aliud ego consilium tibi dare non possum. Quocirca tibi vale dico, et pro te oraturum esse me spondeo.*" *Ochini* hac in parte sententiae calculum suum addidit auctor *obseru. Halens.* T. V. p. 31. et ad *Lutherum* consentientem in *Opp. Altenb.* T. II. f. 214. prouocauit; cum tamen inter vtrumque maximus sit dissensus. De Polygamia contra *Ochinum Beza* scripsit, cuius liber *Geneuae* 1568 et 1587. 8. prelo exemtus est. *Ochinum* in hoc colloquio commisisse plagium, maximamque eius partem descripsisse ex Huderici Neobuli libello, cui titulus est: *Dialogus*, das ist ein freündlich Gespräch zweyer Personen, davon, ob es göttlichen, natürlichen, Kayserlichen und Geistlichen Rechte gemäße oder entgegen sei, mehr denn ein Weib zu haben etc. A. MDXLI. *Schelhornius* l. c. quibusdam exemplis demonstrauit, qui etiam errorem notauit in Biblioth. Hal. T. V. p. 503. commissum, quod sub *Neobuli* nomine laterat *Mart. Bucerus.* Cui vero plagium istud minus probabile videtur, quia *Ochinus* Italus linguae Germanicae ignarus fuerit, is sibi in memoriam reuocet, illum aliquot annos Augustae in officio vixisse, ibidemque sine dubio tantam linguae Germanicae sibi comparasse notitiam, quanta ad librum intelligendum requiritur.

Dialogus de Polygamia *Anglice Londini* 1657. 12. pl. 8. prodiit, in versionis titulo autem falso proditur, concinnatam illam esse ex originali Italico, cum versio latina tantum lucem viderit. Omnes in linguam belgicam translati sunt. Opus hoc dialogicum, facta a Tigurinis

Theologis ad Senatum Basileensem monitione, fuisse prohibitum, et loco quodam celebri flammis subiectum, *Bullingerus* narrat in *Praef.* ad Simleri *librum.* Quae in eodem post institutum a ministerio Tigurino examen, reperta fuerint scandalosa, recensentur ab *Hottingero* l. c. T. IX. p. 482. seqq.

2) Ad sermones *Ochini* sacros quod attinet, non sine omni fructu eos tractari posse, saltim mali nihil ex eorum lectione timendum esse, arbitramur. Aedificationi mentis adaptati, plenique sunt zeli aduersus disciplinam Pontificiam et adhortationum ad solidam Christianismi praxin. Vix tamen sermonum titulus illis conuenit, meditationum potius habitum prae se ferentibus, quemadmodum neque in textum quendam biblicum concinnati sunt. Habent conuenientiam cum *Jo. Valdesii* considerationibus, ex quibus auctorem multum profecisse, *Beza* testatur, *ep.* IV. p. 4. *Lubieniecius* l. c. p. 18. narrat: *Reginam Poloniae* Bonam, confessionario suo *Franc. Lismanino* eosdem dono dedisse, cui illorum lectione vniuersa religio Pontificia suspecta fuerit. Primum quandam sermonum suorum Italicorum collectionem *Basileae* 1543. 8. et 1544. 12., quae XXVI complectitur conciones recensitas in *Obs. Hallens.* T. V. p. 66. seqq., in lucem emisit. Ex hac maior collectio instructa, quae quinque partibus absoluitur, quarum prima 50. secunda 65. tertia 79. quarta 51. et quinta 50 exhibet meditationes.

Primae partis sermones XX. Joseph. Hochstetterus *Augustanus* in linguam latinam ac germ. transtulit, qui *Neoburgi* ad Danubium hunc titulum praeferentes prodierunt: XX. Predigen Bernhardini von Siena: darinne die fürnembsten Hauptstück Christlichen Glaubens, nemlich von der Rechtfertigung durch Christum, und was daran hanget von ihm beschrieben seyn, immassen, wie ers zuvor ungefährlich in Welschland geprediget hat. Einen jeden Christen nicht allein nützlich zu wißen, sondern auch tröstlich

tröstlich zu sehen, wie das Licht göttliches Wortes allenthalben seeliglich aufgehet. *Neoburgi Danubii* 1545. 4. Recusa et sex sermonibus aucta haec pars prodiit, *Neoburgi* 1556. 4. Non eo modo habitos esse in Italia, quo lucem postea adspexerunt in Germania, ex lectione facile colligitur; vix, ac ne vix quidem flammis orator euasisset, si ita ab ipso enuntiati fuissent. Ex ipsa *Ochini* praefatione constat, quod alia plane ratione in Italia pro concione loquutus fuerit.

Parti secundae duplex appendix apologeticus, caussam discessus sui ex Italia agens, adtextus est. *Prior* absoluitur ep. Magistratui Senensi scripta; *posterior*, ep. responsoria, HIERONYMO MUTIO Iustinopolitano scripta, *Geneuae* d. 7. Apr. 1543. SIXTUS SENENSIS in praefatione, *Biblioth.* praemissa narrat, Italicos OCHINI sermones sub nomine THOMAE *Episcopi Justinopolitani* prodiisse. In indicibus librorum prohibitorum, his quoque accensentur *Conciones* F. THOMAE *de senis falso adscriptae, et quae reuera sunt*, BERNHARDINI OCHINI *haeretici.* In his sermonibus doctrina de iustificatione, bonis operibus, confessione, indulgentiis, purgatorio, aliaque capita neruose et orthodoxe proponuntur. Sermones de fide, qui 1544. 8. pl. 14. lingua italica lucem viderunt, praefixo titulo latino, in Biblioth. Hal. l. c. p. 362, recensiti leguntur, quos reliqui scriptores, qui indicem librorum *Ochini* concinnarunt, *Saligius, Niceronius, Voigtius* aliique, praeterierunt. Viginti duobus sermonibus doctrina de fide, solide ac cum applicatione ad exercitium pietatis, exposita est. Sermones tres de officio Principis, italice scripti et latine versi, a *Coelio Horatio Curione, Coelii secundi* filio, *Basil.* 1550. prodierunt; qui vero ex tomis sermonum *Ochini* desumti sunt. Declamationes sacrae V. latine translatae a *Coel. Horat. Curione*, apparuerunt, *Basileae* 1550. per *Jo. Oporinum*, vna cum *Marsil. Andreasii* oratione de amplitudine misericordiae Dei. Adiunxit quoque *Coel. Sec. Curio* libro suo, cui titulum fecit, *Araneus*,

s. de

f. de prouidentia Dei, Basil. 1545. 8. *Ochini* sermonem de eo, quid sit per Christum iustificari, tum qui iustificationis sit modus.

3) Bernardini Ochini *Senensis liber de corporis Christi praesentia in coenae sacramento, in quo acuta est tractatio de Missae origine ac erroribus*, (Della natiuita della missa, V. *Baylii* Diction.) *itemque altera de conciliatione controuersiae inter reformatas Ecclesias, cui adiunximus eiusdem auctoris Labyrinthos de diuina praenotione, et libero, seu seruo hominis arbitrio. Omnia nunc primum ex italico in latinum sermonem translata.* Basil. 8. Ita librum allegat *Schelhornius* l. c. p. 2118. qui dedicationem libri de corporis Christi praesentia scriptam ab *Ochino* Illustri et piae foeminae *Isabellae Manrichae Bresegnae*, (quae a *Jo. Valdesio* ad cognoscendum veriora excitata, *Ochino* iam *Neapoli* innotuerat et propter purioris doctrinae professionem se ex Italia in Germaniam, mox *Tigurum*, tandem *Clauennam* contulerat,) totam inseruit. Typis exscriptum esse librum *Basileae* 1561. *Lud. Lauatherus* in hist. de origine et progressu controuersiae Sacramentariae de coena Domini, p. 50. obseruauit. Ex hoc volumine erroris conuincendus est *Zeltnerus*, qui in Not. ad M. *Ruari* Epp. p. 590. prodit, *Labyrinthos* numquam latine redditos esse. Nec *Floriano Crusio* latina Labyrinthorum versio innotuit, qui in ep. ad *Ruarum* scribit: „Ochini „Labyrinthos vellem mitteres, etsi enim ego Italica non „intelligam, interpretem tamen adhibebo Eugenium no„strum, (Wolzogenium affinem suum intelligit,) qui eius „linguae est peritissimus, et in subtili etiam sensu eruendo „ingenium habet satis perspicuum." *Schelhornius* l. c. T. III. p. 1001. hoc titulo speciali scriptum hoc allegat: *Labyrinthi, h. e. disputatio de libero aut seruo arbitrio, de diuina praenotione, destinatione et libertate;* qui etiam obseruauit, illud ab *Ochino* dicatum esse *Reginae Angliae* Elisabethae, et dedicationi his verbis finem esse impositum:

tum: „Iam cum recordarer, Regina, te aliquando in „Anglia, lectis meis quibusdam de Praedestinatione scrip„tis, me super dubiis quibusdam in eo argumento con„suluisse, et in eo non solum elegans istud, et rari acumi„nis ingenium, verum etiam ardentem quandam cupidita„tem, ardua abditaque Dei arcana cognoscendi ostendisse, „iudicaui, te, Regina, inprimis eam esse, quae inde fru„ctum possis percipere: itaque hoc opus tibi merito di„caui. Quare accipe (et in eo Deum imitare) non tam „opus, quam voluntatem et coelesti Patri omnium hono„rem et gloriam per Jesum Christum Dominum nostrum „tribue." Auctor mentionem faciens scriptorum suorum de *Praedestinatione* antea editorum et a *Regina* lectorum, sine dubio digitum intendit ad *sermones XXV de praedestinatione* et *electione*, quos ANNA COOKIA, NICOLAI BACONIS deinceps coniux ex Italica lingua in Anglic. vertit, ac per Jo. DAYUM, *Londini* 1550. 8. luci publicae exposuit.

In *Labyrinthorum* opusculo, cui propter abstrusum prae caeteris argumentum, quod tractat, titulum hunc imposuit, proponit: *difficultates, quibus inuoluuntur, et qui actiones humanas liberas, et qui istas necessarias credunt.* Hinc octo construxit Labyrinthos, quatuor ex parte eorum, qui hominem libere, et totidem ex eorum parte, qui eundem necessario agere statuunt. Quaerit vndique ex iis exitum, sed cum nullum inuenire potest, ad Deum dirigit preces, vt ipse viae dux sibi existere velit, animum explicandi. Tandem ipse exitum monstrandi suscipit negotium, peculiari capite, cui praefigit titulum: *Qua via ex omnibus supra dictis Labyrinthis cito exiri potest, quae docta ignorantiae via vocatur*, cui *Socratis eloquio* finem imponit: *Vnum scio, quod nihil scio.*

De coena Domini, contra Joach. Westphalum, Pastorem Hamburgensem, liber, separatim quoque lucem adspexit hoc titulo: *Syncerae et verae doctrinae, de coena Domini defensio, per Bernh. Ochinum, Locarnensium Eccle-*

siae

siae pastorem, contra libros tres Joach. Westphali, Hamburgensis Ecclesiae praedicatoris. Joannis c. VI. *Spiritus est, qui viuificat, caro non prodest quicquam. Verba, quae ego loquor vobis, spiritus et vita sunt. Tiguri mense Jan.* 1556. 8. pag. 203. et ep. nuncup. 7. adscriptus est *Tiguri,* Calend, Jan. 1556 ecclesiae Locarnensium, et reliquis omnibus Italis christianae religionis sectatoribus. *Thaddaeo Duno* interprete, librum italice scriptum, latino idiomate prodiisse, colligitur ex huius postfamine, dialogo de *purgatorio* apposito.

4) *Expositio epistolae D. Pauli ad Romanos de Italico in latinum translata, Aug. Vindel. ap. Phil. Vlhardum.* 8. Eadem germanice prodiit, ibid. 1546. 8. et italice 1545 12. V. *Salthenii Biblioth. Libb. rarior. p.* 567. N. 2857. *Vogtius* l. c. *p.* 493. 496. *Godofr. Arnoldum* l. c. *P. II. L. XVI. C. XXII. p.* 316 locum quendam praefationis *Ochini* libro praemissae, suo more adulterasse, *Schelhornius* l. c. obseruauit.

5) *Expositio Epistolae ad Galatas* ex Italico germanice versa lucem vidit, *Aug. Vindel.* per *Valent. Othmarum* 1546. Conciones has in epistolam ad Galatas *Seckendorffius* cum insigni laude recenset l. c.

6) *Apologi sacri, quinque libris diuisi, italice et latine per Castalionem.* 8. anno editionis non notato. Iidem, per *Christoph. Wirsungum*, in Germanicum sermonem fusi, a. 1556. 1557. et 59 typis exscripti sunt hoc titulo: Des Hochgelehrten und gottsäligen Mans Bernhardini Ochini von Senis, fünff Bücher seiner Apologen. Darin werden die Mißbrauch, Thorheiten, Aberglauben, Irrthumben, Götzendienst und Gottlosigkeiten der Papistischen Synagoga, sonderlich der Pfaffen, Münch und der Brüder eröfnet, lieblich, dabei auch nützlich zu lesen. Durch Christoff Wirsung verdeutscht. Apologus redet wohl im Scherz, Sticht doch dem Bapstumb ab das Herz. 1559.

1559. 4. *Primus* liber complectens plagulas 12. dicatus *Riciardo Moricino Equiti*, ab *Ochino* ipso. *Secundus* cui peculiaris praefixus est titulus plagulas 10. *Tertius* sub nouo titulo itidem 10. *Quartus* peculiari titulo insignitus plag. 11. *Quintus* deficit, nec fortassis prodiit. Comparuerunt quoque Apologi isti, *Basil.* apud *Jo. Oporinum* 1569. 4. *Heidelbergae* 1607 ac pluribus vicibus. In linguam Belgicam per *J. Arcerium* conuersi lucem viderunt hoc titulo: *Bernh. Ochini Honderd Vreemde* en aardige Voorstellingen, passende op de verduruenheiden, Misbruycken, van den Pauzelycken Gods-dienst. etc. *Franeck.* 1654. 12. cum fig. pag. 131. V. *Salthenii* Biblioth. l. c. p. 567. N. 2858. Inserti quoque sunt Facetiarum *Bebelii* versioni germanicae hoc titulo: Hernrici Bebelii *Facetiae*, in 3 Büchern, mit einer ordentlichen Abwechselung und Einmischung der Apologen Bernh. Ochini, sampt einer angehenckten Practicken, was biß auf den Jüngsten Tag gemein seyn werde, verteutscht, Franckfurt bey Nicolao Basseo 1589. 8. V. *Freytagii* Adpar. litt. *Tom. II. p.* 973.

7) *De purgatorio dialogus*, *Tiguri* 1555 latine prodiit ex versione *Thaddaei Duni.* Primum italice scriptus, deinde in Germ. Belg. Gall. et Anglic. linguas translatus lucem adspexit. Versio latina hunc prae se fert indicem: *Bernardini Ochini Senensis, viri doctissimi, de purgatorio dialogus. Ad lectorem. Opus est lector, velut ex auctoris praefatiuncula cognosces, non tam vtile, quam iucundum lectu: ab ipso primum authore Italica lingua scriptum, postea vero a quodam eius studioso viro in latinum translatum.* Vale. *Hebr.* c. IX. *Nam si sanguis taurorum et hircorum, et cinis iuuencae adspergens inquinatos sanctificat ad carnis purificationem: quanto magis sanguis Christi, qai per Spiritum aeternum se ipsum obtulit immaculatum Deo, purgabit conscientiam vostram a mortuis operibus, ad seruiendum Deo viventi.* 8. *pag.* 116. dedic. 4. et

et indic. 12. In fine legitur: *Tiguri apud Gesneros.* Ad libri calcem p. 115. postsamen interpretis ad lectores adtextum est, quod nonnulla continet rem litterariam, quoad scripta *Ochini* illustrantia his verbis: „*Thaddaeus Du-*„*nus*, Locarnensis medicus, christianis lectoribus, salu„tem etc. Fateor ingenue librorum D. Bern. Ochini, ec„clesiae nostrae pastoris vigilantissimi, versiones, quas „ego paro, minus cum lepori et maiestati sermonis Itali„ci, tum vero argumentorum dignitati excellentiaeque, „vt quae paulo inelegantiores sint, respondere. Attamen, „quia fideliter, et quantum fieri potest, dilucide omnia „exprimunt, et ab ipso D. Bernardino eam saltem ob „caussam, approbantur, qualescunque sunt, boni consu„lere debetis, aut meliores facere. Translati iam a me „sunt, praeter dialogum hunc, alii libri, et quotidie trans„feruntur. Vos rogo, vt diligentiam meam et studium „vestro fauore iuuetis. Prodibunt enim, fauente Domino, „multa eius viri scripta egregia, et pene diuina. Hunc „vtilem admodum et iucundum dialogum interea studiose „legite et relegite, vt excusso prius ex mentibus vestris „erroneo illo et pestifero commento de purgatorio, vna „cum coeteris hominum figmentis, puriori et alacriori „mente ad reliqua accedatis. Sint haec praefationis loco, „in omnes meas interpretationes. Post vnum aut alte„rum mensem, libros duos in re eucharistiae, incredibili „studio, labore et diligentia, inprimis vero mira rerum „ad illud Sacramentum pertinentium expositione conscri„ptos, vos habituros spero. Valete, ac nihil miremini, „nullam mei factam esse in titulo dialogi mentionem; me „enim absente primum folium impressum est: Vnde et„iam in epistola nuncupatoria verba quaedam posita fue„re, quae neque in ipsius D. Bernardini autographo, ne„que mea versione habebantur, quod facile cognoscent, „qui latinam cum italica versione contulerunt. Iterum „valete. Tiguri *IV. Id. Decembris* 1555." Dicauit librum *Ochinus* Francisco Lismanino per epistolam, *Ti-*

guri

guri 4 Cal. *Dec.* 1555 ſcriptam, quam ita inchoat: „Quanquam ego meos, quos quidem hactenus euulgaui „libros, multis magnisque de cauſſis nemini ſeorſim de„dicarim, eosque maluerim Eccleſiae, cuius incolumita„tem et ſalutem vnice quaero, nuncupare: in huius tamen „editione libri, meus in te ſummus ac prope ſingularis „amor, et complures aliae cauſſae facile effecerunt, vt de„poſita veteri conſuetudine, meum iſtum de purgatorio „dialogum tibi, mi *Franciſce* frater, dedicatum vellem. „Ac mei quidem in te amoris cauſſas, quoniam eae ſub„inde magis ac magis ſeſe produnt, ſuntque mihi tecum „communes, cum lectorum ipſorum, tum vtriusque no„ſtrum cauſa praetereo: ac malo reliquas, vt potiores „huius facti rationes commemorare." etc. Circa finem ita ſcribit: „Atque hoc tibi *Liſmonine* frater, literarium „munus ideo mitto, vt et mei in te amoris extet aliqua „memoria, et vt tuo me docentem exemplo iuues homi„nes a purgatorio ad Ieſum Chriſtum, qui, quemadmo„dum praeclare eſt a Joanne Euangeliſta et Apoſtolis ſcri„ptum, ſolus nos emundat ab omnibus peccatis noſtris, re„vocare. Sed vt finem iam praefandi faciam, hoc de„mum precor, tibi quidem, mi chariſſime atque optatiſſi„me in Chriſto frater, vt quae tibi eſt diuinitus conceſſa, „perpetim creſcat pax et gratia: Sed ipſi Ieſu Chriſto Do„mino noſtro opt. Max. noſtrae libertatis et ſalutis vindi„ci, ſuus vt ſit ſaluus honos in ſaecula. Amen."

8) *Il catechiſmo o vero Inſtitutione Chriſtiana, di M.* BERNARDINO OCHINO *da Siena, in forma di Dialogo. Interlocutori il Miniſtro et illuminato. * Non mai più per l'adietro ſtampato, in Baſilea,* 1561. 8. *pag.* 313. absque praef. JENKINUS THOMASIUS in *hiſtoria Atheiſmi* C. *VII.* §. 10. *p.* 168. quasdam ex catechetico hoc libro, (qui teſte *Sandio* l. c. *p.* 6. 1591 recuſus eſt,) particulas exhibuit. Quod praeter orthodoxam doctrinam, cuius haud pauca in catechiſmo hoc expoſuit argumenta, etiam

 errores

errores Socinianiſmo vicinos et dubia circa veritates chriſtianas inſperſerit auctor, teſtis eſt *Aug. Beyerus* in *hiſt. crit. libb. rar. p.* 223 ſeqq. qui tamen immerito *Atheiſmi* maculam *Ochino* eſſe adſperſam a *Floremundo Raemundo* notauit. V. *Jo. Chr. Koecher* Catechetiſche Geſchichte der Waldenſer, etc. *p.* 225. In praefatione auctor ſignificat, hunc catechiſmum in amoris et prouidae curae erga Locarnenſium coetum Tigurinum eſſe elaboratum, cui etiam eundem adſcripſit.

9) Ain Geſpräch der flaiſchlichen Vernunfft, und ains gaiſtlichen oder glaubigen Chriſtenmenſchen, von den Hendlen, ſo ſich zu dieſer unſrer Zeit zutragen, von Bernhardino Ochino von Seins, in Welſch beſchriben, und verteutſcht. Mehr ain kurze Anleitung, wie man ſich im Gebet üben ſolle. Getruckt zu Augſpurg durch Philipp Ulhart. 4. absque notatione loci et temporis. Allegatur in *Dan. Salthenii Bibliotheca libb. rar. p.* 267. N. 1303. Non ipſius *Ochini*, ſed ex eius ſermonibus ab alio conſcriptum et in germanicam linguam translatum opus perhibetur.

10) Von der Hoffnung ains Chriſtlichen Gemüths. Wie dieſelbige ir unzweyfliche Gewiſſenſchaft, durch den Glauben der Allmächtigkait, Weyßhait, Güte und Barmherzigkait Gottes inn Chriſto beſtendigklich yebe. Durch den Gottſäligen und Hochgelehrten Herrn Bernhardino Ochino Kurtz verſchiener zeit in Italiäniſcher Sprach im ſelb und andern gutherzigen zu Troſt geſtellt. Gedruckt zu Augſpurg durch Philipp Ulhart, 1547. 4. Vtrumque ſcriptum N. 9. et 10 a *Schelhornio* l. c. *p.* 1143 allegatur, cui tamen ignotum fuit, iſta italico habitu publicam lucem vidiſſe, ex quo translata eſſe, nullum dubium eſt.

11) *Aduerſus Papam* liber, ab auctore latina primum lingua concinnatus, Anglice apud *Gualterum Lynnium* prodiit *Londini* a. 1549. 4. et *Eduardo* Regi, a *Jo. Poneto* operis interprete dicatus eſt, quod et *Sandio* et

Ob-

Obſeruatori Halenſi ignotum fuit. Titulus eſt: *A Tragedy or Dialogue of the vnjuſt vſurped Primacy of the Biſhop of Rome, and of all the juſt Aboliſhing of the ſame.* V. noua acta erud. 1724. *p.* 338. Meminit libri huius *Jo. Strypius* in monumentis eccl. ad religionem eiusque reform. et caſus eccl. Anglic. pertinentibus, *T. II. p.* 189. Abſoluitur nouem Dialogis, ac permagni in Anglia habitus, et ab omnibus lectus eſt.

12) Epiſtola Italice ſcripta *Marchioni del Vaſto*, exercitus *Caroli V.* Generali Praefecto, antequam Italia exceſſerat, nimirum *Venetiis* a. 1542. d. 10 *Febr.* Excudi illam iterum curauit *Schelhornius* l. c. *p.* 2130 ex collectione epiſtolarum Nobil. et Excell. hominum, quam *Aldus Manutius* a. 1549. 8. in lucem emiſit. Addidit ille verſionem eiusdem germanicam. Digna lectu eſt, ob pium argumentum, ſatisque documenti eſt, eodem tempore *Ochini* animum fulgenti Euangelio fuiſſe dicatum.

13) *Reſponſio, qua rationem reddit diſceſſus ex Italia. Super omnia vincit veritas. Venetiis* 1542. 8. Allegatur quoque ſub titulo: *Apologia de fuga ſua ad Pontificem,* 1542. V. *Vogtius* l. c. *p.* 431.

14) *Dialogo. Fauellatori - Prudenza humana e Ochino.* Hunc indicem prae ſe fert Apologia auctoris, cum *Tiguri* munere Eccleſ. priuaretur, ac vrbe expelleretur. Totam inſeruit *Schelhornius* l. c. *p.* 2007 ſeqq. ex *Mſc.* nusquam enim illam fuiſſe typis exſcriptam idem ſignificat; quamuis contrarium videatur indicari in reſponſione, quam ad eandem dederunt miniſtri Tigurini, quae his verbis inchoat: „*Edidit ſuperioribus diebus* Bernhardinus Ochinus *Senenſis Dialogum, quo coram vniuerſa Dei Eccleſia queritur, maxima ſua iniuria, et ſumma iniquitate Senatus Miniſtrorumque Tigurinae vrbis et Eccleſiae, nuper eiectum ſe eſſe Tiguro in exilium.*" *Hottingerus* in H. E. Heluet. *T. III. p.* 877. ſcriptum hoc in *Valle Tellina* eſſe diſſeminatum, a *Fabricio* Mſc. miſſum eſſe *Bul-*

 lingero

lingero d. 20 Mart. a. 1564 commemorat. Inseruit *Hottingerus* H.E.N.T. *T. IX. p.* 475—510 defensionem ministerii Tigurini, *Ochini* apologiae oppositam, cui titulus est: *Spongia aduersus aspergines* BERNARDINI OCHINI, etc. scripta, 1564 m. Martio. Falso hanc *Hottingero*, 56 annos ante huius natiuitatem concinnatam, a *Struuio* in *Obseru. Halens.* et *Saligio* l. c. *T. II. p.* 420 tribui, *Schelhornius* l. c. obseruauit. Qui scriptum hoc Tigurinorum pensitat, non fieri iniuriam *Ochino* ab iis, qui eum a veritatis tramite declinasse iudicant, sibi certo persuadebit.

15) Praefixo *Ochini* nomine a. 1549 prodiit scriptum satyricum de Pont. Rom. *Pauli III.* scelestissimis factis, caedibus, veneficiis, incestu etc. quo ille foedissimorum criminum accusabatur. Argumentum eius palmarium exposuerunt *Sleidanus*, L. *XXI.* et *Thuanus* L. *VI.* Libellum hunc *Jo. Casa* tribuit *Vergerio*, et *Sleidanus* significat a multis dubitari, an *Ochinus* eiusdem fuerit auctor. V. SCHELHORNII *Apologia* pro *Petro Paulo Vergerio p.* 6 seqq. Innotuisse tamen istum Aulae Romanae ante obitum *Pauli III.* ex ODORICI RAYNALDI *Annal. eccles.* T. *XXI.* P. *I. p.* 424 patet, qui inquit: „*Conqueri etiam iussit* (PAULUS *III. per* ALEXAND. FARNESIUM, *Cardinalem, nepotem suum) de libris contumeliosissimis in Pontificem sparsis, nomine* BERNARDINI OCHINI, *Apostatae*, *Caesarique exponere haeretici hominis rabiem ac leuitatem, reique indignitatem ac infamiam in ipsam Caesaream Maiestatem redundare, cum haec omnia sub eius patrocinio committantur.*" V. *Saligius* l. c. *T. I. p.* 659.

§. XIV.

An collegiis in agro Veneto institutis *Guilielmus Postellus*, fanaticorum huius aetatis princeps; vir vastae eruditionis fama, aeque ac vesanis opinionibus inclytus, *Serueto* in S. Trinitatis mysterio suffra-

ſuffragium ferens, ac deinceps eiusdem, quoad mundi animam, quam credidiſſe perhibetur, apologeta; interfuerit, dubium quidem eſt: illum autem a conuenticulorum iſtorum ſociis in heterodoxa ſeductum eſſe, et quadam ratione cum his conſenſiſſe, a veriſimilitudine non recedit, immo argumentis quibusdam euinci poteſt.

* * *

Vitam ſingularis hominis, quem nominauimus, pertexuerunt PAPADOPOLUS in *hiſt. Gymnaſii Patauini* T. *II. p.* 239. *Obſeruat. ſcl. Halenſ.* T. *I. p.* 223. T. *IV. p.* 232. ITTIGIUS *de Guil. Poſtello*, *Lipſ.* 1704. PAULUS COLOMESIUS in Gallia orientali; in ipſius Opp. a *J. A. Fabricio* editis, *p.* 59 ſeqq. *Niceronius* T. *VIII. p.* 342—402. verſ. germ. cui volumini *Poſtelli* effigies addita conſpicitur, et alii plures. Haud pauca quoque lectu digna de illius vita et ſcriptis leguntur in *Sallangre* Memoires de litterature *T. I.* et in *Baylii* opp. T. *II.* f. 312. et T. V. f. 171 et 533. Mihi animus non eſt prolixam vitae eius expoſitionem Vnitariorum actis inſerere, non tamen omnino eum in indice Antitrinitariorum huius aetatis eſſe praetereundum putaui. Natus in vico *Normandiae Barentoni*, Galliae prouinciae, a. 1510 teſte *Natali Alexandro* l. c. T. *VIII. p.* 169. Aduerſam in iuuentute expertus eſt fortunam, qua tamen eximium eius diſcendi deſiderium, ſumma quamuis paupertate preſſus fuerit, non exſtinctum, ſed in dies potius auctum; quod in ipſo ſummopere praedicandum eſt. Quemadmodum ſobrie iudicandi facultate tota ſua vita caruiſſe videtur, ita ſtupendae imaginationis, memoriae etiam ac ingenii eximiis viribus polluit. *Lutetiae* linguarum Latinae, Graecae et Hebraicae perfectam cognitionem breui ſibi comparauit, tanta diſcendi celeritate, vt libros non legere, ſed deuorare vi-

 dere-

deretur, teſte *Raemundo* l. c. L. *II.* c. *XV.* Proueƈtior aetate magna ex parte fauſtiora expertus eſt fata, quibus quoque adnumerandum, quod ſocietatis Ieſu, nuper ab *Ignatio Loiola* inſtitutae ad breue tempus membrum, ſed eadem excluſus fuerit. V. *Saligius* l. c. *T. II. p.* 87. Circa annum 1544 *Romam* acceſſit, ibidemque ob ingenii ſui foetus aliis expoſitos in carcerem conieƈtus, ex quo fuga ſe eripiens *Venetias* petiit. Hoc loco in tantam prolapſus veſaniam, vt vetulam virginem *Johannam*, in Noſocomio Veneto aegrotantibus deſeruientem, vitamque ibi auſteram agentem, *pro reſtitutrice et matre huius mundi*, cui Chriſtus ſingulari prorſus modo gloriam ſuam manifeſtaſſet, anno circiter 1551 vel 1552 reputauerit.

Fanatica haec, de vetula iſta, ſomnia ipſi poſthac anſam ſuppeditarunt, conſarciendi librum, qui, licet facile quisque eodem carere poſſit, noſtra aetate tamen inter rariſſimos cenſetur, ſub indice: *Les très merveilleuſes victoires des femmes du nouveau monde, et comme elles doiuent à tout le monde par raiſon commander, et meme à ceux, qui auront la monarchie du monde vieille. Paris,* 1553. 16. pag. 81. Scopum ſibi in eodem praefixit euincere: feminam aliquando malum genium deuiƈturam; quemadmodum commune malum per conſenſum diabolo exhibitum, olim in hunc orbem a femina inueƈtum eſt; tandem eam diabolum ligaturam, huncque vi coaƈturam, vt totum genus humanum libertati reſtituat, quemadmodum antea illud per feminam ſuppetias ferentem in exitium et imperium ſuum praeceps dederit. Hac occaſione rem ſuam facit, vt feminini generis praecellentiam, et quantum commodi vniuerſo praeſtiterint feminae, demonſtret, inter quas praecipue vetulam iſtam *Johannam* maximis encomiis exornat. Omnium rerum creatarum, quae fuerunt, ſunt, et futurae ſunt, ſanƈtiſſima mater *Johanna*, quam *Euam ſecundam* appellauit, omni miratione praeprimis digna ipſi videbatur, quae per triginta

circi-

circiter annos, perpetuis ſpeculationibus ſacrisque meditationibus dedita hoc temporis ſpatio, egenis aegrotantibus in Noſocomio Veneto, inſeruiit, virosque ac mulieres, pueros ac puellas parentibusque orbatas, materno amore complexa eſt. In hac vetula, quam omnium feminarum redemptricem et deam quandam depraedicauit, eamque ex ſubſtantia Chriſti originem duxiſſe ſomniauit, tanta ſe vidiſſe miracula, homo veſanus et fanaticis furoribus deceptus perhibuit, quanta numquam antea in hoc orbis theatro viſa fuerint, exceptis ſtupendis noui Adami Ieſu factis, quem Patrem ſuum et maritum *Johannae*, ſemet ipſum vero *filium Johannae* natu maximum praedicavit. Summam praeterea vetulae huius ſcientiam in myſteriis, omnibusque rebus arcanis, omni hominum cognitioni praetulit, quae ignara licet linguae latinae, graecae et hebraicae, omnes tamen omnium ſeculorum eruditiſſimos doctrina ſua coeleſti ſuperauerit, innumera S. Scripturae myſteria expoſuerit, variaque futura ratione regni tenebrarum deſtruendi, et reſtituendi regni Chriſti praedixerit. Ab hac ſimplici femina plus ſemet didiciſſe gloriabatur, quam ſi a mundi huius principio doctrinae et ſtudiis operam ſuam nauaſſet omnem. Sed plura huius conditionis ineptias ac deliria exſcribere pertaedet.

A ſcripto iam allegato, quod vulgo *mater Joannis Poſtelli* dicitur, plane diuerſus eſt eiusdem liber: *de virgine Veneta*, quamuis auctorum plurimi hunc cum priore confundant. Prodiit iſte *Venetiis* 1555 multaque impia ac foeda in eodem continentur. V. *Vogtius* l. c. qui de ſcriptis *Poſtelli* plura expoſuit. His aliisque inſanientis animi ſomniis variarum haereſium ſuſpicionem non immerito ſibi contraxit. BEZA in *praefat.* ad *acta Val. Gentilis p.* 12. *Poſtellum monſtrum ex omnibus omnium ſaeculorum haereſibus conflatum* adpellat. Significante *Niceronio* vltro ſemet in carcerem dedit, vt debito ordine ſui defenſionem inſtituere poſſit. Suſcepto cum eodem exa-

mine, inquiſitores optime iudicarunt, plus veſaniae ac delirii, quam malitiae in eodem reconditum, ſtultumque ac ab imaginatione deceptum, immo phreneticum potius, quam haereticum eſſe. *Poſtellum* vero poſt fugam e carcere Romano ſtoliditatem adfectaſſe, ac inſanientis hominis perſonam vltro ſimulaſſe, quo cruciatus et tormenta in haereticos ſtatuta effugeret, veriſimillimum videtur; habuiſſe enim eum lucida interualla, vel circa certum obiectum eum deliraſſe, extra omne dubium poſitum eſt.

Venetorum oppido ac reipublicae valedicens, *Genevam* et hinc *Baſileam* ſe contulit, quam viam Italorum plurimi, qui ob Seruetianas haereſes ex Italia fugam ſusceperunt, ingreſſi erant. Immo ipſum *Poſtellum*, reliquis viam hanc in Heluetiam monſtraſſe ſuſpicamur, ſiquidem ipſe non ad annum 1546. quo collegia ſaepius memorata, diſſoluta a ſcriptoribus narrantur, *Venetiis* commoratus eſt, ſed paulo ante Italia exceſſit; quod propterea veriſimile videtur, quia iam anno 1544 *Baſileae* opus ſuum, *De orbis terrae concordia* publicae luci commiſit, quo ſibi maximas laudes conciliauit, et ſingulari eruditionis adparatu omnes terrarum incolas ad religionem chriſtianam ducere annifus eſt. V. *Biblioth. Hal.* T. III. p. 305. Rediit autem *Poſtellus* ad Venetorum oppidum diſſipatis iam collegiis; anno enim 1553 Venetiis in *Guintae* librarii aedibus, fortaſſis clanculum delituit, quod ex eiusdem ep. a. 1553 ad *Caſp. Schwenckfeldium* ſcripta, d. 14. Aug. colligitur, quae inſerta eſt *coll. antiqu. et nou. de rebus theol. ad a.* 1729. p. 886. Epiſtolae huic *Matthias Flacius Illyricus* praefamen ad *Eraſmum Mincouicium*, Electoris Palatini Cancellarium, Magdeb. d. 10. *Cal. Septb.* a. 1556 ſcriptum praemiſit, in quo ita *Flacius* de Poſtello: „Is tum multa alia impia ac foeda ſcripta edidit, tum „etiam ſuperiore anno Venetiis libellum quendam titulo: „de Veneta virgine, veluti alter Montanus, de ſua Pris-

„cilla

„cilla et Maximila. In quo tantos errores et furores af-
„ſerit, vt cloacam Satanae id ſcriptum, et eum hominem
„merito vocare poſſis. (*Beza* in *Epp. theol.* ep. 1. p. 21.
„*Poſtellum* omnium haereſium cloacam appellat.) Pauca
„quaedam inde recenſebo, ne piis nauſeam cieam, aut
„etiam Spiritum S. in puſillis Chriſti contriſtem. Facit
„tres mundos, tria corpora, et tres animas. Satanam
„eſſe a Chriſto in coelo victum, ac inde pulſum primum
„circa 1540 Domini annum, Octobr. 16. die, et inde
„perpetuo in coelo cantari, Halleluia. Illam ſuam virgi-
„nem, vel ſcortum potius, eſſe de ſubſtantia Filii Dei, eſſe
„alteram Euam, eſſe matrem vniuerſalem totius mundi,
„eſſe ſummum Pontificem totius Eccleſiae. Chriſtum
„reſtituiſſe tantum ſuperiorem partem, ſed iſtam nouam
„Euam, aut matrem debere inferiorem reſtituere, et il-
„lam reſtitutionem debere *Venetiis* ſua opera inchoari.
„Chriſtum veniſſe, vt doceret nos paternitatem mundi,
„ſe debere maternitatem docere. Se eſſe ab illa matre
„mundi regeneratum, et reſtitutum, ac eſſe primogeni-
„tum totius mundi. Se, cum primum reſtitueretur,
„tanta luce et videndi vi fuiſſe donatum, vt per integram
„horam puriſſimum ſolem inſpexerit; Eamque vim ſe
„perpetuo fuiſſe habiturum, niſi quidam nebulones Lu-
„therani venenum ſibi propinaſſent. Se ita eſſe reſtitu-
„tum et regeneratum, vt nullo cibo aut potu indigeat. etc.
„Talibus multis ac inauditis furoribus eſt ille liber, et
„alia huius ſeductoris refertiſſimus, vt non dubites, non
„hominem, ſed Satanam, aut multas etiam diabolorum
„legiones in illo hominis cadauere inhabitantes, talia con-
„tra Deum blaterare et blasphemare. Illa ergo turba
„Cacodaemonorum, quae in Poſtello tales abominationum
„errores euomit, etiam hac epiſtola ad *Stenckfeldium*, ſeu
„commilitones ſuos in Stenckfeldio blaterantes, ſcribit,
„ac hortatur eum, vt pergat ſedulo omnem vim ſalutis ac
„pietatis externis mediis, id eſt, verbo ac Sacramentis,
„detrahere. etc."

Eodem negotio occupatum fuiſſe *Poſtellum*, quo ſocii iſti conuentuum in agro Veneto habitorum, veri non abſimile videtur. Probat in ep., qua tractatum infra allegandum *Melanthoni*, *Bullingero*, et *Martino Borrhao* dicauit, quae in *Moshemii* hiſtoria *Serueti* p. 468. legitur, Eccleſiae reformationem, et euangelicae prae reliquis quidem palmam cedit, emendandam tamen hanc eſſe, et a maculis reſiduis purgandam; quae mens, quod iudicium, maxime circa ſubuertenda chriſtianae religionis myſteria ſtatutum, omnium huius aetatis Antitrinitariorum et primorum *Socinianismi* auctorum fuit. Teſtatur inſuper, quod in id omne ſtudium conuertere velit, vt rationis vſus et S. Scripturae auctoritas reſtituatur, quam ſpeciem primi iſti nouae ſectae praecurſores prae ſe ferebant. Sic autem l. c. p. 473. ad eosdem viros ſcribit: „Nil aliud „praetendo, quam vt recta ipſa ratio, cuius obſeruationis „gratia Deus mundum condidit, et hominem animal ra„tionale fecit, in legem aeternam, ſicut erat a principio, „et ſemper fuiſſet, ſi Adam non peccaſſet, reducatur, et „Scripturae S. tanquam ſummae gratiae ſuffragio robore„tur." Non improbandum *Poſtelli* erat propoſitum, ad quod vero perficiendum nemo ipſo peior ac incapacior fuit, qui ſibi perſuaſerat, ſtolida omnia rationi et S. Scripturae eſſe conſentanea, quae ipſum *Johanna* iſta veſana et ſuperſtitioſa docuerat. Immediate enim poſt hanc declarationem ad ſuam *Johannam*, totius mundi regenetricem deſcendit, et abſurda cum veris confuſe commiſcet. Cum rationis commendatione nectit apologiam pro libertate ſentiendi, omnesque, ad quos ſcribit, adhortatur, vt profpiciant, ne *Caluini* dominandi libido veritati vllum adferat damnum. „Faciatis, inquit, ne tirannuli „vnius in veſtra republica factio, quae vobis etiam apud „veſtros ſummam concitauit inuidiam, veritati aeternae „detrimentum faciat."

Petiit, referente Beza, *Poſtellus Geneuae*, vt in communionem Eccleſiae reformatae ſuſciperetur, et quo id obti-

obtineret, palinodiam errorum ſuorum propria manu conſcriptam exhibere voluit; ſed precum ſuarum complementum hoc promiſſo non conſequutus eſt. Accuſavit eum *Caluinus* in *refutat. error. Serueti* a. 1554, quod cum *Serueto* varia defenderit; nec criminatio haec pro figmento aeſtimanda, cum in dogmate palmario, quoad negationem realis differentiae perſonarum in eſſentia divina, cum *Serueto* omnino conueniret; voluit quidem ſpeciem prae ſe ferre, ac ſi myſterium S. Trinitatis et incarnationis Chriſti per argumenta ex ratione deriuata declarauerit; hoc tamen ipſo Maieſtatem reuelati huius myſterii manifeſto impugnauit. In ipſa Apologia ſua nugatus eſt, *intra Trinitatem primam aliquam eſſe intelligentiam, omnes Angelicas et humanas intelligentias complexam, quae velut lumen ſolis trini vel odor corporis odorati emanauerit, et poſtquam nata ac formata eſt, ſecundae perſonae vnita fuerit.* Iudicium hinc ferunt Obſeruatores Halenſes de *Poſtello*, T. I. Obſ. XXI. p. 343. eum S. Trinitatis et incarnationis myſterium non in dubium vocaſſe, ſed ex ipſa ratione, illud confirmare, demonſtrare vel etiam illuſtrare ſtuduiſſe. Hoc ipſo tamen vtroque modo a vero aberrauit. Licet diuerſam myſteria impugnandi viam *Poſtellus* atque *Seruetus* ingreſſi fuerint, non tamen dubitandum, quin in palmario themate vltro conſpirantes, in acceſſoriis quoque conſenſiſſent, ſi deliberandi et conferendi inuicem copiam nacti fuiſſent. *Poſtellus* enim *Servetum* defendit, et vario reſpectu conſenſum ſuum cum eodem teſtatus eſt. *Seruetus* tres in diuina eſſentia perſonas, tres oeconomias, diſpenſationes ac reuelationes facit; *Poſtellus* eas eſſe proprietates nomenque Patris ad diuinam potentiam, Filii ad ſapientiam, et Spiritus S. ad amorem et gratiam in Deo ſpectare ſtatuit.

Specialiora eius placita perſpiciuntur ex ipſius *Apologia* pro *Serueto Villanouano, de anima mundi, ſiue de ea natura, quae omnino neceſſaria eſt, et habenda eſt media in-*

ter

ter aeternam immobilemque, et creatam mobilemque, estque consubstantialiter in ipso Christo, sicuti est etiam habenda, contra aspergines et praecipitatum Caluini *in hanc caussam iudicium. Siue vt titulus sit clarior, de Dei et naturae, vel de Animae et animi mundi, seu de diuinae naturae, et inseparabilium ab ea virtutum eius summo conatu et effectu*, Guilielmo Postello, *Restitutionis omnium primogenito, a* Caluino *hac in caussa maligne perstricto auctore.* De Deo in hoc scripto ita suae mentis cogitata profert: „Etiamsi omnes homines et ecclesiae mundi con„tradicerent mihi, nedum vnus homo incognitus, fieri „tamen non posset, vt aliter intelligerem Essentiam sub„stantiamque Dei, quam vt sit trina in subsistentia. Nam „nisi sit Potentiae, Sapientiae, Beneuolentiae, Clementiae „infinita substantia, impossibile est omnino, vt quicquam „sit ab essentia illa creatum, formatum aut factum." Suam de Trinitate opinionem ab animae humanae natura, illustrare conatur: „Quum videamus in homine, cuius „caussa Deus mundum visibilem ordinauit et creauit, „fieri nulla ratione posse, licet tantum distet a Deo, quan„tum solis substantia a terra, quia tamen rerum omnium, „quas sponte facit, habeat *Posse, Scire* et *Velle*, est omni„no illud longe magis in Deo necessarium, per quem tales „sunt omnes homines, vt sit substantia, *Potentiae, Sapien„tiae* et *Clementiae.* Licet autem anima nostra non dica„tur esse Trina aut vna, quamuis *Potentia, Sapientia* et „*Clementia* differant in illa, tamen quod Deus, eo quod „Deus duce potentia, complens est et continens omnia, „potissimum formas creat, ordinat, distinguit, duce Sa„pientia vero, cuius est ordinata disponere, curat, vt ma„teriae gradus formis respondeant, et duce clementia fa„cit, vt vna et materiae et formae gradus componantur; „ideo necessarium, vt subsistentiae tres sint in ipsa essen„tia Dei. Vna enim agit tanquam a Circumferentia ad „Centrum: hinc formae nihil sunt suarum virium aut fa„cultatum ratione. Secunda a Centro ad circumferen„tiam

„tiam corporis molem excitat, et diducit ex non ente in „ens: medio actu centrum Circumferentiae nectit artifex „illa clementia, quae digitus Dei est; Impossibile est sine „tribus illis subsistentiis conditum fuisse (mundum). Sic „ab aeterno Deus est Trinus et vnus." Et l. c. p. 476: „Deus omnia ab aeterno cum suae essentiae Potentia, Sa„pientia et Clementia infinita replet et continet. Est ita„que omnino impossibile eum intelligere, nisi per Tri„nitatem, id est per Trinitatis in vnitate considerati„onem. Tres enim primariae subsistentiae, Proprietates, „differentiae et distinctiones, siue Personae ipsius deitatis „intelligantur, necesse est, priusquam vllus actus ipsius „possit animo concipi. Nam nisi Potens, Sapiens et Cle„mens, per Potentiam, Sapientiam et Clementiam sese no„bis in mundi huius opificio demonstrasset, procul dubio „est omnino impossibile, vt generi humano innotuisset."

In hoc scripto perhibet *Postellus*, quod sibi quoque *Serueti* nomen ignotum fuerit; hoc autem pessime inficiatum esse, nos persuasos habemus, nec defuere mendacii huius rationes. Postquam vero igne absumtus fuerit, peruenisse ad manus suas narrat scriptum *Serueti* de *Trinitate*, idque vt putat, nondum typis expressum, quod cursim et vellicatim, vt ipse dicit, legisset. Ex ipsius de hoc libro sententia patet, quod iis, quae *Seruetus* de *Trinitate* docuerat, in genere calculum adiecerit, nec mirandum, quod in huius explicandi ratione nihil ipsi displicuerit, cum ipse Personarum a se inuicem distinctarum Trinitatem negarit, et attributorum diuinorum Trinitatem admiserit. Sine dubio scripto isto *Serueti*, quod in *Mspto* legit, *Christianismi Restitutionem* innuit, quod illi in Italia et Venetiis versanti, antequam Lutetiam Parisiorum adiit, in manus fortassis venerat. Cum *Seruetus* iam anno 1535 vel 36 exemplar huius scripti *Caluino* transmiserit, probabile est, eundem quoque vnum atque alterum exemplar *Msc.* in *Italiam*, et inprimis *Venetias* mi-

fisse,

fiſſe, maxime cum *Poſtellus* ipſe referat, *Seruetum* plures in Italia amicos et Patronos habuiſſe.

His, quae de *Poſtelli* in articulo de myſterio S. S. Trinitatis figmentis diximus, fidem faciunt, ab eodem circa hoc argumentum, in libro *de orbis terrae concordia*, in lucem prolata. In huius parte prima, chriſtianae religionis placita, (vt ipſe ſignificat,) rationibus philoſophicis docet; et ſectione tertia de Trinitate et Trino Deo ita agit, vt myſterium hoc ex rationis principiis, ex Cabala et Talmude, immo adeo Muhamedanorum teſtimoniis adſtruere velit, S. ſcripturae V. et N. T. oracula vero, vel leuiter tantum tangit, vel plane nullam eorum facit mentionem. Quanta in *Serueti* ac *Poſtelli* explicatione myſterii S. Trinitatis conuenientia, tanta deprehenditur differentia inter ſomnium huius de anima mundi et illius imaginaria diſtributione diuinae eſſentiae per hoc vniuerſum. *Poſtellus* enim ex Axiomate, Finiti ad Infinitum nullam eſſe proportionem, hanc infert conſequentiam, quod neque Deus infinitus ad res creatas finitas, absque natura media appropinquare, mundumque regere, nec diuinitas nec humanitas in Chriſto vniri poſſit, niſi quaedam ſubſtantia media infinitum ſpatium compleat, quod Deum et orbem, diuinam et humanam naturam, intercedit. Haec ſubſtantia media ipſi ſub nomine *animae mundi* venit, quam vero adeo obſcure deſignat, vt nemo ſanus hoc ingenii phantasma capere poſſit, immo certo iudicari debeat, id ipſum non intellexiſſe. Quamuis enim ſuum de anima mundi conceptum, ſimili quodam ab anima mutuato illuſtrare voluerit, obſcurum tamen per aeque obſcurum nihil lucis obtinet. Ita autem de ea loquitur, l. c. p. 466: „Proteſtor itaque toti Eccleſiae et poſteritati „humani generis, me nihil aliud intelligere, aut intelligi „velle per hanc mediam naturam, quae eſt anima mundi, „et cuius ſummus conatus eſt, Maternitas generalis, ſicut „a Deo diuinitateque eſt paternitas generalis, quam diui-

„narum

„narum virtutum cumulum, aceruum, molem, massam, „vnionem aut congregationem, per quam Deus, alioqui „in se omnino immotus et immobilis, fit realiter et actu „ad particularia mobilis, et qui nusquam locum obtinet, „omnia sine loco replens, localiter tamen in diuinarum „virtutum coaceruatione fit, Ssechinach, hoc est, localis, „et loco mobilis prouidentia, cuius medio Deus omnia „disponit, sicut anima nostra loco certo carens, et per se „immobilis, per suas tamen virtutes localiter in toto cor-„pore dispersas, omnes partes corporis mouet, regit, et „conseruat."

Quicumque interea conceptus, cum *Postelli*, de anima mundi, explicatione copuletur, in aprico tamen positum est, longe aliter de nexu diuinae essentia, cum rebus creatis, et influxu caussae supremae in hoc vniuersum sensisse *Seruetum*. Qua igitur intentione Apologiam *Serueti* susceperit, dici nequit; vel enim *Serueti* de hoc argumento sententiam non debite intellexit, librumque eius non attente perlegit; vel fastu inflatus sibi persuasit, *Seruetum* discipulum suum, sibique adeo homodoxum fuisse. Primum suam de anima mundi sententiam orbi exposuerat in libro, qui *Basileae* 1547. 4. hoc indice lucem publicam adspexit: *De natiuitate mediatoris vltima, nunc futura et toti orbi terrarum, in singulis ratione praeditis manifestanda, opus. In quo totius naturae obscuritas, origo et creatio ita cum sua caussa illustratur exponiturque, vt vel pueris sint manifesta, quae in Theosophiae et Philosophiae arcanis hactenus fuere. Auctore spiritu Christi, ex scriptore* G. POSTELLO, *Apostolica professione sacerdote.* Inter Manuscripta *Bibliothecae Baumgartenianae* teste Catalogo. p. 70. N. 35. allegatur, formae 4. addito *Peterseni* nomine. Nihil minus in hoc libro occurrit, quam quod titulus venditat, et quae proponit, tanta obscuritate inuoluit, vt facile quis crederet, eum intelligi noluisse. Id tamen cognoscitur, allaborasse auctorem, vniuersalem huius mundi animam adstruere, quam hoc vniuersum tamdiu inha-

inhabitaturam credidit, quamdiu femet toti generi humano communicauerit.

Ep. *Postelli* ad *Andream Masium*, intimae admissionis amicum, inserta *Maseo histor. Philolog.* Vol. *II.* P. *III.* p. 438. non tantum errorum monstra in genere exponit; sed etiam argumento comprobat, *eum* Antitrinitariis esse accensendum. De diuina ac infallibili inspiratione Apostolis facta dubie loquitur. Scripturam corruptam esse, immo in ea falsa occurrere, neque necessariam docet. Duce natura cognosci posse Deum per Christum. Euangelium esse emendandum. Vnum esse Deum, qui sit mens mentium. Omnes homines esse eius partes. Mortuos dormire. Christum esse creatum. Esse fontem idearum, et spiritum mundi, quem Turcae vocant *Macbad.* Omnes homines esse eius actualia membra. Deum non curare particularia. Ad opprimendam falsam intelligentiam suscitatum esse Muhamedem. Spiritum S. esse minorem filium. Spiritum Patris, Filii et Sp. S. esse creatum et mobilem. Sine his veritatibus nullam esse prouidentiam, nullam scripturae veritatem. Dari rerum omnium reuolutionem. Infernum tantum esse purgatorium. Homines ex eo esse liberandos. Johannam suam *sibi esse, quod Maria fuit Christo, aut Aegeria Numae.* — In litteris selectis *Rich. Simonii*, Amstel. 1700. 12. editis, ep. XXI. de *Postello* haud pauca lectu digna exponuntur. Praecipue de eodem notauit auctor: Philosophiam eius fuisse Aristotelico-Auerroisticam, Platonicis et Caballisticis interpolatam doctrinam: *infra Trinitatem eum statuisse Intelligentiam, quae omnes siue humanas, siue angelicas intelligentias contineat, quae sit Trinitatis prima emanatio, et praecipue secundae Trinitatis personae, vtpote passibili, vnita fuerit.* Quod a Virgine Veneta redemtionem sexus sequioris expectandam esse somniauerit, *Simonius* constantissime negat; qui etiam *Postelli* in rempublicam litterariam merita notauit, inter quae nauata in codicibus manuscriptis ex Oriente aduehendis opera eminet.

Paucissi-

Paucissima tantum hominis supra modum fanatici somnia hoc loco significavimus; in hunc censum etiam sequentia veniunt: 1) Animam Christi ante hoc vniuersum creatam cum λογω ab aeterno unitam fuisse. 2) In coelo totius naturae contenta et fata litteris hebraicis, quas stellae formarent, consignata esse, quaeque semet ipsum vidisse et in coelesti scriptura legisse, per Deum eiusque Messiam obtestatur. 3) Mundum hunc per sex millenaria duraturum. 4) Ante saeculorum consummationem omnium rerum αποκαταςασιν futuram, mundumque in eum statum, quo ante hominis lapsum fuit, rediturum. Non vero *Postellum* eadem omni tempore statuisse, sed potius sibi ipsi haud raro contradixisse, ac semel affirmata alia vice euertisse, *Niceronius* optime notauit; quod in homine viuacissimae nullisque regulis adstrictae imaginationis, qui sibimet ipsi maxime placuit, stupenda rerum et idearum multitudine, absque ordine, memoriam suam onerauit ac oppressit potius, quam exornauit, facile accidere potuit.

Eundem *Lutetiis Parisiorum*, in coenobio S. Martini a *Campis*, in quo per aliquot annos in custodia libera vixit, a. 1581 mortuum esse, anno aetatis fere 72. compluribus probatum est, qui quoque in templo coenobii, ad altare *S. Mariae* in pariete haec legi verba, testantur:

Postellus postquam peragrauit plurima passus
Pro pietate polos Parisiis petiit,
Obiit sexto Septembris 1581.
Moerens ponebat, Adrianus Tartrier Medicus.

Scripta quam plurima et circiter quinquaginta in publicum protrusit, quae post Niceronium recensuit Freytagius in *Annal.* p. 699—706. *Biblioth. Hal.* T. VI. p. 357. sqq. *Hist. libr. memorab.* T. III. p. 305 sqq. Librum eius de virgine Veneta, nec non Apologiam pro *Serueto* cum aliis nonnullis Bibliotheca Vffenbachiana tenuit, V. Catalogus eiusdem Tom. III. p. 753. 683.

693. 696. et Tom. IV. ſub tit. *Poſtellus.* Epiſtola ejus HOSIO 1567 menſe JULIO ſcripta, qua acerbe Sacramentarios perſtringit, ſuumque *Hoſio* libellum transmittit de *miraculo a locali corporis Chriſti praeſentia factum* LAUMDUNI, ſummaque imis fanaticorum more miſcet, inſerta reperitur E. S. CYPRIANI *Tabulario Eccl. Rom. ſec.* XVI. p. 435. ſqq. In hac ita ſcribit: *Licet eo infoelicitatis deuenerim, vt qui amenſſum a S. D. N. Papae* PAULI CHARAPHAE *Legato vna cum aſſeſſoribus Triumuiris Veneti Senatus judicatus, et praeterea ſim meis in libris proſcriptus Romae, licet ſemper omnia mea ſcripta Eccleſiae Catholicae Romanae ſubieciſſem, tamen potius moriar, quam catholicus reuera eſſe deſinam.*

§. XV.

Matthiam Gittichium, Michaelis Venetiani patrem collegiis Vicentinis interfuiſſe, nullo quidem teſtimonio confirmari poteſt; videtur tamen filius patre Italo *Venetiano* oriundus, in memoriam eorum, quae *Venetiis* circa primordia Antitrinitariorum ſectae geſta ſunt, cognomentum adſciuiſſe, vt omiſſo paterno nomine, ſolo *Venetiani* gentilitio, nominari voluerit. *Franciſcum Stancarum* Mantuanum, famoſiſſimum in Eccleſia perturbatorem, inter Italos huius aetatis heterodoxos collocandum, collegia iſta in agro Vicentino frequentaſſe, certo qvidem dici nequit; ſunt tamen rationes coniecturae locum facientes, ipſum conventuum iſtorum ſociis faviſſe, quae rationes in eadem cauſſa de *Paulo Scalichio* adferri poſſunt. Celeberrimus quoque, *Petrus Paulus Vergerius,* qui circa annum 1548 Epiſcopatui, pontificiis ſacris ac Italiae ſimul valedixit, iſtis ſodali-

dalibus data occaſione fauorem ſuum teſtatus eſt; quamuis Antitrinitariorum errorem nunqvam aperte profeſſus fuerit.

*
*
*

MICHAELIS GITTICHII inſignis Sociniani in Polonia coetus defenſoris (B. A. P. I. p. 372.) cognomentum VENETIANI, a Patre *Matthia Venetiis* oriundo, mihi ſuſpicandi ſuppeditat rationem, Patrem, vel collegiis memoratis interfuiſſe, vel ſaltem cum horum ſociis amicitiam coluiſſe. Id extra omne dubium eſt, MATTHIAM GITTICHIUM *Italis* accenſendum eſſe, qui circa medium ſaeculi XVI, quo collegia iſta dispulſa narrantur, Italia relicta in exteras regiones peregrinati ſunt. Fuit is in re mediea verſatiſſimus, quem GABRIEL FALLOPIUS in obſeruationibus anatomicis vt ſummum virum laudat. In *Italia* Ducis Venetiani ALOYSII MOCOENICI medicus extitit, qua ſtatione ipſi a Pontificiis immo a Pontifice ipſo Romano ſtructas eſſe inſidias, *A. Dinneri* epiſtola ad *Scholarchas* Academiae Altorfinae die 30 *Deç.* 1609 ſcripta, quam *Zeltnerus* l. c. p. 86. ſqq. ex autographo typis excudendam curauit, nos condocet. Italia igitur propter religionem relicta, in Polonia Euangelicorum ſacris ſe addixit, hinc filius MICHAEL ſe patre Euangelico natum eſſe teſtatur, (vid. B. A. p. 390) quod tamen eo ſenſu intelligendum, quo omnes Itali in heterodoxa inclinantes, Euangelicorum ſacra adfectarunt, cum quibus Antitrinitarii in principio, antequam publica ſeparatio facta, ad ſpeciem vniti fuerunt. Inſidiae vero iſtae MATTHIAE GITTICHIO *Venetiis* ſtructae, probabiliter in iſtud tempus incidunt, quo a. 1546. collegia Vicentina diſſoluta, eorumque ſocii in alienas terras fuga ſe recipere coacti fuerunt. Is proinde ex Italia et Venetiis profugus, narrante *Dinnero*, in Poloniam ſe contulit; fortaſſis autem, ante iter in Poloniae regnum ſusceptum,

Geneuam, vel aliam Helvetiae civitatem ſalutauit, quam viam niſi omnes plerique tamen exſules *Itali*, ingreſſi ſunt. In Polonia ex praxi medica vitam ſuſtentauit, ibidemque matrimonium cum foemina opulenta, (filius enim in ep. ad *Ruarum* ſe primis adoleſcentiae ſuae annis ſatis liberaliter fuiſſe habitum ſignificat,) iniit, et ex hoc matrimonio *Michaelem* cognomento Venetianum, incertum quo praeciſe anno, probabiliter intra annos 1580 ad 1590 procreauit, qui *Venetiani* cognomine, quo maxime delectabatur, ad incunabula totius familiae et diſciplinae ſocinianae *Venetiis* et in agro *Vicentino* praeformata reſpexiſſe mihi videtur.

Famoſiſſimum illum Franc. Stancarum, *Mantuanum* ad ipſa collegia acceſſiſſe veriſimile non eſt, eum tamen propter heterodoxa, fuga ex Italia ſalutem petiiſſe, certiſſimum eſt. Accidit haec fuga jam ante annum 1546. nam a. 1543. teſte de *Porta* l. c. L. II. p. 89. *Stanckarus Clavennae* in Raetia commorabatur et cum *Franſciſco Nigro* et *Camillo*, (de quibus alio loco) magnam in re ſacramentaria concitavit diſſenſionem, qvae quoad hanc pugnam in plenarium ſchisma progeneravit, et pio Clavennenſis coetus miniſtro, *Auguſtino Maynardo* maximam contraxit moleſtiam. Cum Venetis ipſi et poſt hoc tempus fuiſſe commercium, ex nonnullis vitae ipſi us circumſtantiis probabiliter colligitur. *Balth. Alterius*, a ſecretis Legati Anglicani apud Venetos, ita de eodem ſcribit: (*de Porta* l. c. p. 121.) *Cerebrum Stanckari a multo tempore novi, et ſcio optime, qvo pede claudicet. — — Is pauperculus ſemper fuit, ſcandaloſus et extranearum opinionum, et qvandam habet inſtabilitatem, vt neſciat, qvid expiſcetur, temerarius, multo plus, qvam in tuis (Bullingerus) litteris dicas: propterea fugite illum amore Domini, et amovete illum ab oculis, quo citius poteſtis: aliter nunqvam qvieſcet neqve Tu neque Eccleſia veſtra.* Inter *ſcripta* eius, qvae in *Bibliotheca Gesneri* per *Simlerum* aucta et per *Friſium* amplificata

Tigur.

Tigur. 1583. p. 245. recenſentur, STANCARI *expoſitio in epiſtolam Jacobi* Apoſtoli, *Venetiis,* apud *Parcum* 1546 excuſa allegatur: quo loco jam a. 1530 breuiſſima eius inſtitutio de modo *legendi hebraice* prodiiit. STAN. ORICHOUIUS *Roxolanus in Chimaera,* ſiue *de Stancari funeſta regni Poloniae ſecta,* Colon. 1563. de eodem p. 121. b, inquit: „*Cur Franciſcus Stancarus fugiens e Mantua non potuit ſedem et domicilium vitae alibi ponere, quam in Polonia? Cur is euitauit Patauiam Mantuae vicinam? Cur e* VENETIIS *enauigauit, aut cur illam praeteruolat vrbem florentiſſimam potentiſſimamque? quae optimorum ac eruditorum virorum non receptrix ſolum, verum etiam altrix eſt, cur, inquam, is patria fugiens, ad vrbem* VENETAM *non flexit iter? Cur ad nos potius, quam ad alios in Sarmatiam penetrauit? quid cauſſae aliud quis eſſe dixerit, niſi quod Stancar* VENETORUM *leges timuit, noſtras autem contempſit? An* VENETI *hunc fugitiuum in illa ſeueritate Reipublicae canones reformatorios ſcribentem ferrent?*" Eiusmodi canones reformationis Eccleſiarum Polonicarum a. 1552, 8. *Stancarus* diuulgauit, quibus perſtringendis *Orichouius* in *hoc libro* operam nauauit.

In loco de S. Trinitate non quidem STANCARUS *Laelio Socino*, ceterisque horum collegiorum ſociis adſpirauit, immo potius et diſputatione publica d. 20. *Jun.* 1551. in *Academia Regiomontana*, publice ventilata, et duobus opuſculis, *de Trinitate et vnitate Dei*, orthodoxam de hoc myſterio doctrinam vindicare ſtuduit, aduerſus *Tritheitas, Arianos, Eutychianos, Cerinthianos, Ebionitas, Photinianos* etc. Ejus igitur mentionem non facimus; quod Antitrinitariorum numero eum omnino inſerendum eſſe arbitremur: ſed quod probabile videatur, niſi deliberationibus *Vicentinis*, de reformanda doctrina chriſtiana interfuerit ipſe, vel ſaltem iisdem adplauſiſſe. Hoc interea reſpectu aduerſus articulum de S. Trinitate impegiſſe putandus eſt, quod Theologos

orthodoxos Christum secundum vtramque naturam hominum Mediatorem ad S. Scr. ductum docentes, *Tritheismi* accusauerit, sibique persuaserit, quod omnes, qui aduersus suum de Mediatore argumentum pugnam inierunt, tres Deos nolentes fecerint. De excitatis ab eodem controuersiis, occasio dabitur in historia *Socin. Pol.* ex *actis* MSSCC. plura differendi. Vitam eius et motus variis locis ab eo concitatos, nec non scripta eius exposuerunt Saligius l. c. T. II. p. 570 sqq. et p. 714 sqq. Baylius l. c. tit. *Stancar*; Lubieniecius l. c. L. II. Cap. VI. Wengerscius l. c. p. 228. Hartknochius in H. E. Pruss. p. 344. Pr. Zehenden, T. I. p. 268. Ant. Possevinus in *refut. resp. Dav.* Chytraei p. 177. Refutarunt eius placita inprimis Alesius, Caluinus, Heltus Pannonius, Melanthon, *Stan.* Orichouius, Conr. Schlüsselburgius, Simlerus, *Tigurini Theologi*, et Jo. Wigandus de *Stancarismo*, Lips. 1585. 4.

Quae de *Paulo Scalichio*, nisi socio attamen sodalium Collegiorum Vicentinorum amico et fautore, Prussiaeque conturbatore, dici possunt, expositurі sumus in *Historia Socinianismi Prussici*.

Celebratissimum est Petri Pauli Vergerii, Junioris, legati olim Pontificis et Episcopi Justinopolitani nomen eruditis, praecipue historiae reformationis gnaris, quippe qui summis muneribus in Ecclesiae Romanae sinu ornatus, proximus summis a pontificatu honoribus fuit, tandem vero praeter omnem opinionem ad Protestantium coetum confugit, et scriptis compluribus, suum in curiam Romanam odium prodidit. Sunt quidem haud pauca apud scriptores inprimis Saligium et Schelhornium l. l. cc. aliosque hinc inde dispersa, quae ad ejusdem vitam et scripta spectant; sed vere omnino iudicauit, Jo. Dan. Janoscius, de libris *rar. Polon. in Biblioth. Zalusc. obviis* P. I. p. 63. *Vitam* Vergerii *a nemine vnquam toto ambitu suo esse narratam; In primis scripta a*

Ver-

VERGERIO *edita, omniumque judicio rara et rarissima, nullibi pleno indice, et quoad praecipua eorundem contenta, exhibita animaduertuntur; ipsi enim* SALIGIO *numerosissima adiuto Bibliotheca, quaedam manserunt incognita.* Hinc operae praetium aestimamus fata et scripta viri huius famigeratissimi, qui et *Prussiam* et *Poloniam* salutauit, librosque adeo in his regionibus concinnauit et prelo subiecit, peculiari aliquando schediasmate luci publicae exponere. Hoc loco significare sufficit, quod rationes in promptu sint, conjiciendi locum facientes, *Vergerium* non quidem erroribus in agro Vicentino, aduersus S. Trinitatis mysterium conceptis, attamen collegiorum istorum sociis, qui animum suum illis imbutum monstrarunt, inprimis *Laelio Socino* fauisse, mentemque propensam testatum esse; quemadmodum quoque vitae eius historia comprobat, illum hoc tempore inter *Venetos* aliquamdiu vixisse. Eadem vnicuique testabitur, VERGERIUM, reformatoris in Ecclesia famam et titulum, quouis modo ambiisse, quem omnes, qui in Antitrinitariorum syrtes hoc tempore inciderunt, adfectasse scimus. Fuit is intimus MATTHAEO GRIBALDO, collegiorum istorum socio non infimo, cum quo SPIERAM desperabundum saepe inuiserat. Quanta in illum fuerit propensione, colligitur, quod *Geneua* publice excedere coacto, locum et hospitium *Tubingae* parauerit, et legendi in Academia veniam procurauerit. Multum quoque commercii intercessisse *Vergerium et Laelium Socinum*, inprimis cum hic *Tubingae* commoraretur, ex ep. *Puchelebii*, *Vergerio* scripta conjicimus, in qua ille *Laelium* quendam, quem *Socinum* fuisse nullum dubium est, communem amicum adpellat. Non parum auget suspicionem de eodem conceptam, quod relictis Pontificiorum sacris, nulli omnino Euangelicorum coetui et confessioni ex animo se iungere voluerit, quod ex tota vitae ipsius comparet recensione. Nec *Lutheranis*, nec coetibus confessionem helueticam suscipientibus, suum subtraxit

xit fauorem, nec a fratrum Bohemorum disciplina alienus fuit; sed nullius vnquam communionem serio et constanter sollicitauit. Nullus vnquam coetus eum in gremium suum adoptavit, qui omnibus ob vagum circa fidei confessionem animum suspectus visus est. Magis vrgebat *Vergerius* pietatem et emendandos mores, quam orthodoxiam et certum credendorum canonem. Hinc plura adhuc desiderari in reformationis negotio, quam quae in purganda doctrina praestita erant, quauis occasione venditauit; quam opinionem habuisse omnes, qui vel *Collegiis Vicentinis* interfuerunt, vel alio modo et loco aduersus mysteria fidei christianae hoc tempore pugnarunt, saepius obseruauimus.

Maxime suspicionem heterodoxiae sibi contraxit, quod in annotationibus ad catalogos librorum a pontificiis proscriptorum, ne vnica quidem littera merito proscribendos et ab omnibus Christi ciuibus, quarumcunque fuerint confessionum, damnandos notet, nec vnquam lectores de auersandis ac repudiandis Antitrinitariorum scriptis moneat; sed potius haec Euangelicorum et veritatis testium libris suo vel judicio vel silentio aequiparet. Notauit quidem circa Catalogum haereticorum, *Bern. Ochinum, Ludov. Hetzerum, Mich. Seruetum* aliosque, neutiquam tamen hos a coelestis doctrinae vindicibus separauit, nec suum aduersus illorum errores, tanquam orthodoxae fidei defensor, testatus est animum auersantem. Immo potius mysteriorum osores veritatis euangelicae testibus ac egregiis Christi militibus, accenset. Ita enim sine omni horum scriptorum exceptione et determinatione, in notis ad *Catal. haeret. Regiomonti a.* 1556. 8. edit. scribit: „*Si quis ex nostris forte, qui aduersus Papatum, Christi hostem scripserint, ignoret, cupiat autem illorum sibi libros comparare, ex hoc velut indice, quem nostri aduersarii magna nobis diligentia parauerunt, id ipsum facile consequi potest.*“ Prolixe quidem nota-

notauit libros aduersus Deum, Filiumque eius aeternum et vnigenitum blasphemos, qui apud Pontificios exstant in tabernis atque in foris, maxime in celebrioribus Italiae ciuitatibus, *Romae*, *Venetiis*, *Florentiae*, *Ferrariae*, et *Mediolani*, sed quamuis hac ipsa significatione, commoda oblata fuerit occasio, libros *Serueti*, *Campani* aliorumque atro notare calculo, studio tamen id officii omisisse videtur, satiusque duxit, haec praeterire omnino, sicqve animi sui sententiam occultare. Non obscure STAN. HOSIUS, Episc. Warmiensis in libro *de expresso Dei verbo*, *qui Regi Poloniae Sigismundo Augusto* inscriptus est, ad VERGERII cum Antitrinitariis consensum respicit, quando p. B. IIII. scribit: „*Erit quisquam qui sibi persuaderi patiatur, Jesu Christi doctrinam esse, quam profitetur* VERGERIUS, *quam non Christiani modo detestantur, verum ipsi etiam Germani Lutherani vqve eo execrantur, vt, qui sunt eam amplexi, cum iis, nec viuis nec mortuis, communicandum esse putent? Sed nolo plura de* VERGERIO, *cujus propterea hic mentionem iniecimus, vt intelligere quiuis posset, apertius per hunc, voluntatem suam, Sathanam explicasse, quam per illos* etc.“ Fatemur interim lubentissime, nec *Hosio* credendum esse in omnibus, quae de *Vergerio*, nec huic, quae de *Hosio* profert.

Tantum interim pondus his coniecturis & praesumtionibus neutiquam statuo, vt virum ceteroquin pium et ob varia negotia et indefessum promouendae reformationis in diuersis regionibus, et in *Polonia* praecipue studium, bene meritum, Socinianismi macula adficiam. Immo amore, qui Christi ciues decet, ductus credo, *Vergerium* circa vitae suae finem, stabiliorem fuisse, et exemptum opinionum fluctibus, quibus per maiorem vitae suae partem iactabatur.

Ne aliis me accuſandi locum faciam, qvod viris orthodoxis ac inſontibus injuriam fecerim, pluribus conjecturis vltro abſtineo. Viſus autem aliquando mihi eſt Minus Celsus *Senenſis*, vel Collegiorum Vicentinorum ſodalis, vel horum ſodalibus fauens fuiſſe. Exſtant enim inter epiſtolas Italicas Claudii Tolomei, itidem *Senenſis*, *Venetiis* 1566. 8. editas, *Fabii Benvoglienti* litterae ad *Minum Celſum*, *Venetiis* die 15. Septembr. 1548. adeoque biennio poſt dispulſa Collegia ſcriptae. V. *Vogtii* Catal. libr. rar. p. 183. Imo fortaſſis Franciscus ille Spiera, *Ciuitatulanus* illis Italis accenſendus, qui in agro Vicentino de reformanda Eccleſia deliberarunt. Habuit is *Pataуii* domicilium, quo loco aduocatum in cauſſis agere ſolebat. Accuſatus eſt circa initium anne 1548, quod quaedam contra purgatorium aliaque Eccleſiae Pontificiae ſtatuta dixerit. Hinc ad legatum Pontificis *Venetias* vocatus, ab eoque interrogatus, profitebatur, ſe multa contra doctrinam, quam Eccleſia Romana tenet, et dixiſſe et adfirmaſſe; ſed territus ſuo ac familiae ſuae periculo, vndecim enim miſer habuit liberos, palam promiſit, et, vt creditur, jurejurando quoque confirmauit, ſe nihil deinceps tale quid vnquam dicturum. V. P. *Vergerii Hiſtoria Franciſci Spierae* etc. *Tubingae* 1558. 8. p. 8. Mentio praeterea fit in *Tobiae Eglini* epiſtola quadam ad *Bullingerum* ſcripta, cujus verba alio loco allegavi, *Turriani* cujusdam Plurienſis Eccleſiae in Heluetia miniſtri, qui iam antea in Italia ſacro miniſterio functus erat, nec non *Camulii Nicolai*, et *Camilli Socini*, *Laelii Socini* germani fratris, qui poſthac haereticorum fautores deprehenſi fuerunt, et fortaſſe ex Collegiis iſtis Vicentinis, tanquam ex equo Troiano egreſſi ſunt. Sed haec et alia ſolidiori ſcrutinio relinquo, merisque adnumero conjecturis; quamvis de *Camillo Socino* indubitatum ſit, eum Antitrinitarium fuiſſe.

Multum

Multum lucis iis quae iam dicta sunt, adfert opus eruditum saepius, ic tatum, *de Porta: Historia Reformationis Ecclesiarum Raeticarum ex genuinis fontibus* etc. *Curiae Raetorum* et *Lindaviae*, *Tom.* I. 1772. *Tom.* II. 1777. Inprimis auctor L. I. pleniorem instituit enarrationem de *Proselitis Italis*, qvi ab a. 1540 ad a. 1552 ex Italia religionis caussa in Raetiam migrarunt, quibus post alios, *Camillum* quendam *Renatum*, patria Siculum accenset, qvi *Clavennae*, (Chiavenna) placita Sociniania deinceps propria aliis persuasit, multosque ista adprobantes nactus est.

§. XVI.

Itali Antitrinitarii, inter quos *Loelius* inprimis *Socinus* fuit, ex Italia profugi, in coetuum reformatorum sinum, vel in *Rhaetiam*, vel *Geneuam* primum se contulerunt, ibidemque clam aduersus fidei christianae mysteria molientes, Italorum coetui, quem familiae italicae reformationem amplexae formarunt, adjungi cupiebant. Hujus Seniores ac Antistites, inprimis *Caluinus* cum animaduerterent, a quibusdam peruersos in articulo de tribus in vna diuina essentia personis divulgari sermones, composita confessionis forma ab omnibus subscribenda occultum virus, quod tamen non omnino latuit, detegere studebant. Innotuerunt hoc modo *Valentinus Gentilis*, *Matthaeus Gribaldus*, *Paulus Alciatus* aliique, qui confessioni quidem subscripserunt; postea vero diuersam plane sententiam defendentes, cum duriora remedia aduersus se adhiberi viderent, relictis Raeticis ac Hel-

Helveticis provinciis, in *Poloniam* confugiebant, et omnes fere Europae regiones errorum suorum persuasione inficere allaborabant. Ex vniuersa interim, quam absoluimus, tractatione cum iis collata, quae sequente capite exposituri sumus, sine dubio ratiocinamur, Socinianismi natales ex Italia maxime esse petendos.

* * *

Omnes ex Italia circa medium saeculi XVI. propter religionem profugi, qui tamen non omnes Antitrinitariorum placitis infecti erant, in *Raetiam* et *Heluetiam* confines Italiae terras se receperunt. Respublica *Raetiaca* ab ortu Tyrolensi comitatui, ab occasu Dynastiae *Ballinzonensis* et *Bergomatibus Brixianisque* Venetae ditionis, a Septentrione *Vraniis ac Glaronensibus* Helvetiis confinis est. Isti igitur ex Italia religionis caussa extorres, etiam *Locarni*, et in aliis civitatibus Raetiae, praecipue *Clavennae*, nec non in Helveticis pagis plures coetus vel parochias, maxime etiam *Genevae* et *Tiguri* formarunt, quibus singulis Euangelii ministri praefuerunt. Coetus isti Italici longo tempore floruerunt, eorumque socii apud scriptores sub *exsulum* Italorum in specie *Locarnensium* titulo celebrantur, quos praeter alios supra jam notatos, *Maynardus* qvoque et *Ochinus* docuit. Pari modo *Pesclauii* in *Rhaetia* coetus peculiaris adornatus erat, quem *Julius Mediolanensis* curavit, qui sane cum plurimis coetuum istorum doctoribus orthodoxam defendit doctrinam, imo adeo *Laelii Socini* refugia et tergiuersationes *Bullingero* detexit, de quo alio loco. Fuisse *Julium* hunc *Mediolanensem* antea *Venetiis* propter haeresin in vincula conjectum, *Bouerius* l. c. Tom. I. p. 427 enarrauit. Erat is *Jo. Valdesii* discipulus, et circiter a. 1542

vt

vt diximus, in carcerem ductus. *Ochinus* eodem loco tum temporis commoratus, de hac incarceratione tristes querelas movens, semet ipsum haereseos inter Pontificios suspectum fecit. *Julius* interim vel e carcere dimissus, vel quod magis videtur probabile, fuga vitam morti eripiens, posthac *Pesclauii* ministerio Ecclesiastico functus multum apud Euangelicos auctoritate valuit. Scripsisse eundem in captiuitate Veneta quosdam libellos, in quibus sub fictitio nomine *Girolamo Sauonese* latere voluit, scriptores coaeui produnt. Nomèn istud, quod adsciuit, in catalogo librorum expurgatorum, qui 1549 *Venetiis* opera *della Casa* prodiit, occurrit. *Julium* hunc, qui a. 1571 adhuc superstes fuit, *Coelius Secundus Curio* in Pasquillo ecstatico p. 166. adpellat virum acutissimum.

Ad eandem formam coetus quidam ex Italis *Clauennae* collectus erat, quae Prouincia *Rhaetiae* ad terminos Italiae inter socios et foederatos Heluetiae numeratur. Erant quoque in *Valle Telina* societatis euismodi Tirani, Tilii et Sindrii. In his fere omnibus hoc tempore *Anabaptistae* et *Antitrinitarii* suum conducere exercitum laborabant, saepius tamen ab orthodoxis in hoc studio impediti. Confluxerunt quoque, Pontificiorum persequutiones vel timentes, vel iam experti, maxime *Geneuam*, quo loco et in aliis Heluetiae ciuitatibus, non quidem apertos, quod terror non permisit, occultos tamen Antitrinitariorum dogma habuit amicos et fautores. Non dubitandum, quin ante supplicium *Serueti*, fama *Caluini* eosdem in hunc locum inuitauerit. *Itali* isti, ecclesiasticam celebratissimi hujus doctoris formam in hac republica suscipientes, peculiarem instruxerunt coetum, cui plures ministri praefuerunt, quo vero ordine se inuicem exceperint, huius loci non est, vt disquiratur. Celsus Martinengus, qui vix anno interiecto post Petrum Martyrem *Vermilium*, Italiam et Papatum reliquit,

quit, primus ſine dubio coetum Italicum Geneuae inſtructum docuit. V. Simleri oratio *de vita et obitu Petri Martyris Vermilii, Tiguri* a. 1563. 4. p. 8. b. Non *Italorum* tantum, ſed aliorum quoque hoc tempore peregrinorum ſocietates eccleſiaſticae *Geneuae* floruerunt; nimirum *Anglorum* et *Hiſpanorum*, cujus rei ratio partim in opportuno loci huius ſitu, et forma regiminis, partim in celebritate magnaque per totum orbem fama Caluini quaerenda potiſſimum eſt; quippe ex plurimis chriſtiani orbis regionibus ejus conſilia in religionis negotio efflagitabantur, et ad eum audiendum diſcendi cupidi vndique locorum confluebant, adeo vt *Geneua* tot capiendis hoſpitibus aliquoties vix ſuffecerit.

Celsus iſte Martinengus, intimus Hieron. Zanchii, ante hunc, patria et religione pontificia relictis *Geneuam* conceſſerat, qvi circa annum 1559 moribundus Caluino gregis ſui curam commendauit. Ad hanc ſollicitudinem commotus turbis iſtis circa annum 1555 ad a. 1558 in coeta hoc Italico apud Geneuenſes excitatis; ſiqvidem hoc tempore in eodem *Serueti* gliſcere errores inceperunt, qvod Senioribus hujus ſocietatis occaſionem ſuppeditavit cogitandi, qva ratione malo, clam repenti, tempeſtiue occurrerent. Hinc certam quandam fidei formulam, quae doctrinam de S. Trinitate et conſenſum de eadem vnanimem teſtaretur, concinnarunt, qua tanto facilius placita a quibusdam Antitrinitariis diſperſa in lucem protrahi poſſe cenſuerunt. Legitur haec confeſſio ab Italicae Eccleſiae Geneuenſis Senioribus et Senatu Eccleſiaſtico concepta die 18 *Maii* a. 1558 in *actis Val. Gentilis*, quae tamen cum alia fuſiori fidei teſſera, paulo ante a *Caluino* exarata, non confundenda, quam exhibet Leti in *Hiſtoria Geneuina*, T. III. p. 104. Plures quoque eiusmodi formulae in aliis Heluetiae oppidis, communicatis conſiliis hoc tempore ſunt concinnatae, inter quas praecipue notanda; quae hoc titulo prodiit: *Confeſſio et expo-*

expositio simplex orthodoxae fidei, et dogmatum catholicorum syncerae religionis Christianae, concorditer ab Ecclesiae Christi ministris, qui sunt in Heluetia, Tiguri, Bernae, Scaphusii, Sangalli, Curiae Rhaetorum, et apud confoederatos, Mylhusii item, et *Biennae, quibus adjunxerunt se et Geneuensis Ecclesiae ministri, edita in hoc, vt vniuersis testentur fidelibus, quod in vnitate verae et antiquae Christi Ecclesiae perstent, neque vlla noua aut erronea dogmata spargant, atque ideo etiam nihil consortii cum vllis sectis aut haeresibus habeant: hoc demum vulgata tempore, qui de ea aestimare piis omnibus liceat. Rom. X. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Tiguri. Excudebat Christophorus* Froschouerus, menſe *Martio*, 1566. 4. pagg. 96. et praef. 6. Ad calcem confeſſionis: De Deo, vnitate eius, ac Trinitate p. 4. haec leguntur: *Damnamus ergo Judaeos et Mahumetistas, omnesque sacrosanctam et adorandam hanc Trinitatem blasphemantes. Damnamus item omnes haereses, atque haereticos, docentes Filium et Spiritum S. nuncupatione esse Deum, item creatum ac seruiens, aut alteri officiale esse in Trinitate, esse in ea denique inaequale, majus aut minus, corporeum aut corporaliter effigiatum, moribus vel voluntate diuersum, aut confusum vel solitarium, quasi Filius et spiritus S. affectiones et proprietates sint vnius Dei Patris: vt Monarchici senserunt, Nouatiani, Praxeas, Patripassiani, Sabellius, Samosatenus, Aetius, Macedonius, Anthropomorphitae, Arius et similes etc.*

Quam primo loco allegaui *Geneuensis Italorum* coetus doctrinae formula his inſtructa erat verbis.

Oportuit quidem modestis omnibus Christianis sufficere fidei confessionem symbolo Apostolico comprehensam. Quia tamen nonnulli, quos sua quaedam curiositas a pura et vera fide abduxit, sparsis quibusdam falsis opinionibus et erroribus, pacem ac consensum huius Ecclesiae turbarunt,

visum

visum est nobis, edere praesentem fidei confessionem de vna et simplice Dei essentia et trium personarum distinctione, tum vt occurramus omnibus istis Satanae versutiis, tum etiam vt aduersus istos impostores satis instructi simus, atque adeo vt demonstremus, nos vno corde idem sentire et ore loqui, pariterque rejicere ac detestari omnes haereses illi purae fidei contrarias, quam adhuc retinuimus, et ad extremum vsque sequi decreuimus. Profitemur ergo Deum Patrem ita genuisse ab aeterno suum verbum, siue Sapientiam, quae est vnicus ipsius Filius et Spiritum S. ab vtroque eorum ita processisse, vt unica sit ac simplex essentia, Patris, Filii, et Spiritus S. Quod autem Pater a Filio et ab vtroque Spiritus S. sit distinctus, id fieri personarum respectu. Itaque damnamus ac detestamur eorum errorem, qui dicunt Patrem simpliciter suae essentiae respectu, et quatenus (vt ipsi loquuntur) solus est ac verus Deus, Filium suum genuisse, perinde ac si diuina Maiestas, gloria, essentia, denique vera illa Deitas esset solius Patris propria, aut Jesus Christus et Spiritus S. essent dii ab illo procedentes ac proinde diuisa esset ac separata diuinae essentiae vnitas.

Caeterum cum vnum duntaxat Deum profitemur, agnoscimus quicquid eius deitati, gloriae et essentiae attribuitur, tam conuenire Filio, quam Spiritui S. quum simpliciter agitur de Deo, absque mutua inter se personarum comparatione. Si autem personae inter se comparentur, obseruandae sunt singularum proprietates, quibus ita distinguantur, vt Filius non sit Pater, nec Spiritus S. sit Filius. Quod attinet ad personam Domini nostri J. C., praeterquam quod ab omni aeternitate genitus est a Deo Patre, et est persona ab eo distincta, credimus eum in humana quoque natura, quam nostrae salutis caussa induit, verum ac naturalem esse Dei filium. Quoniam videlicet duas naturas ita in vnum coniunxit, vt sit vnicus mediator,

tor,

tor, Deus manifeſtatus in carne, ſeruatis tamen vtriusque naturae proprietatibus.

Porro ita hanc confeſſionem edimus, vt ſancte teſtemur ac polliceamur, per eam fidem, qua Deo ſumus obſtricti, nos hanc doctrinam obſeruaturos, et in ea ita perſeueraturos, vt nunquam directe vel oblique, conſulto quidem ac malitioſe illi repugnemus, ad fouendam vllam diſſidii ſpeciem, quo poſſit ab iſta concordia diſcedi. Denique vt omnibus discordiis inpoſterum occurratur, profitemur, nos viuere ac mori decreuiſſe ſecundum huius Eccleſiae doctrinam et contrariis omnibus ſectis reſtituros. Haec omnia comprobamus, recipimus, ac confirmamus, ea conditione, vt, qui ſecus faxit, pro perjuro ac perfido habeatur.

JOH. SYLUESTER TELIUS *ſupra ſcriptam profeſſionem approbo et, quicquid ei repugnat, deteſtor.*

FR. PORCELLINUS *recipio et approbo quicquid ſupra ſcripta confeſſio complectitur.*

JOH. VALENTINUS GENTILIS, *Coſentinus, accipio vt ſupra.*

HIPPOLYTUS PELERINUS, *Carignanus, accipio vt ſupra.*

JO. NICOLAUS, *Gallus accipio vt ſupra.*" GRIBALDUM quoque ſubſcripſiſſe, ex *Aretii hiſt. Valent. Gentilis* p. 15. docemur.

Hac confeſſione in conuentu eccleſiaſtico propoſita, vt liberum ſingulis eſſet in medium contra proferre, ſi quid reprehenſione dignum cenſerent, quidam homines impune tribus circiter horis linguas ſuas blaterando exercuerunt, inter quos J. P. ALCIATUS princeps fuit. Tantum illis licentiae conceſſum eſt, ne, vt in actis allegatis dicitur, poſtea obſtreperent, ſibi jus loquendi fuiſſe ademptum. Sedata omni contentione, nulli fuit vel

controuerſia vel mora, quin omnes ſubſcriberent, ſex duntaxat exceptis, quorum vnus erat *Valentinus Gentilis*, qui tamen vocati, manu ſua teſtati ſunt conſenſum. Sic omnes ſubſcripſerunt, mutuo ſe obſtringentes vinculo, vt qui ſecus ageret, ac diſputaret, pro perfido ac perjuro palam haberetur. Sed paulo poſt contradixerunt quidam, inter quos principes fuere *Alciatus* et *Blandrata*, ipſe adeo *Val. Gentilis* his contradicentibus ſemet adiunxit, neglecta ſubſcriptionis fide. Qua ratione ob hanc perfidiam in judicium vocatus a Senatu Geneuenſi, ſimulata poenitentia, non ſine periurio profugerit, et ceteri quoque dilapſi ſint, ſupra expoſuimus. Geſta autem haec ſunt menſe *Aug.* et *Sept.* a. 1558.

Ex iis, quae de Italis, Antitrinitariis, expoſita ſunt, iudicium ferri poſſe arbitror, quod primi familiae Socinianae ſtatores ac principes ex Italiae prouinciis in lucem prodierint, quamuis dubia et teſtibus non ſatis confirmata adhuc ſint, quae de collegiis in agro Vicentino inſtitutis narrantur. Virorum, quos contemplatus ſum, hiſtoria, abunde teſtatur, plurimos cum Italia exceſſerint, quandam errorum colluuiem ſecum in *Raetiam*, *Heluetiam* aliasque regiones tuliſſe. Veriſimillimum qvoque eſt, ex horum numero quosdam in collegiis Vicentinis hoc errore imbutos in peregrinas regiones ſecum tuliſſe, placita iſta in ſpecie, quibus deinceps Socinianismi diſciplina ſuperſtructa eſt; cum id ipſum antiquiores ſectae hujus ſcriptores, quibus ſocietatis ſuae natales noti fuerunt, Lubieniecius, Wissowatius, Sandius et alii teſtentur, ex antiquis coetus ſui documentis probe edocti. Veriſſime proinde *Hoornbeeckius* in *epiſt.* dedic. Tom. I. *Socinianismi confutati praemiſſa* et Ge. Rakocio ſcripta, inquit: „*Sociniana haereſis in Italia concepta, excluſa in Polonia, ac in Tranſyluania et circumuicinis partibus enutrita et fota, inde in alias mundi regiones, magno Eccleſiae malo pridem ſe diffudit.*" Idem Ponti-

Pontificiorum confirmant enunciata, qui alias in Germanos omnem haeresium culpam deuoluunt; inter quos *Bossuetus* recte monet: *Socinianismum natales suos in Italia per priuata conuenticula inuenisse.* Haec ipsa Socinianismi in Italia incunabula Pontificios monere debent, quod incommode Protestantibus Ecclesiis defectum auctoritatis et postestatis obiiciant praeueniendi aut exstinguendi errores, cum ex ipsa Ecclesia Pontificia, auctoritate ac vi saeculari instructa, ad Protestantes transierint *Sociniani.*

Nemo tamen ex omnibus Antitrinitariis adhuc in theatrum productis, ne ipso quidem LAELIO SOCINO excepto, peculiarem religionis ac disciplinae formam effinxit, quae recentior et posthac a FAUSTO SOCINO ex schedis et scriptis Patruelis sui exposita est. Ad hujus enim aetatem Antitrinitariorum placita, in libris luci expositis nullo totius doctrinae nexu atque ornamento concinnata, immo potius obscurissimae ideae et assertiones ab inuicem discrepantes, vel disjectae recentioris haereseos particulae animaduertuntur. FAUSTUS tandem singulas errorum tabulas materiamque exstruendo aedificio aptam collegit, magno ingenii acumine et stili nitore, disposuit, copulauit et exornauit, sicque totius systematis Sociniani structuram et compagem perfecit. Ad calcem capitis obseruandum, vel potius saepius monitum est repetendum, plurimos in Italia profugos labe quadam errorum fuisse infectos, quoad orthodoxam fidem instabiles, suorum vero placitorum tenacissimos, quod ex dictis et inductione speciali facile demonstrari potest, eumdemque characterem in *Val. Gentile*, *Blandrata*, *Stanckaro* etc., immo qvoque in *Vergerio* et *Zanchio* aliisque jam notavi. *Paravicinus* subscriptionem confessionis fidei a Ministris euangelicis in *Raetia* concinnatae, recusans, id excusare putavit, *qvod negare nolit S. Trinitatem*, qvasi multum

interſit, inter negare, et non velle confiteri. Cum *Zanchius* miniſterio Clavennenſi fungeretur, exſtiterunt ibidem *Camilli* ſectatores, qvi bono viro multam faceſſerent moleſtiam, quamobrem is a *Bullingero* inſtanter petiit, caveret, ne vlli *Italo* citius teſtimonium concedatur, qvam certo conſtet, eundem de Deo, de peccato originali, de ſatisfactione Chriſti, de praedeſtinatione, et de animarum, poſt exitum e corpore, ſorte, orthodoxam fidem tenere.



Tomi

TOMI SECUNDI.

CAPUT III.

DE PRIMIS

SOCINIANISMI AUCTORIBUS,

LAELIO AC *FAUSTO, SOCINIS.*

CAPUT TERTIUM.

De primis Socinianismi auctoribus, Laelio ac Fausto Socinis.

Synopsis.

§. 1. *Sozzinorum* familia. *Laelii* iuuenilia fata et ſtudia.

§. II. Eiusdem, per varias Europae regiones et per Poloniam itinera, commoratio *Wittebergae* ac *Tiguri*, cum eruditis conuerſatio, commercium epiſtolicum, ſimulandi diſſimulandique ſtudium, etc.

§. III. Secunda vice *Poloniam* inviſit, ac in Italiam iter ſuſcepit, inde redux denuo *Tiguri* haeſit, ac a. 1562. obiit. Diuerſa de eodem iudicia.

§. IV. *Laelii* ſcripta et edita et inedita.

§. V. *Fauſtus*, *Laelii* patruelis et haeres; ſtudia ejus, et in aula *Magni Ducis Etruriae* commoratio.

§. VI. A. 1574. ex *Italia Baſileam* ſe contulit, et a. 1578 in *Tranſyluaniam*, inde in *Poloniam*, ibidemqve Antitrinitariorum commodis ſe totum dicauit.

§. VII. Laeta ac triſtia ejus in Polonia fata, matrimonium, ſoboles et obitus a. 1604.

§. VIII. Non mediocres animi dotes a natura conceſſas inſatiabili diſcendi ſtudio auxit, vitaque honeſta ſe commendavit. Diuerſa de eodem iudicia.

§. IX. Scriptorum eius *exegeticorum* et *didacticorum* recenſio.

§. X. Scripta *polemica*, cum expoſitione plurium de religionis capitibus certaminum.

§. I.

Vtriusque *Socinorum*, diſciplinae Socinianae conditorum, qui, ad exſtruendum nouae religionis ſyſtema, ingenii ſui vires contulerunt, plena et accurata hiſtoria, quam hoc capite, quantum fieri poteſt, tradere nitimur, inter deſiderata adhuc ab eruditis numerata eſt. Italiam ambo habuerunt patriam, in qua nobilis *Sozzinorum* familia complures viros iurisprudentiae ſtudia inprimis inclytos orbi expoſuit. Ipſe *Laelius* legum peritiae operam nauauit omnem, ita tamen, vt cum hac Theologiae et legum diuinarum coniungeret ſtudium, in quo linguarum aliarumque ſcientiarum copia adiutus, haud mediocres fecit progreſſus, quibus vero et Chriſti ciuium coetui et ſibimet ipſi male conſuluit.

* * *

In exponenda Antitrinitariorum recentioris aeui hiſtoria, partim horum maiores vel cognatos et affines, partim proximos praecurſores notavimus. Ad eos iam noſtra ſe vertit attentio, qui Socinianismum in diſciplinam ac ordinem redegerunt, ſicque peculiare *ſyſtema Antitrinitarium* adornarunt. Quos enim ſuperiori capite indicaui, Antitrinitarii, vel eadem, vel ſimilia quaecunque placita cum *Laelio* et *Fauſto* equidem fouerunt; de nullo tamen dici poteſt, quod certum quoddam, ac elaboratum dogmatum ſyſtema formauerit, cui integri ac numeroſiores coetus ſuffragium ſuum dederint. Hi autem, quorum hiſtoriam iam exponimus, vel eadem placita, quae receperunt paulo ante nominati, pro ſuis agnouerunt, vel iisdem noua haud pauca ex ingenii ſui inuentis

inuentis adjunxerunt, vtrumque genus adornarunt, in vnam compagem coaptarunt, ſicque noui aedificii conditores et architecti exſtiterunt. Et *Laelius* et *Fauſtus*, opinionibus Antitrinitariorum in diſciplinae formam redigendis manus ſuas admouerunt. *Laelius* enim ſuimet ipſius operis prima iecit fundamenta, quod *Fauſtus* poſtea vlterius qvacunque opera promouit et in ſtructuram vtcunque perfectam produxit. *Laelius* maxima ex parte inuentor eſt eorum, quae *Fauſtus* vario verborum ac argumentorum exornauit veſtitu, adeo vt quoad *materiale* Socinianae haereſeos origo a *Laelio*, quoad *formale* a *Fauſto* ſit repetenda. Ipſemet *Fauſtus* confeſſus eſt, plura ſe debere *Laelio*, in quo primum quoddam diuinum lumen, ad vniuerſum chriſtianum orbem illuminandum exortum eſſe, ſibi perſuaſit. Ipſe hunc vnicum agnouit ac veneratus eſt praeceptorem; ſic enim in ep. *Marcello Squarcialupo* data in Epp. p. 17. inquit: „*In vniuerſa diuinarum rerum ſcientia praeter virum* LAELIUM, *patruum meum*, *nullum prorſus magiſtrum habere mihi contigit.*"

Palmaria diſciplinae Socinianae dogmata a *Laelio* eſſe derivanda, inductione demonſtrari poteſt. Quem de perſona J. C. Sociniani propugnant errorem, *Laelius* primum defendit, quod *Fauſtus* in *Defenſ. Animaduers.* contra *Eutropium* c. IV. p. 67. et c. IX. p. 265. teſtatur. Quae de officio Chriſti mediatorio in Socinianorum coetu creduntur, *Laelius* docuit, teſte *Fauſto*, qui illum de ſatisfactione Chriſti, cum *Caluino* litteris priuatis egiſſe ſibique primum dubia in hac doctrina inſtillaſſe, narrat, in Diſput. *de Jeſu Seruatore*. Idem quoque ſuam de S. Coena opinionem *Laelio* acceptam fert, ep. III. ad *Jo. Niemojevium*. in Epp. F. p. 334. et ep. I. ad *Statorium* p. 383.

Quamuis vero *Laelius*, niſi omnem, plurimam tamen exſtruendi Sociniani ſyſtematis collegerit materiam,

 ipſe

ipſe tamen hoc non condidit, et exornauit, ſed *Fauſtus* omnibus induſtriae neruis disjectam errorum ſtruem colligauit et contabulauit, totiusque operis compagem ita inſtruxit, vt demum eius opera nouum contextum fuerit diſciplinae Syſtema.

Vtriusque *Socini* vitam, geſta, certamina, fata et ſcripta a nemine adhuc toto ambitu expoſita ſunt; et propterea a me, qui prima vice nondum tentatum ab aliis laborem adgredior, perfectum opus exſpectari non poterit. Magnum apud ſcriptores huius aeui animaduertimus defectum vel ſilentium in hiſtoria *Laelii* exponenda, et de *Fauſto*, quoad dimidiam vitae partem vix aliquid narratum reperitur, vsque dum ipſe in *Tranſylvania* et *Polonia* ſuis negotiis, certaminibus, ſcriptisque perſonanti de ſe famae locum fecerit. Fuere tamen, qui vtriusque vitam ſtrictim et carptim, vel facientia quaedam ad hanc momenta narrarunt. Sunt iſti: *Sam. Przypcovius;* v. B. A. P. II. p. 671. N. I. *Bayle*, l. c. Tit. *Socinus*, *Sandius* l. c. p. 18—25. *Hoornbeckius* l. c. T. I. p. 50. *Schertzerus* in Coll. Anti-Socin. p. 10. *Du Pin* l. c. T. I. P. I. p. 202. *Lamy*, Hiſtoire du Socinianisme, P. II. c. V. p. 245. *Lauterbachius*, l. c. p. 44. Heſſiſches Hebopfer P. II. p. 131. *Calouius* in Dec. Diſſ. N I. §. VIII. edit. Dantisc. a. 1639 et in Socinismo profligato, Sect. I. memb. I. Quaeſt. VI. p. 19. edit. Witteberg. 1668. 4. *Fauſtus* aliquando vitam et Apologiam *Laelii* concinnare promiſit, ſed ſtipulationem non impleuit.

Sozzinorum familiae, ex qua *L.* et *F.* ortum traxerunt, per totam Italiam, imo per vniuerſam fere Europam tanta olim fuit celebritas, quanta vix vlli alii. Praeſtantiſſimos non tantum iurisprudentiae doctores eadem in hunc orbem emiſit; verum etiam familiae nobilitate, meritis ac auctoritate inſignes, eidem ſanguine iunctae erant. Pluribus hunc cum aliis Italiae proſapiis conſangui-

ſanguinitatis et cognationis nexum *Przypcovius* encomiis praedicauit his verbis: „*Gentis antiqua nobilitas et cognationum ſplendor vltra priuati hominis ſortem illuſtriſſ. patri, (Fauſti) praeter gentilitia decora, acceſſerat e materno ſanguine Saluettorum nobilitas: quae gens apud Florentinos ea quondam potentia floruit, vt expulſus Senis* PANDULPHUS PETRUCCIUS, *Pauli Salvettii potiſſimum auxilio et opibus reſtitutam patriam et mox principatum ſuum debuerit. Quo beneficio obſtrictus Senenſis ipſi ciuitatis ius contulit, et vt patriam cum Senis commutaret, perſuaſit. Hic Paulus* CAMILLAE *pater fuit, quae* MARIANO *iuniori nupta,* ALEXANDRI *et* LAELII *Socinorum mater,* FAUSTI *auia fuit. Mater, ne in priuatam quidem ſpem ſuſcepta, patre* BURGESIO PETRUCCIO, *Senenſis quondam Reipubl. principe, matre* VICTORIA PICCOLOMINEA *genita. Quae cum eſſet* ANDREAE PICCOLOMINEI *Caſtilionis et Piſcariae Domini filia; Pii II. et III. Pontificum neptis;* IOANNIS *Cardinalis* PICCOLOMINEI, *ducum Amalphitanorum Marchionum Capiſtrani, Comitumque Calani, multorumque aliorum Italiae procerum ſoror aut conſobrina; nupſit in domum* PETRUCCIAM, *quae tunc Senenſis principatus fortunam tenuit. Sed* BURGESIUS PANDULPHO *patri ſuccedens, et mox vertentibus fatis pulſus, non diu dignitatis ſuae fuit ſuperſtes. Succeſſit tamen ipſi in regimine patriae* RAPHAEL *Cardinalis* PETRUCCIUS, *atque illius Reipublicae gubernacula aliquamdiu tenuit. Caeterum relicta vidua* VICTORIA *animum, quem in prioris faſtigii ſplendore nunquam ſuſtulerat, tam iniqua rerum viciſſitudine frangi non permiſit. Itaque annis quinquaginta ſex, quibus mariti vitae et communi fortunae ſuperfuit, ſingulari modeſtia et ſpectata integritate ac pudicitia vidui ſtatus ſolitudinem tolerauit. Filiam* AGNETAM, *quam, vt tanto genere dignum erat, ſanctiſſimis moribus imbuerat,* ALEXANDRO SOCINO *in matrimonium dedit, patricio quidem iuueni, ſed tamen priuato. Is* FAUSTI *noſtri fuit pater: in ea domo genitus, quae non armis*

mis atque potentia; ſed ingenio atque eruditioue principatum quemdam in certo litterarum genere aliquamdiu tenuiſſe viſa eſt. Nam et hic ipſe Alexander *ſubtilitatum, et pater eius* Marianus *iunior iuriſconſultorum principes vocati ſunt, et patruus* Mariani *iunioris*, Bartholomaeus, *ab* Angelo Politiano *ſuae aetatis Papinianus dictus eſt. Denique pater* Bartholomaei Marianus *ſenior, iuriſconſultus grauiſſimus, ab* Aenea Syluio (*eius conciue et poſtea Papa Romano, ſub nomine* Pii *II. e familia Piccolominorum*) *tot praeconiis extollitur, vt prope narrationis fides laboret. Huius* Mariani *filius fuit* Alexander *Senior, et ex eo nepos, alter* Marianus; *pronepotes* Alexander *et* Laelius."

Ex hac gentis Sozzinorum celebritate multum gloriae aucupantur, qvi ab hoc nomine gentilitio Sociniani adpellantur, quod hiſtoria vitae et mortis *Andr. Wiſſowatii* apud *Sandium* l. c. p. 223. et *Lubieniecius* l. c. L. I. c. V. p. 17. comprobant. *Elias Sigism. Reinhartus* in diſp. praelim. ad intimiora penetralia Socinianae et Socinizantis ſcholae etc. Lips. 1666. 4. §. IX. p. B. 1. b. ita hac de ſuperbiendi materia Socinianorum inquit: „Socini *Senenſis ex Sena Hetruriae, vbi adhuc in* Petrucciorum, *de quibus* Theatr. Genealog. *Hieron. Henningii* A. 1598. P. II. p. 1062. et Piccolomineorum *Amalphitenſium Ducum, et Marchionum de Capiſtrano* (p. 1061.) *ſanguine ac ſtemmate, imo Paparum* Pii *II. et III. cognatione, in* laudibus F. Socini *latinis et in Germanicam quoque redditis linguam, non deſinunt illi Sociniani gloriari.*"

Abauus *Laelii* erat Marianus *Senior*, quem *Sena* agri Senenſis nobilis ciuitas 1401 orbi expoſuit, qui iuris Pontificii optime peritus, hoc *Patauii* ſingulari laude docuit, et paria meritis praemia nactus eſt. Inde domum reuocatus, ſaepe recuſatis, quae alibi offerebantur, honeſtis conditionibus, dum vixit, in patria idem

ius professus est. Ipse et filius BARTHOLOMAEUS consiliis suis atque responsis nominis in iurisprudentia immortalitatem sibi pepererunt. Praeter legum eruditionem *Marianus* in *Cosmographia*, *graecis latinisque litteris*, *Arithmetica* atque *Geometria*, *historia et arte poetica*, clarissimus euasit. De pygmaea corporis statura, qua praeditus erat, ita *Aeneas Syluius* apud *Pancirollum* l. c. L. III. c. 35. p. 458. „Nihil ei natura praeter formam inuidit. Homuncio est, nasci ex mea familia debuit, cui paruorum hominum (*Piccolomini*) est cognomen.“ V. *Guidi Pancirolli* de claris legum interpretibus. L. III. C. 35. p. 358. edit. *Christ. Godofr. Hoffmanni.* Lipſ. 1721. qui praecipua vitae *Mariani Socini* momenta ex *Aeneae Sylvii* L. I. ep. 112. et 113. exposuit. Haud pauca MARIANI *Senensis senioris* scripta inter Jurisperitos adhuc celebrantur, e. g. 1) *Tract. de testibus Col. Agripp.* 1596. 4. et *Venet.* 1584. 2) *Comment.* in *aliquot titulos Decretalium, cum additam. Barthol. Socini*, filii sui, *Francof.* 1583. 3) *De iudiciis et iurisdict. Venet.* 1584. et 1587. 4) *De oblationibus, Venet.* 1584. 5) *Aliquot Repetitt. in iure ciuili, Lugd.* 1553. 6) *Consiliorum seu Responsorum Juris* Voll. IV. *Mariani Socini Patris, et Barthol. Socini* F. *Venet.* 1569. et 1579.

Fuit igitur MARIANO filius, BARTHOLOMAEUS SOZZINUS, natus 1433. qui tanto litterarum apparatu instructus erat, vt patrem quoque superauerit. Is *Patavii*, *Pisae*, *Ferrariae*, et *Bononiae* summo cum applausu docuit, et eruditissimus sui temporis iudicatus est. In ANTONII RICCOBONI *commentariis de Gymnasio Patauino* etc. (Patavii 1598. 4.) p. 16. 4. de eodem narratur, quod ibidem anno 1498. Jus ciuile explicationibus suis illustrauerit. Mortuus est *Senae* in suburbio, aere alieno plane obrutus, a. 1507. cum per vltimum vitae suae triennium a graui Catarrho faucibus obsessis instrumento linguae priuatus, facultate loquendi carens conficiendis

responsis

responsis vacasset. *V. Pancirollus*, l. c. L. II. c. 126. p. 221. qui *Bartholomaeum Socinum* virum acris iudicii et ingenii acumine nemini secundum adpellat. Illum vero illiberalibus moribus insignem doctrinam maculasse narrat, qui chartarum et aleae ludo supra modum deditus, non modo debitis lectionibus quandoque auditores fraudauerit, sed insomnes etiam noctes turpiter egerit. Et vitio paternis opibus consumtis, et vniuersa, quam docendo et de iure respondendo plurimam coegerat, pecunia effusa, ad extremam inopiam deductus est, vsque adeo, vt nec quod funeri suppeteret, post se reliquisse dicatur. Eam ob causam semper egens vndique pecuniam auarius conquirere cogebatur. Idem notauit, quod minus valuerit memoria, quae eum aliquando inter perorandum deseruerit.

Varia reliquit scripta *Bartholomaeus*, et in his *Commentarios in Digesta*, qui cum *Jacobi Menochii*, aliorumque annotationibus *Venet.* apud *Juntas* a. 1605. *fol.* prodierunt. *De exceptionibus et de exceptione rei judicatae*, *fol. pagg.* 17. V. Freytagii Anal. litt. p. 876. In Catalogo Bibliothecae Bodlejanae p. 170. plura eius opera allegantur, de quibus *Ant. Riccob.* l. c. inquit: „*Bartholomaei* scripta exstant *de regulis iuris*, *et vt ipse adpellavit*, *fallentiis*, *et nonnulla in secundum et tertium volumen Pandectarum*, *et in omnes octo partes iuris ciuilis*, *et consiliorum volumina quatuor; quamvis nonnulli putent*, *commentarium de regulis iuris earumque fallentiis ipsius Bartholomaei* non esse.

Mariani Senioris nepos ex filio *Alexandro* Marianus iunior, *Patricius Senensis*, *Eques Pontificis*, *Caesareae aulae consiliarius et comes*, *Aduocatus Consistorialis*, iuris consultorum princeps dictus, qui sui pereruditi laudem elegantioribus litteris sane adaequauit. Natus erat *Senae* a. 1482. et cum anno aetatis 21. doctoralem consecutus esset gradum, docendi munia insigni cum fama subiit, sicque auita laudum encomia meritis suis adauxit.

adauxit. Posthac iuris prudentiam *Pisae* per aliquot annos docuit, inde *Bononiam* vocatus, docendi munere functus est, cui hactenus *Alciatus* praefuerat. *Riccob.* l. c. p. 19. a. eum, postquam docuerit *Senis* et *Pisis*, a. 1530. docuisse *Patauii*, ibique *Francisco Sfrondato* successisse significat. Inde Bononiam honestissime accitum, summa cum laude multos ibi annos professum esse. V. Phil. Bergeri *Chronicon*, f. 295. b. et F. Socini Epp. p. 648.

Haud paucis omnique laude dignis inclaruit scriptis *Marianus* Junior. Ipsius *Consiliorum pars prima et secunda*, *Lugd.* apud *Pet. Frandin* a. 1550. *fol. consiliorum Juridicorum volumina* III. cum additt. Hieron. Zanchii, prodierunt *Venetiis* ex *officina Damiani Zenarii*, *fol.* 1580. *V. Hallervordii Biblioth. cur.* p. 261. *Ant. Riccob.* l. c. haec habet: „*Eius scripta in multas Pandectarum partes leguntur, et in quatuor vespertinas materias in celeberrimis Italiae Gymnasiis pertractas, magnaque Consiliorum volumina.*"

Matrimonio sibi iunxit *Camillam Salvettam*, Pauli Salvetti filiam, ex quo coniugio Alexandrum Sozzinum *Fausti* patrem, Camillum, Celsum, Cornelium et Laelium genuit. V. *Pancir.* l. c. p. 269 seq. *Laelii frater Alexander* ob summum ingenii acumen, *Pater subtilitatum* adpellabatur, quod studiorum genus ipsi cum pluribus popularibus suis commune fuit. Senenses enim in genere dialecticorum argutiis delectari, testes sunt, qui de nationum moribus ac charactere morali differuerunt. *V. Forcianae quaestiones, in quibus varia Italorum ingenia explicantur, multaque alia scitu digna auctore Philalethe Polytopiensi ciue. Neapoli* 1535. 8. Ita uero auctor p. 8. inquit: „*Amant Florentini Philosophiam —— Veneti rem musicam —— Senenses dialecticorum argutias, praesertim si ab ea secta tradantur, quam nominalium appellant.*

Camillus

Camillus SOCINUS *Laelii* germanus ab hoc Antrinitariorum placitis imbutus, saepius nomen ejus in Actis reformationis Eccl. Raeticarum a *de Porta* nominatur, et quod homo vafer, et absurdus in multis fuerit repertus, notatur; a suae sortis autem hominibus, et Anabaptistis, qui *Raetiam* turbarunt, ceu vir probus ac sanctus, resistens novis Phariseis laudatur. Erat adhuc a. 1571. in viuis, et in Raetia vitam traxit. Nomen praesertim eius commemoratur in *actis Synodi* Curiensis, quae occasione acerrimae concertationis de haereticorum supplicio, aliis pro eo stantibus, aliis eidem repugnantibus a. 1571. mense *Jun.*, *Curiae* (quae vrbs Chur, gallice Coire primaria est, in ea Raetiae parte, quae foedus domus Dei appellatur,) celebrata. TOBIAS EGLINUS siue ICONIUS, ita enim se etiam vocauit, in ep. ad HENR. BULLINGERUM scripta, quae Synodi huius gesta summatim exponit, quamque ex ipso tabulario Tigurino depromptam, SCHELHORNIUS, diss. de MINO CELSO *Senensi* p. 33 seqq. inseruit, ita p. 35 scribit: „TURRIANUS etiam, quia Italis haereticis fauit, vna cum CAMULIO NICOLAO, qui aerario locupletissimo (ibidem quoque vocatur *Mercator numatissimus*) neruos haereticis expulsis hactenus suppeditauit, itemque cum CAMILLO SOZINO, qui omnes praesto fuerunt, et turpissimi reperti, exclusi fuerunt. CAMILLUS priuatim eiectionis poena affectus est. De eodem aliisque, qui haereticos non esse puniendos, defendebant, plura alia habet EGLINUS l. c. p. 46. seqq.“

De CELSO SOCINO, (cum *Mino Celso Senensi*, non confundendo) *Przypcovius* l. c. testatur, quod *Bononiae* habitauerit. De eodem PANCIR. l. c. L. II. cap. CLXII. p. 342. haec exponit: „CELSUS *alter* MARIANI *filius ICtus primo in patria institutiones et jus ciuile extra ordinem professus, postea patris gratia Bononiae cum centum aureorum stipendio iuris pontificii, deinde patre mortuo, iuris ciuilis interpres factus in eo munere non perseuerauit.*“

Hanc

Hanc nimirum ſpartam deſeruit, cum in Germaniam fugam capesſere cogeretur. An vero is etiam *Laelii* haereſi corruptus fuerit, an ab eadem immunem ſe ſeruauerit, certo enunciari nequit. Id ſaltem credendum quod publice eam profeſſus non fuerit, quemadmodum nec *Laelium* id vnquam feciſſe conſtat. HUBERTUS LANGVETUS, in ep. ad VLRICUM MORDISIUM, a. 1559. d. 7. Dec. quae legitur P. II. epp. eius L. II. p. 28. edit. Ludewig. haec de eodem perſcripſit: „CELSUS SOCINUS *filius* MARIANI *condixit ſuam operam ſcholae Jenenſi, cuius rei absque dubio ſunt authores* VERGERIUS *et* ILLYRICUS; *ſed ſi eo veniat, ipſum procul dubio brevi poenitebit.*" Fruſtra nomen ejus quaeritur in ADRIANI BEIERI *Syllabo Rectorum et Profeſſorum Jenenſium. Extat autem ad* CELSUM hunc CLAUDII TOLOMEI Ep. a. 1543. d. 3 Maji exarata, in huius epp..

CORNELIUM *Socinum Laelii* fratrem vna cum *Camillo* fratre et *Fauſto Socino*, ſuo ex fratre *Alexandro* nepote, Sienae vixiſſe PRZYPCOVIUS l. c. teſtis eſt. Commemoratur praeter hos *Darius Socinus*, et inter eos collocatur, qui circa annum 1546. diſpulſis collegiis Vicentinis ex Italia diſceſſerunt, quem *Laelii* cognatum, non fratrem fuiſſe arbitramur. Sine dubio in Raetia et Helveticis prouinciis plures annos vixit, cuius etiam in *actis ſynodi curienſis* mentio fit; tandem in Poloniam et inde in Moraviam migrauit. Meminit LUBIENIECIUS l. c. L. II. c. 2. p. 40. *Darii* cuiusdam, quem cum *Alciato* in Morauia vitam traxiſſe narrat. Quo natiuitatis ordine ſe inuicem exceperint quinque fratres germani, ſignificari nequit. Videtur autem *Alexander F. Socini* pater aetate omnium maior.

Natus eſt *Laelius* a. 1525. Senis, et a patre *Mariano* ſtudio iuridico, in ſpecie iuri ciuili, vt operam daret, ſicque maiorum veſtigiis inſiſteret, conſecratus. Hoc litterarum genere paternarum auitarumque laudum

aemulator exſtitiſſet, niſi in alienam messem reformandi pruritu abreptus falcem immittere mature conſtituiſſet. Vix enim ephebis egreſſus, vt eques Polonus loquitur, iam nouam moliri coepit Theologiam: quod nempe, cum ſcripturas euolueret, humanarum legum ex ipſis hauriendi ſtudio, ſuopte nitens judicio, cenſeret, plurima Eccleſiae dogmata diuinis aduerſari teſtimoniis, praeſertim vbi eadem ad rationis tribunal ſiſteret. Praecipuus inter Italos *Laelius Serueti* fuiſſe fertur diſcipulus, qui etiam *Ochino* praeceptore gauiſus fuerit, *Zarnouecius* citante *Scherzero* l. c. p. 10. teſtis eſt. Jo. quoque CLOPPENBURGIUS *de orig. et progr. Socin.* p. 3. inter Italos *Serueti* diſcipulos, non infimum fuiſſe *Laelium* tradit. Ita vero id eſſe intelligendum puto, quatenus ex ſcriptis SERVETI aberrandi a tramite veritatis occaſionem arripuerit, cum ceteroquin certiſſimum ſit, *Laelium* diuerſam a *Serueti* placitis diſciplinam coluiſſe. Eum a *Camillo* ſeductum eſſe, *Hottingerus* in H. E. helvet. T. III. p. 791. prodit. Quod iam a. 1546. dogmata de myſterio S. Trinitatis et Chriſti ſatisfactione cum aliis ſodalibus in dubium vocaverit, *Sandius* l. c. p. 18. et qui de Collegiis Vicentinis expoſuerunt, ſignificant, qui tamen nullius ſeductoris vel doctoris faciunt mentionem, imo potius *Laelium* hujus doctrinae auctorem et inuentorem conſtanter depraedicant.

Putabat nimirum, legum humanarum ſcientiam ex ipſis diuini iuris fontibus ſibi hauriendam eſſe, hacque codicis ſacri indagatione, doctrinam Pontificiam multis laborare mendis, ex reuelatione corrigendis animaduertit. Inhaerebat his veſtigiis, et vt exquiſitiorem rerum theologicarum compararet cognitionem, ſuoque deſiderio intelligendi in fontibus divinam revelationem ſatisfaceret, linguarum ſacrarum ſtudio omnem ſuam operam impendit, et haud mediocrem linguae Graecae et Hebreae et aliquantulam Arabicae quoque linguae notitiam partim jam in Italia, maxime vero deinceps in Germania

mania et *Wittebergae* ſibi acquiſiuit, quod *Zanchius* in praefatione operi *de tribus Elohim* praemiſſa et *Colomeſius*, in Italia orientali referunt et ex his *Baylius* l. c. et alii plures. Ex ipſis igitur fontibus dulciores ſibi hauriendas eſſe aquas, idque veriſſime iudicavit. In hoc ſtudiorum genere continuando provocatus inſuper eſt motibus circa religionem variis in Europae regionibus et praecipue in *Italia* quoque exortis, quippe ibidem viri diuino lumine colluſtrati, et caeleſti zelo inſtructi varias corruptelas curiae Romanae palam arguerunt, hujusque ſtrenuum in Italia reformatorem anhelabant. Augebat fervidum hoc deſiderium corruptiſſimus totius Eccleſiae ſtatus, de quo ſcriptores adeo Pontificii teſtimonia omni exceptione majora ferunt, et reformationis neceſſitatem iſto tempore, quo in Germania contigit, concedunt. Ita inter complures alios *Bellarminus*, acerrimus alias infallibilitatis Eccleſiae defenſor, in conc. 28. Dom. Laet. p. 235. inquit: „Annis „aliquot, antequam Lutherana et Calviniana haereſis „oriretur, nulla ferme erat, vt ii teſtantur, qui etiam „tunc vivebant, nulla, inquam, prope erat in judiciis „eccleſiaſticis ſeveritas, nulla in moribus diſciplina, nulla „in SS. litteris eruditio, nulla in rebus divinis reveren„tia, nulla propemodum erat religio. Eximius ille cle„ri et ſacri ordinis decor perierat; gravi diuturnaque la„borabant infamia Sacerdotes, quod panum et piſcium, „h. e. proventuum majorem, quam animarum curam „haberent." Adplicuit igitur *Laelius* ſe ad *liberaliorem* Theologiae tractationem firmo propoſito, placita ac ſtatua ſacris pandectis adverſa inter Pontificios detegendi, atque Eccleſiae, morbis oppreſſae, medicinam parandi. Praecipue excitatis ab Anabaptiſtarum ac Antitrinitariorum gente in Germania turbis exortisque inter *Lutherum* et *Caluinum* certaminibus, ſe excitatum ſenſit, ad univerſum Theologiae ambitum, convertere animum, vt recentiſſimas illius aetatis controuerſias ſolide diiudicare

poſſit. Verum S. Scripturam non ex ordinatione diuina inter precandum, et cum debita ac pia mentis humiliatione meditatus, ſed exuberantis potius ingenii, acrisque iudicii perſuaſione inflatus, poſthabitis orthodoxorum virorum conſiliis et inſtitutionibus, nec ipſe ſatis ſcientiis propaedevticis inſtructus, diuina oracula ad ſuperbae rationis dictamina tanquam ad amuſſim explorabat. Cumque emergendi deſiderio, ac mente praeconceptis opinionibus et *Serueti* fortaſſis quoque aliorum figmentis obnubilata ad S. litteras accederet, in errorum ſcopulos et devia prorſus deducebatur.

Notauit hanc occaſionem *Przypcovius* l. c. quamuis adfectu in coetus ſui patronum propenſo ita rem expoſuerit, vt eidem magis in laudem, quam vituperium reputari debeat. Sic autem eum praedicat: „*Dum* LAELIUS *S. litteras impenſius euoluit, deprehendit plurima ex iis, quae vulgo recepta ſunt, Eccleſiae dogmatis, diuinis teſtimoniis plane aduerſari, idque tanto facilius, quod ex iis pleraque rationi quoque, et quae nobis ipſa natura inſerit, principiis repugnarent.*“ Hoc modo rationis viribus ſuperbiens, reformandique gloriam adfectans divinorum monumentorum ſcrutator ſe ad ludicras ingenii imagines trahi paſſus eſt, debilemque intellectus circumſcripti facultatem ad veritates captum humanum tranſcendentes ſolummodo applicauit. Vtrum vero *Laelius* ipſe in hoc negotio princeps et anteſignanus fuerit, ſibique miniſtros, coadiutores et aſſeclas quaeſiuerit, an vero aliis, ad pruritum noua ſtatuendi pronis, iam ante ipſum exiſtentibus, horum ſodalitio ac communi ſtudio ſe adjunxerit, plane ignotum eſt. Vel enim LAELIUS ipſemet primus coryphaeus inſtituit collegia, quae in Veneta ditione circa annum 1546 inclaruerunt, vel ab aliis iam antea adornatis ſocium ſe adiunxit. Prius adfirmat *Sandius* l. c. p. 18. quod ob LAELII iuuentutem veri ſimile non videtur *Moshemio*. Cum vero

vero *ille* praecocibus omnino ingeniis accenſendus ſit, quibus *Socinorum* familia magna aeſtimatione celebrata abundauit, ſiquidem ipſius pater *Marianus* anno aetatis 21 Juris Doctor *Sienae* renunciatus eſt; hinc creditu difficile non eſt, eum reliquorum ſodalium in hisce Collegiis extitiſſe ſigniferum, et ab omnibus pro tali habitum fuiſſe.

Geminam igitur *Laelio* extitiſſe cauſſam infelicem ac prouocationem arbitror, qua nouam moliri Theologiam, receptae in Eccleſia de myſteriis doctrinae aduerſam, adductus fuerit. *Altera* fuit ſingularis ſcientiae praeſumtio, qua, cum admodum adoleſcens, in ſtudio juris ſe non contineret, in ſublimia religionis Chriſtianae absque praeuia inſtitutione irruit, et more *αυτοδιδακτων* doctor ſimul et diſcipulus eſſe, vel potius docere prius voluit, quam diſcere. *Altera* erat Philoſophiae abuſus, cum ſolida Theologiae purioris ſcientia deſtitutus, Philoſophicarum doctrinarum principiis et rationis argutiis imbutus Eccleſiae dogmata impugnarit: quod non tantum ſibi licitum, ſed homine ingenuo maxime dignum judicabat; in quo ſtudio adeo prouectus, vt nihil credere ſibi conſtantiſſime propoſuerit, quod cum rationis cynoſura vel adparenter non conuenire, ſibi perſuaſit. Non tamen omni *Laelius*, maxime relicta jam Italia, carebat praeceptore ac duce; *Camillus* enim *Siculus*, qui, poſtquam Evangelicorum ſacra adfectaverat, *Renatus* dici voluit, et jam circa annum 1542 in *Vallem Tellinam* acceſſerat, Anabaptiſtarum autem placita cum *Franciſco Nigro* aliisque ibidem ſusceperat, *Laelii* extitit informator. De *Camillo* iſto *Vergerius Bullingero* d. 11. *Oct.* 1553 ſcribit: *Omnium opinio eſt, totum Italiae Anabaptismum ab vno Camillo pendere.* Omnium Anabaptiſtarum *Camillus* habebatur coryphaeus, nauclerus et patronus, ab orthodoxis vero peſtis eccleſiarum, magnus haereticus et haereticiſſimus. S. Trinitatem et in eſſentia divina tres perſonas confiteri recuſa-

bat, animae immortalitatem negavit omnino vel saltim in dubium vocavit, resurrectionem mortuorum et Christi meritum oppugnavit, *Lutheri* sententiam de S. Coena improbavit, sed nec *Bullingeri* seu *Tigurinorum*, quoad hunc articulum, in totum voluit adprobare. Cum Raeticam fidei confessionem suscipere abnueret, orthodoxi coetus communione exclusus est; habuit tamen sectatores, qui paria dogmata cautius, quam antea profe-rebant, vel tempori inservientes pectore suo includebant. V. *de Porta* l. c. L. II. p. 104. Id ipsum religionis systema, quod postea L. et. F. *Socini* in formam redegerunt et scriptis exornarunt, jam isto tempore, quo *Laelii* nomen adhuc ignotum erat, *Camillus Renatus Siculus* secundum praecipuas stricturas, animo non tantum conceptum habuit, sed etiam teste *de Porta* p. 86. manifesto docuit. Idem testis fide dignus ex actis *Mſct.* sua proferens, his addit: *Imo vero omnem suam scientiam theologicam* Laelium *didicisse ex* Camillo *haud pauca suadent. Etenim haesit* Laelius *Clavennae* et in *Praegallia per ipsum illud tempus, quo contentio inter* Maynardum *et* Camillum *summo fervore agitabatur; et in coaevis documentis* Laelius *haud alio loco habetur, quam alius quivis ex Anabaptistarum grege, cui praeesse semper datus fuit honos* Camillo. *Praeterea summa illa cautio, quam* Laelius *in occultandis, dissimulandis, et non nisi clam disseminandis opinionibus suis per omnem vitam observavit, adeo digna est* Camillo *Magistro, ut dignior videatur non potuisse ei obtingere discipulus, quam ipse* Laelius, *qui in ea arte adeo exercitatus erat, ut bonis fere omnibus, ipsique* Bullingero *imposuerit.*

§. II.

Conventibus Vicentinis Magistratus auctoritate solutis, *Laelius* vel timore, vel discendi cupidine,

pidine, vel vtroque ſimul commotus argumento a. 1547 exteras inuiſit regiones, ſicque Raetiam, Heluetiam, Germaniam, Poloniam, Moraviam, nec non, (quad a multis perhibetur) Galliam, Britaniam et Belgium peragrauit. Id extra dubium poſitum eſt, eum cum Bullingero, Brentio, Munſtero, Muſculo, Petro Martyre, Zanchio, Beza, Melanthone, Caluino, Camerario, Vergerio, Maynardo aliisque colloquutum ac conuerſatum eſſe, vel commercium litterarium habuiſſe, omnibusque locis dubia ſua, modeſte ſatis et circumſpecte expoſuiſſe, ita, vt vix cuiquam concepti ac firmiter jam apud ſe ſtatuti erroris ſuſpicionem mouerit; quare quidam optimam de eodem tulerunt ſententiam. Quae enim cum aliis communicauit dogmata noua, non pertinaciter, ſed dubitantis more, veritatemque quaerentis habitu, propoſuit, qua modeſtia effecit, ut, qui eius placita calculo ſuo non probabant, perſonam tamen odio non haberent.

* * *

Sodalitiis in agro Vicentino diſſipatis, omnes, qui in illis nouis in religionem rebus ſtuduerunt, graui periculo territi, cum quidam eorum ſupplicio adfecti fuerint, disperſi, pari ſupplicio vitam eripuere, patriae ſuae vale dixerunt, et maxime in Raeticam ditionem, *Helvetiam* et *Germaniam* primum, deinde etiam in Poloniam et Tranſylvaniam, aliasque Europae regiones ſe receperunt. Horum in numero *Laelius* fuit, cui nullus in Italia locus videbatur commodus, in quo inuentorum

ſuorum ſemina ſpargeret. Fulgura ibidem ac anathemata omnes terrebant haereticos, et *Julius Treviſanus*, vna cum *Franciſco de Ruego*, Venetiis ſuffocati, ipſum ſuis veſtigiis commonefaciebant, vt quamprimum fuga periculum auerteret. *Przypcouius* l. c. inquit: „*Siue igitur, vt credi poteſt, periculi metu, ſiue exactiori purioris Theologiae, et linguarum ſtudio incenſus, cito ex Italia in Helvetiam atque Germaniam conceſſit.*“

In his regionibus cum primariis illius aetatis Theologis, qui reformandae Eccleſiae opus fortes aggreſſi erant, familiarius conuerſatus eſt, in primis cum *Phil. Melanthone*, *Jo. Calvino*, *Bullingero*, *Brentio*, *Munſtero*, *Muſculo*, *Petro Martyre*, *Beza*, *Zanchio*, aliisque, quibus placita iam concepta, necdum ſatis digeſta inter colloquendum propoſuit, non tamen audacter, et pari temeritate, qua *Seruetus* et alii ea aſſerendo ac propugnando; ſed ſub dubitantis veritatemque ſincere quaerentis ſpecie, qua effecit, vt ad maximorum virorum colloquia et conſortia facile admitteretur, nec vnquam ab vllo male haberetur.

Reliquit, plurimis id ſignificantibus, Italiam a. 1547. quamuis etiam quidam eum a. 1546. Italiae iam dixiſſe vale, perhibeant. Si ſtatuitur, eum annos 21 natum reliquiſſe patriam, quod non pauci tradunt, extra dubium poſitum eſt, eumdem a. 1546. in exteras ſe contuliſſe regiones, adeoque eodem praeciſe anno, quo collegia iſta diſſipata narrantur. Non tamen itinere veloci et directe, ſed per ambages in Raetiam et *Helvetiam* profectus videtur. *Siena Genevam adpulit*, indeque in alia loca, *Baſilaeam* quoque ad *Coelium Secundum Curionem* contendit. Monſtrarunt ipſi hoc iter ante ipſum non pauci, qui ex Italia in Raetiam et helveticos pagos religionis cauſſa conceſſerant, certa perſuaſione, liberam hanc rempublicam eamque reformationis lumine colluſtratam, tutum in religione diſſentientibus praebituram

turam hospitium. *Laelio* non defuere commendatitiae ac fauentes litterae, nisi statim, cum iter ingrederetur, attamen paulo post, quam Italiam reliquerat. *Nicolaus* enim *Majerus* Principis Würtembergensis adminifter, in Italiam ablegatus, qui 1548 *Bononiae* subftitit, ita eum Ecclesiis Helueticis commendauit: „*Si nondum adest, breui tamen ad vos venturum credo, iuuenem valde pium et doctum quendam, Italum Senensem, Patricium, et qui propter fidem in Christum peregrinatur, quemadmodum is dubio procul retulit, relaturusue est. Filius est* Mariani Socini *patris, qui inter iurisconsultos, iuris peritiam hic docentes, primus, et propter summam suam doctrinam iurisperitiae, Europae nostrae notissimus, et idem pius* etc." V. *Hottingeri H. E.* T. IX. p. 436. Primum in Raetiam se contulisse, ibique *Camilli Siculi* opinionibus imbutus videtur, quod anno 1547 et 1548 accidit, quo tempore Anabaptistarum et Sacramentariorum contentiones agebantur. *Maynardus* ecclesiae evangelicae, quae *Clavennae* collecta erat, minister, d. 23. *Oct.* 1549. *Bullingero* haec nuntiavit: *Scribo* ad *Laelium* Senensem multa, non tamen omnia, quae monebas, ut taceat, sicuti et ego illum monui, ne praeterquam dignitati tuae, vlli hominum, quicquam ex his, quae scribo, communicet.

Per aliquod tempus *Tiguri* commorabatur, in quem locum *Geneva* se receperat, sed vtroque loco nemini, quod erroris ipsi sub alta mente repositum esset, cognitum erat. *Altingius* propterea in theol. hist. L. I. p. 65 de eo ita iudicat, quod ingenio adeo fuerit tecto et hypocritico, vt deprehendi non possit. De eodem post ipsius obitum *Beza* ep. 81. inquit: „*Favit* Laelius Sozzinus *Senensis Serueti blasphemiis incredibiliter ad contradicendum et varios nectendos nodos comparatus, nec nisi post mortem huiusmodi perniciosissimis haeresibus laborare cognitus, qua de caussa mihi quoque non vulgaris amicitia intercesserat. Sed homo erat plenus diuersarum*

haeresium, quas non nisi disputandi caussa proponebat."
Eundem non egenum, sed amplissimis facultatibus pollentem ad Tigurinos accessisse, *Bullingerus* in ep. *Joanni a Lasco* scripta testis est fide dignus.

Tigurum et Heluetiam fortassis circa finem anni 1548. reliquit; et in Germaniam ac *Wittebergam* contendit. *Melanthon* a. 1549. die Jacobi in ep. ad *Camerarium*, *Laelii*, *Wittebergae* praesentis, imo aliquamdiu iam ibidem versantis mentionem facit Hoc loco testantibus *Melanthonis* litteris per triennium vixit. Istud triennium a *Hottingero* definitur ab anno 1550 ad a. 1552. cui tamen *Melanthonis* epistola adversatur. Veri proinde similius videtur, *Laelium* ab anno 1548 ad a. 1551. *Wittebergae* substitisse, inde vero in Poloniam, et iteram in Helvetiam ac *Tigurum* se contulisse. Huic quidem asserto contrariari videtur, quod E. S. *Cyprianus* in Compendio H. E. *Goth.* L. III. c. 6. §. I. p. 222. notavit; nimirum *Laelium* anno demum 1550. in Academia Wittenbergensi, Rectore *Joanne Forstero* in numerum Studiosorum receptum esse; sed conciliari facile poterit, si statuamus, illum plurimum temporis vixisse absque receptione in civitatem academicam, tanquam privatum et extraneum; jus autem hoc sibi expetiisse, cum jam abitum ex hoc loco meditaretur. Quod enim a. 1551. *Wittebergae* valedixerit ac in Poloniam concesserit; inde vero in Helvetiam et *Tigurum* se receperit, omni dubio caret.

Wittebergae primum in aedibus *Forsterianis* ad iuvandum suum Hebraeae, aliarumque linguarum orientalium studium, hospitium habuit, ejusdemque *Forsteri* convictu vsus est. v. Zeltnerus l. c. p. 349. Eundem ab Illustri viro D. Hieron. Baumgartnero, Reipublicae Noribergensis Seniore, Philippo Melanthoni fuisse commendatum, ex ipsius *Philippi* epp. Lugd. 1647. 8. ep. CXIII. p. 169. constat. Maxima viri huius fama per Ger-

Germaniam ac Italiam, imo per totam Europam celebrata, *Laelium* fuiſſe excitatum, vt Wittebergam inuiſeret, *Camerarius*, de PHIL. MELANTHONIS *ortu*, *totius vitae curriculo et morte* etc. p. 340 edit. Lipſ. 1566. 8. ſignificat, his verbis: „*Ex Italia adueniens* LAELIUS, *ſe, et patriam, et florentem opibus et dignitate domum, et ſpem ampliſſimae fortunae, ſolius* PHIL. MELANTHONIS *videndi gratia reliquiſſe, prae ſe ferebat. Animadvertebatur, hunc ardere ſtudio cognoſcendi iis de rebus, quae tunc disceptabantur, certi firmique aliquid.*" Triennio Wittebergenſis commorationis *Laelius* ſingulari amicitia ac propenſione *Melanthonis* vſus eſt, quod nemo demirabitur, qui characterem optimi ac humaniſſimi viri nouerit. Facile Italo peregrino, bonitati tamen ejus deinceps ſubdole illudenti, conceſſit hoſpitium et ſodalitium, communis omnium hominum Wittebergam accedentium, in primis exterorum benefactor et hoſpes, nihil mali ſuſpicans ab eo, qui litteris amici intimi ſibi commendatus erat, et cuicunque optima mente benefaciens. Ita CAMERARIUS, l. c. p. 38 inquit: „*Videres igitur in aedibus illis* (*Melanthonis*) *perpetuo accedentes et introeuntes et diſcedentes atque exeuntes aliquos, in quibus turba verſaretur omnis aetatis, ſexus, conditionis, atque adeo gentis. Exportabaturque et auferebatur non in dies ſed horis ſingulis et pene momentis aliquid. Nam ea domus diſciplina erat, vt nihil cuiquam negaretur. Veniebant autem ad* PHIL. MEL. *plurimi, qui litteras ad aliquos peterent, qui ſcriptum ſuum quodpiam, vt emendaretur, orarent, qui teſtimonii publici diploma confici vellent. Alii, qui aliqua de re ſua et oblato negotio conſilium, vt ſibi daretur rogarent. Alii, quod accidiſſet publice priuatimue reſpectum ipſius et conſiderationem et opem requirens narrantes. Alii, querelas varias deferentes. Multi etiam ſtipem plane exigentes, quam veluti debere ſibi ab illius immenſa benignitate ſtatuerent. Qua in parte nonnullorum augeri confirmarique impudentiam,*

et

et erant, qui tunc aegre ferrent et PH. MELANTHONIS *facilitatem. Interea alii ad conjugem aut liberos devenire, et fibi fuisque quo adjuvarentur et fubleuarentur, quaerere, quorum nemo non aliquo munere affectus aut triftis abire vifus."*

Plurimi fane peregrini *Melanthoni* perquam cari fuerunt, cui cum illis fingularis vfus et eximia familiaritas interceffit. Facile propterea aequus quisque excufatum habebit virum amiciffimum, imo potius laudabit de humanitatis officiis *Laelio* exhibitis; hinc fcriptor allegatus l. c. p. 412. illi merito patrocinatur: „*Tanta erat in ipfo confulendi rationibus et prouehendis commodis aliorum et benefaciendi quam plurimis cupiditas, vt neque petentibus denegare fciret quicquam, et vltro deferre quibusvis operam, confilium, facultates fuas impertireque foleret. Iftud igitur fit peccatum ipfius, quod aluit et fouit improbos, et ferpentes, fecundum prouerbium in finu. Accidit hoc femper optimis atque probatiffimis, quorum tanta fcilicet eft et tam abfoluta atque fimplex bonitas, vt nihil in animum fuum penetrare patiantur, quod benignitatem impediat aut obftet humanitati."* Ex fingulari erga omnes benevolentia vir affectuofus non facile cuidam teftimonium denegauit, fed qui honeftis moribus fe probarunt omnes, rogatus commendatitiis ornauit, et, quod idem *Camerarius* obferuauit, *Laelium* quoque iisdem comitari, haud difficulter perfuaderi potuit.

Permagni *Laelius* aeftimavit COELIUM SECUNDUM *Curionem*, et propter illius iudicium de fuo hoc amico MELANTHON etiam optime fenfit de *Laelio*, quem ex charactere et optima mentis indole *Coelii* iudicauit, cujus teftis ipfe eft in ep. ad *Coelium* fcripta, quae inferta eft hujus epiftolis, adtextis *Olympiae* FULVIAE MORATAE *operibus*, (*Bafil.* 1580.) In hac p. 330. ita ad *Coelium* fcribit: „*Magis te amaui cum audirem* LAELIUM, *non folum eruditionem et eloquentiam tuam praedicantem,*

fed

ſed etiam pietatem et animi fideique conſtantiam in perferendis aerumnis, quas propter verae ſententiae confeſſionem ſuſtines. Talis viri beneuolentiam cum faciam plurimi, ad te hanc epiſtolam miſi, qua vtrumque tibi ſignificare volui, et te a me vere diligi ac fieri plurimi, et me tuae amicitiae cupidiſſimum eſſe." Nullum omnino dubium eſt, quin SOCINUM notauerit MELANTHON, cum COELIUS SEC. CURIO in reſponſoria ad eandem epiſtolam (Baſileae *Cal. Dec.* annus non ſignificatur,) id confirmauerit, litteris initialibus *L. S.* eundem notans, l. c. p. 332. his verbis: „*Mi Philippe, quanquam nec quae tu mihi tribuis, nec quae L. S. noſter apud te de me praedicauit, agnoſco, niſi quod amborum erga me voluntatis ſignificationem libenter amplector: tamen ita me tuis illis litteris nouo quodam amoris vinculo deuinxiſti, vt nulla dies vnquam id remittere, vel tantillum, ne dicam ſoluere vllo modo poſſit.*"

Laelii quoque *Socini* mentionem facit *Coelius* S. C. in ep. adoleſcenti ABRAHAMO SBASKI, Equiti Polono *Baſil. Cal. Dec.* (ſine addita anni ſignificatione) data l. c. p. 341. ita ſcribens: „*In Italia ingens reuocatur bellum propter* SENAM *Hetruriae vrbem clariſſimam a Gallis captam. Patria eſt* LAELII *noſtri: a quo proxime litteras accepi, in quibus* SBASKI *humaniſſimi ſuauiſſimam et amantiſſimam, plenamque deſiderii mentionem facit: rogatque, vt ſi quid de te acceperim, ad eum perſcribam. Facit tamen ſui ad nos reditus ſpem.*"

Quanto *Laelium Socinum* Wittebergae degentem *Melanthon* fuerit amore complexus, et quas in eodem maxime virtutes viderit ac aeſtimauerit, iuxta alia documenta ex eius litteris ad D. N. PFAUSERUM, elapſis aliquot annis, a. 1557. ſcriptis colligi poteſt, quae in epp. illius Lugd. 1647. 8. apud *Elzevirios* editis p. 369 leguntur, huiusque argumenti ſunt: „*Reuerendo viro, eruditione et virtute praeſtanti Dn.* PFAUSERO, *docenti*

Euan-

Euangelium fideliter Viennae in Austria. Reuerende vir et clarissime Frater. Non dubito, quin libenter opem feras viris doctis et piis, qui propter confessionem veritatis affliguntur. Quare tibi hunc L. SOCINUM, *filium praestantissimi iuris consulti* MARIANI SOCINI, *qui diu Bononiae praecipuam auctoritatem inter iuris interpretes habuit, commendo. Litteras ei ad inclytum Regem* MAXIMILIANUM *dedi, in quibus nec injusta res petitur, nec difficilis. Impediunt* LAELIUM *inquisitores, ne patrimonio frui possit. Cogitat igitur proficisci ad vrbem* VENETORUM, *vt ibi de patrimonio cum quibusdam paternis amicis agat. Vt autem ibi securus sit, petit se muniri Regis* MAXIMILIANI *litteris, quod eo velut Regis Minister missus sit. Nec de integritate viri huius dubites; amplius triennio mecum familiariter vixit, fuitque mihi eius consuetudo, propter ipsius eruditionem, pietatem, prudentiam et integritatem in omni officio, gratissima. Nec dubito, futurum, vt cum eius sermones plenos eruditionis et prudentiae, et honestissimos mores consideraueris, libenter ei tuo judicio benefacturus sis. Est autem et industria et fides eius talis, vt in legationibus et multis negotiis inclyto Regi vsui esse possit. Nam et legationes longinquas non reformidat, et multorum hominum in Italia notitiam habet. Oro igitur, vt hunc* LAELIUM *inclyto Regi* MAXIMILIANO *commendes. Bonis viris bene facere etiam publico statui prodest. Velim te etiam in hac re benevolentiam tuam erga me huic* LAELIO *declarare. Bene et feliciter Vale. In vrbe Vangionum, (Wormatia) Cal. Dec.* 1557. Fuit JO. SEBAST. PHAUSERUS in aula MAXIMILIANI II. *Bohemorum Regis* et Archiducis Austriae primum sacrorum Praeses, post vero per inimicorum inuidiam dimissus, quod *Luthero* addictus comperiretur. De viro hoc admodum memorabili plura leguntur in *Raupachii* Evangelischem Oesterreich p. 54. seqq. et Contin. I. p. 102. 130. 268. seqq. His analecta quaedam attulit *Schelhornius* in Amoen. T. I. p. 95. seqq.

Quum

Quum iam, quid *Melanthon* de *Laelio* iudicauerit, expofuerim, hisce dictis quaedam ex illius epiftola commendatitia in *Socini* cauffa ad Sigismundum Augustum Poloniae Regem data, addo. Legitur haec in epp. *Melanthonis* l. c. p. 4: „*Laelius, cum ad paternum ftudium* (iuridicum) *fe praepararet, vt prius fontes cognofceret, fcil. ius diuinum, ftudiofe legit libros propheticos et apoftolicos, quorum lectione diuinitus in eius pectore accenfa eft veri Dei cognitio. Ac vt certius et firmius effet iudicium, adiunxit Graecae et Hebreae linguae cognitionem. Propter haec ftudia profectus in Germaniam, mecum amplius triennio vixit, fuitque mihi eius confuetudo, propter ipfius eruditionem, pietatem, prudentiam et in omni officio modeftiam, pergrata. Eft et haec eius virtus inprimis digna laude, quod a furiofis et fanaticis opinionibus alienus fit.*" Satis haec comprobant, quanti *Laelium* aeftimaverit *Melanthon*, quantoque emolumento haec ipfius exiftimatio illi in promovenda re domeftica et familiae fuae cauffa effe potuerit. *Camerarius* l. c. p. 344. obferuauit, a quibusdam narrari *Laelio* permififfe *Melanthonem* per aliquod tempus hofpitio fuo frui, quia illum controuerfiarum cognofcendarum maxime cupidum deprehenderit, hocque ejusdem ftudio valde delectatum effe. Huic rei teftimonium fert ep. ejus circa finem anni 1550 ad Christoph. Stathmionem, artis Medicae Doctorem data in Epp. *Melanth.* a *Peucero* editis P. II. p. 417. in qua ita inquit: „*Scis olim ante facrificia voce praeconis exclufos effe profanos. Ita profecto indocti, feri, ac legum et difciplinae contemtores arcendi funt, ne omnes eruditorum differtationes audiant. Scripfi antea ad te, doctos et graues viros poffe de quibusdam materiis colloqui, quas, fi audirent feri homines, tantum inde fumerent occafionem laxandi frenos difciplinae. Sed hofpitem habeo* Laelium, *grauem et doctum virum et amantem doctrinae verae de Deo, is legere tuum fcriptum cupit. Et, fpero, hac eum lectione non abufurum effe.*

Ideo

Ideo oro te, vt nobis per nuntium ANDREAM *mittas tuum librum. Ego bona fide remittam, et cauebo, ne veniat in populi manus.*" In alia ad eumdem ep. meminit librorum *demonſtrationum*, item dialogi *περι δικαιοσυνης* a *Stathmione* concinnatorum. Videtur autem in ep. priore libros *Demonſtrationum* innuere, quos cum LAELIO communicandos expetiit, de quibus in ep. die 14. *Dec.* ſine anni commemoratione (fortaſſe tamen 1562 vel 1563, ſiquidem *Ephemeridum* ad a. 1562 editarum in eadem mentionem facit) ad eundem ſcripta l. c. p. 426 inquit: „*Valde delectatus ſum ea parte libri* demonſtrationum, in qua ſenſuum certitudinem ex cauſſis phyſicis et ex ipſa natura exſtruis. Vult Deus aliquas certas eſſe notitias, vt de ipſo etiam habeat adſeuerationes aliquas firmas mens humana, nec vagetur in Academicis tenebris, in quas *Arceſilae* et *Pyrrhoniorum* furoribus inducitur. Placet et Stoicorum refutatio. Quod vero organa demonſtrationis duo tantum facis, verbum Dei et ſenſum, vetuſtas a ſenſu diſtinxit *τας αρχας*, quae ſunt notitiae nobiscum natae, non a ſenſu ortae, videlicet numerorum notitiae, proportionum, ordinis et aliae quaedam. Ego *τας αρχας και αισθησιν* diſcerno. *Illud etiam te oro, vt circumſpectior ſis in recitandis exemplis theologicis.*" Vltima verba coniecturae locum faciunt, STATHMIONEM in explicandis fidei myſteriis rationem in iudicium ac conſilium vocaſſe, eiusque libros demonſtrationum ad SOCINI palatum fuiſſe compoſitos.

Quamuis vero *Melanthonem Socinus* ſuo ſimulandi habitu ac amabili morum venuſtate deceperit, aliquando tamen et ſtatim in initio, cum *Wittebergam* prima vice acceſſerit, aliquid ſuſpicionis in viro hoc prudentiſſimo atque ſagaciſſimo ſubortum eſſe, ep. eius ad *Camerarium* ſuum a. 1549. die *Jacobi* ſcripta in *epp. Melanthonis*, Lugd. edit. p. 619. obſcuriuſcule ſaltim ſignificat. Ita vero inquit: „SOCINI *filius ſaepe nobiscum eſt, ſed conuictor*

nictor est Försteri, *et optarim eum in Helvetiis esse; αλλος γαρ προς αλλην πολιν τεταγμενος.*" In alia, quam Brentio idem dedit l. c. N. XXII. p. 402. cum quodam dolore significare videtur, quod ab homine hoc peregrino illusus fuerit. Paulo tamen post viri benignissimi fauorem amicabili specie sua sibi acquisiuit, cuius rei etiam adeo in *Caluino*, vtpote statim dicturi sumus, experimentum fecit, quem ad iram aliquando commotum iterum sibi reconciliauit.

Laelius igitur orthodoxis ac primariis Ecclesiae Doctoribus, qui ad coetum christianum reformandum a Deo excitati et illuminati fuerunt ac ipso adeo *Melanthone*, posthabitis, ingenio suo nimium confidens, ex suo ipsius sensu ac iudicio S. Scripturam interpretabatur, ad noua dogmata, quae jam antea animo finxerat, accommodabat, haecque tanquam diuinitus reuelata aliis minus sibi prospicientibus, prouide tamen dubitantis habitu et clam instillauit. Nec id sine iusto Dei iudicio accidisse videtur, vt, qui viae duces a Deo sibi datos ad veritatem inuestigandam et de eadem animum suum obfirmandum spreuerat, ac magis ad propria inuenta, quam ad ductum oraculorum diuinorum attentus fuerat, sibique soli saperet, in grauissimos errores tandem abduceretur.

Witteberga *Laelius* prima vice profectus est in *Poloniam* a. 1551. sibique amicitiam nonnullorum regni Poloniae nobilium conciliauit. Ita expresse *Przypcovius* l. c. „*Reperio in Polonicarum Ecclesiarum commentariis geminum Laelii in patriam nostram aduentum. Primum circa annum 1551. aetatis vero eius sextum et vicesimum; quo tempore cum plerisque e nobilitate Polonica non sine maximo fructu conuersatus dicitur.* ——— *Alterum eius in Poloniam aduentum deprehendo post mortem* Mariani *patris, qui Bononiae obiit a. 1556.* Conduxisse sibi plures in Polonia amicos, non vana est conjectura.

Melanthon enim in ep. ad *Camerarium* a. 1552. data, mentionem litterarum facit, quas *Laelius* ſcripſerit *Polono Wittebergae* viventi. In primis hoc tempore conuerſatus eſt cum *Franciſco Lismanino*, patria *Corcyrenſi*, et *Bonae Sfortiae* Reginae a Confeſſionibus, cui abjiciendi cuculli monachalis, et papismo deſerto in alium coetum et maxime ad ſuas partes tranſeundi auctor exſtitit; de quo alio loco. Non diuturnam in hoc regno ſtationem ſuam fixit, ſed (quod auctor modo allegatus teſtatur) pauciſſimos tantum modo menſes ibidem conſumſit. Eodem narrante Polonia diſcedens in *Morauiam*, et inde ad *Heluetios* iterum ſe recepit. De primo hoc ipſius in Poloniam itinere *Erhardus* a *Kunheim*, vir ſingularis prudentiae, qui circa annum 1562. *Catharinae*, Reginae Poloniae, Archiduciſſae Auſtriae Secretarius extitit, in ep. *Witteberga Henr. Bullingero* data a. 1551. ſcribit: „Laelius Socinus hinc profectus eſt, ad perluſtrandam Poloniam, et inde conſtituit recta redire in patriam.“ Hoc tamen ad patrios lares revertendi conſilium deinceps procraſtinavit, cum indubitatum ſit, quod citiſſime luſtrata *Polonia* atque *Morauia Tigurum* redierit. V. *Hottingerus* l. c. T. IX. p. 437.

Eundem a. 1551. *Tigurum* iam appuliſſe, epiſtola ipſius eodem anno ad *Melanthonem Tiguro* ſcripta evincit. Ita enim *Melanthon* ad *Camerarium* die brumae 1551. in epp. ab hoc editis Lipſ. p. 653. inquit: „Laelius *ſcripſit ad me ex Tiguro et nominatim tibi ſalutem optat.*“ Loquuntur idem litterae Caluini *Cal. Jan.* 1552 ad Laelium datae paulo poſt inſerendae. Quod intra quadriennii ſpatium plures praeter Germaniam, Poloniam et Morauiam regiones, nimirum *Galliam*, *Brittanniam* et *Belgium* inuiſerit, a multis poſt *Sandium* l. c. p. 19. et autorem vitae *Fauſti Socini*, narratur. Fortaſſe iter illud, antequam *Geneua* in Germaniam profectus, abſoluit, ita, vt per iſtas regiones ſaltem tranſierit,

ibidem

ibidemque plures sibi familiares contraxerit. Testes quoque sunt istius itineris plures. Ita *Natalis Alexander* in *H. E. N. T.* T. VIII. p. 162. *Laelium* admodum adolescentem a. 1547 patriam reliquisse, annum videlicet agentem alterum et vigesimum, proximo quadriennio, *Galliam*, *Britanniam*, *Belgium*, *Germaniam* vniuersam, ipsam quoque *Poloniam* emensum, et tandem apud Helvetios Tiguri sedem fixisse, significat. Eodem ordine Cloppenburgius l. c. p. 3. itinera *Laelii* exponit, nimirum eum ab anno 1547 aetatis 22. peregrinatum in *Gallia*, *Anglia*, *Hollandia*, *Germania*, *Polonia*, contracta cum variis amicitia, a. 1551. iuuenem annorum 26 *Tiguri* consedisse. Idem Fueslinus, l. c. T. III. p. 329 prodidit: eum ab anno 1546 non tantum per *Heluetiam*, *Germaniam* et *Poloniam;* sed etiam per *Galliam*, *Belgium* et *Angliam* intra quadriennium iter instituisse. In *Gallia* tamen, *Belgio* et *Anglia* diu commoratus non videtur, quemadmodum quoque viri in hisce terris fama inclyti non innotuerunt, cum quibus amicitiam contraxerit, aditumque apud eos familiarem habuerit, quamuis, commercium eidem fuisse frequentissimum cum haud paucis in *Helvetia*, *Germania* et *Polonia* magni nominis viris, ipsorum ad eum datae epistolae adhuc superstites testentur. Ita ipse cum *Calvino*, *Brentio*, *Melanthone*, *Beza*, *Bullingero*, *Musculo*, *Münstero*, *Petro Martyre*, *Zanchio*, *Castalione*, *Puckelebio*, *Vergerio*, *Ochino*, *Augustino Maynardo*, aliisque pluribus coram egit, sibique hos amicos et fauentes reddidit. Quae *Przypcovius* l. c. de peragratis a *Laelio* intra sextum et vicesimum aetatis annum, vniuersis fere occidentis prouinciis, et de nobilibus atque eruditis omnibus, quos sibi conciliauerit amicis, praedicat, more Rhetorum, nec absque omni partium studio dicta videntur.

Tigurum sibi pro fixa sede sine dubio prae aliis Helvetiae vrbibus elegit, ob mitiorem Tigurinorum in-

dolem, apud quos tutiſſimum ſe habiturum habitaculum ſperare potuit. Ibidem in aedibus celeberrimi CONRADI PELLICANI habitauit, hocque loco commercium litterarium cum viris, quorum nomina allegauimus, quam diligentiſſime inſtituit. Ad has epiſtolas horumque virorum ad eum reſponſorias auctor vitae F. S. l. c. p. 7. prouocat, iſtarumque autographa magno numero ad ſe perueniſſe, teſtatur. Pauciſſimae ſaltem ex his, quantum mihi reſcire datum eſt, noſtram tulerunt aetatem. In illis, quae adhuc ſuperſtites ſunt, aliquando primas ſuſceptorum dogmatum lineas haud obſcure expreſſit. CLOPPENBURGIUS l. c. inquit: „LAELIUS *Tiguri vtens hoſpitio* PELLICANI, *qua coram, qua per epiſtolas amicitiam coluit, ſed non ἀνυπόκριτον cum* MELANTHONE, BRENTIO, MUSCULO, BULLINGERO, ZANCHIO, MARTYRE, *nec non* CALUINO." Inter hos viros, orthodoxiae et pietatis laude conſpicuos, quibusdam quidem *Laelius* ſemet ad aliquod tempus probauit, vt quoque de illo optime judicauerint, illiusque cauſſae adeo patrocinati fuerint; aliis tamen ſuspicandi de ipſo heterodoxa occaſionem fecit, inter quos etiam *Hier. Zanchius* fuit, de quo paulo infra.

Quod CALVINUS iam a. 1552. LAELIUM ſeuere reprehenderit, alio loco notaui. Coram MELANTHONE adeo ſimulavit, vt is a. 1557. *Cal. Dec.* quod paulo ante expoſui, eum adhuc dignum iudicauerit, litteris commendatitiis ad maximos Principes comitari. BULLINGERUS quoque longo tempore et adhuc a. 1558. quo eum JOANNI a LASCO commendavit, de eodem optime ſenſit. LAELIO enim cauſſam ſuam defendente, et fidei quoque confeſſionem exhibente, ita BULLINGERUS mitigatus eſt, vt non modo a. 1555. eum apud ſe purgatum haberet ab omni mala ſuspicione; ſed et apud alios male de eodem judicantes, praecipue aduerſus JULIUM MEDIOLANENSEM, Pesclavienſis coetus in Raetia miniſtrum, qui eodem anno BULLINGERUM periculi a LAELIO extimeſcendi

di monuerat, vt statim dicetur, strenue excusauerit. Inter alia orthodoxae doctrinae speciem prae se ferebat *Bullingero*, provocatione sua ad Symbolum Apostolicum, declaratoque suo cum eodem consensu, quod tamen pro more plurimorum haereticorum lubrice, parum candide et ad fucum faciendum ab ipso factum esse, *Bullingerus* sibi persuadere non potuit, inprimis cum ne quidem expresse ac distincte reliquis Ecclesiae orthodoxae symbolis contradicere sustineret, imo potius ex parte suffragium suum, non tamen absque reseruatione mentali, quam de eodem suspicari nefas putauit *Bullingerus*, iisdem adiiceret. Lubet vero epistolam *magni Theologi*, (BULLINGERI ad *Julium Mediolanensem*,) ab HOTTINGERO l. c. Saec. XVI. P. V. p. 417. seqq. seruatam inserere.

„S. P. *Scio equidem apud te, frater, et apud alios nonnullos,* LAELIUM SOCINUM *Senensem, quamdiu in nostra schola diligens fuit auditor, suspicione graui laborare, quasi* ARIO, *vel* SERUETO, *aut* ANABAPTISTIS *fauens adorandam Dei Trinitatem non agnoscat, neque sincere fateatur, Christum Dominum iuxta diuinitatem Patri esse coaequalem, juxta humanitatem vero nobis consubstantialem. Nam ea de caussa me hortabaris, vt pro officio meo gregi dominico mihi invigilarem, ne per illum pestifero aliquo veneno afflaretur. Ego vero cum* LAELIO *diu vsus sum perquam familiariter, nec tamen hujus vel tantillum ex sermonibus intellexerim, admiratus sum illa tum legens; ne tamen fratris admonitionem, pro qua me tibi gratias debere fateor, contemnere viderer; et rursus ne* LAELIUM *non auditum et ipse graui suspicione premere inciperem, voco hominem. Is vero, qua praeditus erat humanitate, libenter et protinus adest. Recito illi, praeterito tamen tuo et aliorum quorundam nomine, quid mihi de ipso nonnulli fratres significent, adhortans, vt libere et clare suam apud me de his fidem profiteatur. Quid*

multis? Queritur LAELIUS *indignissime secum agi et quorundam se indignissimis premi odiis, quos ipse mallet, libere et palam, cur de ipso ita sentiant, proferre, quam ita de ipso suspicari et per prauas illas suspiciones ingerere. Ego, inquit, ignoro, si quid unquam dixerim, cuius gratia haberi debeam pro* SERVETANO, *aut* ANABAPTISTA, *nisi id forte sit, quod Genevae agens, dixi, mihi non placere, quod* SERVETUS *derepente sit extinctus. Coeterum id non dixi, quod velim prorsus coerceri haereticos, et homines blasphemos, aut quod doctrinae* SERUETANAE *faueam, quam velim extinctam: sed potius cum improbem prauam illius doctrinam, hac ipsum liberari, quam in ipso concremari maluissem. Alioqui de Trinitate et Vnitate Dei aeterni, de Christo Jesu, Domini nostri diuinitate et humanitate, deniquc de mysterio redemtionis nostrae, de salute animarum, earumdemque immortalitate, corporum item nostrorum resurrectione gloriosa, et vita aeterna, per omnem modum ita credo, sentio et profiteor, sicut docet scriptura canonica, compendioque comprehensum est in symbolo Apostolico.*

Ego vero adjiciebam: Consentis ergo cum symbolo Niceno et Constantinopolitano? Abhorres autem ab omnibus haeresibus PRAXEAE, *vel* SABELLII, ARII, *vel* SERUETI, MACEDONII, NESTORII, EUTICHII *et* ANABAPTISTARUM? *Excipiebat ille: consentio doctrinae, quae semper in Catholica Ecclesia orthodoxa fuit et hodie simpliciter et concorditer docetur in Ecclesia Tigurina. Ideo enim communico vobiscum in Mystica Christi Domini coena: ideo vobiscum habito, nusquam diuerticula quaero, aut vllos in vllis erroribus instituo; sed quiete viuo. Ac cupio mihi iam disserte indicari, quid me oporteat praeterea facere, si videlicet haec non satisfaciunt? Ego vero respondebam: Si toto corde ita credis,* LAELI, *nihil est, quod a te requiram amplius, Dominum oro, ut te in hac fide confirmet. Vnum tamen a te postulo, frater, vt postquam haec, quae nunc inter nos peracta sunt, in chartam con-*

signa-

ſignauero, (conſignabo enim) tu non graueris tuam addere manum. Non quod non bene de te ſentiam, aut tibi non plane fidam; ſed quod propter alios hoc teſtimonii habere cupiam, apud quos deinde audentius omnia teſtari poſſim et pacem atque reconciliationem petere. Annuit vero LAELIUS, *et huic ſuae ſententiae ſuam mihi manum adiecit.*

Haec cum te in primis ſcire oporteat, paucis exponere volui, vt et tu melius ſentias de LAELIO, *et aliis eum, ſi neceſſe ſit, de meliore nota commendes. Eſt ſane illi curioſum ingenium et multiplicibus implicitum quaeſtionibus. Eas cum aliquoties propoſuit, diſcendi et experiendi cauſſa, viſus eſt, nondum aſſuetis eius ingenio, peſtiferas fouere opiniones, quin et illas ſerere et propagare velle. Eadem tamen ille praeditus eſt modeſtia, vt cum ex me aliisque, quos amat ſincere, intelligit, ex talibus quaeſtionibus vel diſſertationibus, tales contra ipſum exoriri in multorum animis ſuſpiciones, adde et offenſiones, inde et ſibi ab eis eſſe abſtinendum. Id quod et facturum ſe promiſit.*

Proinde hortor te, colende mi Domine, et frater chariſſime, vt LAELIUM *noſtrum apud te non tantum a praua ſuſpicione purgatum habeas, ſed et apud alios, male de eius fide ſuſpicantes, fraterne excuſes. Fratres enim ſumus, qui mutuam inuicem charitatem debemus. Suſpiciones autem numerat Apoſtolus Paulus inter opera carnis. Pacem et charitatem vnice commendauit nobis Dominus et Salvator noſter. In hoc aeternum vale et ora pro nobis ſemper Dominum.* Ad haec ſcribebat in chartam quaedam LAELIUS, quae ita habent:

Ego LAELIUS SOCINUS, *a pueris vnum ſymbolum didici, et nunc ſcio et agnoſco, quod Apoſtolorum dicitur, eſſe antiquiſſimum, omnibus temporibus in Eccleſia receptum, tametſi varie ſcriptum. Sed nuper legi etiam alia, et honorem tribuo, quem poſſum, ac debeo ſymbolis vetu-*

ſtiſſimis NICENO *et* CONSTANTINOPOLITANO. *Praeterea quod ignari homines pertinaciter inficiantur, ego Trinitatis, Perſonarum,* υποςασεως, *conſubſtantialitatis, vnionis, diſtinctionis et alias ſimiles agnoſco voces non recens excogitatas, ſed a mille 300 annis, inde vsque a temporibus* JUSTINI MARTYRIS, *in toto fere christiano orbe fuiſſe vſitatas, et quidem maximis grauiſſimisque de cauſſis. Veruntamen libere dicam, quod ſentio ego, modis omnibus probarem, ſi adhuc verbis Chriſti, Apoſtolorum et Euangeliſtarum, Chriſtiana, Apoſtolica et Euangelica fides nobis explicaretur, nec ideo illa vocabula nego Patribus neceſſaria fuiſſe, ad ea ſplendidius efferenda, quae iam catholice nobis traduntur, ac ſane tanta cum veneratione ab Eccleſiis recipiuntur, multo minus in dubium verto Chriſtianae religionis fundamenta, quae ſingulis orthodoxis certiſſima debent eſſe, ac vtinam mihi reddantur certiora, quia non contendo, Patrem eſſe eundem, qui Filius et Sp. S. Non imaginor tres Jehovas, Deos noſtros coeſſentiales, non diſcindo in Chriſtos duos, vnam Chriſti perſonam, vel naturarum confuſionem vllam admitto; ſed ingeniorum laſciuiam et petulantiam valde metuo, proinde caueo ſemper ab huiusmodi lethiferis paradoxis, nec non catabaptiſtarum errores omnes fugio,* SERVETI *dogmata,* ARIANISMUM *totum execror horreoque. Reliquorum uero, quos tu adſcripſiſti, haereticorum phantaſias prorſus ignoro, nec expeto nouum doctrinae genus, ſed ea tantum, quae ſunt ad aeternam ſalutem neceſſaria, ſummoque Theologorum omnium conſenſu docentur, ego vera eſſe in dies magis oſtendi cupio, et mihi firmius perſuaderi, vt amore poſſim Deo meo vehementius adhaerere, et lites verborum, concertationes opinionum, ſpinoſas quaeſtiones, labirinthos inextricabiles deſerendo, acquieſcere in ipſa Dei veritate ſimpliciſſima. Quare fateor ingenue me curioſiorem fuiſſe, quam potuerint ferre nimis Zelotypi quidam Pythagorici; ſed erga me nunc tanta extitit Patris coeleſtis benignitas, vt plane confidam, me poſthac longe dexterius verſaturum*

eſſe

esse in congressibus hominum sanctissimis. Ego enim phantasticorum speculationibus omissis ineptis, argutiis fallacibus ratiunculis Sophistarum iam valedictis, quod maximum, quod excellentissimum Dei beneficium e terrae pulueribus me omnino excitandum spero: Nam qui mihi fidem habebit, dixit ille, qui nunquam mentitur, etiamsi mortuus fuerit, reviviscet, hoc autem promisso, quid nobis contingere posset felicius! Gentes profanae sunt, quae spem non habent, et his sermonibus non consolantur. Quapropter ago tibi gratias, Pater, coeli terraeque Domine, quod in sempiternam vitam mea conseruetur anima, et ipsam corpore interfecto nulla vis humana interficere queat; sed amplius te supplex oro, vt si qua in animo meo suspicio vel minima surrerexit, tanquam illa de re sit, quae sit naturae dissentanea, et omnium nostrum excedat intellectum, velis eam continuo eximere, et in clarissima luce positum me beatum facere per J. C. vnigenum tuum, qui a te legatus vnicus fuit, vt ab exitio praeter omne meritum conseruet, et reparet ei fidentes. Ita tamen vt nihilo non respondeat vaticinio Ezech. 34. Quo circa est omnipotens Deus, Iudex, liberator, Dominus et Rex noster aeternus, ad cuius nomen se omne genu flectat coelestium et terrestrium et subterraneorum, qua sibi subjicere potest omnia. Itaque ex animo communico vobiscum N. N. mei charissimi; nihil enim quod attinet ad ea, quae sacri et diuini spiritus egent testimonio, suasum hactenus habui, quod vos hic omnes pariter habendum esse non doceatis; et quod plus est, ego vobiscum non dubito, monstrificam horribilemque patefacere illam belluam, quae tandem comprehendetur vna cum falso vate, qui in eius conspectu facit ostenta, quibus decipit eos, qui bestiae notam accipiunt, quique eius venerantur imaginem. Duo illi vivi conjicientur in stagnum ignis ardens sulphure. Reliqui gladio necabuntur sedentis in equo, qui gladius ex eius ore procedit, eorumque carnibus satiabuntur omnes alites: hic cernitur infelicissimus exitus ipsorum et gladius acutissimus, quo profligandi sunt omnes Agno rebelles. Cur

igitur nos alio, quam Christiano et Apostolico iure atque ferro animaduertemus in eos, qui solum propria Christi et Apostolorum iura ac enunciata violant?

Quod autem restat, mi Domini N. N. satis intelligo opus esse quadam singulari moderatione, vt omnia ad vtilitatem fiant, quia et reddendam nobis esse cuiuscunque mali verbi rationem in die iudicii. At multa delinquimus omnes, si quis in verbis non delinquit, is perfectus homo est. Deus ergo omnis verae sapientiae largitor, meam quoque linguam regat ac gubernet, ita vt ex eodem ore laudatio et execratio non prodeat. Sed interim nunquam sinam, me hac sancta libertate priuari a maioribus quaerendi et disputandi modeste ac reuerenter ad amplificandam rerum diuinarum agnitionem, quandoquidem Scripturae loci sunt pauci, quibus interpretandis ac euoluendis, vt minime satiacisfant Doctores et perpetua obseruantia colendi, ita ego non sum adeo infans, vt ipsa quoque mea infantia me lateat, et quanta mihi desunt, non sciam. Tu igitur assidue mecum orabis Deum omnis fauoris, vt in LAELIO *tuo rem bonam, quam inchoauit, absoluat, ne sit amplius puer, qui omni vento fluctuet, ac circumferatur, sed verum tenendo cum charitate perficiat omnino, quae sunt a tergo obliuiscens, et ad anteriora se intendens ad scopum, contendat ad palmam, ad quam superne vocatus est diuinitus per C. J. Vtinam illuc spectent omnia vota mea, si qua ad mortuorum resurrectionem perueniam, vt in nubibus raptus obuiam Domino in aerem cum eo laudibus aeternis Deum Patremque nostrum celebrando semper viuam. Dabam 15. Julii 1555.* Idem LAELIUS *manu propria.*"

Qui ingenua ac sincera mente *Laelium* haec confessum esse, se persuasum habet, eum, saltim isto tempore a grauiore errore circa Mysterium S. Trinitatis immunem, iudicabit. Sed dolosam et ambiguam hanc confessionem declarauit JULIUS *Mediolanensis* et reliqui etiam *Locar-*

Locarnenſes Euangelii miniſtri. *Julius* iſte, vir acutiſſimus, laruarum, ſimulationum ac praetextuum *Laelii* optime gnarus, technas iſtas ac machinationes in ep. ad hunc ſcripta et ab HOTTINGERO l. c. p. 427. ſeqq. inſerta detexit. Iuuat vero JULII epiſtolam ad *Bullingerum* 1555 d. 4. Novbr. ſcriptam adferre, ex qua de LAELII animo ad ſimulandum quavis ratione compoſito documentum capi poteſt luculentiſſimum. Coniecturam non vanam, ſed ex parte rationibus fulciendam concepi, *Julium* hunc *Mediolanenſem* iam inde ab Italia *Laelium* optime cognitum habuiſſe, deque eodem iudicium tuliſſe, per diuturnam experientiam et conuerſationem comprobatum. Significat in hac LAELIUM Anabaptiſtarum partes ſuſcepiſſe, CAMILLO RENATO in *Valle Telina* Anabaptiſticae ſectae Coryphaeo et principi dediſſe manus, myſterium S. Trinitatis ab eodem non admitti, variaque prodigioſa concepiſſe dogmata. Admonet proinde *Bullingerum* ad vigilandum, ne quid detrimenti ex *Laelio* capiat Eccleſia praecipue *Locarnenſis*. Ex parte quidem *Julii* litterae inſertae ſunt OTTII *annalibus anabapt.* p. 120, in extenſo autem leguntur in Jo. CONR. FUESLINI *Epp. ab Eccleſia helvet. Reformatoribus* etc. ſcriptis Cent. I. N. 81. p. 353. et in *de Porta* Hiſt. Reform. Eccl Raet. L. II. p. 86. Ita autem JULIUS de LAELIO ad BULLINGERUM:

„Gratiam et vitae innocentiam a Domino. Superiore „menſe Junii, cum eſſem Sondrii, quod eſt primarium „Vallis Telinae oppidum, accepi tuas ſuauiſſimas litte„ras, mi frater colende ac Domine plurimum ſuſpicien„de! quae mirifice ſubleuarunt animum innumeris mo„leſtiis propter nonnullos ſeditioſos et contumaces per„culſum et conſternatum. Ea enim eſt, vt ſcis, paſto„rum conditio, ne dicam fatalis quaedam ſors, vt in di„es et horas, multos cogantur ſubire labores, ad hoc, vt „eccleſiae communio conſeruetur. Cum autem in tantis „moleſtiis

„moleſtiis poſitus eſſem, tuasque dulciſſimas litteras toto „corde lectitarem, non mediocriter gauiſus fui. Idque „duplici nomine. Primum quod a te amari video, et „te ex animo me, qualis, qualis ſim in confratrem et „conſymmiſtam amplecti. Deinde quod LOCARNENSES „propter Chriſtum exſules, tam benigne tuo conſilio et „opera excepti ſunt hospitio ab ampliſſimo Senatu Tugu„rino. Gratulor igitur et tibi piiſſime BULLINGERE! et „tuae ſanctae Eccleſiae, quod etſi hoc noſtro corruptiſ„ſimo magis, quam pio ſaeculo miſericordia paene ſit „obliterata, tamen pater miſericordiarum tanto vos di„gnatus eſt fauore, quod Chriſtum exulem collegiſtis. „Nam et nos advenae fuimus, verum nos Deus ſuscepit „in Chriſto Filio ſuo, vt iam non ſimus peregrini, ſed „ciues ſanctorum et domeſtici Dei. Eadem ergo nos „miſericordia affectos eſſe decet, quum ea dilectione no„bis ambulandum ſit, qua et Chriſtus dilexit nos. In „hanc ſententiam ſcriberem plura, niſi cognoſcerem, „quam promta ſit tua voluntas, inſeruiendi omnibus „Chriſti fidelibus, et illis maxime, qui Chriſti cauſſa „exulant. At haec cum poſtea SONDRIO reuerſus eſſem „TIRANUM, hoc menſe Octobri allatae mihi fuerunt ſe„cundae tuae litterae refertae quidem et fraterna dilectio„ne et eccleſiaſtica diſciplina, quibus ſignificabas LAELI„UM Seneniſem iam pridem a nobis ſuſpectum et a mul„tis bonis fratribus habitum pro manifeſto Anabaptiſta, „coram te non tantum profeſſum fuiſſe bonam confeſſi„onem, ſed et propria manu ſubſcripſiſſe ſanae doctri„nae, quae ſemper fuit in catholica Eccleſia. Ob id fra„terne me hortabaris, vt non tantum LAELIUM apud me „purgatum habeam ab omni mala ſuſpicione, ſed et apud „alios, de ipſius fide ſuſpicantes, hominem excuſem. „Agnoſco mi ornatiſſime BULLINGERE! et exoſculor in „te Zelum Domus Dei cum non vulgari charitate coniun„ctum. Animaduerto enim in tuis litteris, quantum tibi „ſit cordi, ne LAELIUS infametur, quantumue cupias

„LAE-

„LAELII ſalutem et quanti facias indiuiduam Eccleſiae „concordiam. Enim vero tanti ponderis et merito qui„dem apud nos eſt eccleſiaſtica tua auctoritas, vt nobis „in hac re abunde ſatisfactum ſit, ſi tibi ſatisfactum eſt. „Quare tuo fretus conſilio et iudicio curabo, vt Eccleſiae „noſtrae poſthac pro fratre LAELIUM agnoſcant, et ſi non „tam cito potero diluere maculam tam violentae ſuſpici„onis, oro tamen Dominum Jeſum, vt LAELIUS toto „corde credat, quae coram te confeſſus eſt, vt in verae „fidei confeſſione confirmetur. Nolebam, ſed vt cau„tior fias, cogor referre, LAELIUM CAMILLO Renato de„diſſe manus, ita, vt deſerta catholica veritate, publice „non erubuerit GENEVAE, CLAVENAE et alibi ſtare a par„te Anabaptiſtarum, quae res apud nos tanti eſt momen„ti, vt nullus relinquatur excuſatori praetextus. Arbi„tror enim, te non ignorare callidi et tortuoſi CAMILLI „ingenium et mores. Ea igitur de cauſſa, ſi de LAELII „confeſſione aliquantisper ſuſpicatus ſum, ne miraberis „quaeſo, cum plus ſatis experiamur SERUETANOS et ANA„BAPTISTAS non facile deponere, quod ſemel inbiberunt. „Quod in dies magis ac magis deprehendimus in vno „CAMILLO. Vix enim credi poteſt, quam flexibilis ſit „haeretici vafricies, et quam obliquo et volubili flexu „iſte anguis effugiat, niſi fortiter prematur. Sed quid „dico de CAMILLO? Non omnes Anabaptiſtae ea ſunt „perfidia, vt non vereantur efflare modo calidum, mo„do frigidum. Quare piiſſime BULLINGERE! neque ar„rogantiae mihi adſcribas rogo, ſi libere tecum tantum„modo, id quod ſentiam, dico. Redarguendi ſunt ſeue„riter languentes circa pugnas ſanae doctrinae, quae „ſcandala multa et diſſidia praebent magis, quam aedifi„cationem Dei, quae eſt per fidem. Devitandae ſunt „quaeſtiones falſo nominatae ſcientiae et accedendum ſa„cris ſermonibus Domini noſtri J. C. et ei, quae ſecun„dum pietatem eſt, doctrinae, qua repulſa CAMILLUS et „aſſeclae circa fidem naufragium fecerunt. Detrahenda

„igitur

„igitur eſt larua verſipellibus haereticis, alioqui actum „eſt de ſalute Eccleſiae. Nam amicus hypocrita publi- „co hoſte eſt nocentior. Valeant igitur, qui quotidie „diſſidia quaerunt in Eccleſia. Non potui autem mihi „temperare optime BULLINGERE! (quando propter Do- „mini gloriam et Eccleſiae aedificationem dignum admo- „nitione videbatur) quin ingenue tibi ſignificarem, quid „fratres noſtri de LAELIO ſentiant. Tuae nunc erit pru- „dentiae propter onus tibi diuinitus commiſſum ſic vigi- „lare et excubare ſupra gregem tuae fidei concreditum, „et maxime ſupra LOCARNENSES, ne lupi ouilla pelle te- „cti deuorent Chriſti oues, hoc enim exigit ratio Chri- „ſtiani paſtoris; nam et Dominus admonuit: Cauendos „eſſe, qui veniunt ad nos in veſtimentis ouium, cum in- „trinſecus ſint lupi rapaces, non parcentes gregi. Et „quia mendacia non diu fallunt, ideo ex fructibus eorum „cognoſcemus eos. Caeterum Eccleſiae noſtrae, Vallis „Telinae, quae ſunt PESCLAVII, TIRANI, TILII et SON- „DRII pergunt concordes in veteri et ſimpliciſſima do- „ctrina, quae ab aetate Apoſtolorum apud omnes Eccle- „ſias recepta fuit, et hodie Dei gratia ſine controuerſia „docetur in noſtrae Helvetiae et noſtrae Raetiae Eccleſiis. „Oremus igitur Jeſum Dominum, verae concordiae au- „ctorem, vt nos omnes conſeruet in vnitate ſpiritus per „vinculum pacis. Saluere te iuſſit frater et conſymmiſta „noſter PAULUS GADIUS, Cremonenſis. Salutabis nobis „erudituiſſimum RUDOLPHUM GUALTERUM, piiſſimum „BIBLIANDRUM et ſanctiſſimum ſenem PELLICANUM. „Dominus J. C. cum ſpiritu tuo ſit! Amen. Ex PESCLA- „UIO 4. Nou. 1555. Tuus ex animo JULIUS Mediola- „nenſis.“

Non in omnibus Anabaptiſtarum, (quod nomen iſto tempore vagum fuit, ac parum determinatum) diſciplinam probaſſe videtur LAELIUS, quamvis a *Julio* conſenſus cum *illis et Camillo Renato* accuſetur; ſiquidem potius nullum prorſus Baptiſmi eſſe vſum ſtatuiſſe putan-

putandus eſt, quam deinde ſententiam Faustus ſine dubio ex *Laelio* ſuam fecit. Non mediocriter hanc confirmant ſuſpicionem, quae iam a. 1549. ſcripſit *ad Caluinum* de quaeſtione: *An fidelis pater committere poſſit, vt liberi ſui baptismo pontificiorum initientur?* Non quidem iſtae Laelii litterae noſtram tulerunt aetatem, ex *Calvini* tamen reſponſis in huius Epp. N. CIII. et CIV. patet, quid ille apud ſe ſtatuerit. Quantus in ipſo ſimulandi et diſſimulandi, aliisque fucum faciendi fuerit habitus, ac fallendi alios exercitium, facile colligitur, quod Bullingerus, ne his quidem litteris *Julii* monitoriis permotus fuerit, diverſam ſtatuere ſententiam, nec quicquam mali de illo ſuſpicari. Imo potius abhuc a. 1558 optime de eodem iudicauit in ep. ad Jo. a. Lasco *Tiguri* d. 25. *Jun.* ſcripta et luci expoſita a *Fueslino* l. c. cent. I. N. 89. p. 411. ſeqq. qua *Laelium* ſecunda vice in Poloniam proficiscentem tanquam verae religionis amantem his verbis commendauit: „Laelius Socinus *Senenſis hic eſt, cui has credidi, qui hasce tibi offert. Nobilis eſt, vt noſti genere, nobiliſſima ortus familia. Vixit apud nos Tiguri multos annos. Purioris enim religionis ſtudio, relicta Italia, Parente, fratribus, et ampliſſimis facultatibus ad nos migrauit. Vixit apud nos inculpate. Miram litteris impendit diligentiam, vnde et hebraicae, graecae et latinae non vulgariter eſt peritus. Amat veram religionem. Superſtitionem odit. Sed malo ipſum cognoſcas ex colloquio. Praeterea prudens eſt et laborioſus, dignus ſane, qui aut doceat aliquid publice, aut Principi alicui conjungatur negotiaque eius ardua tractet. Exponent ipſe tibi, quo in periculo ſint res, tum fratrum eius familiaeque totius, tum etiam propriae; obſecro autem tuam fidem, Domine mi colendiſſime et frater chariſſime! vt optimo viro non deſis, ſed iuues illum, fideliſſimeque commendatum habeas in omnibus. Si enim recte ipſum noui, non poenitebit te operis et diligentiae. Res noſtras exacte omnes tenet. Sum ergo in ſcribendo brevior,*

quod

quod ipſe exactius referet omnia. Summam ergo quarundam rerum attingam ſaltem, earum inquam, quas nouiſſe te plurimum refert. etc."

Quam coram lucratus fuerat *Melanthonis* amicitiam et fauorem, abſens quoque ſeruauit invariatum ac immobilem, huncque perpetuo commercio epiſtolico confirmauit, cuius rei varia in illius epiſtolis exſtant documenta. In ep. ad *Joach. Camerarium* a. 1552. *Cal. Febr.* ſcripta, l. c. p. 657 ita inquit: „*Poſt iter* Casparis *nihil accepi novi de republica. Hic* Polonus a Laelio *accepit litteras, qui iam in Heluetiis conuentum fore ſcribit totius gentis, deliberaturae de gallicis petitionibus. Ac vide ſaeculi furores, certamina Allobrogica de ſtoica neceſſitate tanta ſunt, vt carceri incluſus ſit quidam, qui a Zenone diſſentit.* Laelius *narrat ſe κορυφαίῳ cuidam ſcripſiſſe, ne tam vehementer pugnet. Et mitiores ſunt* Tigurini." In *ep.* ad *Casp.* Peucerum, in epp. ab hoc editis, P. II. p. 403. „Laelius *mihi ſcribit, tanta eſſe Geneuae certamina de ſtoica neceſſitate, vt carceri incluſus ſit quidam a Zenone diſſentiens. O rem miſeram. Doctrina ſalutaris obſcuratur peregrinis diſputationibus.*" In hoc certamine *Melanthon* quoque ad opem ferendam prouocatus, quam tamen detrectauit. Hinc in litteris Christoph. Stathmioni a. 1559. d. 20. *Martii* datis, l. c. P. II. p. 429. ſcribit: „*Me ſenem et infirmum optare pacem conſentaneum eſt. Ante annos 30. non ſtudio contentionis, ſed propter gloriam Dei et propter disciplinam reprehendi ſtoica paradoxa de neceſſitate, quia et contra Deum contumelioſa ſunt, et nocent moribus. Nunc mihi bellum inferant ſtoicorum phalanges, ſed in qua ſententia poſſint acquieſcere mentes anxiae, rurſus moderate expoſui in reſponſione, quam bavaricae inquiſitioni oppoſui.*"

Neminem magis Laelius ſua ad formanda dubia excitandasque de rebus rationi incognitis quaeſtiones, leuitate

leuitate exacerbauit, quam Jo. Caluinum, cum quo et coram *Genevae* egit et ad quem, *Witteberga* et ex aliis locis in peregrinatione ſua, frequenter dedit litteras. Plura de fluctuationibus et ſcrupuloſis meletematibus, vel etiam certaminibus audaciſſimis *Laelii* cognoſceremus, ſi ejusdem ad Caluinum epiſtolae noſtra vidiſſent tempora; hunc enim iam a. 1549 duas dediſſe ad illum, *Beza* in vita Calvini nos certiores reddidit, ex quibus ſaltem altera ad nos integra peruenit, ſcripta 8. *Id. Dec.* a. 1549, altera, quantum ſcimus, periit. Quae in Epp. et reſpons. Caluini p. 314 occurrit reſponſoria ad aliquot Laelii quaeſtiones, ſcripta a. 1555. *Non. Julii*, teſte *Crenio* in animadu. P. VII. p. 144. in *Caluini* Epp. N. CIII. editionis tertiae epp. *Hanouiae* 1597. 8. legitur. An vero diuerſa illa ſit ab iis, quas antiquiori *Jo. Caluini* epiſtolarum editioni inſertas animaduertimus, certo a me dici nequit, cum Hanouienſis editionis copiam conſequi non potuerim.

Poſterior illa *Caluini*, cuius mentionem feci, reperitur in eiusdem *epp.* et *reſpons. Geneuae* a. 1575. *fol.* edit. p. 93. quam qui legit, animum Laelii ad curioſius, quam par eſt, inueſtiganda, quae vel Deus nos latere omnino voluit, vel in vtramque partem certa ratione disputari poſſunt, procliuem ad ſingularia et temerarium ſatis luculenter perſpicit. Hunc quoque Caluinus indigne tulit, nec immerito, inprimis cum Socinum male interpretari epiſtolam ſuam priorem animaduerteret, hinc quoque aegre ad ipſius dubia et quaeſtiones reſpondet. Haec autem eſt Caluini ad *Laelium:*

„Ideo ſerius, quam optabas, reſpondeo, qui inui„tus, vt verum fatear, quo me vocant litterae tuae, pro„trahor. De reſurrectione carnis video tibi minime eſſe „ſatisfactum. Atqui ſi plus a me poſtulas, ne ſcire qui„dem vltra, quam docui, appeto. Si excuſem, mihi non „plus datum a Domino, aequum non eſſet, me praete-

„rea vrgeri. Tenenda enim nobis eſt regula, credidi, „ideo loquar. Verum dico in hac fide, quam apud te „profeſſus ſum, ſic me acquieſcere, vt longius tendere „fas mihi non eſſe arbitrer. Audio quid tu contra. „Quum hoc praecipuum ſit fidei noſtrae caput, cum in „eo poſita felicitatis noſtrae ſumma, non videri ſuperua- „cuam eius inquiſitionem. Et ſunt quidem iſtae ſpecio- „ſae illecebrae. Sed quod Spiritus Dei per os Joannis „admonet nondum apparuiſſe, et notitiam in diem vlti- „mum differri, modum mihi praeſcribi ſentio. Quae „tibi ſcripſi adeo firma apud me ſunt, et Dei verbo com- „probata, vt nulla me dubitatio ſollicitet. Sic porro „ſufficiunt, vt, eorum fiducia, mortem ſecure contem- „nam. Si plura deſideras, aliunde petenda ſunt. Quo- „niam nunquam a me impetrabis, vt obſequendi tibi „ſtudio fines a Domino poſitos, tranſiliam. In aliis „quoque ſi parcior ero, quam optes, ignoſce. De vxo- „re ducenda, ſi quis a me conſilium petat, non aliud ſua- „debo, niſi eam ducat, quae parata ſit Chriſtum cum „marito ſequi. Idque non ore tantum profiteatur, ſed „reipſa demonſtret. Nam quae alioqui recte ſentiens, „ab impietatis tamen profeſſione diſcedere non vult, eam „quisquis ducet vxorem, peſſimum ſibi laqueum inducet. „Nimis ſaepe expertus ſum in multis, quantum a Chri- „ſto recedant, qui ſe implicant talibus conjugiis. Ve- „rum vt ſigillatim tibi reſpondeam. Quod rogas, an a „coniugio Papiſtico, non ſecus atque a Turcico ſit abſti- „nendum: Ego: qui ſuperſtitiones Papatus, in quibus „educati ſunt, penitus retinent, non auſim tamen in eo- „dem gradu cum Turcis locare. Nam aliquanto pro- „pius ad nos accedunt. Verum omiſſa comparatione, „homini chriſtiano fas eſſe nego, ſe vxori adiungere, „quae ſit a Chriſto aliena. In eo autem numero ſcimus „eſſe omnes Papiſtas. Qui licitum ſibi eſſe putat eam „accipere, quae adhuc multis erroribus tenetur implici- „ta, modo juſtitiam ſuam in Chriſto quaerat, non animad-

„uertit,

„uertit, quantis poſtea in rebus futurum ſibi cum illa ſit „dimidium. Nemo igitur me auctore, hoc periculum „adibit; quia potius haec mea ſententia eſt, nec pie, nec „in Domino matrimonium contrahere, qui aliam ſibi ſo„ciam aſciſcit, quam quae diuortium prius cum Papa fe„cerit. Scio non ſemper dari optionem ex voto, verum „difficultas culpam non purgat. Solemnis Papatus ab„negatio ſi accedat, laudanda quidem erit: ſed ego iam „quaſi neceſſariam exigere non auſim: ſicuti nec certum „modum finire, quamque in pietatis doctrina, progreſ„ſum eſſe oporteat, quae ducenda eſt vxor, niſi quod ve„lim relicto Chriſti hoſte et manifeſta impietate valere „iuſſa, Chriſto nomen dediſſe. Quod rogas, an ratum „vel irritum eiusmodi coniugium habere eccleſia debeat, „quorſum pertineat, non ſatis aſſequor. Nam ſicuti „mutuus vtriusque partis conſenſus requiritur, vt rite „Dei nomine et auſpiciis conſecrentur nuptiae: ita ſi quis „ab officio declinet, non deſinit tamen legitimum eſſe „coniugii vinculum, quo alter alteri obligetur. Leuita„tem quidem merito improbabit, fidem tamen datam „non ſoluit. Ego ſi ex duobus ſit eligendum melius, „facere non aliter poſſe arbitror, qui ſub Papatu degit, „quam vt liberos ſuos ad baptismum quamuis adultera„tum offerat. Si corruptelas, quae cum Dei mandato „pugnant deteſtetur, pie et ex Chriſtiani hominis officio „faciet. Praeſens ſane mortis periculum: ſed eo plus „laudis meretur conſtantia, quod nullo nutu frangetur „quisquis erit, quo minus confeſſionem pietate ſua dig„nam edat. Liberos ſi quis baptismo priuet, plus duplo „pariet offenſionis. Itaque hoc non conſulerem. Jam „cum mollities animi omnes fere, qui viuunt ſub Anti„chriſti tyrannide, impediat, ne libere teſtentur, ſe ab „inquinamentis Papiſtarum eſſe alienos, hinc monendi „ſunt, vt ego ipſos moneo, quam miſeri ſint et quan„tum in labyrinthum demerſi, qui Dei offenſam niſi al„tera offenſa fugere nequeunt. Hoc vero eſt inter ſa-

„crum (vt loquuntur) et ſaxum premi, non poſſe Chri-
„ſto liberos ſuos offerre, quin ad inquinamenta Anti-
„chriſti proſtituant: et tamen non poſſe vſum baptiſmi
„praetermittere, quin contemti Chriſtianiſmi notam in
„ſe ſuſcipiant. Hunc ſtimulum iis, qui illis ſibi blandi-
„untur, admoneo: vt ſuam infelicitatem in ſuis quoque
„liberis agnoſcant. Cum Papiſtarum baptiſma a luſorio
„diſtinguo, fingis tibi reſponſum, quod tanquam a me
„datum impugnes; non reperies in meis litteris, ſcio,
„pendere illius vim ab intentione conſecrantis. Tan-
„tum niſi fallor, ideo dixi efficax, quatenus in hunc fi-
„nem adminiſtratur, vt in Chriſti corpus nos inſerat, vel
„vt noſtrae ſit renouationis ſymbolum. Jam nihil mea
„refert; ſitne homo Lucianicus, qui baptizat, ſitne Dia-
„bolus. Tantum enim reſpicienda eſt inſtitutio et con-
„tinuus vſus, qui a Chriſti mandato tanquam ex fonte
„fluxit. Certe non heri primum coepit baptizandi ritus.
„Eum nec Papiſtae nec Idololatrae alii excogitarunt. Per-
„peram itaque eum aeſtimas, niſi ad originem ſuam re-
„uoces. Vtcunque autem prauis multis acceſſionibus
„vitiatus fuerit, ſemper tamen ſtetit hoc fixum, baptiza-
„ri Chriſti mandato in nomen P. F. et Sp. S., vt ſit re-
„generationis teſtimonium. Hic eſt finis, quem conſi-
„derandum doceo. Nec alia fuit ratio, cur olim circum-
„ciſionem Deus in media ſacrorum omnium profanatio-
„ne ratam, nihilo minus habuerit: niſi quod in illum
„primum finem dirigebatur, vt ſigillum eſſet diuini foe-
„deris: ego Deus tuus et ſeminis tui poſt te. Itaque
„cum populus ſub Joſia foedus de integro feriret, ac
„ſolemnem ſuae defectionis poenitentiam ageret, non ta-
„men iterata fuit circumciſio: quae non infidelitate mo-
„do, ſed impiis multis ſuperſtitionibus polluta erat.
„Tanti enim eſt ſancta Dei inſtitutio, vt inter multipli-
„ces hominum corruptelas ad vim ſuam retinendam prae-
„ualeat. Antiſtrophon quod in me torquere vis, nul-
„lum eſt. Neque enim luſoria baptiſmi initiatio, vt
„credis,

„credis, in populum Dei inferebat: sed instituti diuini„tus traditi obseruatio. Et tamen degeneres erant filii, „qui foedus cum patribus initum violauerant. Quod „Ecclesiae reliquias in papatu manere dico, non restrin„go ad electos, qui illic depressi sunt, sed ruinas dissipa„tae Ecclesiae illic exstare intelligo. Ac ne mihi longis „rationibus disputandum sit, nos Pauli auctoritate con„tentos esse decet, qui Antichristum in templo Dei sessu„rum pronunciat. Quamquam et hoc rationibus satis „validis me prodisse puto, Ecclesiam licet semiruptam, „imo si lubet diruptam, ac deformem, aliquam tamen „manere in Papatu. Atqui non patior, vt in priuatis „pii hominis aedibus baptismus pure iuxta Christi regu„las administretur! Facilis responsio est. Nam huius„modi baptismum, qui apud nos non permittitur, ac „jure quidem vetitus est, facilius tolerarem, quam Pa„palem illum tot sordibus infectum. Verum hic non „agitur, quid ego probem. Quod autem baptismum „pro nihilo me ducturum putas, quem a fratribus meis, „quispiam forte intra priuatos parietes administrauerit, „hoc mihi nunquam venisse in mentem, Deum et homi„nes testor. Longe enim aliud est praescribere, quid „rectum sit ac sincerum, et quid inter exsoticas accessio„nes residuum sit ex Dei institutis. Si Turca in ecclesiam „solemni fidei professione receptus fuerit, quin bapti„zandi quoque sint eius liberi non dubito. Viget enim „promissio illa: ero Deus tuus et tuorum. Timidita„tem, qua fit, vt cautius vireant quidam, quam vt in „suspicionem veniant tyrannis, simpliciter damnare non „est meum. Vnus enim est legislator et iudex, huius „ore non video damnari. Qui vero astutam suam simu„lationem in adeundis missis, vtile promouendae gloriae „Dei subsidium esse putant: vtinam cogitarent non ita „inopem esse Deum, vt nostris mendaciis indigeat. Cer„tum quidem est, hac occasione interdum quosdam Chri„sto lucrifieri. Id quoties euenit exemplo Pauli gaudeo,

„quouis enim modo propagetur regnum Dei, lucro ap„ponere nos docet. Sed nunc disputatur, an tale pro„betur Deo obsequium: quod ipse negat. VII. Idus „Dec. 1549."

Has *Caluini* litteras NATALIS ALEXANDER l. c. T. VIII. p. 162. allegans, de *Laelio* hoc addit iudicium: „*Peritus dissimulandi artifex, quam a* MICHAELE SERUETO *hauserat haeresin, eo exusto abscondit. Paucos ea infecit Italos per Poloniae ac Germaniae regiones diffusos.*" Qua praeterea ratione post primum ex Polonia reditum in Heluetia ingenii sui et ambigentis animi foetus excluserit, ex epistolis duabus viri in rebus Theologicis versati *altera* 4. *Id. Aug.* 1555. *altera* 3 *Id. Febr.* 1555. ad eundem scriptis longa serie exposuit *Hottingerus* l. c. T. IX. p. 454—474, qui ipsius SOCINI manu comprobat, quanti auctorem epistolarum fecerit.

Non tamen potuit LAELIUS quamdiu *Tiguri* vixit ita petulantis ingenii calorem temperare, quin cum CALUINO litteras reciprocans huius aduersus se prouocauerit seueriorem censuram. Portentosis enim sciscitationibus et nimio indagandi pruritu, post aliquod tempus ipsi adeo molestus fuit,- vt litteras ad illum dederit indignationis plenissimas, *Cal. Jan.* a. 1552. quas ex autographo exhibuit vitae F. SOCINI auctor in scriptoris celeberrimi opprobrium. Dignas quoque easdem censuit PAULUS COLOMESIUS, quas cum aliis clarorum virorum epistolis singularibus in lucem reuocaret, in *opp.* edit. a J. A. *Fabricio*, p. 502. Sic autem ait CALUINUS: „*Non est, quod expectes, dum ad illa, quae objicis quaestionum portenta respondeam. Si tibi per aereas illas speculationes volitare libet, sine me quaeso humilem Christi discipulum ea meditari, quae ad fidei meae aedificationem faciunt. Ac ego quidem silentio meo id, quod cupio, consequar, ne tu mihi posthac sis molestus. Liberale vero ingenium, quod tibi Dominus contulit, non modo in rebus nihili frustra occupari,*

cupari, ſed exitialibus figmentis corrumpi vehementer dolet. Quod pridem teſtatus ſum, ſerio iterum moneo: niſi hunc quaerendi pruritum mature corrigas, metuendum eſſe, NE TIBI GRAVIA TORMENTA *accerſas. Ego ſi indulgentiae ſpecie vitium, quod maxime noxium eſſe judico, alerem, in te eſſem perfidus et crudelis. Itaque paululum nunc mea aſperitate offendi malo, quam dulcibus curioſitatis illecebris male captum non retrahi. Erit tempus, vt ſpero, cum te ita violenter expergefactum fuiſſe gaudebis. Cal. Jan.* 1552. *Jo. Caluinus tuus.*"

Haec monita LAELIO admodum neceſſaria judicavit *Caluinus*, quae ſi cordi habuiſſet infixa, iisque obſequium praeſtitiſſet, ſuo non nocuiſſet Eccleſiae ingenio, praecipue per *Fauſtum*, ſuum ex aſſe haeredem. Ad ſupplicium *grauium tormentorum* comminatione Genevenſis coetus Doctorem reſpexiſſe, pro certo venditat, LAMY *in Hiſtoire du Socinianisme* p. 34 in notis hancque ab cauſſam ſibi fingit, epiſtolam CALUINI a. 1552. ſcriptam non eſſe, cum *Seruetus* demum 1553 flammis extinctus fuerit. Contraria potius argumentatione colligimus, cum ep. *Caluini* a. 1552 ſcripta ſit, SERUETI ſupplicium neutiquam in mente habuiſſe CALUINUM. Nec opus erat, *Laelium* exemplo ſpeciali commonere, cum eiusmodi tormenta ſatis frequenter iſto tempore obuia fuerint. *Przypcovius* l. c. verba haec ad futurum SERUETI ſupplicium, reſpicere auguratur, additque: „*Neque fluxa fuit, aut ſpernenda minarum fides. Nam in Octobre anni ſequentis Geneuae exuſtus eſt Seruetus.*" Omnino tamen a vero abhorret, CALUINUM iſto tempore cum LAELIO epiſtolam dederit, SERUETI tormenta iam praeluſiſſe. Illum enim iam tum praemeditatum fuiſſe terribile huius exitium, nullo fide digno nititur teſtimonio, imo ne quidem coniectura veriſimili, cum id, quod miſero homini contigit triſte fatum, ab ipſius non praeviſo ac fortuito tranſitu per *Geneuam* penderit.

LAELIUS interim non plane securus, nocentissimum errorum fomitem sub cinere latere passus est, sicque se vbique gessit, vt nullibi locorum plures sibi hostes majoremque suspicionem contraxerit; imo potius *Melanthonis*, *Bullingeri*, aliorumque fauorem perpetuo seruauerit. Quam maxime enim modestus ac prouidus fuit in proponendis dubiis, ac insuper alios morum suauitate et adumbrata facilitate nuntium mittendi suis opinionibus obstrinxit, vt, qui eius dubia improbarunt, ipsum odio non habuerint. Docuit ipsum in primis paulo post *Caluini* terriculamentum, insequens SERUETI supplicium caute mercari, nec se praesentissimo exponere discrimini. Noluit enim suscepta placita morte obsignare, nec obstinata errorum defensione vitae periculum sibi contrahere. Commodo hinc tempore ac loco obiectiones suas exposuit, ac tanta quidem circumspectione ac calliditate, vt, quamuis inter hostes opinionum suarum maximos versaretur, ipsis tamen nunquam tantam mouerit bilem, vt de reconciliatione desperandum fuisset. Singularis modestia, promtus ad reuocandum animus, morumque ad pietatem compositorum ornatus aduersarios exarmarunt, infensosque animos haud parum mitigarunt. Quamuis enim *Caluinus* libertatem sentiendi, pruritum dubitandi et habitum subtilissimas formandi obiectiones in *Laelio* ferre non posset, quae omnia quoque litteris increpauerat; personam tamen eius odisse ac persequi, non sustinuit. Excandescentiam enim ejus *Laelius* adulationibus ac blanditiis suis moderauit ac deliniuit, vt illum sibi reconciliatum iterum esse iudicare potuerit; quod ex illius amica et remissa ad nonnullas *Socini* quaestiones, responsione, *Non. Jun.* a. 1555. scripta, quam suppeditavi, colligi potest. Hanc prouidae ac placidae mentis indolem ad encomium *Laelii* conuertit *Przypcovius* eos redarguendo, qui sibi famae magis cupidine, quam veritatis studio ducti martyrium contrahunt. Ita autem *Laelii* praeco: *Sciant, quos nimia veri] libertas in*

in pericula ſaepe intempeſtiua praecipitat, ipſam illam, quam propugnant veritatem, in circumſpecta prudentia leuitateque, quam in effreni zelo plus habere praeſidii. Vt, qui vltro ſuis diſcriminibus occurrunt, magis ad priuatam laudem, quam ad publici emolumenti rationem feſtinare videantur, et, ſi vsquam alibi, hic profecto columbina ſimplicitas, ſerpentino aſtu temperanda eſt: niſi nobis ſuſpectum eſt Seruatoris conſilium, damnantis eorum inconſultam temeritatem, quibus ſaepe nequiter expetit, ſuas illic margaritas prodigere, vbi pretio ſuo aeſtimari nequeunt. LAELIUS *certe inter capitales ſententiae ſuae hoſtes manſit integer et inuiolatus. Nec tamen commiſit, vt judicii ſui ſenſus periret intra conſcientiae ſuae ſecretum. Itaque, quibus viſum eſt, concredere non eſt veritus, quae ſibi diuinitus patefacta cenſebat. Suos praecipue Italos erudiuit, quos pium ac voluntarium exſilium per multas Germaniae atque Poloniae regiones ſparſerat.*" Effrenata curioſitas, perpetua illa animi diſſipatio, immoderatae in omnia diſtractiones, quas *Przypcouius* de LAELIO praedicat, plus nocuerunt, quam profuerunt, altius reuocandae in ſe ipſam menti huius viri, ita ſentiente *Weismanno* l. c. p. 534.

Ex dictis, quae LAELII fuerint negotia *Tiguri*, videri poteſt, quemadmodum quoque certis euincitur documentis, quod ſcriptis nonnullis in hoc otio litterario concinnatis ſibi conducere diſcipulos ac ſectatores non tantum ex Italis patria extorribus, ſed etiam in ipſa Italia, omnem operam nauauerit. Haec enim cognatis ſuis *Senae* et alibi degentibus commodaſſe, ſicque in patria quoque pro partis ſuae emolumento, omnem adhibuiſſe curam conſtat. Eundem a. 1553 *Geneuae* fuiſſe ſpectatorem ſupplicii de SERUETO ſumti, a *Godofr. Arnoldo* l. c. P. II. L. XVI. C. XXXIII. §. VIII. p. 407. ac in *H. E. Gothana*, L. II. c. V. Sect. I. traditur; quod tamen a pluribus in dubium vocatur, pauidoque LAELII

 animo,

animo, qui verbis *Caluini* paulo ante allegatis, meticulosior reddi potuit, repugnare videtur. Arbitratur quidem P. A. *Boysenius* in Hist. *Serveti* p. 22. hunc eam maxime ab rationem in fuga e carcere *Viennensi* tetigisse *Geneuam*, quia hoc loco inter alios caussae suae adspirantes, tum temporis a. 1553 intimum habuerit amicum LAELIUM. Historia autem *Serueti* nullum huius rei habet vestigium, nec vllus vnquam auctor testis est, *Laelium Tiguro Geneuam* hospitium suum transtulisse. Quod Magistratus Tigurinus eidem grauissima reipublicae suae negotia commiserit procuranda, *Lamyus* in *Histoire du Socinianisme*, p. 246. sine omni auctoritate, aduersante potius verisimilitudine, perhibet; quae et plura alia omni veri specie destituta ab eodem proferuntur. Id certissimum est, *Laelium* aliquamdiu a. 1552. in *Raetia* vixisse, et *Vicosuprani* apud *Vergerium* commoratum esse. Constituit enim apud se redeundi in Italiam, et speciatim *Bononiam*, ad patrem suum *Marianum* invisendum. In hoc itinere, propter insidias non sine maximo periculo suscipiendo, *Vergerius* se ipsi comitem adjungere voluit, quod *Julius Mediolanus* d. 9 *Cal. Jul.* 1552. *Bullingero* nunciavit his verbis: *Nunc vterque et Laelius et Paulus Vergerius, clam ivere Bononiam visitatum Marianum Laelii* patrem. *Laelium* vero sine hoc comite in Italiam iter hoc ingressum esse, et Vergerium consilium mutasse, hic ipse *Pellicano*, *Vicosuprani*, d. 20. *Jun.* 1552. significat, ita scribens: *Laelius noster mecum commoratus est, per tres septimanas, postea ad Patrem profectus est, sed per magna pericula, quod sat scio. Deus eum eripiat.* In Italia non diu versatus, sed post breve temporis spatium in Raetiam ac Helvetiam rediisse videtur.

§. III.

§. III.

Poſt obitum patris *Mariani* ſecunda vice *Poloniam* inuiſit circa annum 1558, litteris commendatitiis ad *Sigismundum Auguſtum* Poloniae, et *Maximilianum* Bohemiae Reges ornatus. Horum Principum auctoritate viam ſibi tutam in patriam ſternere ac paternae haereditatis ibidem compos fieri ſtuduit. Hac occaſione Vindobonam acceſſit, imo in Morauiam quoque contendiſſe, a quibusdam perhibetur. Ex *Italia* tandem redux iterum *Tiguri* conſedit, quo loco a. 1562. aetatis 37 diem obiit. Eundem poſt fata a familiae Socinianae ſcriptoribus, tanquam praecipuum ac primarium Eccleſiae chriſtianae reformatorem et inſigne orbis lumen celebratum eſſe, conſtat.

* * *

Poſt *Mariani* patris obitum, qui a. 1556. *Bononiae* vita defunctus eſt, ſecunda vice iter in Poloniae regnum ſuſcepit, non quidem eo propoſito, vt ſedem ſuam iſto in regno figeret, ſed vt ſummorum Principum commendatitias conquireret, quibus munitus ſpem conſequendi patrimonii concepit, quod in patria niſi omnino denegatum, maximis tamen difficultatibus praepeditum fuerat. Ex verbis *P. P. Vergerii* in ep. ad magnum quendam Theologum, data apud Hottingerum l. c. T. IX. p. 436, quidam conjiciunt, Laelium iam a. 1554 alterum iter in Poloniam ingreſſum eſſe, vel ſaltem idem ſibi propoſuiſſe. Ita enim *Vergerius* d. 6. *Sept.* 1554. *Tubingae* ſcripſit: „Laelium *ſe continere non potuiſſe, quin aperuerit ſe, et bene multa dixerit contra noſtra dogmata, vtinam non ita ſit. Audio iuiſſe N. Si ita eſt,* *quae-*

quaerit suos: At profecto integrascit malum." Sine dubio *Vergerius* in mente habuit *Poloniam*, vbi istae de mysterio S. Trinitatis controuersiae paucis ab hinc annis et praecipue post primum *Laelii* ad Polonos accessum agitari coeperunt. Eodem vero anno, quem indicat, immo ad annum 1558 *Laelium* in Heluetia et *Tiguri* adhuc consedisse, indubitatis argumentis evincitur. Accedit, quod testibus quamplurimis, post obitum patris sui, adeoque post annum 1556. altera vice in Poloniam migraverit. Probabile hinc videtur, quod in fine anni 1557. iter in Poloniam fecerit, anno vero 1558 Tigurum redierit, et circa medium vel finem hujus anni inde in Italiam contenderit. Id quod ex ep. Bullingeri, *Tiguri* d. 13. *Martii* 1558 ad Paul. Scalichium datae, quae legitur in huius *satyr. Philos.* seu *Miscell.* T. I. p. 604. quodammodo patet. Ita enim ille: „*Litteras meis inclusas probe curaui,* Laelii *solas apud me detineo. Is enim superioribus diebus profectionem suscepit, rebus suis componendis.* Rediit igitur e Polonia *Tigurum*, et hoc loco adhuc d. 25. Junii a. 1558. haesit, quod epistola *Bullingeri Joanni a Lasco* scripta et paulo ante exhibita indubitatum facit. Brevi tamen post iter in Italiam ingressus, sumtis secum commendatiis, *Melanthonis* intercessione impetratis, quod jam indicavimus. Ipsum anno 1558. secunda vice in Polonia adfuisse, vnanimis omnium scriptorum consensus est; quamuis acta synodalia familiae Socinianae *Msc.* hujus rei nullam faciant mentionem.

Proximam ad suscipiendum iter occasionem paterna haereditas suppeditauit, quae ipsi fratribusque ejus propter mutata sacra Pontificia, consuetudinem cum Protestantibus in Germania contractam, et pessimam de susceptis ab hac familia Antitrinitariorum placitis famam, interclusa erat. Putavit vero id praesens in patria obtinere, quod absenti denegabatur, ac propterea profectionem in Italiam constituit. Vt tutus et quadam

cum

cum auctoritate Italiae repetere provincias possit, MAXIMILIANI II. *Imperatoris* et SIGISMUNDI AUGUSTI *Regis Poloniae* tutelares litteras impetrare studuit, vt cum Magistratu de patrimonio suo agere, et sub titulo legati ad aulam Principis, vel ad *Venetos*, patrias sedes tuto adire, votorumque suorum compos fieri possit. Hac occasione ipsi quoque a *Bullingero* litteras commendatitias, ad Principes nominatos, horumque intimos Ministros datas esse, novimus.

In hoc itinere praeter alias civitates et *Tubingensem Academiam* salutauit, quam iam antea inuiserat, ibidemque, vt probabile videtur, cum *Vergerio* colloquutus est et cum *Paulo Scalichio* amicitiam contraxit, vel potius antea iam initam profecturus in Poloniam et Italiam confirmauit. Argumentum litterarum a *P. Scalichio* ad Imperatorem in hac caussa scriptarum ex responsoriis *Maximiliani* colligitur, quae in volumine actorum *Scalichichii*, quod in *Bibliotheca Wallenrodiana Regiomonti* seruatur, comparent et hoc modo scriptae: „*Domino Paulo* „*Scalichio*, *Comiti* et Doctori suo nobis dilecto. Litte„ras tuas 27 die mensis *Julii* ad nos datas accepimus, „easque benigne et clementer perlegimus, quibus nobis „principio LAELIUM SOCINUM verae religionis fautorem, „virum solide doctum et multarum linguarum expertum, „perquam humillime commendas. Ideo loco responsi „tibi rescribendum duximus, quod hactenus dictus *Soci*„*nus* ad nos nondum peruenerit; cuperemus autem vi„dere hominem tanta doctrinae et iudicii grauitate orna„tum. Estque aeternus Deus ardentibus votis petendus, „quo sui nominis gloriam per viros doctos et bonos pro„pagare velit. Nos etiam eumdem *Socinum*, nec non „*Joannem Oporinum*, (celeberrimum Typographum Ba„silienfem) postquam nos conuenerint, et quos nobis „commendatos esse petis, regia clementia complecti, et „qua tandem commoda occasione poterimus, eos cle„menter promouere dignabimus. Datae *Viennae*, die 25 *Aug.* a. 1558.

Ad

Ad Auſtriae Metropolin Laelius circa medium menſis *Auguſti* a. 1558. acceſſit, quod ex ep. Jo. Baptistae Puchelebii, *Cancellarii et Conſiliarii* Maximiliani, ad P. P. Vergerium, *Wiennae Auſtriae* d. 15. Aug. a. 1558. ſcripta conſtat. Ita Puchelebius: „*Pridie mihi ſunt redditae litterae tuae per Dominum* Laelium *communem noſtrum amicum.*" Nullum plane dubium eſt, exhibitorem litterarum Vergerianarum ipſum fuiſſe Laelium Socinum, qui in hoc itinere *Tubingae Vergerium* ſalutaverat, ſibi longo antea tempore notum et intima amicitia conjunctum. Accedit, quod Laelium hoc praeciſe tempore adfuturum *Viennae Scalichius Maximiliano* nunciauerit. *Puchelebio* advenam hunc jam antea cognitum fuiſſe, imo commendatum, ipſa illius verba teſtantur, quem *amicum communem* adpellat. Interim die 25. Aug. *Maximiliano* Laelii aduentus in Auſtriae metropoli nondum innotuit, teſtante id illius ad *Scalichium* epiſtola. Quid *Laelius Viennae* ac in *Polonia* egerit, ad quae loca in via acceſſerit, quem effectum litterae commendantes *Melanthonis*, *Bullingeri*, Scalichii aliorumque habuerint, non quidem certo conſtat, nec a quoquam obſervatum animadvertimus. Videtur tamen nullibi diu ſubſtitiſſe, ſed citato curſu Tigurum rediiſſe et inde in Italiam contendiſſe, ex quo colligi poteſt, obtinuiſſe eum ad Principum aulas, quod in votis habuit, nec vllo amplius timore impeditum fuiſſe iter ſusceptum proſequendi.

Hanc ob rem iterum Laelii praeco in laudes ejus excurrendi arripit anſam, ita eum praedicans: "*Tunc profecto patuit apud plerosque Germaniae atque Poloniae Proceres, ipſosque adeo Reges, quantum is gratia potuerit. Summis enim ſtudiis in ejus cauſſa apud* Ludov. Priulum, Venetianum, *atque* Cosmum *Hetruriae Duces certatum eſt.*" Non tamen Reges atque Principes meritis Laelii, commodis ipſius proſpiciendi excitatos ſcimus, ſed litteris celeberrimorum ac meritiſſimorum

virorum

virorum commendatitiis, quos pessime fefellit, Principum gratiam ipsi conciliatam esse, quisque videt.

In *Morauiam* quoque ipsum hoc tempore profectum esse, *Lamyus* l. c. p. 248. et in notis p. 35. perhibet, sed nullo testimonio pro more suo. Potuit interim vel ex Austria in Poloniam, vel ex hac in illam se conferens, *Morauiae* tangere terminos, quos iam in primo ad Polonios accessu, eum inuisisse notauimus. Quod vero Ochinum in *Morauia* iam versantem inuenerit, falsissimum est scriptoris allegati figmentum. Si *Morauiam* inuisit, nullum dubium est, quin degentes ibidem Anabaptistas et Morauos fratres salutauerit, illisque sua instillare placita, hac occasione, iterato conamine studuerit. Diu tamen in hac provincia, si eam hoc anno omnino vidit, non commoratus est, sed quanta potuit celeritate ad patrios lares et haereditatem a patre relictam, litteris securitatem spondentibus munitus, festinavit.

Jam antea absens et per litteras in sententiam suam traxerat fratres, cognatos et familiares, horumque coniuges, quam ob rem *Sozinorum* familia haereseos non vanam adversus se concitavit in Italia suspicionem Romanaque sacra confitentes sibi reddidit infensissimos. Fuisse enim post obitum *Alexandri*, *Laelio* plures germanos superstites cum *Fausto*, *Alexandri* filio, supra notauimus. His longo terrarum spatio a se disjunctis, Laelius absens communicatis cum illis libellis a se concinnatis litterisque ad illos datis, errorum suorum semina suggesserat, eosque ad assensum ac excogitatae disciplinae communionem quibuscunque suasoriis pertraxerat. Quasdam etiam foemellas nobiles sua corruperat doctrina, ita vt complures ex familiaribus et amicis, eiusdem instituti partim consortes, partim conscii facti fuerint. Iste *Socinorum* ad alia sacra et nocentissimas haereses transitus non diu latuit, sed brevi tempore ad eorum notitiam peruenit, qui inquisitorum munere *Venetiis* fungebantur.

bantur. Toti igitur *Socinorum* familiae maximum impendebat periculum, quod jam erumpere cepit. *Cornelius Laelii* germanus carcere iam inclusus erat, et reliqui fulmine hoc perculsi vel resipiscentiam testati sunt, vel in fugam attoniti se conuerterunt; quo tempore FAUSTUS ipse admodum iuuenis, vrbe patria, imo *Italia* excessit et aliquamdiu *Lugduni* in Gallia vixit. Factum hoc esse a. 1559 *Lamyus* narrat l. c. sed magis videtur probabile id ante *Laelii* adventum iam accidisse, qui familiam suam iam dissipatam et ad incitas redactam invenit. An exhibitis Principum litteris caussae suae faventibus, propitiora genti suae fata procurauerit, vel etiam voti sui omnino compos factus fuerit, haereditatemque paternam, eamque integram obtinuerit, vel spe sua frustratus et familiae suae fatis perterritus ne patriam quidem tetigerit, sed ex itinere, infecto negotio, redierit, adhuc ignoramus, tacentibus de hac re omnibus, quos in consilium vocaui, scriptoribus et familiae huius documentis. Fratres germanos ex carcere tandem vel dimissos, vel eodem fuga se liberasse, indubitatum est, saltem de *Camillo Socino*, qui in Raetia vixit et a. 1571. adhuc superstes fuit. Voto autem suo et patrimonio non potitum fuisse suspicor. Quae enim de tristi familiae huius in patria fato indicaui, et scriptorum Socinianorum in vtrumque *Socinum* encomia, quibus hos celebrant, qui propter religionis professionem et patriae et facultatum suarum iacturam sint passi, praesumptionem hanc veri simillimam reddunt. Imo celerrimus *Laelii* ex Italia reditus coniecturae locum facit, quod ne quidem tuto haereditatem suam in Italia sollicitare ausus fuerit; siquidem eodem anno 1559. viam in *Heluetiam* et quidem TIGURUM repetiit. Forte eadem fata augurabatur, quae ipsius fratres et conterranei iam olim et maxime circa annum 1546 experti sunt; exempla enim in promtu erant, quod Ecclesiae pontificiae Antistites et praesertim inquisitores, ne principum quidem et Re-

gum

gum commendatitiis aliquando mitiores et humaniores redditi fuerint.

Ex Italia Tigurum redux quascunque curas pro expoliendis ingenii ſui inventis adhibuit, nullisque vigiliis pepercit, eadem perſuadendi omnibus, a quibus nihil timendum erat. Orthodoxorum interim vigilantia, cuius ſpecimen in *Julio Mediolanenſi* ſupra indicaui, eum admonuit, inter Heluetos cautius et quacunque circumſpectione verſari, maxime tormentorum memorem, quorum *Caluinus* mentionem fecerat apertam. Videtur enim intenſius adhibuiſſe ſtudium, extra Heluetiam ſua commendare placita, cum intra eius fines vigilantiſſimos conſiliorum ſuorum ſpeculatores reformidaret. Non intermiſit proinde in *Italia* atque *Germania*, praecipue vero in *Poloniae* regno, quod ſecum conſentientes magno numero alebat, epiſtolarum commercio diſciplinae ſuae cauſſam agere, cuius rei pauca quidem exſtant documenta; ſed dubitandum non eſt, quin plura extarent, ſi omnium litterarum ab ipſo ſcriptarum copiam ſeruaſſent iſtius aetatis ſcriptores. Quaedam ſtudii huius veſtigia hiſtoria Socinianismi Polonici aliquando illuſtrabit. Timidus alioquin *Laelius* fuit, aliquando tamen tantum habuit audaciae, vt quoque magnos Theologos ad partes ſuas trahere conatus fuerit. *Hier. Zanchius* exponit, quod ſaepius diuerſis tentaverit rationibus ipſum eodem errore et ſimul exitio ſecum involuere; ſed cum vidiſſet, non ſolum alienum ab eodem animum, ſed etiam ſtrenuum veritatis defenſorem, amicitiae renunciatum vtrinque eſſe. Ita autem in praef. libri *de tribus Elohim:* „*Quum refutarem* LAELII SOCINI *impiam interpretationem, in primum caput Euangelii ſecundum Joannem, id circo ſubticui eius nomen, et nebulonem tantum vocaui: propterea quod neque certo ſciebam, hunc fuiſſe illius commentarioli auctorem, neque tum legerem eius nomen in libris aduerſariorum expreſſum. Nunc, quia res eſt nimis manifeſta, et illum* SERUETIANI *in nu-*

 me-

merum suorum sanctorum piorumque (scilicet) doctorum intulerunt, ego quoque id tibi, Lector, notum facio. Fuit is Laelius *nobili honestaque familia natus, bene graece et hebraice doctus, vitaeque etiam externae inculpatae, quarum rerum caussa mihi quoque intercesserat cum illo non vulgaris amicitia; sed homo fuit plenus diuersarum haeresium, quas mihi tamen nunquam proponebat, nisi disputandi caussa et semper interrogans, quasi cuperet doceri. Hanc vero Samosatenianam in primis annos multos fouit, et quoscunque porro potuit, in eundem pertraxit errorem. Pertraxit autem non paucos. Me quoque, vt dixi, diuersis tentauit rationibus, si eodem posset errore, simul et aeterno exitio secum inuoluere, quemadmodum fecerat etiam antea* Matthaeus Gribaldus, *et alii &c.*"

Tandem *Tiguri* in aedibus Conradi Pellicani, a. 1562. d. 16. Maji, aetatis septimo et tricesimo et exsilii sui circiter decimo quinto vel sexto ex vita hac excessit. Singularia de nouissimis eius fatis, tacentibus de his omnibus, quos inspexi, auctoribus, exponi non possunt. Versabatur isto tempore Faustus *Lugduni* Gallorum, per Marium Besossum de obitu Patrui sui certior factus; quo accepto nuntio, quanta potuit celeritate festinauit *Tigurum* contendere, ibidemque scriptis Laelii, non tamen absque omni impedimento et contradictione potitus est.

Cum ne adversarius quidem laude promerita sit defraudandus, in Laelio omnino praedicandum, quod non vulgaribus praeditus fuerit a natura donis, ad quae haud pauca accesserunt invincibili studio acquisita. Qui hominum considerant actiones, mores ac agendi motiva, horum omnium caussas ex temperamento et animi propensionibus, quae haud parum a corporis pendent conditione, deriuant. Laelius ad eorum pertinere videtur classem, quibus est *temperamentum melancholico-cholericum*; quae enim hominibus eius generis propria esse solent,

lent, in eodem quoque animadvertuntur. Eius vita ad virtutis naturalis ac ciuilis exercitium compoſita erat, ita vt modeſtia, honeſtate, optimorumque morum et ciuilitatis cultura ſe acceptum reddiderit omnibus, et quamuis, maxime poſt obitum, habuerit perplures, eum propter placita efficta et diſſeminata vituperantes, inter Proteſtantes et Romano-Catholicos; nemo tamen vnquam, quantum ſcio, eum criminis ac vitii excedentis accuſauit.

Magnum in ipſo fuit ingenii acumen, ac tanta ſagacitas, atque circumſpectio, quanta vix vnquam in homine, eoque iuuene excellentior. Hanc nimia in ſemet ipſum et ingenii ſui ratiocinia confidens opinio comitabatur, vt ſe erraſſe et humani quid paſſum eſſe nunquam faſſus fuerit ſincere, reſipiſcentiae vero et agnitae veritatis ſimulationem, prae ſe ferebat, quoties vindicta vel ſeuerior correctio extimeſcenda erat. Nouitatis et ſingularium opinionum admodum cupidus fuit, vt nullo modo, niſi metu intercluſus, rationem, cui nihil inperveſtigabile eſſe putavit, compeſcere didicerit. Ex nimia in ſe ipſum confidentia, profluebat ſtudium omnia noſcitandi, nec quicquam adeo arduum ac abſtruſum iudicabat, quod non contemplatione ſua comprehendi poſſe arbitraretur. Hinc nulla dari religionis myſteria, quae inueſtigari vel non debeant vel non poſſint, ſuperbe ſibi perſuaſit. Firmo hoc animi ſui propoſito rationis cogitata non ad S. Scripturae amuſſim, ſed abſconditas doctrinae chriſtianae veritates et diuina oracula ad rationis principia examinanda et trutinanda eſſe putabat. Omnem proinde fidem ſuſtulit, nec quicquam credendum, quod non humanis viribus concipi poſſit, ſtatuit. Nouas propterea ſemper excogitavit codicis ſ. explicationes, praecipue in iſtis locis, quae placitis ſuis adverſari animadvertebat, nec illas ad hermeneuticae ſanioris regulas, ſed ad intellectus ſui ductum diiudicauit. Declinauit hinc a via plana, cum noua ſentiendi et inſolita

captandi pruritus eum ſolummodo gubernauerit. Quae ipſe concepit ac procreauit figmenta, aliis quidem expoſuit; ſed non absque omni formidine, ſub ſpecie obiectionum et quaeſtionum, quarum praetextu melius erudiri optabat. Comprobant iudicium hoc partim ep. Caluini a. 1549 ad eundem data, quam exhibui, partim reſponſoriae ejusdem ſcriptae a. 1555. *nonis Juniis Geneuae*, in epp. et reſp. l. c. f. 314 ſeq. ad quatuor quaeſtiones Laelii, quas ex articulis de juſtificatione et electione formavit.

Maximus aliis ſe accommodandi habitus complures ipſi conciliavit amicos, etiam inter praecipuos Eccleſiae Doctores, quibus alioquin donum probandi ſpiritus denegari nequit, quos antea nominavi. Habuiſſe inter intimiores *Bernh.* quoque *Ochinum*, conterraneum ſuum, quem Rhetorem eccleſiaſticum inter Italos celeberrimum fortaſſis olim ipſe mirabundus audiuerat, veri ſimillimum eſt. Nec a probabilitate alienum videtur, ex *Laelio* ſagaciſſimo et ad ſpeculandum compoſito, didiciſſe *Ochinum* obiectiones, quas in dialogis adverſus S. Trinitatis myſterium longa ſerie expoſuit. Arctiori quoque amoris vinculo eidem iunctum fuiſſe Coelium Secundum Curionem, conſtat. Inique tamen exinde quidam anſam arripuerunt, virum de Academia Baſileenſi optime meritum, Socinianismi ſuſpectum iudicandi; cum vix aliter fieri potuerit, quin omnes Itali ex patria ob religionis cultum profugi, in Heluetia quandam conterraneorum more coluerint conſuetudinem, quamuis propterea non omnes in placitis tortuoſis conſenſerint.

Inter opponendi ac dubitantem animum obuertendi exercitia, haud raro *Laelius* ſuperbam atque inflatam mentem declarauit, ſibique non ſatisfeciſſe Theologos, nimia de ſe praeſumtione venditauit. Quae igitur magni nominis Viris ſub dubiolorum habitu propoſuit, Laicis et in doctrina Chriſtiana minus inſtructis, vel aduerſus

uerſus haereticos parum armatis tanquam ſolidas et rationis et S. Scripturae ſuffragio ſtabilitas veritates commendauit.

Laborioſiſſimus in toto vitae curriculo fuit, nec vlla vnquam moleſtia ac difficultate ab ediſcendis bonarum litterarum ſcientiis amoueri potuit, ſed indefeſſus cuicunque diſciplinae, in quam incumbebat, ſtrenue operam ſuam dicauit. Diuerſas in religione noscendi opiniones, imo ſingulares et a receptis diverſas excogitandi fuit cupidiſſimus, nec ſuum temperauit deſiderium, intellectus ſui haud mediocris alioquin modulo, vniuerſum diuinarum litterarum comprehendere ambitum, et, quod a ſe fieri poſſe ſibi perſuaſit, ſecretiorum veritatum nexum et modum expiſcari. Quas proprio Marte formauerat ideas, aliis inſtillare omnem mouit lapidem, hasque colloquiis, epiſtolis ſcriptisque, in primis ſua adverſus S. Trinitatem cogitata ab a. 1547. in Heluetia, Germania, Polonia et Moravia, quamuis clanculum, et absque rumore, operoſe tamen et absque intercapedine inſinuauit, vt poſt mortem demum omnibus innotuerit, quid in conſiliis perpetuo habuerit.

Quae diximus, Beza in praef. praemiſſa *Hiſt. Val. Gentilis* ex actis ſenatus Geneuenſis p. 14. inſuper confirmat: „*Fauit* (iis, qui ex *Serueto*, tanquam ex ludo quopiam prodierunt,) L. Socinus, *incredibiliter ad contradicendum, et varios nectendos nodos comparatus, nec niſi poſt mortem cognitus, huiusmodi pernicioſiſſimis haereſibus laborare*" et p. 15. „Laelius *in Samoſateni partes clam tranſiit, verbo Dei, vt ex quodam eius ſcripto nunc liquet, adeo veteratorie et plane verſute deprauato, ac praeſertim primo Euangelii Joannis capite vt mihi quidem videatur, omnes ejus corruptores longe ſuperaſſe.*" V. quoque Bezae *epp. Theol. Genev.* 1573. p. 362. Idem in Caluini vita ad annum 1549. haec habet: „*Scripſit per id tempus binas eruditiſſimas epiſtolas* Lae-

LIO SOCINO *Senensi, Tiguri diu versato ac tandem etiam mortuo. Ex iis vero, quod fuerit illius ingenium, nempe plane Academicum, facile quiuis dignoscet, res autem ipsa sero, ac non nisi post eius obitum patefecit: cum ecclesias peragrans et doctissimum quemque, ac in iis in primis* PHILIPPUM, CALUINUM, JOACH. *denique* CAMERARIUM *(a quo in Philippi vita perhonorifico testimonio contra, quam meretur, ornatus est) fefellisset. Siquidem illum postea Bellianae farraginis* (notatur farrago, quae prae se fert *Martini Bellii* praefationem, *de Haereticis, an sint persequendi,) maxima ex parte auctorem fuisse et* SERUETI, (CASTELLIONIS) OCHINI *denique furoribus fauisse, compertum est, extante etiam illius in illud illustre caput Joannis commentario, in quo facile omnium, qui unquam illum locum longe diuinissimum corruperunt, haereticorum impietatem superauit.*"

Alienum quidem a vero iudicium est PETRI MELII, *reformati Ministri Debrecinensis in Transylvania,* qui in disputatione *Albensi* a *Casp. Helto* a. 1568. *Claudiopoli* edita LAELIUM, quem *Wittebergae* vidisse significat, hominem indoctum, omnisque iudicii expertem adpellat. Ex altera tamen parte familiae Socinianae scriptores in congerendis ipsius encomiis limites excedunt omnes, eundem in primum ac principem locum inter Reformatores Ecclesiae et veros fidei restauratores collocando. HIER. MOSCOROUIUS laudes ipsius in praef. quae *defensioni animaduersionum F. Socini in assert. Theol. Coll. Posnan. de trino et vno Deo praemissa est,* ita celebrat: „*Quanta viri pietas fuerit, quanta rerum diuinarum notitia, quanta eruditio et variarum linguarum cognitio, quantus cum doctissimis quibusque totius Europae viris vsus, quam stupendum ingenium, quantum iudicium, id explicare oratione, vires nostras longe superat.*"

Faustus ad LAELIUM patruelem advertens animum in *Responsione altera* ad *Responsionem Andr. Volani, in Biblioth.*

blioth. F. F. P. P. T. II. p. 406. inquit: „*Sed, qui primus nostra aetate de Christi essentia atque persona exactissimam, ni fallor, veritatem in lucem protulit, idem hanc illius loci* (Jo. VIII. 58.) *explicationem primus reperit, et — dum viueret, eam non paucis piis hominibus prorsus probauit.*" Idem in ep. 4 ad *Dudithium*, in Epp. F. ad eundem, de LAELIO scribit: „*In medio vitae cursu, anno aetatis XXXVII. eo ipso tempore, cum amicorum precibus tandem permotus constituisset atque etiam coepisset, saltem inter ipsos, nonnulla in apertum proferre, breuiter, cum fructum aliquem tantorum, tamque laboriosorum in Theologia studiorum debuisset videre, quem fructum alii postea, ac fere statim ab illius morte viderunt, videntque etiam nonnulli, qui longe plures illo annos habent.*" Idem in fragmentis duorum scriptorum *Racouiae* 1619. 8. p. 4. eundem summis laudibus, suumque antecessorem, magistrum et viae ducem praedicat his verbis: „*Vt vnicuique sua constet laus iique in Ecclesia perpetuo agnoscantur, quos Deus donis suis praeclarissimis, suaeque veritatis praestantissima cognitione dignatus est, me et sententiam illam in Joannis Euangelistae verbis explicandis et quae ad eam asserendam vel iam dixi, vel posthac dicturus sum, magna ex parte ex* LAELII SOCINI *Senensis sermonibus, dum adhuc viueret, et post eius mortem ex aliquibus ipsius scriptis, quae in manus meas non absque mirabili Dei opera atque consilio peruenerunt, et hausisse et desumpsisse, non minus libenter, quam ingenue fateor. De quo viro mihi multa dicenda forent, vt et incomparabilis amici memoriam posteritati commendarem, et vnicum fortassis hac aetate nostra, cum morum integritatis vitaeque innocentiae, tum vero maxime sacrarum litterarum peritiae, diuinorumque oraculorum intelligentiae exemplar omnibus proponerem. Satis tamen duxi, ea in illud reseruare tempus, cum Deo volente tanti viri famam a quorumdam maledictis nominatim asseram. Illud vnum oblata occasione de eo dixisse in praesentia sat fuerit, tan-*

tum abſuiſſe, vt is in religione nihil certi habuerit, quemadmodum aliqui conſtanter adſirmant, vt nemo umquam exactius de omnibus religionis chriſtianae dogmatibus vel ſenſerit, vel cum opportunum ei videbatur, locutus fuerit. Verum, cum praeter pauca quaedam, ea videlicet, quae ad ſalutem ſunt prorſus neceſſaria, nihil fere in eccleſiis, quae Romanum Antichriſtum execrantur, poſt tantas tamque diuturnas tenebras, ſuae priſtinae claritati reſtitutum videret, nolebat ille ſententiam ſuam, niſi in leuioribus quibusdam controuerſiis, omnibus aperire, ne turbarentur Eccleſiae et infirmi, quorum maximam ſemper habuit rationem, offenderentur, et a Dei vero cultu ad idola fortaſſe iterum adducerentur, neue tandem diuina veritas, ab eo praedicata, qui neque paſtoris, neque Doctoris officio in Eccleſia fungeretur, ob auctoris non magnam auctoritatem, magno chriſtiani orbis detrimento, paſſim rejiceretur, ac propemodum conculcaretur; praeſertim cum apud aliquas Eccleſias eam opinionem, eumque morem iam inualuiſſe cerneret, vt execrabiles haberentur, quicunque adverſus receptas ſententias vel mutire quidem auſi eſſent. Praeſtare igitur arbitrabatur, dubia et quaeſtiones, illuſtribus in Eccleſia viris identidem proponere, vt ea ratione paullatim via ad veritatem ſterneretur, addubitantibus illis interdum ob argumenta ab eo allata, de inueteratarum opinionum firmitate, easque non amplius populo tanquam chriſtianae religionis axiomata obtrudentibus, quod tamen, vt omnem offenſionem vitaret, addiſcendi tantum ſtudio a ſe fieri dicebat, quare etiam diſcipulum ſemper ſe, nunquam autem doctorem profitebatur. Hoc tamen ſuum inſtitutum amicis non vsque adeo probari ſentiebat, quibus dum obſequi recuſat, non ſine Dei conſilio vir ſummus immatura morte ſublatus eſt, quod mox pateſieri coepit, cum ſtatim fere poſt mortem eius, eorum, quae ipſe palam docere non audebat, pars aliqua et litteris conſignari, et paſſim diuulgari eſt coepta, id quod eo viuente numquam fortaſſe contigiſſet, amicis ex iis, quae ipſe ſcripſerat, quod apud

apud eum laterent, non adhuc plene edoctis, et adversus praeceptoris voluntatem, aliquid eorum, quae ab ipso didicerant, in vulgus prodere minime audentibus. Hac scilicet ratione Deus, quae illi vni patefecerat, omnibus manifesta esse voluit, vt ignorantiae tenebris penitus discussis incipiat tandem Christianus populus ei ex animo fidere, debitamque obedientiam praestare; exteri vero ad eius veram et salutarem per J. C. cognitionem facilius pertrahi possint. Faxit ille, vt quemadmodum vanissima haec hominum commenta, de ipsius Christique eius natura et substantia, iam eo majestatem et gloriam suam vindicante, detegi ac derideri coeperunt, ita quam plurima alia humani ingenii adinuenta, quae procul dubio euangelii cursum, id eo ob scelera nostra permittente, impediunt, ex dilectissimi Filii sui Ecclesia oris sui spiritu expellantur, et clarissima purissimaque diuinae veritatis luce omnes aliquando collustrentur."

Immo expertum esse *Laelium* suggestionem, influxum et concursum quendam specialem diuinum in explicandis et interpretandis variis S. Scripturae dictis, quem precibus intensis a Deo impetrauerit, *Faustus* pro suo in illum adfectu, qui alias viribus hominis naturalibus quaecunque bona cum Pelagianis tribuit, aliis persuadere contendit. Sic enim in *Colloquio cum Erasmo Joannis, Racov.* 1626. 12. p. 67. occasione dicti Jo. VIII. 58. a LAELIO explicati inquit: „*Ego non leues coniecturas habeo,* LAELIUM, *qui primus aetate nostra, eam interpretationem in lucem protulit, hac aetate renouauit, precibus multis ab ipso Christo illam impetrasse. Hoc profecto affirmare ausim, cum Deus illi viro permulta aliis prorsus tunc temporis incognita patefecerit, vix quidquam inter illa omnia esse, quod interpretatione hac diuinum videri queat.*"

Stan. Lubieniecius l. c. L. II. C. I. p. 38. ejusdem memoriam et laudes recolens inquit: „*Maximum et ae-*

terna grati animi memoria dignissimum beneficium Deus genti nostrae exhibuit, dum per multorum virorum doctorum et piorum non tantum ex vicina Germania, sed et ex remotioribus regionibus, ITALIA *praesertim aduentum scripta, institutionis famam, veritatis notitiam ei instillauit. Ex Italia quidem praestantium ingeniorum officina, vbi tot errorum et superstitionum celsae machinae, merito veritatis coelestis arma apud se conflata ad nos misit. —— Inter hos L. S. Senensis fuit, vir non tantum natalium splendore, vtpote vel sanguine vel affinitate pontificibus et multis Italicis Principibus innexus, sed et eruditione ac singulari morum probitate clarissimus."* Profusissimus laudum ipsius praeco PRZYPCOVIUS, significato obitu haec adiicit: „*Tantam indolem longaeuam aut vitalem non fuisse, minus mirabitur, quisquis expenderit, quam praecox exstitit. Vix tum ex ephebis egressus Italiam reliquit. Intra sextum et vicesimum aetatis annum, vniuersis fere occidentis prouinciis peragratis, plurimis passim e praecipua nobilitate, omnibus autem fortasse vbique eruditis viris eximiae laudis nomine innotuit. Quindecim propemodum annos numeres, quibus a patria absuit. Ex tantillo aeui spatio magnam sibi partem longinqua itinera vindicant, quibus per varias Europae oras fructuosum multis exsilium circumtulit. Adde perpetuam cum tot tantisque viris consuetudinem, adde continua litterarum commercia: quibus deductis, quota quaeso pars temporis studiis eius relicta est? quaerendum iam stupentibus superest, quodnam illud tam profundum otium? quae tam acris industria? quae tam versatilis indoles? quod tam vastum ingenium fuerit, quod tot linguis, tot scientiis hauriendis, simul altius reuocandae in se ipsam menti, simul maximis rebus gerendis suffecerit."*

§. IV.

§. IV.

Pauca admodum in publicam lucem emiſit ſcripta *Laelius* typis impreſſa, maximam autem dubiorum et cogitationum ſingularium copiam *Fauſtus*, ſupellectilis ipſius librariae vnicus haeres, in eius ſchedis obtinuit, quas etiam data occaſione ſub vario habitu orbi expoſuit. Ex ſcriptis interim editis, et controverſiis ab eodem excitatis, nec non ex indubitatis aliorum, maxime ipſius *Fauſti* teſtimoniis conſtat, palmaria disciplinae Socinianae dogmata a *Laelio* eſſe inuenta, quem proinde, ſi materialiter conſideratur Socinismus, hujus auctorem fuiſſe, iudicamus, quem *Fauſtus* in ordinem et nexum redegit, variisque modis exornavit.

* * *

Laelius itineribus et amplificato commercio epiſtolico impeditus, in breui, quod emenſus eſt vitae curriculo, plures concinnare libros, licet in omnibus negotiis expeditiſſimus fuerit, vix potuit. Acceſſit aduerſorum fatorum periculum, quod praeſertim in Helvetia extimeſcebat, quodque ipſum monuit in parandis ad prelum ingenii cogitatis eſſe prouidiſſimum et parcum. Plura tamen congeſſit collectanea, quorum ex legato compos factus eſt ex fratre *Alexandro* nepos FAUSTUS. Hic *Lugduni Gallorum* degens de patruelis obitu per litteras certior factus, *Tigurum* conceſſit, ac defuncti librariam ſupellectilem et Mſpta ſibi vindicauit, a quibus ſucceſſu temporis plurima librorum ſuorum mutuavit argumenta; quod ipſe pluries eſt profeſſus. His igitur ſcriptis, poſt oralem inſtitutionem, dux et auctor noui ſyſte-

ſyſtematis FAUSTO fuit, qui ipſe per auia et abrupta oberrans, errorum ambitum ac numerum vario modo tandem amplificavit. Ipſe tamen LAELIUS praeter Collectanea ſcriniis ſuis incluſa, pauca quaedam in publicam lucem emiſit, quamvis eidem a quibusdam nonnulla tribuantur, quae ab ipſo vel omnino profecta non ſunt, vel de quibus adhuc dubium eſt, an eundem agnoverint auctorem.

Ita absque vlla ratione LAELIUS opusculi auctor perhibetur quod hoc titulo prodiit: *Contra libellum Caluini, in quo oſtendere conatur, haereticos iure gladii coercendos eſſe. Nolite ante tempus quicquam iudicare, donec veniat Dominus, qui illuſtraturus eſt occulta tenebrarum, et patefaciet conſilia cordium,* 1 *Cor.* IV. *Prov.* XIV. *Impiorum verba inſidiantur ſanguini, at proborum os eum defendit. Pſ.* II. *Et nunc Reges prudenter agite: erudimini judicis terrae,* 1554. 8. Prodiiſſe iſtum ſecunda vice 1612. 8. ſtudio et cura Arminianorum, eodemque anno in linguam belgicam translatum comparuiſſe, teſtis eſt *Sandius* l. c. p. 20. Poſteriori editioni quaedam ad hiſtoriam *Serueti* ſpectantia, nec non duae epiſtolae *Caſtalionis* adiectae ſunt, de non necandis haereticis ad NICOLAUM BLADISCENSEM et ad EDUARDUM VI. *Regem Angliae.* Sub titulo allegato vulgo dictus Dialogus inter CALUINUM et VATICANUM, qui *Laelio* ab haud paucis tribuitur, continetur. Qua occaſione *Placcius* l. c. p. 115. N. 364. errauit, qui *Dialogum Laelium* de haereticis gladio coercendis finxit, qualis ſub hoc nomine dialogus, aduerſus CALUINUM nullibi reperitur. Iſte uero liber, qui ſub indice Dialogi inter *Caluinum* et *Vaticanum* a plurimis allegatur, a pauciſſimis viſus, proprie non eſt Dialogus, quod *Baylius* etiam, qui nunquam eum vidit, falſo prodidit; ſed auctor, qui *Vaticani* nomen ſimulauit, verba *Caluini*, quae refutare voluit, hujus nomine; refutationem vero ſuam *Vaticani* titulo diſtinxit. Reſpondetur autem, ad libel-

libellum *Caluini*, quem pleno titulo in vita *Serveti* allegavi. CASTALIONEM *Caluini* inimicum, libri, de quo mihi ſermo eſt, auctorem eſſe, multi et inter hos quoque *Reimannus* in Biblioth. Theol. p. 1043. putarunt, quemadmodum quoque in ſecundae editionis praefatione *Caſtalioni* tribuitur. Omnino autem errare mihi videntur ita iudicantes, quia in ipſo libro CASTALIO tanquam homo pernicioſus, qui humanam ac diuinam ſapientiam in jacturam pietatis et religionis deformationem commiſcuerit, depingitur, quam abominabilem CASTALIO de ſemet ipſo effigiem ne iocoſe quidem et ridendo delineaſſet. His autem verbis acerbum *Vaticani* de *Caſtalione* iudicium expoſitum eſt: „*Fuit in Jeſaia natiua, non arte quaeſita eloquentia, quae ab ea, quam iſti affectant, tantum differt, quantum honeſtae matronae pulchritudo a meretricis fuco. Sed volunt iſti miſcere ſacra profanis. Sic fecit antea* SEBASTIANUS CASTALIO, *qui in praefatione in Moſen ſuum latinum Moſi tribuit omnes artes, quas* HOMERO *tribuerat ante* PLUTARCHUS, *et ad id magno apparatu, quaſi praeclarum aliquid facturus, vtitur: quaſi vero non ſcripſerit impulſu diuino* MOSES *nulla prorſus vllius artis habita ratione. Sed homines leues omnia trahunt ad inſtitutum ſuum, et vt humanas artes (quarum ſunt diſcipuli) evehant, eas ſacris autoribus admiſcent, vt tanquam lethales muſcae odoriferum ſacri eloquii vnguentum contactu ſuo inficiant.*" Nemo ſibi facile perſuadebit, CASTALIONEM de ſe adeo contumelioſe iudicaſſe, quamuis extra dubium poſitum ſit, eundem in genere capitalia haereticorum ſupplicia et in ſpecie SERUETI combuſtionem omni modo improbaſſe V. SCHELHORNIUS de MINO CELSO Senenſe p. 6. ſeqq.

Rectius ſtatuere ſibi videntur, qui LAELIUM auctorem huius libri iudicant, quem *Sandius* quoque l. c. et complures, inter quos *Hoornbeckius et Cloppenburgius*, pro *L. Socini* labore agnoverunt. CLOPPENBURGIUS l. c.

p. 5.

p. 5. „Serveti *supplicium adeo male habuisse* Laelium, sentit, *vt ab ipso prodierit* (post *editam* a. 1554. a *Castellione farraginem illam, quae prae se fert* Martini Bellii *praefationem de haereticis, an sint persequendi) eodem anno excusum, et libro* Caluini, — — *oppositum acerbissimum scriptum, formae dialogi inter* Vaticanum *et* Caluinum etc.

Sed tantum abest, vt ex libro ipso argumentum pro hac sententia validum peti possit, vt potius contrarium appareat, cum auctor non tantum de Laelio Socino, tanquam de homine extraneo et ignoto loquatur; sed quoque nomen Socini ne quidem recte proferat, quem Zosinum, appellat, sic enim scribit p. 23. „*Praeterea* Laelius *quidam* Zosinus *litteras Geneuam misit ad amicum suum, in quibus scribebat, Abelis sanguinem conqueri ad Deum, et fore, vt Cainus (*quo *Caluinum* notat) *non inueniat pacem in terris.*" Qui dubium hoc conjectura soluere putant, *Socinum* fortassis de se ipso tanquam ignoto, studio dixisse, vt librum a se esse scriptum, incertum et minus probabile faceret, vel male prolatum *Socini* nomen, errorem esse typographicum, nihil habent, quibus haec adstruant. Imo ipsum quoque hunc passum ex ep. *Socini* Geneuam ad amicum quendam scripta, Schelhornius l. c. non immerito in dubium vocat, an ab eodem vnquam fuerit scriptus, cum timidum, vel saltem maxime prouidum *Socini* ingenium non facile ita, ne quidem ad amicum iudicasset, qui omnium et *Melanthonis* et *Caluini* et *Bullingeri* aliorumque gratiam constanter sibi seruare studuit, qui potius de hoc argumento olim *Bullingero,* quamuis minus serio, vt videtur, testatus est: se non dixisse, quod nolit prorsus coerceri haereticos et homines blasphemos, aut quod doctrinae Seruetanae faueat, quam velit extinctam. Aliquatenus ratio pro contrario ex ipso hoc opusculo peti potest, siquidem p. 15. haec verba leguntur. „*Dicet forte* Caluinus *suo more, me esse* Serueti *disci-*

diſcipulum: ſed id neminem terreat. SERUETI *ego doctrinam non defendo, ſed* CALUINI *falſam doctrinam oſtendo. Itaque de Trinitate, de baptismo et caeteris arduis quaeſtionibus non disputabo, cum* SERUETI *libros, quippe combuſtos diligentia* CALUINI, *non habeam, vt poſſim ex iis videre, quid ſenſerit. Sed in caeteris, quae ſunt extra illam Seruetanam disceptationem,* CALUINI *errores ſic demonſtrabo, vt quiuis perſpicere poſſit, eum per ſitim ſanguinis palpare in ipſa meridie.*" Libelli proinde huius, qui ſub *Vaticani* nomine celebratur, auctorem, nec *Caſtalionem*, nec *Laelium* eſſe, ſatis nobis euictum videtur. V. *Moshemius* H. Serueti, p. 281.

Scriptum, quod recenſui, ſaepe numero, ab eruditiſſimis alioquin litteratoribus confunditur cum MARTINI BELLII *Farragine de haereticis, an ſint perſequendi, et omnino quomodo ſit cum eis agendum, multorum, tum veterum, tum recentiorum ſententiae. Liber, hoc tam turbulento tempore perneceſſarius, et cum omnibus, tum potiſſimum Principibus et Magiſtratibus vtiliſſimus, ad diſcendum quodnam ſit eorum in re tam controuerſa tamque periculoſa, officium.* Continetur in eadem: *Martini Bellii* praefatio, in qua quid ſit haereticus, et quidnam cum eo agendum ſit, demonſtratur. *Mart. Lutheri* ſententia, in qua aperte oſtenditur, haereticorum punitionem ad magiſtratum non pertinere; *Jo. Brentii* de Anabaptiſtis et caeteris, qui haeretici habentur ſententia, quae idem docet. Aliorum auctorum tum veterum, tum recentiorum eadem de re ſententiae; et inter hos quoque *Auguſtini Eleutherii* judicium p. 102. ſeqq. occurrit, ſub quo nomine latere *Seb. Franckium*, *Schelhornius* l. c. T. XI. p. 58. tradidit; tandem BASILII MONTFORTII refutatio eorum, quae pro perſequutione dici ſolent. Sub nomine *Mart. Bellii Laelium* voluiſſe latere, mihi facile perſuaderi patior, cum *Beza* in Vita *Caluini* id expreſſe teſtetur; cui etiam ſententiae *Mayerus* in *hiſt. Socin.* p. 16. et 22, ac plures ſuffragium tulerunt.

lerunt. De hoc libro *Moshemius* prolixe expósuit l. c. q. 279. seq. quibus ad supplendam historiam litterariam addimus *Bellii* farraginem germanice quoque prodiisse, pl. 14. foliis 110. 8. sine indice loci et temporis, hoc titulo: Von Ketzern. Ob mann auch, die verfolgen, oder wie man mit ienen handlen solle, des D. Martini Lutheri und Johann Brentii auch andrer viler der alten und unserer Zeyten Gelerten meinung und Bericht. Ein Büchlein in diser schweren Zeyt ganz notwendig allen Menschen, sonderlich den Vorstenderen und Obrigkeiten, ganz nützlich darauß zu lernen, was ir Ambt seye, in einer so zweifelhaftiger und gefährlicher Sache. Den innhalt dieß Büchlein, zeygt dir die andre Seyten dises Bletleins an. Der nach dem Fleisch geboren was, vervolget den, der nach dem Geist geboren was, Gal. 4. In altera folii pagina index contentorum legitur. Martini Bellii Vorrede, darinn anzeygt wird was ein Ketzer seye, und wie man mit inen soll umbghen. Martini Lutheri Meynung darinn anzeygt wird offentlich, das es der Oberkeyt nit zustande, daß sy die Ketzer straffen soll. Johannis Brentii meinung von der Widerteufferey, und von andern, so man für Ketzer hat, welche ein Ding leert. Deßgleichen anderer vilen der alten und neuwern leerern meinung und Bericht. Basilii Montfortii Widerlegung derer Reden, so mann Treybt, die Verfolgung damit zu beschirmen. Tribuerunt alii hunc tractatum *Castalioni*, sed solida destituti ratione, imo contrarium patet, quod auctor p. 12. 6. diserte testetur, se nec *Lutheranum*, nec *Zwinglianum*, nec *pontificium*, vel *Anabaptistam* etc. esse. Ipse *Castalio* in eodem allegatur, p. 74. Sebastianus Castalio in der Vorrede über die Bibel, die er hat zum Könige in Engeland geschrieben ꝛc. Opusculum hoc BEZA refellere sibi proposuit, in tr. *de haereticis a ciuili Magistratu puniendis, aduersus* MART. BELLII *farraginem et nouorum Academicorum sectam*, apud *Rob. Stephanum* a. 1554. 8.

et

et in Tract. Theol. *Bezae Vol.* III. f. 85—169. Sed ficulneis eum in hoc certamine pugnasse armis, aequis rerum arbitris constat.

Superiori tempore eruditi putarunt, *Laelii Socini* esse librum, *Caluini* opusculo oppositum, qui sub *Mini Celsi Senensis* nomine prima vice hoc indice prodiit: *In haereticis coercendis quatenus progredi liceat*, Mini Celsi Senensis *disputatio. Vbi nominatim eos vltimo supplicio affici non debere, aperte demonstratur. Christlingae*, 1577. 8. Alph. I. pl. 8. qui liber secunda vice prodiit, sub tit: *De haereticis capitali supplicio non adficiendis*, additis eiusdem argumenti *Theod. Bezae* et *Andreae Dudithii* epistolis duabus contrariis. Ibid. a. *1584*. 8. V. *Placcius* Pseudon. N. 602. p. 172. Vetustioris quoque editionis meminit *Baylius* l. c. *Tit. Marianus Socinus* litt. (D.) Not. * * edit. germ. Post *Sandium, Bailletum, Placcium*, aliosque plures, *Heumannus*, in schediasmate de libris anonym. p. 144. hanc personam *Laelium Socinum* induisse putauit. Sed libelli huius auctor saepius ad Jacobi Acontii *Stratagemata Satanae* prouocat, iisdemque multum tribuit; quae tribus integris post *Laelii Socini* obitum annis, nimirum a. 1565, *Basileae* lucem publicam viderunt. Eandem ob caussam neque a *Castalione* proficisci potuit, qui a. 1563. d. 29. *Dec. Basileae* defunctus; accedit, quod *Minus Celsus*, Sect. II. p. 124. supplicii de *Val. Gentili Bernae* a. 1566. sumti meminerit. Fuit autem scripti hujus auctor eruditus Italus, Minus Celsus, qui *Siennam* magni *Ducatus Florentini* vrbem patriam habuit, quam voce *Senensis*, nomini suo adtexta, indicat, quod extra omne dubium posuit *Schelhornius* l. c. T. VII. p. 68. et in diss. de *Mino Celso Senensi, rarissimae disquisitionis in haereticis coercendis, quatenus progredi liceat*, etc. *Vlmae*, 1748. 4. Inter epistolas Italicas, a. 1566. a *Claudio Ptolomaeo* Senensi *Venetiis* editas, quaedam litterae ad *Minum Celsum* a *Fabio Benvogliento, Venetiis*, d. 15. *Sept.* 1548. scriptae

inveniuntur. Plura quoque praesto sunt documenta, in quibus de *Mino Celso*, istius temporis viro insigni ac pererudito exponitur; imo adhuc ad nostra tempora pervenit *Nouum Testamentum latinum* et *gallicum*, a. 1572. 8. *Basileae* typis impressum, a *Mino Celso*, *Francisco Walsingamo* dicatum. Fortassis *Laelius Socinus*, Senensis, huic conterraneo suo auctor suasorque exstitit, coetum Romanum et patriam relinquendi et in Heluetiam se conferendi. Hac ipsa aetate materia de haereticis puniendis in *Raetia* vallibus ac jugis multo feruore agitabatur; hinc *Minus Celsus*, qui haud pridem ad istas regiones accesserat, quique mitissimi erat ingenii, eundem discussit, et contrariam sententiam rationibus confirmavit. Disquisitio haec primum italico idiomate concinnata, tandem aucta et in latinum translata lucem vidit. Potiora ejusdem lemmata et summaria DAN. ZWICKERUS in *Henotico Christianorum* exhibuit. V. B. A. p. 1060. N. 12. Non malam conie ctur am *Schelhornius*, l. c. p. 65. ex typorum conditione fecit, librum allegatum non *Christlingae*, sed *Basileae*, ex officina *Petri Pernae*, in qua *Minus* correctoris vices sustinuit, prodiisse. Qui ad illum praefatus est anonymus, J. F. D. M. D. nomine typographi significavit, opusculum post auctoris obitum in manus venisse, eumque multum ac diu dubitasse, num typis suis in publicum ederet, quod nondum vltima lima perpolitum fuerit, quodque odium omnium sibi conciliaturum, veritus sit, adversus quos auctor calamum strinxit; tandem vero vicisse apud eum communem Ecclesiae vtilitatem, quam non exiguam futuram pii doctique quamplurimi viri ipsi confirmarint.

De eodem argumento, quod *Minus Celsus* exposuit, exstat quoque *Castalionis* tractatus hoc tempore, quo ad eiusmodi scripta concinnanda plus simplici vice occasio exhibita est, compositus, et post aliquot demum annos editus, hoc titulo: *Quinque impedimentoram, quae men-*

tes

tes hominum et oculos a veri in diuinis cognitione abducunt, succincta enumeratio: cum pia admonitione, ne quis alterum ob diuersam in religione sententiam odio aut vi insectetur. Auctore Sebast. Castalione. *Opusculum nunc demum ex monimentis illius erutum et in lucem prolatum.* Augustinus: *Ad fidem nemo nec debet, nec potest cogi. Idem citante* Erasmo: *Errare possum, haereticus esse non possum.* Erasmus *ad Phil. Melanchtonem: Non sum judex alienae conscientiae, nec dominus alienae fidei. Idem certe, cogere non est euangelicum. Francofurti*, a. 1603. 4. pagg. 20. Breue alloquium auctoris ad amicum subscriptum est d. 1. *Julii* a. 1555. Incipit p. 16. admonitio in titulo significata, quae XI. superstructa rationibus: 1) Quia J. C. cui notior res, quam nobis, id vetuit, dum jubet Zizania relinqui ad tempus messis. 2) Non sumus judices ad hoc ipsum diuinitus constituti, neque debemus in fidei negotio alios damnare, non magis, quam illi nos; quin etiam boni consulere debemus, cum simus omnes sontes et poena digni. 3) Quoniam nondum nota veritas est, neque Christi mens intelligitur, cujus rei argumentum est, quod nullam videmus fieri vitae correctionem. Item, quod tot libri conduntur, tot commentarii, tot conuentus, concilia, disputationes, et tamen longo tempore nondum conueniri potuit, nedum quicquam conclusum, aut statutum est, nisi quod nemo est, qui non sibi jus, et alteri tribuat injuriam. Quae certissima signa sunt ignorantiae veri. 4) Quoniam, vt habet *Gamalielis* consilium, si res a Deo non est, sua sponte euanescet; sin a Deo est, aboleri non potest, quia contra Deum pugnare reperiemur. 5) Quoniam si Turcas, si Judaeos, si lenones, adulteros, proditores, auaros nobiscum et inter nos viuere patimur, neque ab iis, vt inficiamur, metuimus; certe nullam caussam habemus, cur eos occidamus, inque exsilium mittamus, qui eundem nobiscum Deum confitentur et in eo mori flagitant. 6) Quia tum ali-

quis occiditur, vt haereticus, in pessimo statu, vt quidem eorum est opinio, qui eum occidunt, cum debeat exspectare, vt se corrigat, vt postulat Dei natura, qui dicit, nolle se mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur et viuat. 7) Quia, dum religionis caussa vexatur homo, aut recantat, aut perseuerat: si perseuerat, nihil agitur; si recantat ex animo, occiditis vestrae religionis hominem, si metu coactus peccatis, et eum peccare cogitis etc. 8) Quia nolimus, vt quos nos persequimur, ii nos persequerentur, si potentiores essent, et nos aliis facere non debemus, quod nobis fieri nolimus. 9) Quia ab initio mundi semper boni a malis infestati sunt, nec ipsi vnquam infestarunt, vt videre licet in *Abele* et *Caino*, in *Ismaele* et *Isaaco*. 10) Quia cum Christiani oues appellentur, debent ouis naturam imitari, quae talis est, vt nullum animal infestet, licet nullum magis infestetur. 11) Quia charitas est infirmorum et tenuiorum misereri; et quemadmodum insignem aliquem militiae ducem dedecet, cum colono aliquo aut stabulario manum conferere; ita dedecet magnos et praepotentes, eos persequi, quos ipsi vermes appellant etc. In hoc igitur libello, nec non in ep. 1562. ad amicum quendam Belgam scripta, de non persequendis Anabaptistis, (quae legitur in *Ill.* et *Clar.* Vir. epp. select. *Lugd.* 1616. 8. Cent. I. p. 364. seqq.) Castalio a pluribus agitatam ista aetate materiam pertractauit.

Hoc ipsum argumentum Moshemius l. c. p. 298. exponens, se ignorare profitetur, quinam fuerint libri Casp. Hedii, Joannis Agricolae Islebii, Jacobi Scheuchi et Christoph Hoffmanni, quos Minus Celsus l. c. p. 117. b. allegauit, in quibus de tolerantia erga haereticos scriptum sit. Hac occasione in rei litterariae supplementum obseruare volui, duorum qui primum nominantur, sententias de tolerandis haereticis insertas esse *Martini Bellii* farragini germanicae paulo ante descriptae.

ſcriptae. Haec enim leguntur p. 64. b. **Doctors Caspars Hedionis, Predigers zu Straßburg Sentenz, in dem Büchlein, das alſo eingeſchrieben iſt:** Epitome in euangelia et epiſtolas Etc. et p. 65. a. **Joannis Agricule Meinung über den ſpruch Pauli zu Tito, ein Ketzer ſoltu meyden** Etc. *Jacobus Scheuchus* et *Chriſtophorus Hoffmannus* nondum mihi innotuerunt. Juxta hos vero *Bellius*, praeter *Lutheri*, *Brentii*, *Erasmi*, *Caſtalionis* aliorumque teſtimonia, allegauit p. 53. a. *Auguſtini Eleutherii* Bericht, das mann nit fräventlich für Ketzer ſolle haben, die, welche die Welt für Ketzer hat, gezogen aus dem Buch von Ketzeren Etc. p. 78. a. Was mercklichen Schäden die Verfolgung der Welt bringen, die Meinung **Görgen Kleinbergen** et p. 83. b. Deßgleichen ſchreibt dieſer **Georgius Kleinberg** im Buch von der Religion alſo: Etc. — De eadem materia plures et antiquiores paulo ſcriptores allegari poſſunt, inter quos eſt GERARDUS NOVIOMAGUS, cuius ſuperſtites epiſtolae aliquot *de re Euangelica et haereticorum poenis ad Carolum V*, *ad Germanorum Principes in conuentu Spirenſi*, *ad Carolum Gebriorum Ducem*, *ad Philippum*, *Heſſorum Principem ſcriptae* a. 1526. et 1527. quae vna cum D. ERASMI ROTEROD. *Annotationibus in leges Pontificias et Caeſareas de Haereticis*, *Argentorati*, *apud Chriſtianum Egenolphum*, 1529. 8. prodierunt. Digna eſt ſcriptio a Romano auctore et miniſtro CAROLI V. profecta, quae legatur, aliena ſane a decretis, quae iſto tempore a Pontificiis aduerſus haereticos erant ſtatuta. Epiſtola ad CAROLUM etiam germanico habitu lucem vidit ſub tit. Eyn Sendbrieffe an Kayſer Carol des Namens de Fünfften, Allzeyt Merer des Reychs ꝛc. **Gerardi Noviomagi**; in welcher wirdt gehandelt, ob man eyn Ketzer mit recht müge peinlich und leyblich ſtraffen oder nicht, 1527. 4. p. 1. absque loci indicio. Ita inter alia NOVIOMAGUS: „*Ante decennium in M. tuae familiam aſcitus, honoratiorque S. M. tuae officio adſcriptus, niſi M. tuae honorem*

et gloriam meis omnibus praepoſuero, non video, quomodo turpiſſimam ingratitudinis notam effugero. Hinc eſt clementiſſime Caeſar, quod non verear, immo cogar, M. tuam de quibusdam, quae M. tuae honorem, reipublicae commodum, animarum ſalutem concernunt, admonere, idque vere et amanter. Quare etiam non dubito, quin S. Im. M. tua, haec diligenter leget, boni conſulet ac meam curam diligentiamque in re tam neceſſaria comprobabit. Male audit (ut quod verum eſt, libere vereque dicam,) S. M. tua non vulgo ſolum, verum etiam apud meliorem populi tui, in vtraque Germania, partem, quod S. M. tuae veluti iuſſu authoritateque ita in eos, quos haereticos vocant, deſaeuiatur, ut aethnicorum tyrannidis, et veterum Chriſti martyrum conſtantiae pariter et patientiae exempla, audire videreque non vno in loco rurſus liceat. Quidam enim in vinculis detinentur, vxoribus interea ac paruis liberis fame pereuntibus. Aliqui rebus, ſudore et ſanguine partis ſpoliantur. — — Hic tetro perpetuoque carcere condemnatus, ſqualore et inedia contabeſcit: ille aquis praefocatur: iſte flammis exuritur Etc."

Ex hoc diuerticulo, in quod me nonnullorum perſuaſio de opere quodam *Laelio Socino* vindicando abduxit, in viam iam reuertor, ad ſcripta recenſenda, quae citra vllam controuerſiam ab eodem profecta ſunt. In hunc cenſum venit:

I. *Diſſertatio de Sacramentis ad Tigurinos et Geneuenſes ſcripta 1560. vel 61.* Legitur prima vice typis expreſſa, in libello a paucis viſo, et qui Jo. VOGTIO in *Catal. libr. rarior.* p. 545. inter rariores rariſſimus eſt, ſub titulo: FAUSTI et LAELII SOCINI item ERNESTI SONNERI *tractatus aliquot theologici, nunquam ante hac in lucem editi. Quorum catalogum ſequens pagina indicabit. Eleutheropoli Typis Godfridi Philadelphi* a 1654. forma 12. non 16. (quemadmodum in *Jo. Ge. Walchii* Biblioth. theol. ſel. T. I. p. 298. et in *Nouis litterar.* Ham-

Hamburg. a. 1732. p. 345. perhibetur,) pagg. 100. et pagina vna quae tractatuum conspectum exhibet. V. B. A. P. II. p. 895. Libellum ex Biblioth. S. R. *Jo. Ge. Palmii Pastoris Hamburgensis* mutuo acceptum recensuit auctor *novell. erudit. Hamburg.* l. c. Contigit mihi exemplar possidere, quod olim fuit SAMUELIS CRELLII, qui haud pauca ad marginem notauit, deinde in manus *Stanonis*, Ministri Sociniani *Andraewaldensis*, in Prussiâ venit, qui hoc in libelli fronte notavit, et *Tob. Wilkovius*, itidem minister coetus Socin. in Prussia, haec adposuit: „*Hic libellus dono oblatus Tobiae Wilkovio, a Reverendiss. Samuele Stanone in aeuiternam memoriam amoris intimi inter nos.*" Continentur in hac opusculorum collectione, quod proxima post titulum pagina significat, sequentia: 1) FAUSTI SOCINI *breuis discursus de caussa, ob quam creditur, vel non creditur Euangelio Jesu Christi; et de eo, quod, qui credit, praemio, qui non credit, poena a Deo afficiatur* p. I. 2) *Eiusdem summa religionis christianae* p. II. 3) LAELII SOCINI *dissertatio de Sacramentis, ad Tigurinos et Geneuenses*, p. 16. 4) ERNESTI SONNERI *demonstratio theologica, et philosophica, quod aeterna impiorum supplicia non arguant Dei iustitiam, sed iniustitiam* p. 36. 5) *An doctrina trinitatis sit mysterium* p. 71. Non accurate concinnatum esse hunc conspectum SAM. CRELLIUS in hoc exemplari, obseruauit. Sic p. 30—34. occurrit LAELII SOCINI *de resurrectione, teste* CURCELLAEO, sub hoc titulo: *Descriptum ex D.* CURCELLAEI *excerptis, quae* (QUI) et (EX) *ipso* LAELII SOCINI *autographo haec descripserat. De resurrectione:* eiusdem auctoris p. 34. sub indice: FAUSTUS *Socinus* de LAELIO SOCINO PATRUO *ita alicubi notatum reliquit*, sequentia leguntur: „LAELIUS SOCINUS *ingenii magnitudine, sacrarum litterarum ex ipsis hebraeis et graecis fontibus cognitione, ipsarumque rerum diuinarum scientia eximius atque singularis, qui non multorum annorum spatio* (37 *enim tantum annos vixit*) *errores fere innumerabiles maxi-*

maque ex parte grauissimos, ab aliis non animaduersos, in christianam religionem inuectos detexit, ac veram viam, eam in integrum restituendi, aperuit." p. *68 et 69.* sub peculiari inscriptione exhibentur: Loca quaedam S. S. in quibus vox *aeterni* significat tempus finitum; et loca quaedam S. S. in quibus agitur de *supplicio impiorum* p. 71. Plenus titulus est: *An doctrina trinitatis sit mysterium a saeculis absconditum, quod diuini verbi patefactione hominibus innotescere debuit. E tractatu, qui de origine trinitatis inscribitur,* exscriptum a. 1605. V. B. A. P. II. p. 636. N. 3. Huic libello praefixa est ep. MARTINI PISECII a *Martowice* ad nobilem Silesium, fratrem suum p. 77. Ipse tractatus incipit, sub titulo: *Doctrinam de vno et trino Deo nullum esse mysterium.* p. 85. sub titulo: *tres aduersariorum obiectiones diluuntur, testimonia trinitatis ex baptismate Christi, ex verbis institutionis baptismi, et ex verbis Joannis de tribus testibus in coelo peruertuntur.* p. 92. sub titulo: *Locus Apostoli ad Timotheum adfertur,* negatur verba Pauli, 1 *Tim.* III. 16. plures in Deitate personas innuere p. 98. Locus ex *Origine* in *Job.* L. I. insertus est hoc modo: „Tria cornua fecit Diabolus in „typum atque figuram trionymae illius sectae, triumque „Deorum haeresis, quae vniuersum orbem terrae in mo„dum tenebrarum repleuit, quae Patrem et Filium et „Sp. S. aliquando tanquam tres colit, nonnunquam vnum „adorat; (*Sam. Crellius* adiecit: *More* SABELLII) quem„admodum graecorum lingua memoratur *Triada* vel „*Homovsion.* Istam ergo trinitatis sectam et haeresin at„que infidelitatem iam olim de longe designans versutis„simus ille Diabolus tria cornua misit ad Job. depraedan„dum: sic namque etiam nunc memorata trionyma hae„resis, praesertim praedatur atque expugnat Ecclesiam. „His *Origenis* verbis CRELLIUS sua manu ad marginem „adscripsit:" *Hinc adparet manifeste* ORIGENEM *fuisse antitrinitarium.* „p. *100.* ex quibusdam *Lutheri* verbis colli„gitur, eundem fuisse antitrinitarium; hoc enim scopo

„haec

„haec leguntur;“ *Lutherus in postilla maiore super Dominicam trinitatis. Vocula haec trinitas nusquam in diuinis scriptoribus reperitur, caeterum humanitus tantummodo inuenta. Vnde etiam frigida omnino sonat, ac multo praestabilius foret, si Deus potius, quam trinitas dicatur.*

Exemplari huic ligatura iuncta est Conr. Vorstii, *fidei christianae delineatio breuis per capita, aphorismos et porismata. Elevtheropoli typis Godfridi Philadelphi* 1632. 12. pagg. 82. qui tractatus apud *Sandium* l. c. p. 98. inter scripta *Vorstii* frustra quaeritur.

II. *Dissertatio de resurrectione corporum.* Inserta est libello iam recensito, p. 30—34. ex D. *Curcellaei* excerptis, qui eundem ex *L. Socini* autographo exscripserat. Germanice quoque et Belgice eandem vidisse lucem, *Sandius* l. c. testis est. Belgica versio hunc prae se fert titulum: Van de Opstundinge deeser Lichnaamen 1666. 4. Germanica: Von der Aufferstehung der Leiber.

III. *Paraphrasis in initium Euang. S. Joannis,* quam *Sandius* l. c. p. 44. nunquam vidisse testatur, et periisse credit. Notante Baylio l. c. scripta paraphrasis a. 1561. Addidisse huic *Laelium* vberiorem explicationem capitis primi *Joannis,* et ad hanc, non illam a. 1568. Blandratam in *colloquio Albensi* coram Transyluaniae Principe *Joanne* prouocasse huncque commentarium se Principi exhibiturum promisisse, plurimi sibi persuadent. De hac explicatione iudicium esse latum ab Orthodoxis, quod in eadem omnium, qui unquam illum locum corruperunt, haereticorum impietatem auctor superauerit, iam notauimus. Periisse autem hoc *Laelii* scriptum, cum *Sandio Fabricius* quoque in H. *Biblioth. Vogtius* p. 544. et plures alii testantur. Eam, quae adhuc superstes est, Paraphrasin perperam a Polonis, *Beza,* et *Zanchio* tribui Laelio Socino, *Hoffmannus* de *Typograph. Polon. et Lithuan.* p. 39. absque vlla ratione sentit, (V. B. A. P. II. p. 611.

 N. 10.)

N. 10.) cum manifestum ZANCHII testimonium, quod supra exhibuimus, eam *Laelio* vindicet, quam simul in libro, de *tribus Elohim* L. VI. c. II. sub examen vocauit. Inserta quoque est explicatio in hanc pericopam libro *Ministrorum Sarmatiae* et *Transyluaniae* etc. L. II. c. XI. de quo sub *Georg. Blandrata* B. A. P. I. p. 58. N. 14. V. *Placcii* anon. N. 765. 766. p. 127. Alia explicatio in *Bibl. F. F. P.* inter *Fausti Socini* opera impressa reperitur. Vtramque *Franc. Junius* tertiae suae defensioni Trinitatis inseruit, et *Jo. Clericus* euertendam suscepit in tractatu: *XVIII. prima commata capitis primi Euang. S. Joannis* etc. Amstel. 1695. 8. SANDIUS ex collatione eorum, quae PET. MELIUS in secunda disputatione Albana a. 1568. LAELIO SOCINO ex hac explicatione adscribit, cum vtraque explicatione in cap. I. *Joannis*, quae adhuc exstat, nec non cum iis, quae F. SOCINUS de hoc argumento exposuit, colligit, LAELII opus in Jo. cap. I. interiisse, nec illam quae ministrorum Sarmatiae et Transyluaniae operi inserta est, esse huius foetum, quod ipsi videtur euincere cum styli ab aliis LAELII scriptis diuersitas, tum etiam, quod in ea tales opiniones, et quorundam S. Scr. locorum explicationes proponuntur, quae discrepant a reliquis eiusdem sententiis et ab interpretationibus, quas ei proprias fuisse, imo ab ipso adinuentas F. SOCINUS testatur. *Jos. Simlerus* in praefatione Libris IV. *de aeterno Dei Filio*, a. 1568. praemissa meminit, ad manus suas venisse interpretationem anonymam primi capitis *Johannis* Evangelistae, cuius partem iam ante manu descriptam vidisset; quae ex *Laelii* calamo profecta. In eadem fortassis quoque reperiebatur explicatio dicti *Jo.* VIII. 58. cuius paulo ante feci mentionem. Interim *Faustus* de sua explicatione primae partis primi capitis *Joannis* ipse profitetur, quod desumta sit ex *Laelii* sermonibus et scriptis. V. *Cloppenburgius* l. c. p. 14.

IV.

IV. *Praecipuarum enumeratio caussarum, cur Christiani cum in multis religionis doctrinis mobiles sint et varii, in Trinitatis tamen retinendo dogmate sint constantissimi.* Libellus suo ambitu insertus est refutationi eiusdem, quam *Franc. Junius* suscepit, hoc titulo: *Defensio Catholicae doctrinae de S. Trinitate personarum in vna essentia Dei, aduersus Samosatenicos errores specie inanis Philosophiae in Polonia exundantes. Heidelb.* 1590. 4. Item *Defensio* II. et III. ibidem 1591. 4. Insertus quoque huius *Opp. Theol.* T. II. f. I. seqq. A quibusdam opusculum Fausto tribuitur; sed Sandius l. c. p. 78. suspicatur, Laelii esse; stilus enim ipsi a caeteris operibus *Fausti* videtur esse diuersus. *Christoph. Pelargus* in admonitione de Arianis recentibus etc. Cap. VII. p. 105. *Christ. Franckenio* librum hunc tribuit, titulumque eius allegat: *Recitatio caussarum, cur Christiani* etc. V. B. A. P. I. p. 364. N. 7. *Laelii* esse scriptum, quod *Junius* refutauit, difficile mihi persuadere possum. Ad auctorem huius libelli ita *Fr. Junius* l. c. f. 6. „*Duo a te peto, Samosateniane, quisquis es: nam etsi te aliquo pacto nouisse videor, tamen ex te malim cognoscere: vnum, vt edas palam nomen tuum, si te porro non pudet istius doctrinae, qua chartam maculauisti, et mentes bonorum cupis inficere; alterum vt sine fuco ac fallaciis explices, tune ille ipse sis Antinomus, qui ante annos paucos per manus studiosae iuuentutis argumenta illa XXII. sparsisti, contra Mosen et creationis historiam, quae cum sua confutatione anno superiore a me fuerunt edita. Aut enim fallor plurimum aut tu idem es scriptionum istarum autor; quae cum sint dissimillimae, auctorem habent sui simillimum; nec vlla in doctrina stabilem. Ad hoc saltem posterius te obtestor per Deum viuum et Dominum J. C. vt mihi et bonis respondeas, si illud vnquam didicisti, quod vulgo dicitur, cum bonis bene agier. Deus misereatur tui, et dum adhuc es in via, animae tuae in pernitiem ruenti miserrime, gratiam faciat propter nomen suum in filio aeterno suo.* Amen.“

De -

De hac materia adhuc dicendi locus dabitur sub *Fausto Socino.*

V. *Duo scripta de S. coena* LAELIUM concinnasse, FAUSTUS commemorat in ep. ad NIEMOIEVIUM in epp. p. 334. quae huic ad legendum transmittenda promittit. Alterum horum sine dubio idem est, quod supra Num. I. indicauimus. Qualem alterum prae se tulerit indicem, ignoro.

VI. Eundem quoque *Rhapsodiam* in *Esaiam Prophetam* scripsisse, hancque a collectore *sylloges locorum de Trinitate* (de qua plura exponunt *Acta Synodalia* Polonica *Msta*) citatam esse, *Sandius* l. c. p. 21. commemorat. V. B. A. P. II. p. 990. N. 4.

VII. Epistola ad Jo. CALVINUM scripta 1559. 22. *Aug.* in qua statum Reformationis in Polonia, his verbis, (quae CYPRIANUS ex autographo in nota, indici libri Unterricht von Kirchlicher Vereinigung der Protestanten, adtexta fol. B. 6. b. Tit. Reformirte Theologen allegat) describit: „*Rex dirimi quidem istas lites vellet, vt inpace et otio deliciis suis frui posset; sed laborare, vt ex verbo Dei aliqua certa doctrinae forma proponatur, negat ad se pertinere, Conciliorum id esse atque Pontificum. Videt enim fidelium numerum crescere, et breui futurum, vt adigantur Episcopi ea facere, quae nunc sua sponte deberent, et cogitat, se apud omnes Principes excusatum iri, si dixerit, suas admonitiones fuisse neglectas, quum toties protestatus sit, nisi concilio dissidia tollantur, se impetum suorum ferre non posse.*“

VIII. *Confessio de Deo* LAELII SOCINI, *data 15. Jul.* 1555. Inserta est *Hottingeri* H. E. Tom IX. P. V. c. III. occasione epistolae monitoriae ad magnum quendam Theologum scriptae. Ep. magni Theologi, ad amicum monentem, cui *Socini* confessio intexta est, legitur in extenso l. c. p. 417. seqq. nec non eiusdem Theologi

monita

monita circa hanc confeſſionem reperiuntur l. c. p. 427 — 436. His adiunctae ſunt duae ad LAELIUM SOCINUM epiſtolae, quarum *altera* ſcripta 4. *Id. Aug.* 1555. quae continet veterum Patrum teſtimonia de terminis in articulo de S. Trinitate vſu receptis, p. 437 — 454. *altera*, data 3 *Id. Febr.* 1555. proponit doctrinam de Sacramentis, p. 454 — 474.

IX. *Theſes de Deo trino et vno.* (de Trinitate) Obſcura SANDII eſt recenſio, qui l. c. p. 25. inquit: „*Prodierunt in lucem circa a. 1562. niſi forte eaedem ſint theſes, quae* NIC. PARRUTAE *tribuuntur. Neſcio vero, an hae ſint theſes, quae impreſſae ſunt a. 1568. in fine diſputationis Altanae nimirum ſecundae, cuius praecipuus interlocutor fuit* GEORGUS BLANDRATA, *itidem Italus.* V. B. A. P. I. p. 58. N. 14. et P. II. p. 588. N. 1.

X. *Voces ambiguae in S. ſcriptura; quarum praecipuae fuiſſe feruntur: Principium, Creare, facere, Mundus, Deus, omnia* etc. Adtextus eſt tractatui miniſtrorum Sarmatiae et Tranſyluaniae etc. de quo B. A. P. I. p. 58. et ex parte quoque GREG. PAULI *Explic. difficilium S. Script. locorum.* V. B. A. P. I. p. 607. N. 8. Quam commodum Socinianis praebuerit refugium, ambiguarum iſtarum vocum vſus vel potius abuſus, ZELTNERUS obſeruauit l. c. C. I. 9. 27. p. 95. ſeqq. *Joſ. Simlerus* in Praefatione operi ſuo de *aeterno Dei Filio* praemiſſa et an. 1568. menſe *Auguſto* ſcripta, ſignificat, iſto iam tempore quosdam libellos, quorum auctorem eſſe vulgo ferebant *Laelium Socinum*, in Poloniam eſſe allatos; quos qüidem ab hoc inuentos, ab alio tamen eiusdem gentis auctore perpolitos iudicat; cum in illis ea latinae linguae facultas adpareat, quam nunquam *Laelius* habuit.

Opera LAELII partim edita, partim manuſcripta, *Godofr. Vogtius* in catalogo librorum Socinianorum et Arianorum nouellorum, quae legitur, in eius tractatu: *Imago*

Imago S. S. Trinitatis, enumerauit. Sub *Felicis Turpionis Vrbevetani* nomine edidisse eundem *Bernh. Ochini* dialogos, a *Seb. Castalione* in latinam linguam conuersos, prodidit *Abr. Calouius* l. c. P. I. f. 49. quo iure, ignoro. Faustum sub hoc adscititio nomine praemisisse praefationem Castalionis Dialogis IV. alio loco obseruauimus. Quanto cum desiderio lecta fuerint *Laelii* scripta a familiae huius sociis, *Ministri Sarmat. et Transyli.* L. 1. l. c. significant: „*Quid dicemus de Laelio Sozzino*, „*Senensi, hebraici sermonis peritissimo*, cuius *scripta per* „*manus piorum nunc volitant*, viro irreprehensibili, et „qui diu versatus fuerat, *Vittebergae*, *Genevae* et *Tiguri*, „cum omnium admiratione."

§. V.

Faustus, *Laelii* patruelis ex *Alexandro* huius fratre et *Agnete*, quae principis filia, ipsa multos Italiae Principes ac Duces consanguinitate attigit, natus, Senis a. 1539 iuuentutem aliquantum litterarum et iurisprudentiae studio, absque tamen longioris ac solidioris Philosophiae et Logicae cultura, imo sine praeceptore, vsque ad annum 23 transegit; posthac vero alienus a litteris in aula magni Ducis Florentini ad annum aetatis 35 vitam duxit.

* * *

Fausti Socini, disciplinae Socinianae formaliter consideratae Statoris et conditoris vitam, Samuel Przypcovius delineauit, quam biographiam operibus F. *Socini* in Biblioth. FF. PP. praefixam, nec non ipsius *Przypcovii* operibus insertam legimus. De variis Opusculi huius

ius editionibus ac verſionibus, quae ad noſtram notitiam venerunt, expoſui in B. A. P. II. p. 671. N. I. Vitam hanc *Bailius* l. c. multis paraphraſibus ac obſeruationibus amplificauit. Ex concluſo conuentus huius familiae a. 1636. habiti in *act. ſynod. Mſpt.* probabiliter colligitur, HIRTENIUM (*Joach. Paſtorium*) qui *Crellii* vitam concinnauit, *Fauſti* quoque *Socini* curriculum vitae concinnaſſe; qui fortaſſe propoſito publicandi ſcripti abſtinuit, hiſtoriamque *Socini a Przypcouio* concinnatam in linguam germanicam tantum transfudit. In eadem interim ſynodo vtraque et *Crellii* et *F. Socini* vitae enarratio inter libros, typis quam primum exſcribendos, numerata eſt. Omnes, qui aduerſus hanc diſciplinam calamum ſtrinxerunt, vel haereſeos hiſtoriam aliqua ratione tradere aggreſſi ſunt, F. quoque SOCINI vitam ac facta expoſuerunt, quamuis primis tantum lineis ac inſufficienter, praeter eos, quos inter biographos *Laelii* notaui, hoc argumentum tetigerunt GODOFR. ARNOLDUS l. c. RAMBACHIUS in examine Socinianiſmi, FABRICIUS in hiſt. Biblioth. G. M. KOENIGIUS in Biblioth. vet. et nov. p. 762. HEINSIUS in H. E. T. II. p. 204. GE. ASHWEL de *Socino* et *Socinianis*. Oxon. 1680. 8. p. 2 — 16. *Lamyus in Hiſtoire du Socinianisme*, p. 106 et 375. ſeqq. HEN. ASCAN. ENGELCKE, de damnabili Socinianismi Gangraena, JUST. CHRISTOPH. SCHOMERUS in Coll. Antiſocin. c. II. ſect. I. Inprimis vero epiſtolae F. *Socini* ad familiares ad noſcenda haereſiarchae fata, actiones et certamina plurimum conferunt.

Pater F. S. ALEXANDER germanus LAELII frater fuit, Male igitur FAUSTUS LAELII filius, a *Jacobo ad Portum*, in ep. dedicat. ad Senat. Dantiscan. orthod. fid. defens. perhibetur. Legitime proinde *Smalcius* in refut. theſium D. *Jac. Schopperi* p. 42. *Demitrouitium* Lithuanum, qui ad theſes has oratiuncula adplauſerat, ita perſtrinxit: „*Fauſtum Socinum, Laelii* filium facis, cum is patruus illius eſſet, pater vero *Alexander*.“ In matrimonium

duxit

duxit *Alexander Agnetem* (quod nomen deinde vnica F. *Socini* filia ab auia tenuit,) *Burgesii Petruccii*, Senarum quondam Principis ac *Victoriae Piccolomineae* filiam, qui patri PANDOLPHO Senarum principi in regimine quidem successit, sed aduersa fortuna ex hoc eminenti gradu deiectus, paulo post mortuus est. AGNES interim, quae plurimis Italiae Principibus ac Magnatibus, vt et *Pio* II. et III. nec non *Paulo* V. Romanorum Pontificibus sanguine iuncta erat, a principe matre dignam tanta sorte habuit educationem.

Przypcouius intensum *F. Socini* erga propinquos et agnatos amorem praedicans, inquit: „E propinquis mulieribus praeter *Camillam*, auiam, matronam lectissimam, *Portiam* amitam, et *Phylidem* sororem, suo vtramque merito vehementius dilexit. Quarum illa dum vixit laudatissimae pudicitiae exemplar, prudentia simul et comitate morum incredibili, adeo LAELIUM BECCIUM maritum, virum insignem sibi devinxerat, vt is saepe cum lachrimis se tali tantaque coniuge indignum fuisse diceret: Haec morum, atque in regenda domo disciplinae sanctitate, viro probata, (is fuit CORNELIUS MARSILIUS nobilissimo loco natus) immortale sui moriens desiderium reliquit."

Ipse FAUSTUS de parentibus suis in Ep. ad Excellentissimum quendam Virum in epp. p. 648. inquit: „Ego, quamuis ab illo MARIANO SOCINO, ab AENEA „SYLVIO, tot tantisque laudibus celebrato, abauo nimi„rum meo prognatus, et illius, qui nominatim in fami„lia nostra princeps subtilitatum dictus est, vnicus filius, „tamen eiusmodi sum, vt a priore multo plus virtute, „quam propagationis gradu distem; posteriore vero non „minus sum ingenio inferior, quam ipse ratione habita „eius temporis, quod hactenus vixi, cum mortuus est, „aetate me inferior fuit. Vix enim annum tricesimum „primum suae aetatis excesserat, cum ego iam pridem 64. „ingressus fuerim."

Natus

Natus eſt F. d. 5. *Dec.* a. 1539. anno vitae LAELII 14. quod natiuitatis ſuae tempus in ep. ad eundem virum paulo ante obitum data notauit in epp. p. 671: „*Natus ſum duabus horis et tribus fere quadrantibus ante ortum ſolis diei 5ti Dec. ſecundum Calendarium vetus, anno Chriſti 1539, ſic 14. circiter annos poſt Laelium patruelem Senis natum.*" Iſtis autem parentibus ſuis praemature orbatus, in aetate, quae ad capienda litterarum et ingenii elementa maxime docilis eſt, leuiſſime et omni praeceptore deſtitutus, bonarum artium et litterarum ſtudiis operam impendit, quod in ep. allegata fatetur. Hac ratione nec Philoſophiam ſeſe vnquam didiciſſe, nec ſcholaſticam, quam vocant Theologiam, ſe attigiſſe, et ipſius Logicae artis, nihil niſi prima elementa idque valde ſero, ſe deguſtaſſe l. c. p. 669. enunciat. Parum temporis in iuuentute tribuit diſciplinarum culturae, et quam ſibi comparauit eruditionem qualemcunque, ipſe ſibi ſine vlla manuductione acquiſiuit. Hinc l. c. p. 669. de ſe iudicat: „*Quid exacti iudicii in eiusmodi philoſophicis ac theologicis exſpectari a me poteſt homine, qui nec Philoſophiam vnquam didicit, et ipſius logicae artis nil, niſi rudimenta quaedam idque valde ſero deguſtauit! nolo enim te ignorare, pleraſque diſputationes meas, quarum quaedam non ſunt editae, ſcriptas a me fuiſſe, cum nondum dialecticae arti vllam operam dediſſem.*"

Patre praecipitata morte erepto, mater curam pro educatione Filii ſui adhibuit omnem. Sic prima eius aetas, leui litterarum tinctura, ſimulque iurisprudentiae ſtudio occupata erat ad annum vsque viceſimum; ſed et tum absque vllo praeceptore, quod praeco eius maximae laudi eidem reputat, quod hoc ipſo, nullis imbutus praeiudiciis, ſolidam ac puram ſcrutatus fuerit veritatem. Hauſerat tamen non diuinae veritatis principia, ſed noxii erroris halitum, ſufflante hunc patruele *Laelio*, in epiſtolis, quas ad amicos in Italia relictos, ex Heluetia, Germania et Polonia ſcripſit. Fama de ſingularibus ac noxiis

per familiam *Socinorum* obſtrepentibus, quoad ſacram diſciplinam opinionibus diuulgata, Magiſtratui eccleſiaſtico anſam ſuppeditauit, in hoc negotio examen circa annum 1558 inſtituendi. Sed *Fauſtus* errorum mente conceptorum ſibi conſcius, iuuenis admodum, vigeſimum vitae ſuae annum ingreſſus, fuga in Galliam ſalutem eripuit.

Quod cito et in puerili adeo aetate LAELII placitis inſtructus fuerit, ipſe in ep. ad MART. VADOUITAM in Epp. p. 600. teſtatur. Vix enim dici poſſe, ait, quod Eccleſiae Romanae unquam adhaeſerit, cum, ſimul atque per aetatem iudicio in diuinis rebus vti potuit, in illis aliter atque Eccleſia Romana doceat, edoctus atque inſtitutus fuerit: Ex quo ſane colligi poteſt, quod ephebis nondum egreſſus a *Laelio* excogitatae nouae diſciplinae elementa ſusceperit. Eques Polonus in vita F. S. praedicat: LAELIUM ingenio nepotis confiſum, plura diuinanti innuiſſe, quam tradidiſſe diſcenti, nonnulla etiam in experimentum judicii adoleſcentem celaſſe, non diſſimulato inter amicos praeſagio, plenius haec atque felicius a FAUSTO orbi prodenda.

GREG. ZARNOUECIUS, in *praef.* ad libr. *de ſatisfactione Chriſti* teſtatur, BERNH. OCHINUM FAUSTI exſtitiſſe Magiſtrum et Praeceptorem, quod SANDIUS l. c. p. 4. negat, quod LAELII potius inſtitutione vſus fuerit, quamquam vtrumque facile conciliari poſſit, nec a vero alienum videatur, *Fauſtum* ex ſcriptis OCHINI, quem *Laelii* ſocium fuiſſe, SANDIUS p. 18. concedit, haud pauca didiciſſe, quamuis illum coram docentem non audiuerit, vel ab ipſius ore pependerit.

Italia extorris *Lugdunum Gallorum* a. 1559. conceſſit hocque loco per triennium commorabatur, litteris ſine dubio operam nauans, ac LAELIO auctore, animum ad euertenda fidei myſteria, paratum et haereſi iam in patria infectum confirmauit. Vix dubium eſt, quin in

hoc

hoc ex Italia in Galliam itinere Patruelem *Tiguri* salutauerit, imo apud eundem ad tempus aliquod moram fecerit, quamuis rei huius nullum adferri queat testimonium. Cur *Lugduni* sedem elegerit, non *Tiguri* patruelis sui contubernio vsus fuerit, nullibi significatum legimus. Eum tamen *Lugduno* varias instituisse excursiones in Heluetiam, ac palmaria eius oppida, ibidemque quosdam habuisse sibi fauentes, luculenter apparet, quod post plures annos, cum secunda vice ex Italia *Basileam* se contulerit, veterum amicorum mentionem faciat, quos proinde sibi, antequam in Italiam reuerteretur, conciliauerat. Inter amicos *Lugduni* sibi conductos *Jo. Mich. Brutus*, Regis Poloniae deinceps Historicus numerandus, qui *Faustum Dudithio* per epistolam commendans, huic exponit, quod ante viginti annos, cum *Lugduni* commoratus fuerit, singularem cum illo amicitiam contraxerit. Fortassis in horum amicorum numero, *Jo. Bapt. Bouius* fuit, cui *Faustus* deinceps plures litteras scripsit, in quibus eum veterem amicum adpellat. V. B. A. P. I. p. 71. Accepto de LAELII obitu, qui 1562. die 16. *Maii Tiguri* accidit, per litteras MARII BESOZZI nuntio, *Lugduno Tigurum* accelerato itinere aduolauit, ibidem tum haereditatis nanciscendae, tum Bibliothecae ac manuscriptorum capiendorum caussa, quibus insidias strui praeuidebat. Chartis igitur et monumentis defuncti vndiquaque conquisitis ac in tuto positis, quibus tandem in construendo disciplinae nouae systemate vsus est, totaque haereditate patruelis potitus, maxime litteraria supellectile instructus, anno aetatis 23. *Italiam* repetiit, et deliciis aulicis captatus ad aulam *Francisci, Magni Ducis Hetruriae* commoratus est.

Ad hanc regiam sedem honoratissimis, quod vitae ipsius praeco perhibet, ministeriis fungebatur, ita, vt gratia ac fauore Ducis allectus duodecim annos perpetuos, hoc loco peregerit, sicque florentissimam curriculi

ſui partem in aula perdiderit, et inter aulicas delicias fere conſenuerit; quod et ipſe data occaſione aliquando indicauit. Magno Hetruriae Duci blandis moribus ac ſereno conuerſandi habitu ſemet adeo commendauit, vt ille quoque magno in eum deſiderio flagraret, eumque iam abſentem variis pollicitationibus ad priſtinam ſtationem revocare ſtuduerit. Inter hasce tamen aulae Sirenes non omnino otioſus haeſit, ſed mature, inprimis vero ab anno 1562. perceptam ex *Laelio* diſciplinam, aliis inſtillare ſtuduit. In diſputatione enim inter *Erasmum Joannis* et *F. Socinum* ipſe a. 1584. ita ſcribit: „*Ante annos ferme viginti duos* (1562) *eum locum* (mundus per ipſum factus i. e. denuo factus aut futurus ille mundus) *ſic accipiendum eſſe docui*" etc. Praeterea ipſum hoc ſtationis ad aulam interuallo conſcripſiſſe circa annum 1570 libellum de S. Scripturae auctoritate lingua Italica, ex praefatione, Racouienſi editioni libri huius praefixa, colligimus.

Ante ſuum in Italiam reditum paulo poſt mortem LAELII 1562. explicationem, imo potius deprauationem primae partis primi capitis *Joannis* euulgauit, ſuppreſſo nomine, quod eandem, non modo aetate ſua, ſed etiam multis ante ſaeculis inauditam ſciret, ideoque iudicium inſtar *Apellis* poſt tabulam, cognoſcere vellet. Hanc nonnulli LAELIO adſcripſerunt, quod inter ſcripta LAELII notavi; ſed FAUSTUS expreſſe nomen ſuum prodidit, cum integras ferme eccleſias videret ſententiae ſuae ſubſcripſiſſe. Ipſe rem hanc exponit *Dudithio* per epiſtolam, in farragine litterarum ad hunc ſcriptarum, p. 13. ſimul tamen profitetur, quod iſtam uerborum *Joannis* expoſitionem, et quae ad eandem aſſerendam in lucem produxerit, magna ex parte ex LAELII ſermonibus, dum adhuc viueret, et poſt eius mortem, ex aliquibus eius ſcriptis ſumſerit. V. *Fragm. duorum ſcript. Socin.* p. 4.

Immo

Immodicam in hoc scripto SOCINI de semet ipso *persuasionem* summamque calliditatem notauit CALOUIUS in scriptis Antisocin. p. 18. 19. *Illam* quidem, quod vix viginti tres annos natus et leuissime studiis bonarum artium tinctus, litterarumque graecarum parum gnarus, non modo nouam prorsus et antea incognitam verborum sacrorum expositionem protruserit, sed quoque totum orbem christianum in his aliisque plurimis caecutire pronunciauerit, omnes fere ecclesias errorum grauissimorum accusaverit, ac regnum denique Christi collapsum penitus, denuo exstruere ipse primus et vnicus praesumserit. *Hanc* manifesto prodit, quod orthodoxam de vno Deo, P. F. et Sp. S. doctrinam a *Mercurio Trismegisto* profectam, et a scriptis *Platonis* et *Jamblichii* originem duxisse, eandemque in miris quibusdam figmentis lubricisque subtilitatibus homine christiano indignissimis et portentosis opinionibus, non S. litteris modo aduersis, sed sibi etiam ipsis non constantibus, imo magna ex parte ridiculis longeque absurdissimis consistere, et hanc ob rationem sanctissimam Christi religionem Judaeis et Turcis ludibrio fuisse, illosque ab eadem amplectenda semper deterritos, simplicioribus persuadere conatus fuerit. Nihilo tamen secius orthodoxe sentientes non tantum pro haereticis habere recusat, sed etiam pro fratribus eosdem agnoscere vult, dummodo Christi vnici legislatoris praecepta pro viribus exsequantur; quasi pia praeceptorum Christi obseruatio, cum pessima hac sententia et verbi Dei vilipendio et deprauatione consistere possit. De hoc opusculo, quod totum refutationi eiusdem inseruit, *Franc. Junius Opp. Theol.* vol. II. idem hoc modo judicat. „*Neque apud venerandam illam antiquitatem — — neque hac memoria nostra scriptum vllum tam exitiale aut arte lubricum vix puto exstitisse, quam illud est, quod ante annos aliquot Senensis cuiusdam opera in manus primum multorum fuit disseminatum, deinde vero et typis exaratum, postremo etiam opera singulari am-*

 plius

plius recognitum, cuius manuſcriptum exemplar fuit TIGURO *transmiſſum ad me. In hoc enim ſcripto ſanctiſſimum illud primum caput* Jo. MYSTERIIS *diuinis conſertiſſimum, ineptis argutiis atque impiis interpretationibus, ex tota haereſium colluuie, quae vnquam exſtiterunt, collectis, turpiſſime maculatur, et accumulantur omnia, quae ab ipſis hominibus adſerendae impietati ſuae vnquam adferri potuerunt.*"

Expletis ad Principis aulam XII. annis, totum ſe ſpeculationibus commiſit, iisdemque maxime delectabatur; cum vero his inter aulae ſtrepitus ſenſuumque irritamenta non ex voto inhaerere, nec diutius diſſenſum a religione pluribus in iſta regione probata celare poſſet, de abitu ex patria ſerio deliberare coepit. Relicta hinc maioris dignitatis ſpe, relictis opibus, amicis, reliquisque vitae deliciis, ſine praeuia dimiſſione aulam deſeruit, et a. 1574. aetatis quinto et triceſimo ſecunda vice Italia exceſſit. Eques Polonus in encomium herois ſui celebrat, quod Toſcaniae Dux tanta in FAUSTUM gratia atque deſiderio fuerit, vt quoque ſaepius per nuntios et litteras *Illuſt.* PAULI JORDANI VRSINI, qui ſororem magni Ducis *Iſabellam Mediceam* matrimonio ſibi iunctam habebat, opera, illum ad reditum, repetendamque priſtinam ſtationem ſollicitauerit, quam vero gratiam ſemper modeſte declinauerit. Non tamen propterea gratia Principis FRANCISCI excidit, imo potius hoc promotore annuos quosdam reditus ex patrimonio ſuo accepit, pluribus licet ipſi id inuidentibus, quapropter illis defuncto magno Duce priuatus quoque eſt. Quibus in ſpecie negotiis in Principis aula praefuerit, et qualem perſonam ſuſtinuerit, id certo a me ſtatui nequit. Sunt quidam, et inter hos VLRICUS HUBERUS, in *Comment.* rerum in orbe geſtarum etc. T. II. p. 429. qui eum in aula COSMI *Hetruriae Ducis* medicinam practicam exercuiſſe perhibent; cuius tamen rei nulla adferuntur documenta, nec vlla in vniuerſo vitae ipſius curriculo veſtigia occurrunt.

Samuel

Samuel Crellius, qui *Faustum* virum nobilissimum ac magnanimum praedicat, eum hoc fine solum amplissimos honores et huius vitae commoditates cum Italia sua reliquisse significat, vt alibi libere sentire, et quae vera esse putabat, cum aliis communicare posset.

Ex hoc exsilio libere suscepto posthac ipse multum gloriae, in primis vero caussae suae defensionem aucupari studuit; se enim religionis genuinae confessionem honoribus, opibus ac patriae praetulisse, omniaque huius vitae commoda ad *Mosis* exemplum deseruisse, quauis occasione gloriabatur. Ita ad Mart. Vadouitam in Epp. p. 598. scribit: „*Quamuis non omnes sciant, domi in patria mea quis essem, nec quae commoda et honores, merito et ibi, et alibi sperari a me potuissent, si cum aliis in religione consentire voluissem, nec etiam nouerint, me religionis caussa non solum mea ipsius sponte dulcissimae ac iucundissimae patriae in perpetuum valedixisse, sed etiam bonorum omnium, quae profecto haud exigua ibi habebam, iacturam fecisse, quis est tam bardus aut stupidus, quin videat, quot periculis, propter ipsam tantum religionis caussam, praesertim si sententias de illa meas aliis persuadere velim, sim perpetuo obnoxius.*"

Non eum sine fructu ac emolumento animi, tempus suum triuisse in aula, auctor vitae significat. Putat enim, quod in hac florentissima aeui parte, non vmbraticis doctrinae praeceptis, sed solidis vitae experimentis formatum fuerit sublime iudicium, in qua iuuenilis aestus deferbuit, qui plerumque magna in magnos lapsus praecipitat ingenia. Ipse vero Faustus e contrario optimos vitae suae flores periisse conqueritur, summoque dolore moestam transactorum in aula annorum memoriam repetit, in ep. ad virum excellentissimum l. c. p. 670: „*Florentissimos aetatis meae annos 12 perpetuos ab anno videlicet 23, vsque ad 35 in patriae otio et partim in aula perdidi.*" Et in ep. ad Val. Smalcium data l. c.

p. 513. „*Me incitari noli, qui nescio, quo malo genio ductore, cum iam diuinae veritatis fontes degustassem, ita sum abreptus, vt maiorem et potiorem juuentutis meae partem, inanibus quibusdam aliis studiis, imo inertiae potius atque otio dederim. Quod cum mecum ipse reputo, reputo autem saepissime, tanto dolore adficior, vt me viuere quodammodo pigeat.*" Et in ep. ad Doctorem Theologiae l. c. p. 586. „*Periit mihi in Italia patria quidem mea, sed, quod confiteri quidem necesse est, hodie otii ac vanitatis sede, magna pars aetatis meae, imo flos ipse vniuersus ab anno nimirum 23 vsque ad 35, adeo vt nihil mirum cuiquam videri debeat, si in rerum tantopere abstrusarum cognitione minus, quam mediocriter adhuc profecerim.*"

§. VI.

Circa annum 1574. *Basileam* se contulit, quo loco adornando ex schedis *Laelii* et propriis ingenii speculationibus nouo systemati omne studium per triennium contulit. Hoc transacto a. 1578. a *Georgio Blandrata* in Transyluaniam accersitus, vnde in Poloniam a. 1579 meauit, vbique locorum conceptas opiniones insigni Zelo propugnauit, ac consiliorum suorum caussam in Antitrinitariorum commodum omni opera promouit, quamuis nunquam in eorum communionem ecclesiasticam propter peculiaria quaedam placita fuerit susceptus. Tantum vero abfuit, vt repulsam male tulerit, vindictamque a coetu, quem omnino suum reputauit, sumserit, vt potius emolumenta eius quouis modo amplificauerit.

* * *

Soci-

Socinum a. 1574. ex Italia in Heluetiam concessisse, testium fide dignorum narratione extra omne positum est dubium. Male igitur perhibetur a nonnullis, iam a. 1573 in Transyluania vitam duxisse. Ipse in praefatione libri *de Jesu Christo Seruatore* etc. scripta *cal. Oct.* a. 1595 inquit: „*Annus est iam ferme vigesimus, cum Basileae commorans, quo patria, vt commodius ac tutius sacrarum litterarum studiis possem incumbere, mea sponte relicta, secesseram, coepi cum aliquot veteribus amicis meis serio agere de ratione, qua J. C. Dei Filius nobis salutem aeternam peperisset. Quandoquidem multo ante, id est, cum adhuc adolescens et paene puer essem* LAELIO, *praecipue patruo meo monitore, cognouerim, sic plurimum vulgo erratum fuisse* etc.

Basileam hospitium suum prae aliis oppidis eam ob rationem elegisse videtur, quia quosdam ibidem habuit veteranos, vtpote ipse significat, amicos. Inter hos FRANCISCUM BETTUM, *Romanum*, nominat in ep. ad MATH. RADECIUM *tertia*, huncque summum et vetustissimum suum amicum, virum pium et in religionis controversiis haud mediocriter versatum appellat. BETTUS quoque de meliori *Faustum* commendauit PUCCIO, huncque mouit, vt ex Anglia Basileam venerit, cum illo disputaturus. Commemorantur aliquando in monumentis huius aevi Crypto Sociniani Basileenses, ad quorum numerum ipse *Bettus* referendus erit. Auctor vitae F. S. l. c. p. 17. inquit: „Venientem hospitio excepit *Basilea, benigna receptatrix Christi exsulum, et quae iam pridem periclitantem innocentiam gremio suo fouere didicerat.*" Quae ipsi *Basileae* praecipua fuerint negotia, in praefatione libro de J. C. Seruatore praefixa exponit, instillare nimirum amicis quibusdam conatus est errores a *Laelio* edoctos, colloquia instituit cum amicis, e quorum numero etiam fuit *Hieron. Marlianus*, quibus aliquoties interfuerunt Euangelici. Hoc loco disputationem habuit cum *Jo. Baptista Rota*, Patauino, coetus

Italorum Geneuensis ministro, qui Basileam accessit, cum *Manfredo Balbano* Lucensi, in primis vero cum *Jac. Coueto*, Basileensis Ecclesiae Gallicanae Ministro; de qua disputatione plura in recensione scriptorum polemicorum. *Basilea* aliquando excursiones fecit in Germaniam, siquidem a. 1577. in nundinis vernalibus Francofurtensibus praesens fuit, ac cum *Coveto* ibidem coram disseruit.

Maxime vero *Basileae*, cudendo nouae disciplinae systemati, recolendisque LAELII scriptis et notis, quas libris editis passim ad marginem posuerat, omnem operam impendit. Ex obseruationibus illis *Laelianis*, quas in manus suas non absque mirabili Dei prouidentia et consilio peruenisse sibi persuasit, tantus, philautia occupatus, euasit Theologus, vt non modo scholasticam Theologiam adgredi, sed etiam cum viris illius aeui doctissimis, certamina inire, imo vniuersam fere disciplinam christianam euertere se satis instructum iudicaverit. Edoctum enim sese arbitrabatur ab eo, quo nemo vnquam exactius de omnibus verae religionis dogmatibus senserat, proinde nullum alium magistrum agnoscere voluit, abs quo doceri posset; sed versari potius omnes in erroribus credidit, quos detegere ac confutare sui officii esse, sibi imaginabatur. In respons. vlt. ad *Volanum* p. 253. inquit. „*Multa profecto sunt, in quibus adhuc christianus orbis caecutit, et plura fortasse, quam quis vel cogitare possit: quod enim ego animaduerterem, statui non semel, Dei ope atque auxilio fretus, aliquot ex iis erroribus scripto detegere ac confutare, qui in omnibus fere Ecclesiis, quas Christo initiatas cernimus, maxime vigent, atque eos praesertim, quos vix a quoquam animaduersus penitus latere videbam.*" Sequebatur in hoc opere, quod sibi a Deo demendatum credidit, tum rationis ductum, tum S. litterarum explicationes a LAELIO edoctas, cuius scripta vnice, parum abest, quin dixerim superstitiose trutinauit, et ad horum manuductionem, spretis insigni-

um

um Theologorum operibus ſemet totum librosque ſuos formauit. Solius patruelis collectanea, lemmata marginalia et ſchemata tanquam oracula venerabatur, et quae in his adhuc deſiderari putabat, ſupplevit ac perfecit, ſicque in doctrinae orthodoxae oppugnationem omne tempus ſuum impendit. Ipſe ſaepius enunciavit, patruum ſibi in quam plurimis facem praetuliſſe; quam ſinceram confeſſionem Eques Polonus ipſi eximiae laudi et ſingulari modeſtiae ducit. In ep. ad MARC. SQVARCIA-LUPUM in Epp. F. S. p. 17. ita ipſe de ſe judicat: *In vniuerſa ipſa diuinarum rerum ſcientia, quaecunque tandem illa in me ſit, praeter vnum* LAELIUM *patruum meum, vel potius praeter quaedam paucula, ab ipſo conſcripta, et multa annotata, nullum prorſus magiſtrum me habere contigit.*"

Quas ipſe concepit ac probavit opiniones, aliis propinandas adlaboravit. Inter prima fidei dogmata, illud de *ſatisfactione per Chriſtum praeſtita*, multo ſtrepitu impugnauit, idque in totum negare ſibi propoſuit. Id circo a. 1577. *Baſileae*, ſcripto de Chriſto Servatore, congredi cum JAC. COUETO, non dubitauit. Peſte quidem et aduerſa corporis valetudine ab hoc opere conficiendo auocatus eſt, cum a. 1578. *Tigurum* concedere, graſſante per diſtrictum Baſileenſem peſtilentia cogeretur; interim poſthac *Tiguro Baſileam* reuerſus nocentiſſimo huic operi vltimas admouit manus, quod edi curauit ipſius diſcipulus ELIAS ARCISSEUIUS a. 1594. quique primus iudicatur liber, qui praefixo *Socini* nomine in lucem prodierit. In hoc veterem PETR. ABAILLARDI ſententiam, in orbem revocavit, qui redemtionem morte Chriſti factam definiebat per gratiam iſtam, qua Chriſtus nos verbo et exemplo vsque ad mortem docuerit charitatem nobis imitandam, non autem praeſtitam per ipſius mortem peccatorum noſtrorum expiationem. Aſſertum hoc paulo ante F. S. *Bernh. Ochinus* defendit aliisque commendauit.

Sub

Sub idem tempus a. 1578. cum FRANCISCO PUCCIO *Florentino*, *de ſtatu primi hominis*, *Baſileae* ingreſſus certamen et ſententiam ſuam nouam, anno proxime ſequente, defenſione *Tiguri* ſcripta propugnauit. Eodem quoque anno edidit poſthumos SEB. CASTELLIONIS *dialogos de praedeſtinatione*, *electione*, *libero arbitrio*, *et fide*. F. enim SOCINUM eſſe *Felicem* illum *Turpionem Vrbeuetanum* praefationis auctorem, plurimis indubitatum eſt. In eadem promittit aliquando ſuum ſpicilegium, poſt meſſem *Caſtalionis* immatura morte praeuenti.

Diſputatione cum *Puccio* Tiguri 1578. exarata *Baſileam* quidem reuerſus; ſed paulo poſt per GEORG. BLANDRATAM, in *Tranſylvaniam*, hyperaſpiſtes pugnae cum FRANCISCO DAVIDIS euocatus eſt, quod RADECIO enarrat in epp. p. 104. Ex dedicatione vero diſputationis *de J. C. inuocatione* etc. docemur, cum ipſius Principis litteris ad diſputandum cum *Franc. Dauidis* fuiſſe euocatum, quas ſine dubio *Blandrata* ad eum transmiſit. Quod iter per Poloniam in Tranſyluaniam fecerit, ſuamque in iſto tranſitu *de Baptismo* ſententiam Cracouienſibus expoſuerit, ex eius epp. p. 509. diſcimus.

Claudiopoli a medio menſis a. 1578. Nou. ad *Maium* a. 1579. hoſpitio FRANC. DAVIDIS vſus eſt, quo vterque diſputantium ſub vno tecto degerent, et eodem conuictorio vterentur. Narrante ALEXIO HORANIIO in *memoria Hungarorum*, P. I. p. 477. ab adulto *Novembr.* 1577. vsque Aprilis 1579. hoſpitio *Franc. Dauidis* vſus eſt; ſed eum a. 1578. in Tranſylvaniam demum veniſſe indubitatum eſt, cum eodem anno, d. 12. Julii adhuc *Baſileae* haeſerit occupatus circa reſponſionem ad *Coueti* ſcriptum. PRZYPCOVIUS quoque l. c. p. 19. expreſſe teſtatur, SOCINUM paulo plus, quam per trientem anni in Tranſyluania eſſe commoratum, et p. 20. ſignificat poſt diſputationem cum FRANC. DAV. menſe *Maio* a. 1579. abſolutam et Eccleſiis Tranſyluanicis exhibitam, inde migraſſe. Idem adfirmat ſubcriptio diſputationis aduerſus FRANC.

DAV.

DAV. ita concepta: „*Abſoluta eſt haec de J. C. inuocatione diſputatio, anno ipſius Chriſti nati 1579. menſe Maio Claudiopoli in Tranſyluania.*

Ingentes paulo ante diſceptationes excierat FRANC. DAVIDIS, qui de honore, inuocatione et poteſtate Chriſti blasphemam tuebatur opinionem; cui malo BLANDRATA, ipſe haereſi infectus, nec melior aduerſario, per F. SOCINUM, cuius eo tempore inter Antrinitarios fama et auctoritas non vulgaris erat, quaerebat remedium. Ipſo *Fauſto* teſte in ep. dedicatoria *diſput. de J. C. inuoc. cum* FRANC. DAV. paulo ante *Nouembris* medium in Tranſyluaniam venit, apud *Franciſcum* habitauit, eiusque menſa vſus eſt, menſes circiter quatuor cum dimidiato, non gratis, ſed cariſſimo pretio, itineris et hoſpitii in Tranſyluania ſumtus ferente BLANDRATA, qui hac conditione *eum Baſilea* euocauerat. Vllum ſibi a *Franc. Dau.* praeſtitum eſſe beneficium, omnino negat, additque: „*Omnem denique ſic beneficii a Franciſco mihi dati opinionem vel id tollere poteſt, quod is nec ſua ſponte, nec me rogante, hospitio ac menſa me exceperit, ſed D.* BLANDRATA, *qui me accerſiuerat, et cui ipſe multis nominibus plurimum debebat, ita mandante ac iubente.*"

Intra hos menſes varias F. SOCINUS cum FRANC. DAV. de J. C. inuocatione inſtituit diſputationes, quarum praecipua a. 1594. tandem typis exſcripta prodiit. Sed iſtae *Socino* non ex ſpe votisque ſucceſſerunt, adverſario ſententiam ſuam pertinaciter defendente, et clam ac pro ſuggeſtu diuulgante. Ob quam animi obfirmationem gratia Principis excidit, et in carcerem coniectus eſt, in quo ex improuiſo ſpiritum efflauit. V. F. SOCINUS contra *Wujekum*, p. 44. ſeqq. Hac morte criminationem ſibi ac inuidiam contraxit apud quamplurimos, qui a partibus FRANC. DAVIDIS ſtabant, quique *Fauſtum* et *Blandratam* auctores huius perſequutionis ac mortis Principi exſtitiſſe iudicabant, idque non ſine omni veritatis nota; de qua materia alio loco plura. Quis ſibi perſuaderi patere-

pateretur, SOCINUM suum sententiae aduersus *Franciscum Dauidis* latae non adiecisse calculum, cum eandem non dissuaserit Principi, sed potius, quae *Blandrata* huic suggessit, in actum deduci concesserit, absque vlla praeuia interpellatione, vel animi commotione. Nobilis tamen praeco F. SOCINI eundem pro more suo defendit, inquiens: „*Quod si quis forte a Socini caussa non alienus, auctor fuit Principi acerbioris in Franciscum consilii, eius certe culpam praestare non debuit Socinus, cuius neque consilium scire, neque factum vllo modo probare potuit. Nam vt alia plurima taceam, nihil magis aduersum* SOCINI *sententiae accidere poterat, quam illud dogma quod* FRANCISCI *viuentis voce atque ingenio defendi non poterat, eiusdem morientis muto, sed efficaci testimonio sancitum videri, praesertim cum obitus eius martyrio similis statim omnium in se oculos conuerterit.*" Quae in hac caussa ipsi imputabantur, a se declinare studuit, in ep. quae disputationi allegatae praemissa est, verbi Dei ministris in Transyluania scripta, *Cracouiae* d. 14. *Jul.* a. 1595; sed alia plane ratione iudicant, sibi in memoriam reuocantes, in toto hoc negotio nihil fecisse Principem absque *Blandratae* consilio, nec hunc quicquam decreuisse, vel Principi susurrasse absque F. *Socini* praeuio oraculo, quippe quem in Transyluaniam acciuerat.

Antitrinitarii proinde, *Caluinum* crudelitatis in *Serueto* occidendo accusantes, F. *Socinum* ab eadem criminatione validis argumentis vix liberabunt. FAUSTUS maleuolorum in Transyluania impatiens, et criminationis de FRANC. DAVIDIS caede pertaesus in *Poloniam* a. 1579. mense Maio concessit, ibidemque coetibus adhaesit, qui *Christum aeterni Dei Filium, minime vero aeternum Dei Filium* profitebantur et inuocabant. Ipse caussam profectionis huius grassantem in Transyluania morbum pestiferum allegat. Eum paulo post sequutus est BLANDRATA, qui a STEPHANO corporis sui medicus custos constitutus,

tutus, circa Regem Poloniae proxime verſari debuit. Quod is poſthac SOCINI partes ſatis frigide tuitus ſit, ac huic de animi indifferentia et ſui vilipendio conquerendi materiam ſuppeditauerit, alio loco notabitur. V. Reſponſio F. S. aduerſus *Wujekum* C. XI. p. 43.

In Polonia *Fauſtus* quatuor circiter annos *Cracouiae* manſionem ſuam habuit, ac in communionem coetus, qui Patrem ſolum Deum ſummum confitebatur, recipi precabatur, cum quo tamen non in omnibus conſenſit. Nulli enim, (quod in ep. ad *Math. Radecium* in Epp. p. 73. ſcribit) ſectae penitus fuit addictus, ſed omnes, in quibus vox praeceptorum Jeſu reſonabat atque exaudiebatur, licet in aliis dogmatibus, quae ad ipſa praecepta non pertinent, longe diuerſa ſentiant, pro veris Chriſti Eccleſiis agnouit, et qui eadem praecepta ſeruant, vera Chriſti membra reputauit. Repulſam igitur tulit in *ſynodo Racouienſi* a. 1580. menſe *Maio* habita, tum propter nonnullorum inimicitiam, quam ipſi diſputatio cum *Franc. Dauidis* vel potius huius aduerſarii ſui incarceratio, et in carcere obitus contraxerat, tum etiam propter diſſenſum in doctrinae momentis. Hunc enim non diſſimulauit quoad capita de ſatisfactione Chriſti, de iuſtificatione, de praedeſtinatione ac ſeruo arbitrio, et de baptiſmo aquae haud quaquam neceſſario; quare in gremium coetus fratrum Polonorum nunquam collectus eſt, nec ad ſacram ſynaxin admiſſus. Hanc cum ad menſam ſedentes celebrarent Vnitarii in Polonia, SOCINO, in hac ſollemnitate adſtandi conuiuis ſacris venia tantum conceſſa eſt, teſte PAULO CRELLIO in ep. aliquando ad me data.

Apologiam in hac cauſſam ſibi FAUSTUS olim in ep. ad nobilem feminam SOPHIAM SIEMICHOVIAM ſcripſit, in Epp. p. 371. ſeqq. his verbis: „*Quod mihi obiicis, me communionem cum fratribus et Chriſti fidelibus ſpernere, nec curare, vt vna cum ipſis coenam Domini celebrem, quam*

tamen

tamen celebrare ab ipſo Domino omnes iubemur; reſpondeo: me, poſtquam in Poloniam veni, nihil antiquius habuiſſe, quam vt me quam maxime cum fratribus coniungerem: licet inueniſſem, illos in non paucis religionis noſtrae capitibus a me diuerſum ſentire, quemadmodum hodieque multi ſentiunt, et Deus nouit, quae et quanta diu propter hanc cauſſam ſim paſſus et adhuc patiar; nullos vnquam interea labores etiam cum maximo meo periculo et damno coniunctos, refugiens, quos vel fratres ipſi mihi impoſuerunt, vel ego pro coetu noſtro mihi ſubeundos cenſuerim, id eſt, ei vtiles fore ſperauerim. Quod ſi nihilominus aquae baptismum vna cum illis non accipio, hoc propterea fit, quia id bona conſcientia facere nequeo: niſi publice antea proteſter, me, non quod cenſeam baptismum aquae mihi meique ſimilibus vllo modo neceſſarium eſſe; ſed vt cum fratribus arctius coniungar, id facturum eſſe. Id quod fratres nullo pacto mihi concedere volunt. Quomodo enim id aliter poſſim bona conſcientia facere? cum non modo ſentiam fratres grauiter, licet per imprudentiam, errare: qui neminem ad menſam Domini admittere velint, niſi prius aqua in ipſorum coetu baptiſatus fuerit: ſed etiam hac de re, ipſis rogantibus plenam diſputationem ſcripſerim, et ſententiam meam plurimis aliis fratribus noſtris, in diuerſis multis regionibus habitantibus, iam diu patefecerim. Quod ſi interim coenam Domini, vt ii, qui baptizati ſunt, non celebro; hic mea nulla culpa eſt, ſed potius illorum, qui id mihi concedere nolunt, niſi id faciam, quod cum mea conſcientia maxime pugnat: nec interim me hac in re errare, vel oſtendunt, vel oſtendere ſerio curant. Et ſane ſi id fieret, mecumque hac de re pro eius grauitate ac pondere ageretur, nihil vereor, quin veritas facile appareret. Ego quidem quamuis vehementiſſime cupiam, vt coetus noſter vnicuique liberum faciat baptismum aquae, ——— tamen, ne eccleſiam turbare videar, non niſi prouocatus de hac quaeſtione verba facio, meumque de ea libellum hactenus nemini legendum dedi, qui me ad id precibus ſuis non adege-

adegerit; et ii perpauci ſane fuere. Quare mirum videri non debet, ſi perpauci etiam mecum hactenus ſentiunt; nec inde concludendum, aut ſuſpicandum, ſententiam meam ex Deo non eſſe — — —. Dixi, et nunc repeto, cum inter omnes fere, qui Chriſtum profitentur, hactenus ea ſententia obtineat, aquae baptismum a Chriſto eiusque Apoſtolis omnibus Chriſti diſcipulis accipiendum, praeceptum fuiſſe, nec poſſe quemquam, qui Chriſtianus eſſe velit, eum ſpernere, me ad ſcandalum et offenſionem vitandam aquae baptismum ſuſcepturum fuiſſe, niſi vulgo ab iſtis pro baptizato haberer, nempe propter baptismum illum, quem infans in papatu accepi, qui quamvis non ſit verus nec legitimus aquae baptismus; tamen ab ipſis eſſe creditur, quod mihi ſatis eſſe dixi, ad ſcandalum iſtud et offenſionem vitandam. Hoc quidem non eſt infantium baptismum confirmare, ſed potius quantum in me eſt, euertere; quatenus ſcilicet ſic dicendo fateor, illum nec verum, nec legitimum baptismum eſſe. Verum tamen, cum mihi aquae baptismus non videatur neceſſarius iis, qui ex Chriſtianis, id eſt, Chriſtum profitentibus naſcuntur, et in ea profeſſione parentes imitantur, atque ita nihil reuera referre arbitrer, niſi propter ſcandalum, vtrum iſti, nec ne, et an potius adulti quam infantes baptizentur, propterea non diffiteor, me circa infantium baptismum non difficilem futurum, ſi contigeret Eccleſiae aedificationem ſic poſtulare, illumque citra omne ſcandalum dari poſſe."

De eodem argumento l. c. p. 369. ſcribit: „Quod „multa de eccleſia veſtra ad eius laudem narras, ea fateor „eſſe veriſſima, idque vt apparet factis comprobo; quan„do vobis, quoad per vos licet, me adiungo et vos pro „veris fratribus agnoſco, qualem tamen vos me nondum „agnoſcitis, ad illud ſi id fieri a vobis velim, me adigen„tes, quod bona conſcientia nullo modo facere poſſum. „Quamquam multa adhuc in vobis deſidero, quae vix „ſperare audeo, niſi prius in quaeſtione hac de baptismo

 „exa-

„examinanda, multo diligentiores, quam adhuc fueritis, „vos esse animaduertero. Nam profecto — — nimis „negligenter hactenus hac in re vos gessistis. Jam enim „tertius annus agitur, ex quo vobis librum meum, vestro „rogatu scriptum exhibui, necdum tamen aliquid hac de „re reuera actum est. — — — Video adhuc illud apud „vos retineri, vt errores aliarum ecclesiarum praecipui „censeantur, Trinitas et Paedobaptismus, adeo vt si quis „istos duos abiiciat, et in infantia baptizatos, baptizan„dos, postquam adoleuerint, omnino esse dicat, eum „(quod ad doctrinam attinet) pro fratre habeatis, nec „quid in plerisque aliis sentiat, admodum solliciti sitis: „cum tamen, quantum ad Paedobaptismum pertinet, is „error, etiam si baptismus praeceptus fuisset, idque in „perpetuum, nulla ratione cum aliis multis erroribus, „qui in aliis ecclesiis vigent, esset conferendus. — — — „Nihil charitatem magis laedit, quam ista vestra (vt „vulgo eam nominant) rebaptizatio. — — — Si, vt ego „contendo, baptismus est res indifferens, error vester „eiusmodi est, qualis in Christi ecclesia minime esse de„bet. Videte igitur ne per negligentiam vestram, aut „aliam minus iustam caussam in errore permaneatis, cu„ius nullam, nec veniam neque excusationem postmodum „inuenturi sitis.“

Simoni Ronembergio Cracouiensis coetus Seniori ipsum multis argumentis admouenti, vt tandem aliquando Baptismum susciperet, (V. Epp. F. S. p. 359. seq.) prolixe respondit, l. c. p. 363. seq. Quaerente Moscorovio, *cur ipse aquae baptismum seu rebaptizationem non accipiat, cum tamen istum actum indifferentem reputet;* Socinus ad hanc obiectionem ita se defendit in epp. p. 509. „*A primo ipso initio, cum in Poloniam, vt in Transyluaniam me conferrem, veni, rogatus a fratribus Cracouiensibus, sententiam illis meam de Baptismo aperui, idemque in Transyluania facere quodammodo coactus fui. Ex*

Tran-

Transſyluania vero non ita multo poſt in Poloniam commorandi gratia reuerſus, eorundem Cracouienſium, nec non Lublinenſium fratrum rogatu, vel potius iuſſu, librum conſcripſi, eisque legendum dedi, meamque de baptismo ſententiam ab eo tempore et publice inter fratres profeſſus ſum et in nonnullis aliis Europae regionibus, aperte cum piis hominibus per litteras et ſcripta communicaui; quippe qui charitate ita iubente vehementer cupio, vt ſi fieri poſſit, omnes eiusdem mecum ſententiae ſint. Primum enim ſcio, innumerabiles fere homines inueniri, qui vel nullo vnquam aquae baptismo tincti fuerunt, vel baptismum, quem infantes cum eſſent, acceperunt, pro vero aquae baptismo non habent, et interim baptismum rite ſuſcipere, non niſi cum maximo periculo, poſſunt; quibus ſi perſuaſum fuerit, baptismum rite ſuſceptum vnicuique, qui Chriſtianus eſſe velit, omnino neceſſarium eſſe, vel ſine cauſſa in grauiſſimum aliquod periculum ſe coniicient, vel rem ex ipſorum ſenſu, neceſſariam ad ſalutem, metu adacti ſpernent, quod ſine certa ſalutis ipſius iactura vix fieri ab illis poteſt. Debeo igitur, quo iſtos, quantum in me eſt, tanto diſcrimine liberem, curare, vt hanc, quam ſtatuo veram de aquae baptismo ſententiam agnoſcant, vel ſi iam agnouerunt, in ea perſiſtant. Deinde ſcio, aut certe meritiſſime ſuſpicor, non exiguum numerum haud impiorum hominum eſſe, qui ſeſe coetibus noſtris apertiſſime adiungerent, aut certe non ita, vt faciunt, a nobis abhorrerent, atque hac ratione facile ad diuinae veritatis cognitionem peruenirent, niſi aqua baptismus a noſtris hominibus vſurpatus illos deterreret. Ex quo fit, vt non pauci, qui ſatis alioqui animaduertunt, apud alios diuinam veritatem non eſſe, tanquam oues errantes vagentur, et ſic vel Athei tandem fiant; vel aliter nihilominus pereant. Quam ab rem vel curare, vel optare ſaltem debeo, vt eccleſiae noſtrae, hoc, quod ego, minime neceſſarium baptismi iugum et arbitror et diu iam palam appello, fratribus, et ad ipſos accedentibus, imponere aliquando deſueſcant. Haec autem et alia ſimilia,

 quae

quae ita mihi de baptismo sentienti et docenti, vel optanda vel etiam curanda sunt, omnino quantum in me est, impedirem ac prohiberem, si ego ipse aquae baptismum susciperem, praesertim nulla protestatione coram omnibus antea adhibita, me id non facere, quia rem per se necessariam, siue a Christo iussam esse, tandem agnouerim: sed vt me cum fratribus arctius coniungam, velleque mihi posthac liberum esse hac de re et priuatim et publice disputare, meamque sententiam aliis persuadere, quam protestationem fratres a me fieri nullo pacto concederent. Hae rationes in te et aliis, qui nec sententiam de baptismo meam nunquam alios docere instituerunt, nec eandem, quam ego, aut similem vocationem, habent, nec denique de ipsa sententia aeque atque ego sunt persuasi, plane cessant, et interim illae vigent, quas supra commemoraui, quae vos alioqui ad aquae baptismum, licet per se non necessarium accipiendum hortantur et cogunt."

De Baptismo et S. Coena abiecte et contemtim sentientem, isto tempore *Niemoieuius* et *Czechouicius* publice confutarunt. Quibusdam tamen suam de baptismo sententiam successu temporis persuasit, ita, vt quoque in *Synodo Racouiana* a. 1603. decretum aliquod ad ipsius votum fuerit statutum, de quo in *Hist. Socin. Polon.* Fuere etiam iam ante *Socinum* ELEUTHEROBAPTISTAE, qui cuique liberum fecerunt, an baptizari velit, an vitam absque baptismo transigere; aduersus quos AMBROSIUS PELARGUS in opusculis a. 1534. 8. editis p. 105. seqq. scripsit.

Praeter hoc de baptismo iudicium alia adhuc fuerunt momenta, in quibus Fratres Poloni SOCINO acerrime contradixerunt. Multi cum MARC. SQUARCIALUPO in ipso improbarunt, quod nimis sibi blandiretur in εὑρήμασι suis: et quicquid in animum ipsi forte per febrim venerit, gloriolae aucupandae studio publicarit atque feruide propugnauerit. V. Epp. p. 6. 10. et 44. Haud pauci

pauci cum ERASMO JOANNIS propugnarunt Filii Dei praeexiſtentiam ante natiuitatem ex virgine aduerſus *Socinum.* Nonnulli, et inter hos GE. ENGEDINUS et JO. NIEMOIEVIUS cum GE. BLANDRATA SOCINI reiecerunt ſententiam: nullum inuocandi Chriſtum exſtare praeceptum; poſſe tamen illum citra mandatum diuinium inuocari; quanquam ſi quis omnino tanta fide praeditus ſit, vt ad Deum ipſum perpetuo recta accedere audeat, nec conſolatione, quae ex Chriſti fratris ſui per omnia tentati inuocatione proficiſcitur, indigeat, opus ei non ſit, vt Chriſtum inuocet. NIEMOIEVIUS in primis vrgebat: Inuocationem nominis Jeſu Chriſti aeque eſſe neceſſariam, ac veram nominis Chriſti profeſſionem; ſtante vero SOCINI ſententia, parum abeſſe, quin otioſum et exauctoratum Chriſtum habituri ſimus. V. Epp. p. 243. Alii cum ANDR. VOIDOVIO SOCINI commentum deteſtati ſunt, de imperio Chriſti, quod illud ſeſe porrigat tantum ad Eccleſiam, minime vero ad alia innumera, quae in terrarum orbe fiunt. V. Epp. p. 578. Alii et inter eos JO. NIEMOIEVIUS execrati ſunt eius dogma, de ſacrificio Chriſti, non in morte peracto ſed in coelis; quo mors Chriſti extenuatur, effectusque eius praecipuus expungitur. V. Epp. p. 196. Quidam SOCINI opinionem de Spiritu S. quod ſit potentia in Deo naturaliter reſidens, exploſerunt, quamuis, niſi deteriorem illa, tamen non veriorem inuexerint. Nonnulli SOCINI deprauationem ſententiae Apoſtolicae *Rom.* VII. caſtigarunt; de qua materia praecipue a. 1589. in *Synodo Lublinenſi* acerrime diſputatum eſt, et NIC. ZITNIUS et diſputando et concionando ſe illi ſtrenuo oppoſuit. Alii aduerſus eum corporis Chriſti glorificationem poſt reſurrectionem aſſeruerunt, alii cum VOLKELIO aeternos impiorum cruciatus SOCINO contradicente defenderunt. Non pauci impiam ſatisfactionis Chriſti abnegationem in eodem deteſtati ſunt. In hac ſententiarum diſcrepantia, *Przypcouio* laude omni dignus videtur ciuitatis huius ſtatus, quod tantum opinioni-

ous, non vero odiis inter ſe pugnauerint homines. Acriter quidem diſceptatum eſſe de placitis, tolerantia interim integra atque illaeſa.

Opinionibus tamen ſuis a recepta iſto tempore Vnitariorum diſciplina diuergentibus *Socinus* effecit, vt nonnulli male de eo iudicarent; quae iudicia parum aeſtimans, nihilominus totius coetus incrementa promouere ſtuduit, ſuisque curis ac perpetuis pro hac ciuitate ſuſceptis laboribus, plurimos, ſibi alio reſpectu aduerſantes, reconciliauit, reliquos tandem ad partes ſuas tranſituros ſperauit, quae eum ſpes etiam non fefellit. Aliquando ad *Val. Smalcium* d. 14. Febr. a. 1595. in epp. p. 515. ita ſcripſit: „*Quid de me loquantur et ſentiant quidam, qui inter fratres haud infimum locum obtinent, iam nihil curare conſtitui. Hoc tantum curabo, ne ego propterea de ſtudio meo in vniuerſum coetum quidquam vnquam remittam.*“ Hinc iterum *Przypcouius* celebrandi eum materiam arripit, ita inquiens: „FAUSTUS *eccleſiis Polonicis, quae ſolum Patrem Domini Jeſu ſummum Deum agnoſcunt, publice adiungi ambiuit: ſed cum diſſenſionem in quibusdam non premeret, ſatis acerbe atque diu repulſam paſſus eſt. Qua tamen ignominia minime incenſus, vir, non tam indole, quam animi inſtituto, ac patientia compoſitus, nulla vnquam alienati animi veſtigia dedit. Quin potius impreſſionem variorum hoſtium, a quibus tunc illae eccleſiae vexabantur, ſuo ſibi ingenio ſumſit propulſandam.*“

Non absque conſilio rerumque ſuarum emolumento ignominiam repulſae variarumque criminationum molem tulit; vel enim hoc ipſo gloriam, perferendo et obdurando captare ſtuduit, vel mutatam in coetu hoc rerum omnium faciem, ſummamque ſui exiſtimationem breui tempore futuram praeuidit, et nullam denique inter chriſtianos ſocietatem ipſi aditum eſſe conceſſuram, facile augurari potuit. In id omnia eum conuertiſſe conſilia, vt gloriam conſtituendae peculiaris familiae ſacrae; quae aliis

aliis plurimum praeſtet, ſibi vindicaret, ex epiſtolis ipſius haud obſcure colligitur, quam etiam nominis famam exantlatis innumeris moleſtiis tandem conſequutus eſt.

§. VII.

Quamuis Fauſtus ſollemni ritu, apud Vnitarios conſueto, in ſinum publici coetus ſuſceptus non fuerit, maximam tamen inter eos ſuo pro amplificanda vniuerſa ciuitate ſtudio conſequutus eſt celebritatem habuitque quam plures praecipuosque viros ab eius partibus ſtantes. Sed nec defuerunt omnino calamitates. Cracouiae enim in vitae periculum venit, ac inde a. 1583. Pawlicouium ſe contulit, circa finem anni 1585. iterum Cracouiam, poſt aliquot menſes Pawlicouium repetiit, anno antem 1587. tertia vice Cracouiam hoſpitium ſuum tranſtulit, ibidemque varia, eaque triſtiſſima expertus eſt fata, inprimis cum a. 1598. in factione Studioſorum Academiae Cracouienſis, impetu inter moratos homines inaudito peſſime habitus fuerit, vt vix *Luclauicias* elabi potuerit viuus. Tandem poſtquam haereſin tot libris et epiſtolis, tot publicis ac priuatis diſputationibus, ſuſceptis cum vitae periculo itineribus, propugnaſſet, anno aetatis quinto ſupra ſexageſimum a. 1604. d. 3. Martii in agro Luclauiciano ſupremum diem obiit.

*   *   *

Magna quidem dudum apud Vnitarios Polonos in aeſtimatione fuit *Socini* nomen; maiorem tamen *Fauſtus* poſt ſuum e Tranſyluania in Poloniam reditum in coetu

hoc scriptis ac disputationibus sibi comparauit celebritatem. Inclaruit inter alia opere aduersus *Theses Collegii Posnaniensis* concinnato, nec non disputatione de sententia c. VII. ad Romanos a. 1583. sub nomine *Prosperi Dysidaei* edita, et altera disputatione de inuocatione J. C. contra CHRISTIANUM FRANCKEN, habita in aula CHRISTOPHORI PAWLICOVII (*Morstinius* villae Pawlicouianae dominus) aliisque libris et pugnis litterariis, quibus ingentem nobilium Polonorum multitudinem ad partes suas traxit, et inter hos viros facundiae et eruditionis laude celebratissimos. In horum ordine quoque fuit, praeter *Lubienicios* aliosque *Petrus* STOINIUS vel STATORIUS *Gallus*, qui acti iudicio et singulari eloquentia praeditus, coetum Luclauicianum docuit, eumque ad principia SOCINI imbuit. Priuatim quoque alios non paucos, eosque praecipuos viros disciplina sua instruxit, vt suffragantium sibi non exigua in dies facta sit accessio. Praecipue complures e iuniorum pastorum helueticae confessioni addictorum classe ad partes suas pertraxit, quippe qui propensiores in noua dogmata, nec adeo in edoctis adhuc placitis confirmati fuerunt. Restiterunt equidem ipsi acriter NIEMOIEVIUS et CZECHOVICIUS, viri maximae auctoritatis, nec non plerique e ministris natu maioribus; interim tamen temporis successu ita occupauit dissentientium animos, vt omnes fere ad eius sententiam concederent. In tanta tamen adplaudentium copia, non defuerunt inimici, quacumque ratione eum insectantes, et male erga ipsum animati. Multum contulerunt ad tot odia feruor disputandi nimius, superba de semet ipso persuasio, quaerendi, dubitandi et speculandi de omnibus rebus pruritus, nec non noua dogmata parturiendi et ex his gloriam captandi studium, quibus omnibus haud raro non mediocres sibi conciliauit molestias ac persequutiones.

Ipse rex Poloniae STEPHANUS *Bathoreus* aduersus eundem ira commotus erat, apud quem seditiosae contra Magi-

Magiſtratum ciuilem ſententiae accuſabatur, quamuis ab hac immunis iudicari potuiſſet. Auctor vitae ipſius hanc ob cauſſam inquit: „STEPHANI *Regis aures accuſator imbuit, ſeditioſi contra magiſtratum ſcripti criminatione. Indignum eſſe, ſi auctori vago atque exſuli Italo impune abeat haec audacia.*" Notatur his verbis libellus contra PALAEOLOGUM, cuius ſola lectio auctorem a tanto crimine quantum ipſi imputabatur, facile liberari potuit! In eodem adeo improbauit ſubditorum tumultus et bella aduerſus Principes, vt quoque Statuum Belgicorum aduerſus *Philippum* II. conſilia et bella ad tuendam conſcientiae libertatem, nefariae rebellionis accuſauerit, et ſub nullo vnquam praetextu licere ſubditis arma capere recte cenſuerit. Sic p. 261. iudicat: *Ex quo intelligi poteſt, quam praepoſtere ii ſe gerant, qui arma aduerſus eos, qui dominantur, capiunt, vt, (quemadmodum aiunt ipſi) Dei cultum et religionem tueantur.* Quid a Rege ipſi timendum fuerit, ex verbis PRZYPCOVII l. c. colligitur, cum dicit: „*Illinc (Pawlicouiae) quam ex vinculis crimina purgare, conſultius viſum.*" Licet vero *Socino* in mentem non venerit id, cuius cauſſa ex hoc libro accuſabatur, omnino tamen negandum non eſt, quasdam ab ipſo hoc in paſſu defendi theſes, quae *Magiſtratui* indifferentes videri nequeunt. Ita in ep. ad ELIAM ARCISSEVIUM ſentit: „*Magiſtratum gerere licet; ſontes capite plectere, aut membris mutilare, vix arbitror vllo modo per Chriſtianam charitatem licere. — — De bello ſtatuo, non concedi Chriſtiano, quemquam, etiam per occaſionem propulſandi belli, interficere, magiſtratu licet ſupremo, id, vt fiat iubente.*"

Inter hoſtes ſuos peculiari epiſtola meminit militis cuiusdam, cui nomen erat *Wierneckus* quantisque ab hoc contumeliis adfectus fuerit, ipſe narrat. Sed de his paulo poſt. Ex aduerſis quae expertus aliquando erat fatis, ſe non ſatis tuto *Cracouiae* commorari iudicauit, diſcedens hinc ex primaria regni vrbe, vbi quartum iam age-

bat annum, *Pawlicouiam* a. 1583. conceſſit, quod ex ep. ad MATH, RADECIUM conſtat, in qua *Pawlicouiae* 1585. d. 17. *Martii* ſcripta indicat, quod ibidem iam duos annos habitet. Commendauerat hunc locum SOCINO *Dudithius*, quod ex illius ad hunc quarta, Martii a. 1583. data in epp. *F.* ad *Duditihium* p. 81. diſcimus; ita enim inquit: „*Ego me iam ad alterum duorum iſtorum locorum, quae tu putaueras, et eum quidem, quem tu minus tutum iudicaueras, contuli, quod ob multas me cauſſas, quam poſſem, minime hinc longinquum abire oporteret: quamuis niſi valde fallor, periculum neque fuerit, neque ſit, in quocunque tandem loco, admodum graue, multoque leuius fuiſſet atque etiamnum eſſet, ſi meo conſilio atque modo res adminiſtrata fuiſſet.* „*Pawlicouianus* ager paucis paſſuum millibus, ſecundo nimirum *Cracouia* lapide diſtabat, eiusque dominus fuit vir nobilis Polonus CHRISTOPH. MORSTINIUS, qui ideo in epiſtolis SOCINI Dominus PAWLICOVIUS frequenter appellatur. Sub huius tutela ſe rationibus defendere, criminationesque omnes diluere ſtatuit. Nec incommodum erat hoſpitium, vbi non tam latebris ab obſcuritate iſtius ſeceſſus, quam nobilitatis in gente Polonica priuilegiis, ſeſe tutatus eſt. Grata proinde mentis recordatione humanitatem et amicitiam ſibi in tranquilla hac ſede exhibitam ſaepius praedicauit.

Hoc loco cum priuatus degeret, MART. BERZEVICIUS, STEPHANI Polonorum Regis per Tranſyluaniam Cancellarius, honeſtam illi conditionem a. 1583. vltro per RESMINUM nobilem quendam, SOCINO pluribus modis coniunctiſſimum, obtulit, quam vero accipere, ſeque in Tranſyluaniam conferre, STEPHANI Regis iram atque vindictam veritus, recuſauit. Conſtituit enim apud ſe Principis antea inire gratiam et criminationem a ſe auertere, quod in ep. ad BERZEVICIUM d. 12. Martii 1583. ſcripta in epp. p. 683. pluribus ſignificat. In publicum proinde hominum conſpectum antea ſe dare abſtinuit, quam certo ſciret, *Regem* aduerſam de ipſo opinionem

con-

consiliumque vltionis deposuisse, quod indubitatus sperauit, cum per summam iniuriam sibi imputari deprehenderet, quod libro isto aduersus PALAEOLOGUM subditos contra Magistratum concitauerit; cum potius, quae mala sibi contrahat populus, qui arma aduersus legitimum magistratum capit, exposuerit; tantum vero Regis odium sua sententia de bellis omnino illicitis, non promeruerit. Ita autem hanc exposuit l. c. P. I. p. 144 et 145. „*Vestris belli gerendi Christiano populo concessionibus factum est, vt contra ipsum magistratum Christi nomine gaudens populus arma capere non dubitauerit, vobis non modo assentientibus et approbantibus, verum etiam suadentibus atque impellentibus, et libris praeterea editis, id et posse, et debere fieri publice contestantibus ac contendentibus. Testis est hodie eorum, quae dico, orbis ipse terrarum, qui haec fieri aut vidit, aut certissima fama accepit, sed testes potissimum sunt duae nobilissimae prouinciae, Gallia et Germania inferior, quae ciuili sanguine iam diu madent, atque redundant, eo, quod persuasum sit, ex certis quibusdam caussis populo seu populi parti, aduersus Dominum ac Principem suum bellum gerere licere. Itaque hac aetate nostra, ab iis, qui Christianos se esse prae caeteris iactant, per speciem Christianae religionis asserendae, id fieri vidimus, quod barbari atque efferati homines facere exhorrescunt, vt scilicet contra proprios Reges arma ferant* etc.“ Rebus sic stantibus quam maxime BERZEVICIUM rogat, vt litteris suis apud Principem intercedat, huiusque contra se iram componat. Ita in ep. allegata l. c. p. 685. se ipsum ab imputato sibi crimine liberare adnititur. „*In eo libro, quo* JAC. PALAEOLOGO *pro Racouiensibus respondetur — — nec de magistratus auctoritate reuera agitur, sed de Christianorum hominum priuatorum officio, et tamen ea dicuntur, quae ad eam quam maxime confirmandam pertinere possint. Nec sane quemquam hodie esse existimo, qui magistratui plus tribuat, quam vel ego tribuo, vel in eo libro a me tributum fuit,* — — —

Quo

Quo factum est, vt, quamuis nihil fortassis acerbius mihi in vita contigerit, quam tanto Regi imminutae quodammodo Magistratus auctoritatis nomine suspectum esse, tamen de me illi purgando hactenus non admodum laborauerim, aut sollicitus fuerim, sperans omnino fore, vt liber ipse per se aliquando satis pro me loquatur, et inde mihi remedium iure exsistat, vnde malum iniuria exortum est."

Cum hanc de se famam in *Italia* quoque sparsam animaduerteret, supplices ad *magnum Hetruriae Ducem* litteras scripsit, suamque caussam, quacunque potuit ratione defendit, veritus, ne facultates, quas in patria habuit, ex quarum vsuris vitam adhuc sustentauerat, propter temeritatem, qua Magistratum laesisse vbique notabatur, Fisco adiudicarentur, quod post FRANCISCI *Florentini Ducis* obitum, vel propter istum librum, vel propter discessum a religione et ex patria, vel ex vtraque ratione factum esse scimus. De hoc argumento in ep. ad DUDITHIUM IV. d. VI. *Id. Martii* a. 1583. scripta in Epp. ad eundem p. 82. scribit: „*Dolet mihi, quod intellexerim, Vienna Cracouiam perscriptum, illic spargi, me, quod librum quendam contra magistratum scripsissem, e Polonia aufugisse, quamuis id iam praeuidissem. Ideoque vt remedium aliquod adhiberem ei malo, quod rumor eiusmodi rebus meis in Italia infligere posset, iam constitueram ad magnum Ducem Principem meum, quo me purgarem,* MAGNAMQUE DUCEM, *vt caussam meam apud maritum commendaret, litteras exarare, prout postea feci, idque praesidio mihi alicui auxilioque futurum spero. Sed fiat, quod diuino Numini visum fuerit.*"

Per integrum triennium dulcissimis hospitii Paulicouiani commodis vsus est F. SOCINUS; et quo maior esset fauoris ac amoris testificatio et intimioris amicitiae vsus, ambienti filia familias Toparchae *Morstinii*, virgo nobilis ELISABETHA in matrimonium collocata est, sicque ex hospite *gener* factus, firmissimis vinculis securitatem suam in libera Polonorum republica confirmasse sibi visus


visus est. Ex hoc agro *Pawlicouiano* ad *Synodum Chmielnicensem* a. 1584. d. 2. *Sep.* litteras dedit in Epp. p. 193. imo eidem ipse deinde interfuit. Acta Synodi huius Msta sequentia continent momenta, ad ipsum spectantia: *Socinus* scripta, tum *Volano*, tum *Jesuitis Posnaniensibus* opposita, suo, non coetus nomine in publicam lucem emitteret. Ad librum aduersus Volanum typis exscribendum, Blandratam sumptus suppeditaturum. *Nitrelinum* coram synodo *Faustus* accusauit, quod aduersus ipsum non rationibus et argumentis, sed scommatibus Christi ciue indignis pugnauerit. Quod in ipsa hoc synodo aduersus *Christianum Francken* disputauerit, alio loco notaui. Ipsi in hac synodo pericula exponenti, quibus in Polonia, et *Cracouiae* maxime adhuc expositus fuerit, ob disputationes cum Italis habitas, et scripta Iesuitis opposita, synodus quidem gratias habuit pro laudando in commodum totius coetus studio; id circo tamen eum admonuit, ne quaestionibus suis subtilibus toti societati, praeter necessitatem, pugnas conflaret, debilesque animos offenderet. Hoc obseruato, totum ipsi coetum prompta praestiturum esse officia, et quodcunque in aduersis patrocinium. In hoc otio Pawlicouiano inter alia, libro contra Eutropium concinnato disciplinam et caussam Fratrum Polonorum propugnauit.

Vergente ad finem anno 1585. iterum *Cracouiam* venit. Quibus excitatus fuerit motiuis, ignoramus, hoc tantum ex translato in metropolin hospitio inferentes, quod isto tempore Regis vindictam minus timuerit, postquam Socerum, Nobilem Polonum, eumque magna auctoritate in Republica praeditum nactus fuerit. Variis ibidem occupationibus eum distractum fuisse Matth. Radecio in ep. d. 5. *Jan.* a. 1586. testatur. Reuersus iterum *Pawlicouiam* ibidem vsque ad Mensem *Mart.* vel *April.* anni sequentis 1587. substitit, quo tempore cum coniuge sua iterum *Cracouiam* concessit. Ita enim ad Jo. Niemoievium d. 20. *Martii* 1587. in Epp. p. 218. scribit:

bit: „*Propediem hinc Cracouiam migraturus, ibique propriam Oeconomiam instituturus sum, quae res, cum praesertim omni fere domestica ac necessaria supellectile adhuc caream, quamdiu me paene totum occupatura sit, satis intelligere potes.*" Sed posthac propria destitutus oeconomia, coniuge paulo post defuncta, *Cracouiae* vsus est mensa et hospitio D. BUCCELLAE, vnde quoque munusculum PHIL. ZAKRZEVII (de quo V. B. A. P, II. p. 1039.) cuius ANDR. VOIDOVIUS ipsi spem fecerat, accipere declinauit. Ita enim ad VOIDOVIUM e suburbio *Cracouiae* d. 9. Aug. 1595. scribit: „*Nihil rerum necessariarum mihi deest, ex eo tempore, quo D.* BUCCELLAE *mensa, dum ipse adest, gratis vtor. — — — Quod si alios meos nostri coetus viros non pauperes imitari velit,* (ZAKRZEVIUS) *qui aliquid contulerunt, aut collaturos se spondent, ad meorum scriptorum editionem; id sane non modo non recusabo, sed ambabus, quod aiunt, vlnis amplectar.*" Post aliquod tempus, domo D. *Buccellae* relicta, alio vsus est hospitio, de quo ita ad Jo. VOLKELIUM d. 8. *Martii* 1597. in Epp. p. 493. scribit: „*Ego in antiquo meo hospitio* Na Brackiny Ulicy *habito, dubius adhuc, an posthac sim, vt antea apud D.* BUCCELLAM, *habitaturus, quamuis ipse id percupiat.*" Per integrum quinquennium ab anno 1592. hospitio et mensa D. *Buccellae* gratis vsus est, quod CHRISTOPH. MORSTINIO die 8. *Martii* 1597. significat in epp. p. 505. *Cracouiae* ipsi a. 1587. circa Pentecostes festum *filia*, quae nomen matris FAUSTI AGNES tulit, anno aetatis 48. nata est. Primus iste coniugis suae partus fuit, quod litterae ad NIEMOIEVIUM referunt. Filia haec post mortem *Patris* STANISLAO WISSOWATIO, *Equiti Polono* nupsit, ex quo duos peperit filios. Vniuersam quam F. S. ex filia vnica tandem habuit sobolem ad nostram usque aetatem, subiunctum schema genealogicum exponit, quod a JONA CHRISTOPH. SCHLICHTINGIO amice mihi exhibitum hoc loco suppedito; praemissis huic maioribus LAELII et FAUSTI.

Quan-

Ad p. 686.


Schema Genealogicum familiae Socinianae.
Marianus, Senior
Bartholomaeus
Alexander, Senior
Paulus Salvetten
Marianus, JCtus, cuius Coniux Camilla
Alexander Socinus
Laelius
Cuius Coniux Agnes filia Burgesii Petruccii et Victoriae Piccolom.
Faustus Socinus.
in matrimonio habuit Elisabetham Morstiniam
Agnes
nupta Stanislao Wyszowatio.
Andreas
obiit Amstelodami
Theodor
Benedictus Ecclesiastes Andreswaldensis.
Andreas Ecclesiastes Claudiopolitanus.
Johannes
Andreas.
Stanislaus excubiarum praefectus
Boguslaw
Filia: maritus Przypkovius.
Filius defunctus in Polonia
Filius
Filia: maritus Ludovicus Schlichtingius.
Alexander
Christian.
Charlotta.
Juliana Morstinia.
Wilhelmina.
Elisabetha.
Jonas Christophorus.
Carolus.
Ludovicus.

Quantam filiae natalis Socino procreauit laetitiam, tantum ex aduerso luctum ex obitu dilectissimae coniugis, qui mense *Sept.* eiusdem anni 1587. accidit, sensit; quae moestitia illum adeo perculit, vt quoque aegritudo corporis eam insequeretur, profecto pertinax, vt negotiis studiisque suis praeesse per aliquot menses non valuerit. De hoc obitu ita ad *Niemoieuium* d. 1. *Febr.* a, 1588. in Epp. p. 334. scribit. „*Venissem sane Chmielnicium, cum Septembre proximo synodus ibi est habita a vobis; sed praeterquam quod nemo ex Cracouiensibus fratribus profectus est, incidit etiam in idem plane tempus carissimae meae coniugis mors, qua tantopere sum perturbatus, et adhuc perturbor, vt tibi in simili olim iactura vehementem illam perturbationem condonandam esse prorsus iudicem; nihil ego non dedissem, quo fieri posset, vt vxor mea, quantumuis minus sana, mihi superstes fuisset.*" Et in ep. ad Jo. Balcerovicium d. 21. *Nou.* 1587. *Cracouia* data in epp. p. 347. testatur, quod vxoris suae obitu tanto dolore affectus, quantum vix paucos alios in tali casu senserit, ita vt corpus ipsum quoque vehementer labefactatum fuerit, et pristinos labores aliquot menses intermiserit, imo quod adhuc doloris et perturbationis plenus sit.

Post haec tempora saepius aduersa valetudine, maxime calculi doloribus conflictabatur, vt synodos pro voluntate sua frequentare non potuerit, vtpote ipse in epistolis suis aliquanto questus est. Sic in ep. ad Synodum Chmielnicensem aduersus Chiliastas d. 17. *Sept.* 1589. scripta in Epp. p. 415. seq. significat, quod praeteritis sex septimanis graui ac multiplici morbo implicitus fuerit. Anno 1602. d. 17. *Febr.* in ep. Christoph. Ostorodo data, in Epp. p. 471. conqueritur, quod perpetuo oculorum fluxu et dolore quinque iam septimanis vexatus sit, necdum a malo hoc liberatus ita, vt nihil omnino legere possit.

Filiae educandae curam defunctae coniugis soror in se suscepit, quamuis educationis rationem F. *Socinus* non omni respectu probauerit, qua de re ad ANDR. VOIDOVIUM d. 9. *Aug.* 1595. scribit: „*De filia mea nihil aliud me sollicitat, nisi quod, vbi nunc est, otiatur, ni fallor, plurimum, nec iis vel faciendis vel addiscendis exercetur, quae Christianam puellam decent, nisi raro admodum, idque negligenter. Nihil tamen certi iam diu rescire potui, et difficile mihi erit, eam ab sua matertera auellere.*"

Quam ex coniugis suae iactura expertus est calamitatem, alia insecuta, de qua auctor vitae *Socini* sequentia habet: „*Ne quae calamitatis species abesset, eadem fere tempestate, per mortem* FRANCISCI *Magni Ducis Hetruriae, fructus bonorum eius, quem quotannis ex Italia capiebat, penitus ipsi fuit ereptus. Sane aliquanto ante criminatorum acerbitate, ac minis Pontificum bona eius in periculum venerant. Sed* ISABELLAE MEDICEAE *Magni Ducis Hetruriae sororis, quae* PAULO JORDANO VRSINO (quem supra commemoraui,) *nupta fuerat, dum vixit enixo studio et postea ipsius* FRANCISCI *M. Ducis beneuolentia factum est, vt illo superstite annuos ex iis reditus* SOCINUS *caperet. Adeo nondum illic meritorum eius exoleuerat memoria, vt litteris ac precibus damnati et exulis pridem destituti, ac saepe repudiati, principes difficillima in re gratificarentur. Humanissimis quoque litteris com, pellatus, et in posterum quoque bono animo esse iussus est, quamdiu vita illis suppeteret, dum ne in libris edendis nomen suum publice exstare pateretur. Sed tum illos Principes infestum Socini fatum abstulerat.*" De casu hoc aduerso in ep. ad *Phil. B. (Buccella)* ex agro *Pawlicouiano* d. 5. *cal.* Jan. 1584. scripta, in epp. p. 51. ita lamentatur: „*Paulo post, quam tuas litteras accepi,* (scriptae hae erant *Cal. Sept.* 1583. *Posonii) certior factus fui, vsum meorum bonorum, quae omnia in patria habeo, ademtum mihi esse, et propediem ipsa quoque bona mihi ereptum iri, quae res*

adeo

adeo totum vitae meae ſtatum ac rationes perturbauit, vt neceſſe fuerit, me plurimis cogitationibus a me ipſo quodammodo aliquamdiu diſtrahi atque diuelli." Et in ep. ſecunda ad MATH. RADECIUM in Epp. p. 94: „*Mitterem ſcriptum* (aduerſus ERASMUM JOANNIS) *ad te, ſi vllum exemplum praeter meum ipſius autographum, quod vix ipſe legere poſſem, apud me haberem. Nullum autem habeo, quia amanuenſi prorſus careo, ſic ferentibus rebus meis, cum mihi iam diu periculum bona mea, quae omnia in patria habeo, perdendi impenderit, et tandem paucos abhinc menſes reſciuerim, ſeueriſſime praeceptum fuiſſe ei, qui mea curat, ne vel obolum quidem ad me mittere audeat, vel etiam ad me ſcribere, aut meas litteras recipere. Itaque in hac paupertate ſeu potius extrema mendicitate, ingentes labores in iis, quae iugiter mihi ſcribenda ſunt, poſtea mea manu, vt legi poſſint, deſcribendis, ſubire cogor.*"

Paulo ipſi poſt aliqualis melioris fortunae ſpes adfulſit. Hinc ad eundem RADECIUM d. 8. *Jan.* 1586. in Epp. p. 137. ſcribit: „*Hactenus mihi patria bona erepta non fuiſſe et ſpem aliquam ſupereſſe, me vel inde tantum corradere poſſe, vnde victum et veſtitum mihi parare queam, vel etiam aliquamdiu adhuc illis omnibus fruiturum, quod ſane ob id vnum gratiſſimum mihi foret, quod amanuenſem nutrire poſſem, ſine quo aegerrime ea, quae meae vocationis mihi videntur, exſequi me poſſe plane perſpicio. Hunc autem ſi a fratribus non habeo, nihil eſt mirum, cum ſumma ſit inter eos paupertas, et in commune non conferendi culpa in pauciſſimis quibusdam tantummodo haereat; quos equidem arbitror, ſi vellent, poſſe omnibus Eccleſiae neceſſitatibus ſufficere.*" Vanam vero redituum ex Italia obtinendorum concepiſſe exſpectationem, ep. JO. VOLKELIO d. 3. *April* 1593. data comprobat, in qua conqueritur: quod nullum nec habeat nec habere poſſit amanuenſem, et quod ſcripta iterum iterumque ex autographo ſuo deſcribere cogatur, rogatus ab amicis abſentibus, vt

illa cum ipsis communicet. Ipsum tamen hunc VOLKELIUM eidem ad tempus praestitisse amanuensis operam, eiusque dictata calamo excepisse, testis est ep. *Socini* 1602. d. 19. Martii scripta ad *Christoph. Ostorodum.*

In his angustiis liberalitatem quorundam diuitum ciuitatis huius, maxime *Ph. Buccellae,* expertus est. Ipse in aduersae fortunae tempestatibus vnicum solatium in negotiis, quibus semper distractus ac onustus erat, quaesiuit. Conuentibus societatis circa hoc tempus frequentissime institutis, quoties morbus eum non impediuit, interfuit, suaque placita ibidem congregatis commendauit, et aduersus secus sentientes acerrime propugnauit. Ita anno 1588 in *Brestensi Synodo* flagrante zelo, summaque omnium admiratione de dogmatibus ipsi peculiaribus, de morte et sacrificio I. C. de iustificatione, de humana natura disputauit. *Przypcouius* l. c. hanc disputationem ad annum 1598. collocat, quo tempore etiam *Petrum Stoinium, Petri Statorii Theonuillani* filium *coetui Luclauiciano* praepositum esse perhibet; vtrumque vero a. 1588. accidisse monumenta fide digna testantur. V. B. A. P. II. p. 922.

Ex fatis aduersis peculiare quoddam ac triste quod d. 6. *Oct.* 1594. *Cracouiae* accidit, ipse ANDR. VOIDOVIO, in ep. *Cracouiae* postero die data in Epp. p. 585. his verbis exponit: „*Spero Deum ab omni malo me defensurum, quemadmodum heri me e manibus eripuit Domini* WIERNEK *generi Domini* LIGEZAE *nostri. Is enim in publica via, hic Cracouiae, cum eques esset, et decem circiter aut duodecim equestribus aliis militibus, quibus ille videbatur praeesse, comitatus, cumque ipsi obuiam essem factus, me agnito iussit, vt sui milites me vi secum abriperent, cumque ego orarem, vt me hominem innocentem dimitteret, dixit vociferans, me esse* ARIANUM, *ipsiusque Patrem seduxisse, nec dignum esse, qui viuerem, nedum Cracouiae habitarem, et iterum atque iterum saepius me*

iussit

iussit abripi. Me autem vociferante, et populo multo occurrente, iussit mihi os luto spurcissimo semel ac bis obstrui, deinde etiam totam faciem conspurcari foedissime, nemineque eorum, qui circumstabant audente ei quicquam dicere, tandem me, nescio quo pacto, ea conditione dimisit, si illum humillime rogarem, et ad pedes illi acciderem, id quod ex parte tantum feci, atque hac ratione sum ab eo missus. Sunt, qui dicant, illum prae se tulisse, ac si vellet me sclopeto transfigere, quod tamen ego non vidi: sunt etiam qui plane affirment, cum iam me dimisisset, et ego domum quandam ad tantum lutum abluendum ingressus essem, vnum ex ipsius militibus ibi prope remansisse aliquantisper, vt si ego prodiissem, me globo transuerberaret. Sed Deus voluit, vt valde diu in loco illo me abluendo occuparer, ita, vt ille postea abiisset, cum ego domum inde me retuli, quo simulatque perueni, genibus flexis gratias egi de tanta liberatione. Tu idem facies meoque nomine ad idem fratres, quos poteris, hortaberis, rogabitisque omnes Deum, vt me posthac protegere velit, nec permittere, vt quidquam christiano homine indignum mortis metuendae gratia faciam."

Quem perpessus erat hoc modo lugubrem casum, pro adflictione propter nomen et gloriam Christi habuit, proinde ad VAL. SMALCIUM d. 14. *Febr.* 1595. in Epp. p. 516. scribit: *De meo illo satis sane, si carnem spectes, acerbo casu, non erat, si spiritus rationem habere velis, quidquam dolendum. Imo Deo et erant, et sunt gratiae agendae, quod velit me aliquid propter ipsius et Christi gloriam perpeti; mihi interim eam animi constantiam tribuat, vt eo magis ad meae vocationis cursum implendum sim animatus.*"

Maximum odium tristioraque fata aduersus se conflauit, cum a. 1594. procurante ELIA ARCISSEWIO, *Smigliae Domino* disputationem *de Jesu Christo Seruatore*, eamque praefixo nomine suo, quod adhuc in libris editis

ſollicite celauerat, excuſſo hoc timore, cum iam patrimonio ſuo in Italia priuatus fuit, *Cracouiae* in publicam lucem emiſerit. Hanc enim multarum aduerſus ſe turbarum occaſionem daturam, ipſe praenoſcebat ac augurabatur in ep. ad *Vadouitam* in Epp. p. 602. quae coniectura eum quoque non fefellit. Tandem a. 1598. procelloſa in *Socinum* prorupit tempeſtas. Studioſi enim per quosdam ſcholaſticos Romanae religionis commoti, in ipſius domum irruerunt, et cum aeger et reparandae valetudini intentus eſſet, in eius cubile irruperunt, ſeminudum extraxerunt, et per publicas *Cracouiae* plateas et forum, depoſcentibus ad ſupplicium plerisque, contumelioſe raptarunt. Sine omni dubio tumultuantium turba eidem truculentam necem intuliſſet, niſi eum MATTH. VADOVITA, *Acad. Cracou. Profeſſor* violentis manibus eripuiſſet, cui in hoc negotio *Magnificus Rector* D. LELOVITA, et GODECIUS praeſto fuerunt, quibus vindicibus ſuis, et ſi qui alii fuerint ordinis Academici, quorum nomina ignorat, in ep. ad *Vadouitam* maximas gratias exſoluit, et quantum illis debeat, perpetuo ſe agniturum, idque et verbis et factis ubicunque poterit, libentiſſime teſtaturum promittit. Vniuerſa tumultuantium ſtudioſorum et luctuoſiſſimi caſus Acta copioſe proſequitur MATTH. RADECIUS, in ep. ex *agro Buſcoviano* d. 18. *Junii* 1598. ad *Corn.* DAEMS, *Bruxellenſem* ſcripta, quam ineditam CRENIUS l. c. P. IV. p. 233. inſeruit, quam hoc loco exhibeo: „In praeterita vigilia feſti aſcenſionis Domini „— — — duo ex ſtudioſis Cracouienſibus (quorum ſtu„dioſorum proteruia tibi aliqua ex parte fortaſſis nota „eſt) D. SOCINUM noſtrum, quod hoſpitium pro feſto Pa„ſchatos mutaſſet, et ad quendam eius ciuitatis Proconſu„lem DANIELEM nomine conceſſiſſet, diu multumque quae„ſierant, donec tandem inuento hoſpitio et habitatione, „praetendiſſent, ſe litteras ad ipſum Vienna habere, quas „poſtero die tradituri eſſent, atque ita abierant. Poſtero „ipſo aſcenſionis die, cum diabolus pro more ad ipſos de„ſcen-

„ſcendiſſet, turmatim ad ipſas aedes, in quibus diuertebatur, venerant, fores pulſantes. Hoſpes SOCINI Proconſul, cum non illico aperuiſſet, minas adiecerant, niſi in aperiundis foribus morem geſſiſſet, vi ſe irrepturos eſſe, fortaſſis non ſine ipſius, atque adeo ipſarum aedium periculo et detrimento. Minis territus et perculſus Proconſul, fores aperit. Paulo tamen ante non ſine ſingulari Dei prouidentia, eius filius ad Dominum SOCINUM grauiter decumbentem et ex calculo laborantem, aſcenderat, praeſens periculum ob oculos poſuerat; et eius claues, quaſi parentis proprias, ad ſe receperat. Ibi duo illi, qui SOCINUM die praeterita quaeſierant, ſubſecuti in eius conclaue, ſeu hypocauſtum intrantes, litteras, Vienna quaſi allatas exhibent. Quas cum aperuiſſet, nihil ſcripti, nudam ſaltem chartam deprehendit, ac proinde eos ita affatur: Ludificamini fortaſſis me adoleſcentes optimi, dum nudam chartam pro litteris exhibetis. Non ludificamur, inquiunt illi, quia imperamus, vt nobiſcum ad D. Rectorem te illico conferas. Ille non tantum morbum cauſſatur, ſed, quod res erat, adiecerat; ſe Domino Rectori non ſubeſſe, ſed ciuitatis magiſtratui; ſi quid aduerſum ſe habere exiſtimarent, in ius vocarent, ſe libenter pariturum eſſe. Ibi cum vim adhibuiſſent, illumque ex lecto ſuſtuliſſent, ille vero reluctatus fuiſſet, atque vim ſibi fieri, tam clara, quam per morbum potuit, voce dixiſſet, inter ipſorum manus in terram conciderat. Tum reliqui irrumpunt, quotquot in hypocauſtum intrare poterant, et primum quaerunt cuiusnam ſint arculae, ciſtae etc. quas in hypocauſto videant. Hoſpitis Proconſulis filius reſpondet, parentis, eſſe, atque arreptis clauibus, quas Zonae de induſtria alligauerat, ipſis inſpectantibus aperit, et ilico viciſſim claudit. Iis omnibus igitur relictis, in quibus non tantum ipſius SOCINI, ſed aliorum etiam res pretioſiores adſeruabantur; ipſius libros, ſcripta omnia, litteras, veſtes et ſimul ipſum D. SOCINUM, cir-

„cumiecto ſaltem illi pallio, rapiunt, atque ita absque „pileo, nudo capite, absque calceis, nudis pedibus per „plateas in forum ad Praetorium vsque ducunt. Vbi „vaga multitudo, vt in eiusmodi caſibus fieri conſueuit, „circumfuſa quaerit, quid rerum geratur? Illi reſpon„dent, Haereſiarcham ſe ad focum ducere: gladium e „vagina eductum, et volumen ingens explicatum, ſeu aper„tum ipſi praeferentes; et ſicubi ad locum aliquem luto„ſum peruentum fuiſſet, chartas et ſcripta ſubſtrauerant, „dicentes, ſe eo id facere: ne haereſiarchae pedes made„fierent. Apud Praetorium in ignem e veſtigio excita„tum eius libros, ſcripta, chartas, litteras coniiciunt, „idem ipſi minitantes, niſi reuocaſſet. Ibi tum ille ma„gno animo inquit, non reuoco, imo qui fui, ſum et ero „per Domini Jeſu Chriſti gratiam, quoad vixero, et vos „facite, quae vobis Deus permiſerit. Et cum is inſu„per, qui gladium e vagina eductum praetulerat, caput „ſe ipſi a ceruice reuulſurum minatus fuiſſet, niſi illico re„uocaſſet: Socinus immotus perſtitit, vt plerique eius „conſtantiam admirarentur. Cum itaque eo in loco ni„hil efficiunt, ad Iſtulam ducere incipiunt, vt in aquas „praecipitatum ſuffocarent; ſed cum per plateam forte „ducerent, in qua ſunt aliquot Philoſophorum collegia, „Profeſſor quidam, tumultu excitatus e feneſtra conſpi„cit, quaerit, quemnam ducant? Haereſiarcham ſe du„cere reſpondent. Is iubet vt ad ſe introducant; parent, „exiſtimantes forte, non incommodam oblatam occaſio„nem; habituros videlicet eum, qui factum excuſaturus, „ipſosque defenſurus atque tutaturus eſſet. Ille vero „Socinum in aedes receptum, ſtudioſos omnes excludit, „et in hypocauſtum cum introduxiſſet, quaerit, quisnam „ſit? Is, cum Faustum Socinum ſe eſſe reſpondiſſet, „tanti viri vicem dolere coepit, cibum apparari iuſſit, po„tum praebuit, vt ex iſta conſternatione et fatigatione, vi„res aliquo modo recuperaret. Cum vero Socinus ro„gaſſet, vt puluinaria potius exhiberentur, vt corpus

„aegrum

„aegrum quieti tradere, atque ita se recolligere posset, „morem gerunt, puluinariae exhibent, mandare corpus „quieti iubent. Quod cum ille facit, Professor abit, So„CINO claues hypocausti tradit, iubet, ne cuiquam, quan„tumuis pulsanti, aperiat, se enim alias claues habere, „quibus hypocaustum quandocunque libitum esset, facile „aperire posset. Vix quietem SOCINUS coeperat, cum „adsunt, qui fores pulsant, se intromitti postulant. So„CINUS dubius, quid facere potissimum debeat, cum prae„sertim illi pulsare non desisterent, veritus, ne forte vi „fores effringerent, aperit, illi se Dominorum MISKO„VIORUM familiares et famulos esse profitentur, a Domi„nis MISKOVIIS missos, vt ipsum ex pessimorum illorum „hominum manibus ereptum in libertatem assererent, „gratulantur, quod viuum intueri ipsis datum fuisset; „noluisse se inde discedere, nisi ipsum suis oculis con„spexissent, voluisse enim rem certam Dominis MISKOVIIS „renuntiare. SOCINUS cum Dominis MISKOVIIS, tum ip„sis quoque illorum familiaribus et famulis magnas ait „gratias, et ipsi clausis foribus abeunt. Paulo post Pro„fessor hospes, qui illum in suas aedes introduci iusserat, „redit, comitatus alio quodam Professore Jurisconsulto, „qui suadet, ibi SOCINUM diutius non relinquendum, ve„rendum enim esse, ne studiosi reuersi, vt inde illum ab„riperent, atque ita posteriora prioribus deteriora fie„rent. Mittantur igitur, qui SOCINI vestes adferant, ve„stitum Iureconsultus sub vesperam in aedes suas dedu„cit, coenam parari iubet, omnia humanitatis officia ex„hibet. Quod cum ad studiosorum aures perlatum fuis„set, esse nimirum SOCINUM in Iurisconsulti illius aedi„bus, eo cateruatim aduolant, eo procul dubio consilio, „vt illum vi abreptum tandem e medio tollerent. Sed „omnipotens Deus, qui eum superstitem esse voluit, mi„raculose quodammodo ostendit, ex se consilium nulla„tenus dissolui posse, et se certissimum esse suorum tem„pore necessitatis praesidium; magnam vim pluuiarum,

„gran-

„grandine mistam dimittit, flamma inter nubes corruscat, „coelum tonitru contremit, vt ita illi in sua dilapsi nusquam postea comparuerint. Sub ipsum deinde vespertinum crepusculum Iureconsultum illum adit Italus quidam Vincentius N. et licet, vt ita dicam catholicissimus, „Socinum tamen sibi tradi petit, vt in locum tutiorem „deducere possit, paret ille, atque ita Vincentius eum „in aedes suas introducit, vbi, cum per aliquot noctis „horas quieuisset, sub diluculum, adornato curru Igolomiam, ad tertium a ciuitate Cracouiensi lapidem, ad „generosum D. Joannem Baptistam Cettis, (V. B. A. „P. I. p. 97.) in Domino fratrem nostrum vehitur. „Quae fama cum ad aures fratrum peruenisset, qui in „territorio Cracouiensi Racouiae, et in submontanis habitant, illorum septem existimantes Socinum iam e medio sublatum esse, Cracouiam aduolant; cum Socinum „adhuc viuere et Igolomiae esse cognouissent, Professores tamen adeunt, cum ipsis expostulant, exprobrant, „quod iuuentutem in officio continere non possent etc. „Cum nonnullos libros Socini nondum exustos esse comperissent, vestes etiam ab aliquibus asseruari, ea omnia „aresto, quod vocant, subiiciunt, deinde in hospitium „se conferunt, vt corpora reficiant, atque ita se ad Socinum Igolomiam conferant. Vix hospitium ingressi fuerant et studiosi adesse nuntiantur, vt et ipsis vim inferant. Verum et illorum misertus Dominus, iterum „ingentem pluuiam, grandine mistam, mittit, qua illi ab „incepto desistere, fratres nostros missos facere coelitus „coacti fuerunt. Qui deinde ad D. Socinum Igolomiam „profecti saluum illum et incolumem ab omnibus morbis, quibus ad persequutionis illud tempus afflictatus „fuerat, mirifice liberatum inuenerunt. Dum interrogassent, quomodo in istis perturbationibus animatus „fuisset? Respondit, opportere Christianum animum „neutiquam despondere, sed si secundum voluntatem Dei „patiatur, vt fideli creatori animam suam in benefactis

„com-

„commendare, ſibi perinde iam eſſe, ac ſi ea omnia per „quietem vidiſſet, nihil fuiſſe incommodi, corpus ſanum „et integrum iam eſſe, quod ante variis morbis obno„xium fuerat. Librorum quidem iacturam ad trecen„tos florenos polonicos aeſtimare, chartas, litteras, ſcrip„ta, praeſertim vero nouum teſtamentum ſyriacum, vt„pote res irrecuperabiles, aeſtimari vix poſſe; ſed ſe haec „omnia Deo committere ipſique gratias pro ineffabili „ſua gratia et miſericordia, qui ſe tam mirabiliter ſer„uaſſet, immortales agere. Haec quae ad te ſcribo, fra„tres in Lublinenſi Synodo, nobis retulerunt, quemad„modum id Cracoviae et ab ipſo D. SOCINO Igolomiae „ſuis auribus audiuerant, vnde aeſtimare potes eſſe ve„riſſima.“

Quae *Cracouiae* paſſus eſt aduerſa, alii quoque a diſcipulis ordinis, qui ſocietatis Jeſu nomen adfectavit, quorum petulantia et audacia in Polonia plane nefanda et indomita olim fuit, perpeſſi ſunt. ANDR. VOIDOVIUS (B. A. P. II. p. 988) ſimile fatum habuit a. 1611. quod VAL. SMALCIUS *in diario vitae* l. c. p. 1188. expoſuit. Neque in Antitrinitarios tantum, ſed aduerſus diſſidentes quoſcunque et Euangelico-Lutheranos eadem proteruitas, maxime *Cracoviae* ſaepe numero perpetrata legitur. V. *Recens. Nov. antiq*, a. 1717. p. 50. ſeqq. quo loco complura huius veſaniae ſpecimina in compendio narrantur, et inter alia, etiam funerum, ſi quando mortui efferentur, inhumanae aggreſſiones.

In ep. ad *Vadovitam* d. 14. *Jun.* a. 1598. ex agro *Igolomiano* data, *Socinus* queritur, quod nonnulli Academiae Cracovienſis Profeſſores haud mediocriter laetati fuerint, quod ita male ſecum fuerit actum, eosque grauiter accuſent, qui furioſae multitudinis in ſe ſaeuiendi libidinem exſatiari non permiſerint. Maxime miratur, quod homines bonas artes, litterasque profitentes, quae barbarum animum excolere, ac mitem reddere conſueuerunt,

runt, in hominem, ab iisdem artibus et litteris non alienum, ipſisque nihil mali inferentem animis ſuis tantopere faeuiant. In eo verſatur per totam epiſtolam, vt euincat, nullam proſtare cauſſam, cur homines ſibi quidquam male velint. Negat enim, ſe eſſe *haereſiarcham*, quia nullam docendi prouinciam ſibi ſumſerit, ſed tantum vel laceſſitus, vel amicorum precibus coactus, hucusque quaedam ſcripſerit. In ſcriptis nullum propoſitum eſſe dogma aſſerit, quod partim alibi, partim in Polonia, ab aliis ante ipſum, ſuumque aduentum, partim publice et voce et ſcripto adfirmatum, partim ad diſcutiendum propoſitum non fuiſſet. In Epp. p. 594. ſcribit: „*Illud certiſſimum* eſt, GREGORIUM ZARNOVECIUM Miniſtrum, vt vocant, Euangelicum, qui nominatim aduerſus diſputationem meam *de Jeſu Chriſto Seruatore (in cuius diſputationis doctrina id totum continetur, vnde auctorem me alicuius noui dogmatis ſuſpicari fortaſſe quispiam poſſit,) libellum polonice edidit, in eius praefatione aſſerere, me ex* OCHINI *dialogis, annos abhinc circiter triginta quinque editis, ſententiam illius meae diſputationis accepiſſe. Nam certe in dialogis illis, quorum non pauca exempla mihi iam diu in ipſa Polonia videre contigit, eſt ſententia iſta aperte expreſſa et inculcata, quae breuiter eſt: Chriſtum quidem ſanguine ſuo deleuiſſe atque expiaſſe peccata noſtra, ſed alia tamen ratione, quam ea, quae vulgo recepta eſt, vt ſcilicet diuinae iuſtitiae ſanguinis ſui fuſione id perſoluerit, quod nos et propter noſtra peccata debebamus, ſeu pro nobis peccatisque noſtris ſatisfecerit; quippe cum nec id vllo modo opus eſſet, nec noſtrorum peccatorum poenas Deus a quoquam repetere, ſeu (vt ſic loquar) debita ab ipſo noſtra exigere voluerit, ſed ea liberaliter remittere ac condonare: quemadmodum vniuerſae ſacrae litterae apertiſſime teſtantur. Quod tamen adfirmare et contendere eſt illud meum praecipuum atque inauditum ſcelus, propter quod ſcilicet non ſum dignus, vt me terra ferat.*"

Prouo-

Prouocat in eadem ep. VADOVITAE data ad Italos populares ſuos, cum quibus *Cracoviae* potiſſimum verſatus fuerit, in quorum numero nullum inuentum iri, teſtatur, cum quo egerit, vt ſententiis ſuis de religione abiectis, ſuas ipſiusmet ſuſciperet, aut ſaltem diſputationem vllam de rebus diuinis inſtituerit; ita ſe geſſiſſe *Cracoviae* tantamque hac in re modeſtiam ſuam fuiſſe, vt omnes, qui eum familiariter nouerint, vehementer mirati fuerint, cum alioqui ſciuerint, quod diuerſum ab ipſis in religione ſentiret, et haud incertam de ipſius placitis ſingularibus cognitionem habuerint. Exinde concludit, quod etiam, ſi totus haereſibus ſcateret, tamen quam longiſſime ab eo abeſſe, vt haereſiarcha dici poſſit. Denique ſe non meruiſſe tantam ſaeuitiam, quamuis extra dubium eſſet poſitum, ſe haereſiarcham eſſe, quia nullo facto pertinax cenſeri poſſit. Hoc reſpectu l. c. p. 604. inquit: „*Hac ratione mecum agatur, vt mihi mei errores oſtendantur, donec ſaltem pertinacem me eſſe conſtet: quod vbi conſtiterit, tametſi chriſtiana pietas, adeoque ipſa humana ratio iubet, ut cum pertinacibus, ipſis etiam haereſiarchis, praeſertim non ſeditioſis, nec ſua vlla commoda quaerentibus, nequaquam crudeliter agatur; ego tamen quamuis non haereſiarcha a quoquam merito haberi poſſim et manifeſtum ſit, me ab omni vel vmbra quidem ſeditionis, aut vlla mea commoda quaerendi, vel leuiſſima quidem ſuſpicione, qaam longiſſime abeſſe, non tamen recuſo, quin tunc ſaeuiſſimis cruciatibus ſubiiciar, ac demum turpiſſimo atrociſſimoque vltimi ſupplicii genere afficiar.*“ Et in alia ep. ad eundem VADOVITAM l. c. p. 477. inquit: „*An fortaſſe parum ſaeuitiae in eo fuit, quod homo honeſtiſſimo loco natus, et iam ferme ſexagenarius, cum vix e grauiſſimo reſpirare inciperet morbo, eo ipſo die, quo pharmacum ſumſerat, per ſummam vim ex habitatione ſua extractus et diſcalciatus ac ſeminudus per medium lutum, mediumque forum, tota vrbe inſpectante, tanquam maleficus aliquis, qui ad ſupplicium ducatur, pertractus et*

mille comitiis, probris ac maledictis interim oneratus ac proscissus fuerit, et quae aeque ac suam ipsius vitam cara habebat, si omnia fuerint erepta? Non equidem putabam in polonica gente ad humanitatem non parum propensa, inueniri animos Caligularum et Neronum, qui innocentium hominum crudelissimis vexationibus non contenti, eorundem praeterea aliquid grauius, id est acerbissimos fortasse cruciatus atrocissimaque supplicia expeterent."

Ex eo, quod irreparabilem scriptorum quorundam iacturam iudicauerit, quam ipsius vitae et sanguinis dispendio sese redemturum fuisse, saepe professus est, haud obscure colligitur, quanto scripta sua pretio aestimauerit. Periisse hoc tumultu in primis librum quendam ipsius *contra Atheos*, quem refellendis ingeniosis magni cuiusdem viri commentis consignauerat, testis est PRZYPCOVIUS. In ep. ad VAL. SMALCIUM l. c. p. 521. ipse *Socinus* ita damnum hoc significat; „*Perierunt in eo casu omnia scripta, tum mea, tum aliena, quae apud me erant, praeter quaedam tantum aliena, quae iam diu in cista quadam procul ab eo loco, vbi habitabam, sunt reposita.*" In specie in ep. ad CHRISTOPH. LUBIENIECIUM l. c. p. 564. conqueritur, quod inter pretiosissimos quosque suos libros ab impiis ereptos, SMIGLECII quoque scriptum fuerit, *o bostwie* etc. ac praeterea breue eiusdem scriptum latinum, de loco *Zach.* II. ad quae iam respondere coeperat, et posterius notationibus quibusdam sua manu in ipsis scripti marginibus exaratis, magna potioreque ex parte refutauerat.

Quod post luctuosum hunc casum Cracouiam non repetierit, absque vllo monitore quisque cogitabit, quamuis olim in ep. ad DUDITHIUM a. 1583. scripta, paratum sibi esse animum, pro placitis suis mortem oppetere declarauerit: imo *magni se id beneficii loco reputaturum, si Deo, vt pro veritate mortem oppeterem, videretur, meque hac in parte non modo tot aliorum, sibi adamatorum, sed*

sed et vnici sibique carissimi Filii Dominique mei similem reddere.

Post breuiorem in agro *Igolomiano* commorationem et refocillationem, *Luclaviciis*, nono circiter a *Cracouia* lapide, hospitii locum sibi parauit. Ita ad PET. STATORIUM in ep. d. 3. *Jun.* a. 1598. l. c. p. 396. scribit: „Hic „vbi sum, libenter sane perpetuo manerem, vtinam tibi „auscultans, iam diu mihi hanc habitationem delegissem. „— — — Duae nunc sunt res, quae hanc commora„tionem, licet alioqui iucundissimam, vel minus iucun„dam, vel minus firmam reddunt. Vna est librorum, „quibus in meis studiis vti potissimum cogor, summa pe„nuria; altera quod amici vereantur, ne, si hic diutius „maneam, aliquid grauioris mali mihi, hospitique meo „eueniat, praesertim cum Cracouia non longe hinc absit. „Itaque cum et librorum, qui mihi sunt vsui apud te sit „non exigua copia, et locus, vbi habitas, satis procul ab „vrbe distet, ac praeterea accedat vetus amicitia et con„suetudo nostra, nec non fructus, qui ex eo, quod apud „te sim, facile ab vtroque nostrum percipi potest, decre„ui volente Deo istuc propediem proficisci, et aliquot „hebdomadas tecum consumere; sed prius te huius rei „monere volui, vt si non est forte domi tuae locus, vbi com„mode cubare possim, (id enim vnum mihi satis fuerit) „cures, vt eum in ipsa aula, si fieri potest, habere „queam, et ita commode nihilominus mensa tua vti."

Ex agro *Igolomiano*, vna cum hospite suo D. CERTISIO iter *Racouiam* instituit, partim vt ibidem fratrum conuentui interesset, partim vt LUBIENIECIUM, in Lithuaniam profecturum salutaret, et cum eo colloqueretur, partim vt filiam suam per integrum annum non visam videret, quod ex eadem ep. innotescit. Ex agro igitur Igolomiano LUCLAVICIAS migrauit, quo loco, procurante *Pet. Statorio*, pagi huius ministro, terrae istius Dominus ABRAH. BLONSCIUS eum in aedibus suis et ad mensam

 suam

ſuam excepit, in qua ſtatione quoque reliquum vitae transegit. Hoc loco *Stoinio* vicinus viuens, huius facundia vtebatur, ad ſuam diſciplinam, hoc opem ferente, latius diſſeminandam. Stoinius enim ſubtiles et a rudiorum captu remotiores Socini meditationes populari ratione tradere et flexanimae orationis genio cunctis perſuadere potuit, quamuis in hoc quoque non mediocre ſermonis flumen fuerit. Non tamen ager Luclavicianus omni reſpectu commodus ipſi videbatur locus; quare Val. Smalcium in ep. d. 2. *Dec.* 1599. ſcripta: „*Deum orare iubet, vt in hac extrema ſua aetate iam aliam victus et habitationis ſuae rationem inuenire poſſit, quae ſe ipſum ſui iuris efficiat, et liberum ab omnibus impedimentis reddat, quibus ſit, quominus ea praeſtare poſſit, quae promiſit, et ab ipſo identidem exiguntur.*"

Luclaviciis degens Christoph. Lubienicio deſiderium *Lublini* ſtationis ſuae locum nanciſcendi teſtabatur per ep. d. 14. *Aug.* a. 1598. ſcriptam l. c. p. 161. in qua ita animi vota exponit: „*Vtinam mihi contigiſſet, aut aliquando contingeret, vt ibi habitarem, vbi ſaepius et tecum et cum ſocio tuo colloqui poſſem, vosque coeleſtem veritatem, quae viam ad immortalitatem oſtendit, atque aperit, exponentes audire.*" Interim *Luclauiciis* Stoinius ipſi fuit amiciſſimus, cum quo tanta vnanimitate et concordia vſus eſt, quae nunquam vllo diſſidio ac ſuſpicione diſrupta. In hoc pathmo cum intimo ſuo defendendis, vindicandis et commendandis ſyſtematis ſui erroribus multum operae nauauit, et familiae totius diſſenſiones ac pugnas tollere et componere, omnesque Antitrinitariorum in Polonia et Tranſyluania coetus ad vnanimem conſenſum reducere, ſtudio laborauit indefeſſo. Nec fruſtraneum plane fuit eius conamen, ſiquidem temporis ſucceſſu plures ad ſententiam ſuam pertraxit excepto Czechovicio, qui a ſuo propoſito, in articulo de *baptismo* dimoueri non potuit. Vno ante obitum anno, ipſi

atque

atque STOINIO cura consignandae, vel potius corrigendae *catecheseos* in vsum coetuum deferebatur, a quo labore mors eum auocauit; sed de hac materia alio loco.

Inter tot vitae discrimina tristiaque fata *Socini* valetudo saepe concussa, ut mirum videatur, quod tot curriculi aerumnosi annos exegerit. A. 1603. vehementior aegritudo dissenterica eundem propinquae mortis admonuit. Ante hunc morbum, qui ipsi mortem contraxit, eodem anno, mense *Junio*, febre tertiana *Racouiae* adflictus erat; quod ex ep. constat, quam circa idem tempus ad HIERON. MOSCOROVIUM scriptam ex *autographo* SOCINI, quod in *Bibliotheca Wallenrodiana* Regiomonti servatur, hoc loco insero: „*Clarissimo viro, Domino* HIERONYMO *Moscorovio* etc.

BERNAUDUS *noster* (V. B. A. P. II. p. 579. N. 11.) *misit ad me hoc scriptum suum, iubens, vt, antequam illi reddendum curem, cui est inscriptum, tecum illud communicem. Poteris, si velis illud retinere, donec perlegeris, (quod abs te istic commode posse fieri non arbitror) et deinde ad me primo quoquo oblato fideli nuntio remittere vna cum tuo, de illo, iudicio. Idem* BERNAUDUS *mihi significat, Deum ipsi donasse medicinam, (vtor ipsius verbis) aptam naturae, ad conseruandam praesentem vitam breuem et aerumnosam in longitudine dierum et sanitate durabili, ac monet, si vel ego, vel tu miserimus ad ipsum eam petitum per fidelem aliquem nuncium, se illam ad nos missurum. Ego huiusmodi impensam sine summo meo incommodo facere non possum. Ipse quid sic facere aut velis, aut possis, cogitabis. Plura ad te scriberem, sed reliquiae tertianae febris, cuius heri secundum accessum habui eumque satis grauem et molestum, me impediunt. Post tuum hinc discessum, altero post die, inuasit me idem febris genus, sed post duos leues accessus me liberum reliquit, quod nunc non est, quod sperem; et sane mecum agitur, si valde diu me non detinuerit, vt annum abhinc tertium fecit. Deum*

oro, vt mihi patientiam et animi fortitudinem ministrare velit. Tu autem cura, vt bene valeas, id quod ab me vehementiſſime expetitur, et a Deo precibus aſſiduis contenditur. D. Racoviae d. 5. *Junii* a. 1603. *Tibi ex animo addictiſſimus in Chriſto frater et ſeruus Fauſtus Socinus.*

Diſentericae paſſiones eum d. 20. *Nov.* inuaſerunt, de quibus certiorem facit VAL. RADECIUM, *Paſtorem Claudiopolitanum, et Vnitariorum Superintendentem in Tranſyluania* per epiſtolam d. 23. eiusdem menſis l. c. p. 678. his verbis: „*Derepente incido in morbum, quamuis admodum breuem, moleſtiſſimum tamen et grauiſſimum, in Diarrhoeam inquam, qualem nunquam in mea vita habui, licet ſimili aliqua ex parte aliquoties laborauerim, id eſt, tam vehementem et copioſam, et cum tantis torminibus, ac dolore capitis ac ventriculi, et vna cum maxima nauſea, tanta anxietate et virium totius corporis proſtratione, vt iam morbum ferre non poſſem.*“ Primo quidem huius morbi caſu grauiore iterum liberatus eſt, ab hoc tamen tempore ſummam corporis imbecillitatem et totalem virium defectum ſenſit, ita vt raro ſaltem negotiis quibusdam ferendis par exſtiterit. Tanta eum violentia poſthac aduerſa valetudo inuaſit, vt quoque epiſtolam ad virum excell- quendam, intra multas hebdomadas, pertinaci aegritudine ſaepius impeditus ſcribere et ad finem perducere vix potuerit. V. Epp. p. 671. Quos interim labores adhuc perficiendos ſuſceperit, RADECIO in ep. allegata p. 679. his verbis nuntiat: „STATORIUS *poſt multam penſitationem ac cum aliis fratribus hac de re conſultationem, tandem, quod ad meos labores attinet, conſtituit, vt praeter* CATECHISMI, *qui edendus eſt, reformationem, cui vna cum ipſo vacare debeo, aliud nihil faciam, quam abſoluam reſponſionem meam, quam vulgo vocamus aduerſus Posnanienſes, quod quidem mihi gratiſſimum eſt, et quam primum manum illi operi perficiendo, Deo dante admouebo.*“

Tan-

Tandem a. 1604. d. 3. *Martii* in pago Luclaviciano, poſtquam teſtatus eſſet, ſe non magis aeui, quam inuidiae et moleſtiarum ſaturum, laeta atque intrepida ſpe propendere in ſupremum illum fati ſui articulum, qui miſſionem ab aerumnis ſimul et laborum ſtipendium oſtenderet. Aetatem ſexaginta quinque et quod excurrit annorum attigit. Sepultus eſt in eodem agro, et celebrator funeris ipſius exſtitit Stoinius, qui quoque breui poſt Socinum tempore, a. 1605. vita ereptus eſt. Vnica eius filia Agnes, praeter quam nullam reliquit ſobolem, nupta *Stanislao Wiſſowatio*, Philipovienſis ſatrapiae Vice-praefecto, filium peperit *Andream Wiſſowatium*, qui Bibliothecae fratrum Polonorum in lucem emittendae operam nauauit. V. B. A. P. I. p. 52. P. II. p. 1010. Ipſa haec Agnes fatis ceſſit *Robcoviae*, a. 1654. d. 20. *Jan.* Hoc enim tempore A. Wissowatium genitricem ſuam *Agnetem Socinam* amiſiſſe, Anonymus apud *Sandium* l. c. p. 244. teſtatur, qui de *Agnete* addit, quod in aedibus *Wiſſowatii* larga in ipſum coniugemque ac prolem pro beneficiis ad mortem vsque praeſtitis effuſa benedictione, Seruatori ſpiritum commendauerit, ibidemque a filio terrae mandata quieſcat.

Vix ſatis dici poteſt, quanta in aeſtimatione F. *Socinus* inter *Fratres Polonos* fuerit. *Eques Polonus* diuina eum luce colluſtratum iudicat, ipſique in eo ſtudio, ad quod ſublimis et pia mens inflammato impetu rapiebatur, non ſine diuina procul dubio ope magnam lucem repente obortam eſſe. Idem hoc nomine eum praecipue laudat, quod animo ſemper contenderit, coeleſtis fidei doctrinam tradere, ſuumque heroem cum Ignatio Loiola, Ieſuitici ordinis ſtatore, non inepte comparare videtur, de quo parallelismo inquit: „Ignatius, *vt alios taceam, maiorum noſtrorum memoria, patriam, agnatos, opes, honores, aliasque illecebras contemſerat, multos quoque labores, multa diſcrimina vltro ſubierat, Zelum gloriae Dei et*

 fidei

fidei militiam professus. Non despicio animi magnitudinem, quae in eo aut similibus nonnullis apparuit. Neque enim prorsus molli itinere ad gloriam contenderunt. Sed nondum hic video illud magis arduum, quod quaerimus, nobilioris fidei specimen." GE. ASHWELLUS l. c. p. 11. notauit, quod non impar sane aut incommoda *Ignatii* et *Socini* collatio fuerit instituta. Vterque genere nobilis. Vterque mundum et mundana saltem in speciem deseruit. Vterque duros labores tulit. Vterque Dei zelum et fidei militiam professus est. Vterque nouae sectae auctor e diametro quidem alter-vtrimque oppositae, sed aeque perniciosae. Vtrumque demum animi magnitudo, (vt illi loqui lubet) reuera insatiabilis ambitio et superbia et inanis gloriae cupiditas egit et impulit, ad nouam religionis fabricam, sectamque formandam. *Socini* autem eo maior gloria, ex huius scriptoris sententia, quod hic nouae quoque fidei typum, seu nobilioris fidei specimen, (vt loqui amat,) excogitauerit, et orbi christiano suscipiendum commendauerit. Par sane gloria vtriusque, par merces vtrique debita est.

Tandem PRZYPCOVIUS post alia circa herois sui celebrationem addit; „*Nemo memoria nostra de toto christiano orbe, sed in primis de Ecclesiis Polonicis melius meruit. Primum enim genuinam sacrarum litterarum mentem, tot editis lucubrationibus, innumeris in locis aperuit. Deinde sententias de Dei atque Christi persona, quas iam in Polonia vigentes deprehenderat, solidis argumentis confirmari et a subtilibus cauillis atque sophismatis perite defendi, vnus egregie docuit. Mox quasdam impias, alias profanas sententias, quarum exitiabile virus furtim in Ecclesiae gremium irrumpebat, felicissime exstinxit. Nemo acriter iudaizantes repressit, idem chiliastarum opinionem, idem multa praeterea alia fanatica somnia explosit.*" Non minoris eum aestimant alii ciuitatis huius scriptores. MOSCOROVIUS in praefatione, *defensioni animaduersionum* etc. *aduer-*

sus Gabr. Eutropium (B. A. P. 1. p. 520. N. 17.) praemissa, his verbis eum celebrat: „*Vir fuit ingenio prorsus admirabili, iudicio peracri, diuinarum litterarum eruditione mirum in modum praestans, pietate insignis, humilitate ac modestia christiana in omni vitae cursu conspicuus; candore eximio et prorsus singulari, et in quo omnia summa facile deprehendere posses. Priora illa excellenti naturae bonitate viro illi summa contigerant, reliqua indefesso labore pararat. Ad quae etiam adiutorem habuit, virum incomparabilem,* LAELIUM etc.“ VAL. SMALCIUS *in diario vitae* ad annum 1604. l. c. p. 1177. inquit: „*Die* 3 *Martii* hora 12 *lux theologorum nostri saeculi exstincta est. Amicorum meorum intimorum summus, illustris et reuerendus vir* FAUSTUS SOCINUS *Senensis. Anno aetatis suae* 65. *in Luclavice, vbi iam sepultus iacet.* His sequentes *Smalcius* adiicit versus:

O anime, o divine anime, o anima, o mea, nulla es,
Haec anima exanima est Te sine: nulla in ea:
Vox, animus, facies; mutata occaluit, haesit.
Coepta moritrix Te miscuit omnia vox.

* * *

Sozzinus moritur: fugit alta scientia rerum
Vix inter denos, portio dena latet.
Sozzinus moritur: sapere absque labore perit spes,
Et dubito, an magno deinde labore datur.
Sozzinus moritur, rasorum cornua sumet
Concilium; viuo hoc mitius illuderat.

An exstructum eidem fuerit monumentum, me fugit; si aliquod positum, destructum certissime est, cum post publicam proscriptionis legem omnia adeo familiae huius vestigia per Poloniam disiecta ac deleta fuerint. In fronte editae ab *Oedero* Catecheseos Racouianae, F. *Socini* icon conspicitur. Effigiei, quae Bibliothecae

FF. PP. limen decorat, hos verſus appoſitos conſpicimus:

Adſpice ſpectator, quae geſſerit ora Socinus.
Illa tibi vere parua tabella dabit.
Ingenii dotes, quas non ſolertia poteſt
Pandere pingendo, grande volumen habet.
E tenebris dudum latitantia ſphalmata traxit.
Tracta repellebat cuncta lumine Dei.

Iidem verſus effigiem ornant, quam *Pantheon Anabaptiſticum et Enthuſiaſticum* exhibet.

§. VIII.

Tanta *Fauſto Socino* iudicii, ingenii, ac memoriae vis a natura erat conceſſa, vt vix quisquam eum antecelluerit. Ad hanc acceſſit naturalis facundia, quae eum ad ratiocinandum et diſputandum reddidit expeditum. In ferendis omnis generis malis inſignem monſtrauit conſtantiam. Ab auaritia alienus, parſimoniae ſtuduit. His aliisque dotibus ac praerogatiuis inſtructus, in negotiis mirandum in modum adiutus eſt. Vitam egit modeſtam, omni genere honeſti conſpicuam, inſignem humilitatis ſpeciem non tamen ſine omni grauitate et honoris ſenſu prae ſe ferentem, et ad fauorem ſibi comparandum, compoſitam. In conſcribendis et diuulgandis libris nimium feſtinauit, et immodicum ſaepius in pugnis ſuis aeſtum demonſtrauit. Animus ſibi nimium placens, aliena conſilia ſententiasque ſuis opinionibus aduerſas deſpiciens, in ipſius vitae negotiis elucefcit, quamuis ſermonibus ac ciuili conuerſatione contrarium ſimulando ac diſſimulando haud raro monſtrauerit.

Copio-

* * *

Copiosissime et animi et corporis dotes in *Socino* delineauit GE. ASHWELLUS l. c. vbi, qui virtutes eiusdem legerit, animoque expenderit, cur in admirationem sui discipulos, occulta quasi quadam vi abripuerit, neminem fore, ait, qui dubitare possit; quam *Ashwelli* sententiam et acta et scripta *Socini* comprobant. Haec ZELTNERUS l. c. p. 348. allegans addit: „*Non iniuria ergo, quod de* FAUSTO MANICHAEO *Augustinus iudicauit*, MAGNUM DIABOLI LAQUEUM, *alterum hunc Faustum vel styli nitore blandientem, dixeris.*" Justa ipsi fuit corporis statura procerae vicinior, et plane virilis, habitus gracilior, intra modum tamen, teste PRZYPCOVIO; congrua et elegans membrorum proportio. Frons lata et porrecta, et oculorum maximus vigor. Vultus placidus ac decorus, ita tamen, vt oris gratia et venustas de illius vigore atque maiestate nihil imminueret. Habitus gestusque totius corporis ad summam elegantiam compositus. Haec omnia decorabat et multo gratiora reddebat ingenua educatio, et consuetudo vitae sermonisque cum principibus et viris primarii ordinis, quibuscum conuersari consueuerat. Quemadmodum enim erat vir genere nobilis, ita et aulicis moribus insigniter excultus, comis erga omnes et humanus, accessu et alloquio facilis, officiosus in amicos, erga cunctos affabilis. Imo honorem cuique vltra modum exhibuisse dicitur, adeo vt illi crimini daretur ab amicis, tantus sui contemtus et aliorum veneratio. His accessit modestus cultus, comptus tamen ac decorus. Etsi enim a fastu luxuque longe abesset, faciles tamen et in promptu habendas corporis munditias non adspernabatur. Prospera, quoad maximum curriculi sui spatium, vsus est valetudine, nisi, quod interdum calculi doloribus et passioni colicae obnoxius fuerit; in vltimo vitae decennio saepius diversa aegritudine affligebatur. In valetudine curanda eligendisque cibis

nimis ſcrupuloſus fuiſſe videtur. In ſumendo alimento enim non tantum praecifum ſeruauit ordinem, ſtatutumque tempus, ſed quoque medice viuere aſſuetus erat. Sic enim PET. STATORIO, in huius domo ſibi hoſpitium expetens d. 3. *Jun.* 1598. in Epp. p. 397. ſcribit: „*Alterius cuiusquam menſa vix ſine ſummo meae valetudinis diſcrimine vti poſſem, tum ob male diuiſa apud alios omnes tempora prandii et coenae, tum vero quod tibi ipſi non minus, quam mihi aliqua ratio ciborum et potus ex arte medica eſt habenda et ex parte habetur, quae ab aliis omnibus veſtratibus fere ſpernitur et diridetur. Adde quod longo vſu iam comperi, mihi licere apud te curare, vt ii cibi parentur, quibus ſine meae valetudinis incommodo vti poſſim.*"

Optimo magna ex parte ſenſuum vigore vtebatur, niſi quod lippitudinem nimiis lucubrationibus contractam querebatur, et auditu difficili laboraret. In ep. CHRISTOPH. OSTORODO d. 9. *Martii* a. 1602. data dolorem teſtabatur, quod propter oculorum infirmitatem saepius nec legere quidpiam, nec ſcribere poſſit. De difficili auditu adeſt teſtimonium in Ep. ad NIEMOIEVIUM d. 20. *Martii* 1587. ſcripta, l. c. p. 205. quo loco fatetur, niſi omnino articulate ac diſtincte verba proferantur, a ſemet intelligi non poſſe, praeſertim vt inquit: Ob valde obtuſas aures meas. Non tamen his per totam vitam laboraſſe; ſed malum hoc circa annum 1580 eum inuaſiſſe videtur. Eodem enim anno DUDITHIO, ſpem facienti, ſe *Cracoviam* venturum et eodem ſub tecto cum eo hoſpitaturum, in ep. I. p. 14. ſcribit: „*Certus ſum, me praeſentia tua non plene gauiſurum, nec te ex conſuetudine mea voluptatem vllam percepturum ob ſurditatem grauem, quam Deo viſum eſt mihi, forte, ut in maius mihi bonum cedat, immittere, quae me plane propemodum ineptum, nec vlli vſui habilem in familiaribus colloquiis reddit. Sed vtcunque ſit, vel ſolus tui conſpectus me recreabit magnopere.*"

Acre

Acre *iudicium*, quod ipſi a natura conceſſum erat, perpetuis meditationibus in dies magis acuebat, alienae inſtitutionis contemtor et quoad maximam partem ipſe ſuus Magiſter. Parum in initio litteris ſtudiisque propaedeuticis inſtructum feliciſſima mentis indoles in omnibus ita adiuuit, vt momentaneo ſtudio, vel prima quaſi delibatione, ea ſibi notiſſima redderet, quae alii inter multas lucubrationes vix capiunt. Fuit ipſi *ingenium* ſublime, acutum et ad omnia, quae ſuſcipienda et perficienda iudicabat, compoſitum. Quodcunque peragere ſtatuit laborum, ingenio ſuo ſuſtentatus, ſine mora exſequutus eſt, non ignarus mediorum ac ſubſidiorum, quibus omnia facile impedimenta ſuperare potuit. *Memoriam* tenacem ac promptiſſimam ad reddendum, quaecunque exceperat, habuit. Inſigne eius ſpecimen edidit in diſputatione cum Christiano Francken in ſynodo *Chmielnicenſi*, vbi ſine ope alicuius ſcripti 50 illius argumenta contra invocationem Chriſti ante excogitata ſecumque adducta et continuo prolata, vt tot argumentorum ſtrepitu et orationis conceptae flumine omnes ad ſe trahere ſtuduerit, Socinus eodem ordine repetiit et vnicuique reſponſum ſuum ſigillatim addidit, vt aduerſarius cum omnium admiratione perturbatus a palaeſtra diſceſſerit, teſte Przypcovio. *Eloquentia* eum commendauit non vulgaris et perſuaſoria, ad animi ſui cogitata expedite et absque linguae impedimento proferenda. Ipſe de dictione ſua in ep. ad Teucheum l. c. p. 399. fatetur, ſe perſpicuitatem quidem non indiligenter ſectatum, ſed puritatem et grandiloquentiam neglexiſſe quodammodo, certe non affectaſſe. Et in ep. ad *Val.* Smalcium, l. c. p. 520, non diſſimulat, ſe interdum contra leges grammatices quaedam admiſiſſe. Iudice interim *Reimanno* in *Bibl. Theol.* p. 666. copioſa, expedita et perurbana eſt eius oratio, verborum delectus eſt elegans, et apta et quaſi rotunda conſtructio.

Polo-

Polonicae quoque linguae notitiam aliqualem tempore longae in hoc regno commorationis ſibi acquiſiuit, vt, quae hoc idiomate ſcripta legebat, maxima ex parte intelligere potuerit, quod NIEMOIEVIO ſcripſit l. c. p. 205. et in adnotationibus ad quaedam verba *Niemoievii*, quae leguntur in tractatu *F. S.* de S. coena, Racov. 1618. 8. ita p. 69. de graui auditu et de modica notitia linguae polon. ſaltem de imbecillitate, animi ſui ſenſa in eadem exponendi, inquit: *Cum ego me defendere et purgare nequeam: vel, quia abſim, vel quia, ſi praeſens fuero, cum propter grauem auditum meum, tum propter linguae, qua in me inuehetur, ruditatem, quae ab ipſo fuerit dicta, percipere nequeam: et ſi tamen percepero non ad omnes ei reſpondendo loqui poſſim, ad quos ipſe me accuſando locutus fuerit: cum multi ex eo numero, ſint futuri, qui polonice tantum nouerint, ego vero polonice quidquam loqui nequeam.*" Ratiocinandi facultas ad differendum et diſputandum in eodem erat expedita, ſiue aliena impugnare, ſiue ſua defendere vellet. Documenta perſpicacis ingenii exhibuit in diſputationibus, quas frequenter cum dogmatum ſuorum aduerſariis inſtituit, in libris concinnatis et in quotidianis colloquiis, quae cum familiaribus data occaſione habuit.

Quas naturae acceptas dotes tulit, adauxit, expoliuit, et quantum potuit, adeo perfecit, vt multos iisdem antecelleret, inſtitutis ſaepius exercitiis. Dialecticae praeſidiis non niſi a natura eſſe inſtructum profitetur. Naturalem interim ratiocinandi facultatem et facundiam, aliquoties ſaltem Logicae naturalis habitus adiuuit, illasque dotes ad maiorem perfectionem euexit et exornauit. Ipſius tractatus: *de Sophiſticis elenchis* ſatis argumenti eſt, eum pro iſtius aeui more logicae quoque artificialis technis ac fallaciis probe inſtructum, earumque omnium bene gnarum fuiſſe, quas illa ſuppeditat ſcientia. Ipſe nihilominus fatetur in epp. l. c. p. 670: „*Leuiſſime et omni praeceptore*

ceptore destitutum se bonarum artium et litterarum studiis operam impendisse." Logicae in primis institutionis ignarum se fuisse, in Epp. p. 669. et in ep. ad *Dudithium*, se in logicis vltra id, quod natura docuit, non profecisse, significat. In Theologicis minus, quam mediocriter se profecisse testatur in Epp. p. 587. haecque addit: „*Id, quod ego ipse probe sentiens, nihil fortasse, tantis de rebus scriptis mandassem nedum scriptum publicassem, nisi aliqua necessitas id me facere coegisset; quod interdum puto non sine Dei nutu esse factum; cum ea, quae et scripsi et edidi, vt sine dubio maximi, (si vera, quemadmodum mihi persuadeo, sunt) in religione nostra momenti censeri debent, sic a plurimis doctis et piis hominibus non minus veritatis, quam singularitatis cuiusdam nomine commendari audiam.*"

Linguarum sacrarum cognitione mediocriter imbutus erat, nisi tantum forte prima illarum posuerit fundamenta. In responsione ad defensionem FRANC. PUCCII inquit: „*Graecos fontes, vt egomet omnibus dico, leuiter admodum degustaui, Hebraeos vix dum attigi.*" Et in responsione ad PIGHIUM minus, quam mediocriter in illis se esse eruditum profitetur. Vtebatur tamen *Jo. Forsteri* dictionario, nec non variis concordantiis. V. STEPH. GAUSSENIUS in diss. Theol. p. 29. Mediocres tamen in hisce omnibus profectus eidem in quocunque rerum statu animi praesentiam mirum in modum seruanti praesto fuerunt, vt eorum promptiorem faceret vsum et adplicationem, quam vix ac ne vix quidem alii, maximo omnis eruditionis adparatu instructissimi. Nec scientiae medicae eum prorsus ignarum fuisse, ex ep. ad CHRISTOPH. OSTORODUM d. 17. *Febr.* a. 1602. scripta, quodammodo colligitur, quippe in qua huic varia diaeterica praescripsit, imo medicamina ordinauit, nimirum vsum electuarii ex radice Helenii, siue Enulae Campanae, et aquae stillaticiae Cardui Benedicti. V. Epp. p. 469. et p. 473.

Indo-

Indolem ad omne genus honesti pronam atque paratam variis virtutibus, diligentia nimirum, modestia, mansuetudine, patientia, liberalitate in amicos et misericordia in pauperes, simplicitate et integritate morum excoluit. In perferendis laboribus omnium in se admirationem conuertit. Numquam otiosus adparuit, sed vel legendo, vel scribendo, vel disserendo occupatus. Dogmata sua, quae verbo diuino per omnia consentanea esse, cunctis persuadere voluit, quanta valuit solertia propugnare, disseminare et commendare non destitit, concinnatis integris libris, epistolis huc illuc missis, priuatis publicisque dissertationibus, longis praeterea et molestis itineribus, (quorum pleraque ab extrema *Silesiae* ora in intimam vsque *Lithuaniam* suscepta sunt); valetudinis, famae, facultatum dispendio, sui denique capitis periculo.

Candor et inaffectata simplicitas in moribus eius praecipue laudantur, quibus praeterea grauitas ornamento fuit, sine fastu et supercilio. Neminem vnquam contemsisse visus est. Ne ista quidem ignominia in iram profusus est, qua in Poloniam veniens ab Antitrinitariorum coetu repulsam tulit, nec ea propter hostilem animum ostendit, aut vllum alienatae mentis prodidit indicium. Quamuis enim natura ad bilem pronus ac praeceps fuerit, ita tamen adfectum temperauit, vt mansuetudo illa, quae post in eo eluxit, plerisque admirationi, et potius naturae donum, quam longae exercitationis fructus visa fuerit. Patientiae in omnis generis malis tolerandis, eximia dedit documenta. Quanquam enim natura irritabilis ingenii esset, et sensus valde delicati, adeoque omne malum eum penitus adficeret, acerrimoque dolore cor eius transfigeret; attamen etiam in grauioribus calamitatibus temperamenti sui victor exstitit. Hinc inter eius laudes magnopere celebratur, quod molestias ab aduersariis, iniurias a suis, pericula ab hostibus, ingratitudinem ab amicis, inuidiam a doctis, odium ab imperitis,

peritis, infamiam ab omnibus, pauperiem a fortuna, denique ab ipsis Antitrinitariorum coetibus, quibus instruendis, et in vnum coagmentandis tantum operae impendit, iugem, nec sine ignominia repulsam summa animi magnitudine perpessus fuerit.

Ab auaritia longe alienus fuit, imo promtus ad opera charitatis et quaecunque amoris et compatientiae officia vnicuique pro viribus praestanda. Reditibus ex facultatibus suis quas in Italia habuit, et stipendio pollens, Amanuensem in suum et coetus totius commodum aluit, immo quoque suis sumptibus libros quosdam typis exscribi curauit. Quamdiu post patrimonium ablatum, vel tenuissimo sumptu conditionem suam tolerare potuit, adduci non potuit, vt munera vltro sibi oblata caperet, quin etiam in egenos facultates suas erogauit. Interim aliquando quidam ciuitatis huius socii putarunt, eundem circa vltimos vitae annos congerendis pecuniis prorsus fuisse intentum, de qua fama ipse conqueritur in ep. ad ELIAM ARCISSEVIUM d. 15. *Febr.* 1595. l. c. p. 467.

Quidam eum vehementis, praecipitis aliquando, ac superbi animi accusarunt, qui alioquin ipsi non male cupiebant. Inter hos praesertim fuit socius eius atque amicus *Marcellus Squarcialupus*, qui occasione libri aduersus JAC. PALAEOLOGUM editi, in epp. p. 4. ita eum reprehendit: „*Nimis magna est alacritas tua*, SOCINE, *cum tibi quid in animum venit, cum decernis, illico ad opus adgrederis et acumine tuo illo, feruidoque studio cum veri, tum (ni fallor) etiam honestissimae laudis abreptus, et scribis et publicas tuos libros. Quid quaeso magis cauendum est, amore sui ipsius? At nimium sibi placet ille, qui grauissima cum tractet, argumenta, suos labores tam facile publicat. Quid si leuiora sectetur genera et in minime necessariis, neque ad se pertinentibus insudet.*“ Idem paulo post p. 6. „*Quid quod vt scio, non suspicor, immodicus est animi tui aestus in disputatione. Quoties volui te admonere disputantem,*

tantem, vel de re leui iurgantem et clamoribus maximis omnia perturbantem. — — — Si etiam cognoſceres modeſtiſſimum eſſe te, debere tamen, vt ne immodicum te dicere quis poſſet, ad amicorum conſilia ſemper accedere. Nihil aggredi non conſultis tuis, et nihil emittere, niſi bene ac ſaepe a libero iudicio Magiſtrorum excuſſum et examinatum." Et p. 10. „*Noui tuas inſignes et animi et linguae et calami dotes. Vnum in te deſideramus, vt minus tibi blandiare, magis aliis credas, qui te in tuis rebus poſſunt admonere. Eſt enim communis omnium ſiue morbus, ſiue virtus haec, vt facile ſordes alienas noſcamus, non perceptis noſtris.*" Tandem addit: „*Danda eſt opera, ne fallas noſtram opinionem. Falleres autem, ſi te maledicum agnoſceremus. Maledicentiam enim animus parit maleuolus, et cum ipſa maleuolentia pernicies et miſeria eſt, cum corporum, tum vero maxime animorum. Promptuarium omnium virtutum ſcis eſſe modeſtiam, neque tu ceſſas in aliis, et recte ſane, modeſtiae dignitatem laudare et vrgere. Caue* SOCINE, *vt ne te crimine illo condemnemus, quod minime in te cadere tibi ſuades.*"

Ad hanc accuſationem ita SOCINUS *Cracoviae* d. 20. *Nov.* a. 1581. l. c. p. 41. reſpondet: „*Si hoc propter iſtam meam duntaxat pro Racouienſibus reſponſionem dicis, nimis facile de me, meisque moribus iudicium fers. Nam praeterquam, quod vna hirundo, vt graecum prouerbium habet, non facit ver, erat tibi praeterea animaduertendum, non poſſe me in hoc facto nimiae alacritatis damnari, cum ego haud mea ſponte librum iſtum conſcripſerim, ſed eorum rogatu, quibus, in re praeſertim tam honeſta, non obtemperare religio mihi fuit. Scriptus autem eſt a me liber multo tardius, quam ipſi voluiſſent, publicatus vero non a me reuera, ſed ab ipſis, nec ſane propter multas cauſſas diutius eius publicatio differri potuit. Sin autem propter aliquas alias meorum librorum ſcriptiones, et publicationes iſtud de me dixiſti, quem ego, quaeſo, librum,*

non

non modo admodum praemeditatus, ſed etiam fere coactus non ſcripſi, aut quemnam alium adhuc publicaui? Quo circa plane immerito huius rei nomine me condemnas, et omnino iniuria me nimium mei amantem eſſe dicis, qui meos labores tam facile publicem. Neque in eo etiam recte ſentis, quod acumine, neſcio quo meo abripi me ad ſcribendum meos libros affirmas. In eo porro ſine dubio (vt veritus eſſe videris) egregie falleris, quod ad ſcribendum et quae ſcripſi publicanda, feruido ſtudio honeſtiſſimae laudis abripior, cum nihil minus, quam de laude aliqua mihi apud homines comparanda cogitem. Nec inter ea, quae commemoraſti, aliud quam veritatis ſtudium ad ſcribendum me mouet. Sed multo magis etiam id me mouet, quod a te prorſus reticetur, aliorum ſalutis, ac Dei Chriſtique gloriae deſiderium; aliquando fore ſperantem, vt mei labores in publicum edantur, in quibus reconditiora quaedam ad rerum diuinarum cognitionem pertinentia, quae iam diuina benignitate mihi patefacta fuerunt, comprehenſa atque explicata inuenientur." Et l. c. p. 43. *Hic vere* MARCELLE, *illud ingenue dicam, me tibi idem debere, quod aliis quibusdam amicis meis debeo, qui eadem fere de re interdum me monuerunt. Quanquam eo plus tibi, quam illis me debere agnoſco, quod ipſi nec tam aperte iſtud meum vitium mihi ſignificarunt, neque id, quod tu deinde addis, addiderunt; ſed illud prorſus me celarunt. Nec enim vnquam me inter diſputandum furere, mihi ne leuiter quidem indicarunt, qui vix me aliquando ſubiraſci, auſi ſunt dicere; at tu me ab ira ad furorem deuenire, idque leui de cauſſa aſſeueras. Hoc profecto non leue eſt vitium et me ſumma ope niti decet, vt eo prorſus liberer. Miror tamen, tibi haec de me viſa fuiſſe, cum ſaepe inter nos diſputationes de rebus non adeo leuibus inciderint; et tamen non modo aut iraſci me, aut furere, ſed ne vocem quidem nimis extollere ſenſeris, quin immo placidiſſime tecum agere, et auſim dicere, modeſtiſſime, nonnunquam potueris animaduertere. Nec me tecum loquentem aeſtu quodam commo-*

ueri vnquam, ni fallor, vidisti, nisi fortasse, cum, te tacente, nec aduersante, perpetua oratione vsus, de re aliqua grauissima ad christianam religionem spectante disserui. Quod certe vel vitium censeri non debet, vel illud non est, quod hoc loco in me reprehendis. Cum nonnullis praeterea aliis idem mihi saepe vsu venit, vt quamuis de rebus grauibus cum illis contenderim, tamen sedatissime et pacatissime id fecerim. Cum multis tamen rursus aliter mihi contigisse fateor, atque, vt arbitror, cum plerisque, inter quos ii etiam fuerunt, quibuscum me maiorem, quam cum aliis modestiam prae me ferre debere optime noueram. Id quod mihi ipsi est argumentum euidentissimum, etiamsi eius rei nulla alia praeterea aperta indicia haberem, id non immodestia aliqua mea reuera factum fuisse, sed disputandi illo ardore quodam, qui nulla personarum ratione habita, nunc magis, nunc vero minus accenditur, interdum etiam prorsus non exsistit; prout is, qui cum disputo, mihi disputandi ratione sua, harum rerum caussam quandam dederit. Illud quidquid tibi visum fuerit, constanter affirmare possum, me inter disputandum commoueri quidem saepissime aliqua ratione, id tamen dolore fieri, quod aduersarius veritatem, vt mihi videtur, agnoscere et amplecti nolit. Aliter autem animo me turbari aut irasci, vel perraro, vel fortasse nunquam contingere. Vtcunque sit, tibi immortales pro admonitione tua gratias ago. Namque ea, vt spero, fiet, vt posthac nemo me in disputando moderatum non esse merito affirmare possit." Eodem fere modo vehementem et aliquando immoderatum animum suum vel confitetur, vel excusat, vel etiam emendationem promittit, in ep. ad *Val. Smalcium*, d. 18. Jan. 1601. in epp. p. 551. *Amor meus in te, ardenti illi meo desiderio iunctus, vt id, quod verum esse credo, in rebus potissimum ad pietatem pertinentibus, semper obtineat, illius meae asperitatis sola caussa fuit, quam tamen ipse ego, vt nosti, non probo, tibique sancte promitto, posthac ita mitem me et tecum, et cum reliquis omnibus fore, vt non sit,*

ſit, cur veniam deprecer, vt tum, et quidem ex animo feci.

Jo. NIEMOIEVIUS in ep. ad F. S. data *Lublini* vltima *Febr.* 1587. in eodem malam fidem in praeſtandis promiſſis immoderate ſatis ac iracunde perſtringit; eumque inconſtantiae, leuitatis, ac curarum indecentium arguit l. c. p. 202. „*Frater noſter, Dominus* JOEL NABOROVIUS *excuſationem quandam nomine tuo attulit, quam ego non recipio, imo friuolam ac indecentem iudico. Si enim diuinis negotiis occupatus* — — *quod promiſiſti, non praeſtitiſſes, fortaſſis facilior venia dari potuit. Cum vero audiam, te plane carnalibus officiis et profanis curis occupatum, mirari ſatis non poſſum, quod talibus naeniis te excuſatum putes. Immo ſi recte rem expendere volumus, potius obiurgatione, quam excuſatione dignus videris, qui ſtudia tuasque occupationes a melioribus ad deteriora, a neceſſariis ad vana, a ſacris ad profana transtuleris: ita vt prouerbio locum feceris: Ab equis ad aſinos.*“ Idem in ep. GE. SCHOMANNO data, *Lublini* d. 8. Mart. a. 1588. inquit: „*Coeperam cum D.* SOCINO, *de quibusdam controuerſiis per ſcripta diſputare, ſed perſpexi, quod huic homini, non modo ego homo ſimplex, ſed ne ſapientiſſimus quidem ſit ſatis acturus: nihil enim tam bene atque iuſte poteſt adduci, quod ille in ſuam partem pertrahere non conetur. Quod, quamuis ſubtiliter faciat, adeo tamen interdum perplexus eſt, vt ipſe ſibi appareat contrarius. Quare conſtitui ſcriptione ſuperſedere; ſed ſi tamdiu vitam perduxerit Deus, in futura ſynodo Lublinenſi, cum ipſo coram coetu de his controuerſiis agam; et, etiamſi ipſe non adfuerit, conſtitui tamen, Deo iuuante, ea quae me in ipſius ſcripto (de S. coenae vſu et fine) offendunt, fratribus proponere.*“

Ex praedominantis temperamenti ductu repetitis quidem vicibus ad iracundiam et nimium calorem protrahebatur, quod tamen ipſum breui tempore poenituit.

PRZYPCOVIVS magnam in eo ad iram pronitatem notauit, quod natura eum ad bilem formauerit praecipitem, et quod vehementibus animi motibus eius indoles aeſtuauerit. Deuicit tamen paululum vigilantia ſua ac motiuis prorumpentes excandeſcentiae tempeſtates, et temperamenti indoles in animi aeſtibus tandem deferueſcendis ſuum ipſi contulit auxilium. Ad hoc acceſſit vita aulica, quae ita comparata eſt, vt animus ad iram procliuis in hac ſtatione facile compeſci et intra limites contineri poſſit. Vbi enim nec obloqui, nec contradicere licet, imo potius aſperiores voces manſueto animo excipi debent, ibi fruſtra accendimur ira. Non improbabile mihi videtur, *Socinum* ex hac ratione hocque incommodo vitae aulicae valedixiſſe.

Eorum quae a *Laelio* acceperat, et quae ipſe excogitavit, tenaciſſimus ſemper erat propugnator, hinc ne vnicum quidem in ſyſtemate ſuo errorem recantauit, nec vllis argumentis de contrario conuinci ſe paſſus eſt. Quamuis enim a quibusdam ſolide aliquoties et coram et per ſcripta fuerit refutatus, veritatem tamen amplecti ſuoque ſe abdicare inuento, ſibi dedecori reputauit. Quod ſibi haud raro contradixerit, a quibusdam, qui eius placita ſub examen vocarunt, in ipſo notatum eſt, imo id ipſe aliquando amicis ſuis confitebatur, non tamen ita plane, aperte ac cordate, ſed in omnibus, quae errauit, ſpeciem recti quaeſiuit. Tota eius vita occupata fuit, vt Chriſtum aeternum Patris aeterni Filium ſua inter mortales priuaret maieſtate, ipſiusque mediatorium officium et praeſtitam pro hominibus ſatisfactionem negaret, ac ſibi exinde perennaturam gloriam ac celeberrimum nomen acquireret. In hunc finem praecipue ipſius tendebant ſcripta, ſtudia, itinera et certamina, quae habuit cum *Jac. Paleologo*, *Jac. Coueto*, *Franc. Puccio*, *Franc. Dauidis*, *Erasmo Joannis*, *Andrea Volano*, *Jacobo Wuiecko*, *Gabriele Eutropio*, *Collegii Posnanienſis Canonico*,

nonico, Gregorio Zarnovecio, Niemoievio, Czechovicio, Mart. Seidelio, Ottone Casmanno, cum Anonymo auctore *Antisocini,* qui INNOCENTIUS GENTILETUS fuit et pluribus aliis.

§. IX.

Perplura *F. Socino* cum varii generis aduersariis fuiſſe certamina, expoſita vitae ipſius hiſtoria comprobat. Specialiorem horum indicem, ſcriptorum eius recenſio in primis polemicorum ſignificabit. Ingentem librorum, partim ſuo nomine, partim fictitio emiſit copiam, quos adiutus Laelii collectaneis breui tempore protruſit, poſcentibus amicis adhuc plures, quibus fabricandis propter anguſtiam temporis impar erat. Sectabimur vero in librorum cenſu ordinem, quo in *Bibliotheca* FF. PP. diſpoſiti animaduertuntur, et paulo fuſiores circa hoc argumentum verſabimur, quo ſimul palmaria diſciplinae Socinianae contenta et peculiaria quaedam totius hiſtoriae Antitrinitariorum momenta illuſtraturi ſumus. Primum locum in Bibliothecae Tomo primo occupant ſcripta eius *exegetica* et *didactica.*

*　*　*

Ingens quidem eſt ſcriptorum a *F. S*- editorum numerus; nihilo tamen minus plura edere apud ſe conſtituit, et coetus huius Antiſtites ab eo ſibi expetierunt. Proinde in ep. ad *Val. Smalcium* d. 16. *Apr.* 1600. hac de re inquit l. c. p. 550. „*Si mihi ea omnia ſcribenda ſint, quae vel ipſe conſtitueram, vel fratres cuperent, imo, vt ſcribam, perpetuo vrgent, opportere me et valde diu*

 viuere,

viuere, et quam optime aſſidue valere. At neutrum me ſperare ſinunt ſenectus mea, et corporis imbecillitas. Huc accedit, quod, quo vlterius aetate ac ſtudiis progredior, eo me ad ſcribendum aliosque docendos ineptiorem eſſe agnoſco. Quare iam reliquum hoc vitae meae tempus, non aliis, ſed mihi ipſi erudiendo, impendere velim." Interim a ſcribendo ab anno 1570 vsque ad obitum ſuum non ceſſauit. Haud pauca iam ante annum 1585. ab ipſo exarata fuerunt ſcripta, pauciſſimis tamen viſa, quae cum *Cornelio Daems* communicauit, qui illorum copiam *Vltraiecti* eruditis fecit. V. Epp. F. S. p. 97.

In his libris, quorum quidam deperditi ſunt, nouum religionis ſyſtema moliens, non ſatis putauit, vnum vel alterum fidei chriſtianae articulum impugnare, ſenſumque orthodoxum a maioribus acceptum corrumpere; ſed per ſingula theologiae capita aliam doctrinae formam proprio ingenio effictam introducere ſtuduit, ac proinde in fidei dogmatibus, in politia atque diſciplina eccleſiae, in ſacramentis, in cultus diuini actibus ſacrisque ritibus ad illum ſpectantibus, aliam longe faciem inducere conſtituit. In compendio illud et quidem propriis ipſiusmet SOCINI verbis tradidit *Calouius* l. c. f. 19 — 31. Manifeſtum eſt, vniuerſam haereſin ab eodem efformatam e lacunis corruptae rationis a *Laelio* ipſi monſtratis, parum aeſtimatis diuinae reuelationis fontibus profluxiſſe. Totam doctrinae compagem in eiusdem *ſumma religionis chriſtianae*, ſubtexta libello *de S. ſcripturae auctoritate*, in *vtraque catecheſi*, cuius fragmenta tantum reſtant, in *diſcurſu breui de ratione ſalutis noſtrae et de officio hominis chriſtiani*, nec non in diſcurſu breui, *ob quem creditur, vel non creditur Euangelio*, in compendio contemplamur. Hinc a diſciplinae ſuae adſtipulatoribus ac praecipue ab Equite Polono praedicatur, *quod religionem ante hac incognitam luci expoſuerit, quod ſtratam atque expeditam habeamus viam ad ſupremam beatitudinem, quam*

per

per plura annorum millia ante aduentum Christi humanum genus semper desiderauit, semper ignorauit, quam ipsi Mosaicae legis cultores pertenui aliquando suspicione odorati, nunquam aperte deprehendere potuerint, quam denique Apostolis a Christo patefactam mox succrescentium errorum spinis obsitam, atque dira obruente caligine abditam, rursus exacto fabularum senticeto ac reddita veritatis luce benignissimus Deus detexerit atque restituerit.

Ipse non obscure locum inter eos adfectauit, quorum ministerio Deus errores a *Luthero*, *Zwinglio*, *Oecolampadio* adhuc relictos prorsus ex Ecclesia eliminare voluerit. Id enim *solut. scrupul.* p. 47. praetendit; Deum per *Lutherum* a falsis cultibus et idololatria homines retraxisse et ad eiusmodi diuinarum rerum cognitionem adduxisse, quae satis esse poterit ad salutem aeternam; sed cum multa adhuc in doctrina eius essent, quae correctione indigerent, et facile a salutis via infirmorum animos reuocare possent, eorum correctionem non diu Deum distulisse — — sed per alios corrigere adgressum esse, idque perpetuo ad suam vsque aetatem. Idem persuasum est omnibus eiusdem sectatoribus, qui de eius obitu canere soliti sunt:

Tota ruet Babylon; destruxit tecta Lutherus,
Muros Caluinus, sed fundamenta Socinus.

Dirui autem ac euerti per *Socini* Systema ipsius christianae confessionis ac fidei fundamenta, inductione quorundam primariorum placitorum vnicuique patet. Ex illius tenore Christus nihil praeterea est, nisi vitae et morum magister, aut martyr quidam insignis. Proinde substitutio eiusdem vicaria pro hominibus negatur, ipsius sacrificium in coelum demum reiicitur, et sacerdotium metaphoricum effingitur, proinde omnes muneris mediatorii effectus ac saluberrimi fructus prorsus auferuntur. Ex systematis huius tenore Christi officium duntaxat fuit

docere et exemplo praelucere, non expiare, redimere, noſtramque ſuſtinere perſonam. Quam ob rem nonnulli ipſius *Socini* adeo aſſeclae his placitis offenſi ad alias partes tranſierunt, imo *Ruarus* cum aliis pluribus SOCINUM in hac parte deſeruit, qui Remonſtrantium opinionem ſuſceperunt; Videbatur enim illis doctrina de morte Chriſti, quam SOCINUS in ſcriptis ſuis propoſuit, *nemus Pelium*. *V. Epp. Ruari* edit. *Zeltn.* p. 17. *Sam.* quoque *Crellius*, qui alioquin *F. Socinum* ſummis laudibus praedicat, eum circa doctrinam de ſatisfactione Chriſti in alterum extremum fuiſſe delapſum, maxime dolet.

In quibusdam ſyſtematis locis *Socinum* non longe a Fanaticismo abeſſe, SEMLERUS obſeruauit. Sic in ep. ad *El.* ARCISSEVIUM ſcribit: *Aliud eſt* VERBUM DIVINUM INTERIUS, *quo mouemur, vt ea faciamus, quae iuſta eſſe cenſemus et vitemus iniuſta; et aliud* LUMEN ILLUD DIVINUM, *quod pertinet ad notitiam eorum, quae Deo placent, aut diſplicent; atqui non quicquid Deo placet, id etiam cuique homini iuſtum videtur.* Quidam notarunt, *Socinum* in plerisque ad agenda ſpectantibus, *Scepticum* fuiſſe, quod iudicium (cui tamen ſuffragium non adiicio) comprobare putant ex eiusdem de militia obeunda ſpecimine, in epiſtola ad CHRISTOPH. MORSTINIUM data, opp. T. I. p. 456. b.

In ſcriptis prioribus, et antiquis eorundem editionibus vsque ad annum 1594. nomen ſuum non addidit, (niſi quod in reſponſione ad Paraeneſin *Volani*, litteras nominis ſui initiales dedicationi ſubiecerit ſcriptae a. 1588.) maxime ex timore, quod ſupra ſignificauimus. Ipſe tamen aliam occultationis cauſſam venditauit, nimirum, quo liberiora iudicia de opinionibus ac inuentis ſuis excitare poſſet. Ita enim in ep. ad MART. CZECHOVICIUM l. c. p. 336. vbi de reſponſione ad *paraeneſin* VOLANI agit, inquit: „*Volui, vt ex inſcriptione appareret, hunc priuatum cuiuspiam laborem ac conſilium fuiſſe, vt ſi*

quid

quid in hac responsione vobis minus posse dictum videretur, non bona conscientia solum, sed etiam iure eam semper eiurare possitis." Voluit hinc latere sub nomine *Dominici Lopetii* S. J. *Prosperi Dysidaei*, (quae nomina ab ipsis conficta esse videntur, qui eius scripta edi curabant) et *Gratiani Prósperi*, quod adsciuit, cum a. 1586. *Jo. Licinii*, scholae Photinianae *Ixiviensis* (vel potius *Iviensis* B. A. P. 1. p. 431. 435. N. 5.) in Lithuania Rectoris dialecticam in lucem emitteret. In primis sub nomine Felicis *Turpilionis* s. *Turpionis* delitescere voluit. *Prosper* ac *Felix*, eandem notionem habent quod praenomen Faustus; *Turpio* vero vel *Turpilio* idem est, quod *Dysidaeus*; Δυσειδης enim *turpem* vel deformem notat, quae nomina ex patria eius lingua deriuata videntur, in qua Sozzo turpitudinis ac deformitatis ideam inuolnit. Saepius se hinc vocauit *Felicem* (Faustum) *Turpionem* (Sozzinum) *Vrbevetanum* (Senensem) V. ep. *Ruari* ad *Calovium* in *epp. Ruari* cent. I. N. 47. p. 227. Notauit Zeltnerus l. c. p. 347. 348. non sine omine ipsum sibi, vel alios ipsi imposuisse *Turpionis* nomen, cum illud habito significatus respectu, cum turpi doctrina, quam *Turpio* hie effinxit ac propalauit, conueniat. Hoc nomine etiam saepius ab aliis insignitus animaduertitur. Jo. Mich. Brutus, *Regis Poloniae historicus*, eum sub Turpilionis nomine Dudithio commendauit. Ita ille, in ep. ad hunc circa a. 1580. scripta, quae reperitur epp. *Bruti* a. 1583. *Cracov.* editis, p. 1576. inquit: „Turpi„lio, plane vir mirificus et dignus, quem de meliore „nota ames. Equidem ita afficior, vt non inuideam Re„gum deliciis, vbi liceat proelia miscenti interesse. Dig„nus vero, ille, qui tecum agat, aut praeterea nemo: „nam siue morum elegantiam, siue litteras, siue suauita„tem ingenii spectes, fateare, vix quidquam posse effingi „ad liberalem consuetudinem aptius. — — Mihi qui„dem, cum iuuenis admodum, XX. abhinc anno Lug„dunum venisset, vix vno aut altero congressu, sic mores

„atque ingenii indolem probauit, vt nunc prouectum „aetate, cum qua quidem ad caetera bona vſus multa„rum rerum et maximarum accedit, non patiar me ab „eo horae momento diuelli. Credas me efferri amore, „vt multa de eo dicam; de quo ſi vnum addam, quod „vere ſentio, rem totam videar complexus; quam ama„bilis ſuauisque ſit, nulla a me poſſe vi orationis ex„plicari.“

Iam ad recenſenda ſcripta F. S. accedo, quam operam alii quoque praeſtiterunt, nimirum *Sandius*, *Fabricius*, *Vogtius*, *Hoornbeckius*, *ll. cc. Henr. Flockenius*, Profeſſ. Harderovic in Theol. elenct. p. 37. ſeqq. et Anonymus in Diſſ. de *F. Socini* operibus 1636. 4. aliique plures. Quod de corpore ſcriptorum *Socini* colligendo, fautores illius Bataui iam a. 1628. cogitauerint, teſtis eſt epiſtola hoc ipſo anno ad *Ruarum* ſcripta, in huius epp. p. 608. *edit. Zeltn.* Prodiiſſe omnia *F. Socini* ſcripta iam a. 1612. in vnum corpus collecta, ſibi quis perſuaderet, qui in GERDESII *florilegio lib. rar.* p. 263. hanc allegationem legit: FAUSTI SOCINI *opera omnia* VI. *Volum. Racoviae* 1612. 8. *Editio rariſſima.* Sed alia ratione ſe res habet; libri enim *Socini* iſto tempore haud pauci in forma 8. Racoviae in lucem ſeparatim emiſſi, ac compacti, facile ſex vel octo volumina in 8. capere poſſunt.

Continentur F. *Socini* ſcripta duobus *Bibliothecae FF. PP.* voluminibus, quae poſt annum 1656. ſiue a. 1668. *Irenopoli*, h. e. *Amſtelodami* prodierunt, quorum primum, praemiſſa vitae *Socini* narratione, exhibet ipſius ſcripta *exegetica* et *didactica.* Horum vero titulos, eosque integros ex editionibus antiquioribus, rarioribusque ſuppedito, in quibus illi plerumque maiori ambitu exponuntur. V. B. A. P. I. p. 46. ſeq. Quaedam eius ſcripta in Bibl. FF. PP. bis excuſa reperiri, alii iam obſeruarunt. Ita e. g. contra Chiliaſtas tractatus T. I. p.

440.

440. et T. II. p. 457. occurrit, priori tamen loco quaedam inserta sunt, quae in posteriori non comparent. Haec autem sunt scripta F. S. exegetica et didactica.

I. *Concionis Christi, quae habetur capite quinto, sexto et septimo apud Matthaeum Euangelistam explicatio, dictata a Fausto Socino Senensi opus ad finem non perductum. Racouiae, typis Sebastiani Sternacii*, a. 1618. 8. Alph. 1. pl. 1. pagg. 373. et 8. praef. et corrigend. Editio haec *Sandio* incognita fuit, qui l. c. p. 76. nec plenum titulum exhibuit, nec impressionis locum et annum notauit. Editor anonymus, (fortassis *Hieron. Moscorouius)* breuem praemisit praefationem, in qua inquit: „*Huic diuinae Philosophiae* (ita sermonem Christi in monte habitum appellat) *vt lucis aliquid afferret, precibus quorundam inductus* F. SOCINUS, *vir incomparabilis dictatis quibusdam eam explicare instituerat. Quae licet ex tempore dictata, nec ab eo absoluta, ac ne recognita quidem fuerint, immo ab ipso quodammodo spreta, tamen cum nobis nequaquam contemnenda viderentur, obruta et sepulta puluere noluimus, sed ea cum pietatis et veritatis studiosis communicanda existimauimus, rati hoc nostrum consilium, illis nec ingratum, nec infrugiferum futurum.*" In explicatione ad Caput VI. 21. substitit, reliqua non absoluit. Eandem a. 1602. cum auctor oculorum fluxu et dolore laboraret, non praemeditatus Amanuensi dictauit, ne nihil ageret, et vt precibus et desideriis STATORII et VOLCKELII satisfaceret, qui hoc ipsum efflagitauerant, quod ipse exponit in epp. p. 471 et 473. Quamuis haud raro sensum litteralem non infeliciter explicauerit, et solius Grammatices beneficio verborum significatum nonnunquam praeclare eruerit; his tamen aliquando paradoxa, sibique familiaria adspersit. Circa expositionem orationis Dominicae p. 210. *Caluinum* vel potius *Gualtherum* in Cap. XI. *Luc.* et *Danaeum* in thesibus de adoratione, Lugd. 1589. sequitur, putantes, septimam precationem cum

cum sexta, vnicam saltem constituere, totamque orationem Dominicam sex absolui precationibus. V. *Reimannus* l. c. p. 663. Plura de hoc scripto *Socinus* exponit ep. 48.

II. *Explicatio primae partis primi capitis Johannis scripta a Fausto Socino Senense. Adiectae sunt* Cap. 9. Epist. *ad Rom. et aliorum quorundam S. scripturae locorum, eiusdem auctoris explanationes. Racouiae, typis Sebastiani Sternaccii. Anno* 1618. 8. pl. 8. pagg. 123 et 2. praefat. Editionem hanc adornauit eidemque praefationem praemisit *Hier. Moscorouius.* Explicatio magna ex parte, *Fausto* significante in *fragmentis de Christo* p. 3. desumta est ex *Laelii* sermonibus et scriptis: latineque primum a. 1562. conscripta deinde in lucem emissa ac postea polonice, absque auctoris nomine, quod indicat in libro contra *Eutropium* c. 4. in Epp. p. 497. et in *fragmentis de Christo* p. 1. Praefationem auctor ita inchoat: „*Multa profecto sunt, in quibus adhuc Christianus orbis coecutit*" etc. p. 1. Opus ipsum p. 4. incipit: *Quoniam, (vt in ep. ad lectorem monuimus) quae dicenda sunt*" etc. quae ipse *Sandius* l. c. p. 65. allegat, qui tamen circa hoc opusculum variis dubiis p. 24 et 34. agitatur. *Vid.* quae in recensione scriptorum *Laelii* N. III. dixi. P. 48. sequuntur breues Czechovicii exceptiones, cum *Socini* responsione, et p. 51. explicatio Cap. IX. ep. ad *Rom.* Huic ab editore addi potuisset, quod in hoc caput commentatus est *Socinus* in Epp. p. 475. seqq. Explicationes variorum Script. locorum p. 65. seqq. ex variis *Socini* operibus, *Moscorouius* collegit, eadem tamen non allegauit. Sic v. g. explicatis *Luc.* XVI. 19. p. 79. exstat in Epp. ad famil. p. 182. Scriptum hoc omnium, quae *Faustus* concinnauit, primum facit ordine temporis, quod testatur in ep. I. a. 1580. 3. *Non. Dec. Cracouiae* scripta *Dudithio* in Epp. ad *Dudith.* a. M. R. H. editis p. 13. his verbis: „*Nescio an oculis tuis oblata sit breuis quaedam explicatio*

„*initii*

„*initii primi capitis Euangelii Joannis* a ZANCHIO *et* BEZA, „*et ex parte a Polonis istis,* LAELIO *adscripta: ea vero* „*iam ante annos XVIII. ex officina nostra prodiit. Sunt* „*et alii mihi nonnulli libelli, operaque ad vmbilicum non-* „*dum perducta, quae ad idem argumentum referuntur.*" Paraphrasis *Laelii* in primam partem primi capitis S. Joh. Euangelii teste *Sandio* periit, qui hanc *Fausti* explicationem l. c. p. 66. impressam inuenit in opere *Ministrorum Transyluaniae et Sarmatiae consentientium de vno vero Deo Patre* etc. in quo libri secundi partem primam constituit, praefixamque habet praefationem. *Franc. Junium* eandem sine praefatione et in reliquis minus auctam, prout *Mſ.* ad eum peruenerat, edidisse, sub *Laelio* obseruauimus. Hanc in Polonicam linguam translatam et editam esse, antequam *Socinus* in Poloniam aduenerit, in ep. die 3. Febr. a. 1595. Cracouia CHRISTOPH. MORSTINIO scripta narrat. Translationis auctor GREGORIUS PAULI Bresinensis fuit, prodiitque polonico habitu teste *Hoffmanno* de Typograph. Pol. et Lith. p. 39. a. 1565. Racouianae editioni *Moscorouius* breuem ad auctorem praefationem praeposuit, eique in fine nomen suum adiecit. Sequitur hanc paulo longius auctoris ad lectorem praefamen, quo venditat, plures a se in coetibus Christo initiatis obseruatos esse errores, quos detegendos et confutandos sibi proposuerit, in primis autem falsam primae partis, primi capitis *Joannis* interpretationem, omnis erroris fontem reputasse, quam ob rem haud inanem nauaturum operam ratus, verum eius sensum aperire voluit, sicque telum hoc ex orthodoxorum manibus extorquere. Tandem haec addit: „*Nomen nostrum non adiecimus. Nam licet in iis regionibus simus, vbi ab hominum iniuria metuendum nobis non est, libuit tamen antequam nomen nostrum prodamus, aliorum exigui huius laboris nostri iudicium cognoscere, Apellis nobilissimi illius pictoris exemplo, qui post ipsam tabulam latens, opera sua transeuntibus iudicanda proponebat. Illud postremo scias, op-*

time

time lector, me quidem valde cupere, vt omnes meae opinioni adhaereant, quippe qui eam vt veriſſimam, ſic etiam vtiliſſimam eſſe iudicem, non tamen protinus, vel haereticos appellaturum, vel fratres non agniturum eos, qui eam et reſpuerint et pernitioſiſſimam quoque eſſe clamauerint; dummodo Chriſti vnici legislatoris noſtri praecepta pro viribus exequautur et diuinis teſtimoniis nos placide conuincere conentur."

In Iſagoge praemiſſa pro figmento habet, *Joannem aduerſus Ebionem et Cerinthum* Euangelium ſuum ſcripſiſſe; cauſſam huius erroris (vt vocat,) quorundam falſam imaginationem fuiſſe; qui cum viderent, *Joannem* in initio euangelii Chriſtum et verbum et Deum appellare, audirentque ab eo dici mundum per ipſum eſſe factum, nec verum interea Euangeliſtae ſcopum aſſequi poſſent, coeperunt altius et diuinius mente concipere, quam *Joannes* intelligere voluerit, nempe Chriſtum aeternum eſſe Dei Filium, parem in omnibus Deo Patri, ac ſecundam in Trinitate perſonam, immo ipſiſſimum Deum omnipotentem. Incipit p. 8. ipſa explicatio, in qua ſub *principii* notatione Chriſti aeternitatem deſignari negat, ordinemque potius earum rerum reſpici, quas *Joannes* de Jeſu Chriſto ſcripturus erat. Notare igitur *euangelii principium* a Joannis Baptiſtae praedicatione ducendum. Commati iſti: *et verbum erat apud Deum*, hunc ſenſum eſſe putat: *Jeſus quatenus Dei verbum, antequam Baptiſtae praedicatione pateſieret, ſoli Deo notus erat.* Verbum hoc ſ. Chriſtum dici Deum, ob eximia dona, quae a Patre ſuo accepit. In verbis: *omnia per ipſum facta ſunt*, etc. non de corporei ac viſibilis, ſed de ſpiritualis mundi ſtructura, quae Euangelii verbo conficitur, quo homines inſtaurantur et ſpirituali quadam ratione denuo creantur, ſermonem eſſe. Verba *καὶ ο λόγος σάρξ ἐγένετο* vertenda potius eſſe, ET verbum caro FUIT, quam factum eſt, fuſius diſputat. etc.

P. 48 — 50 *Martini Czechovicii* contra hanc explicationem obiectiones, vna cum *Socini* resionsionibus occurrunt. p. 51 — 64. exhibetur *Breuis explicatio et quasi paraphrastica IX. Cap. epistolae* ad Rom. ab eo loco V. 6. *Non enim omnes, qui ex Israel.* etc. Hac occasione vndecimum quoque caput eiusdem epistolae, maiore ex parte eodem modo explicatur. Tandem p. 65 — 123. sequuntur aliorum locorum explicationes, quarum exempla quaedam notamus. Ad *Gen. I. 26. Faciamus hominem.* In omni fortasse lingua obtinuit, vt cum aliquis se ipsum, quantumuis solum ad aliquid faciendum adhortatur, vel se facturum decernit, si id ita efferat, vt per subiunctiuum modum graece aut latine enuntiari debeat, numero plurali vtatur, vt apud LIVIUM lib. 39. *Annibal* venenum, sua sponte hausturus, *Liberemus*, inquit, diuturna cura populum Romanum. Ad *Gen.* III. 22. *Adam factus est sicut vnus ex nobis.* Vox *nobis*, eos vna cum Deo complectitur, qui cum ipso in coelo habitant, vitamque coelestem et immortalem degunt. Nam simplici etiam Dei, vel Jehovae nomine, huiusmodi etiam cohabitatores aliquando intelliguntur, vt *Psal.* 115. Coeli coelorum Jehouae, terram autem dedit filiis hominum. Ad haec locus ex hebraeo sic verti potest, *Ecce Adam factus est, vt vnus ex se ipso*, sciens bonum et malum. Ad *Jo.* V. 27. *Pater dedit potestatem filio iudicium facere, quia filius hominis est, et paulo ante dictum est: Patrem non iudicare quemquam, sed omne iudicium Filio dedisse, vt omnes honorificent filium, sicuti honorificant Patrem. Ex his locis manifestum est, Dei filium et quatenus homo est, adorandum esse et ideo adorandum esse, quia illi a Patre datum fuerit omne iudicium. Itaque erroris conuincuntur tum ii, qui, si Christus non sit aeternus Deus eiusdemque cum Patre essentiae, eum adorandum esse negant; tum ii, qui id circo eum adorari debere contendunt, quod aeternus Deus sit, et eiusdem cum Patre essentiae. — — — Si Christus aeternus et eiusdem cum Patre essentiae esset, quid opus*

opus fuiſſet, eum quidquam accipere? aut quomodo illi potuiſſet dari vlla poteſtas, ad hoc vt adoraretur? Hoc enim ille iam prorſus habuiſſet. Quandoquidem datio iſta ad aeternam illam generationem referri non poteſt, non ſolum, quia expreſſe dicitur, eam poteſtatem illi fuiſſe datam, quia ſit filius hominis, id eſt homo, et certum eſt, Chriſtum quatenus hominem, non eſſe aeternum. Sed etiam, quia expreſſum eſt, ita omne iudicium filio datum eſſe, vt pater non iudicet quemquam etc.

Vltima libri huius pars, idem libellus eſt, qui ſub titulo: *Explicationes et paraphraſes variorum ſ. Scripturae locorum, edente Moscorovio,* cum eiusdem praefatione, Racoviae a. 1614. 8. lucem vidit; quamuis ſpecialis praefatio in editione, quam indicauimus, deſideretur. Quae *Florianus Cruſius* circa hunc *Socini* libellum adnotauit, ſub illo in B. A. P. I. p. 214. N. 12. recenſuimus. Belgica verſio explicationis primae partis Cap. I. *Joannis* prodiit 1664. 8. V. *Reimannus* l. c. p. 663. ſeqq. Aduerſus hoc opuſculum contexuit Jo. COCCEIUS *conſiderationem principii S. Euangelii Johannis* Cap. I. 1 — 19. cum examine *παρερμενείων* F. *Socini, Georg. Eniedini, Val. Smalcii et Jon. Schlichtingii. Franeckerae* 1649. 4. 1654. 4.

III. *De loco Pauli apoſtoli in epiſt. ad Rom. cap. VII. Fauſti Socini cum nobiliſſimo quodam viro diſputatio. Ante annos triginta ſub nomine Proſperi Dyſidaei edita, nunc vero denuo excuſa. In qua id praecipue quaeritur, vtrum apoſtolus ſub ſua ipſius perſona de ſe ipſo iam per Chriſti ſpiritum regenerato, nec ne? loquatur. Editio ſecunda. Habes hic lector vniuerſam fere de renatis et non renatis hominibus quaeſtionem explicatam, et quid potiſſimum inter vtrosque interſit, accurate expoſitum. Rac. typis Seb. Sternacii* a. 1612. 8. pagg. 129. Rarior eſt prima huius libelli editio ex typographia *Alexii Rodecii Cracoviae* a. 1582. (non, quod *Sandius* prodit, 1583) 8. pl. 8.½ diuulgata

uulgata et quidem ipſius F. SOCINI ſumptibus, quare fortaſſis minor exemplarium numerus typis exſcriptus eſt. Ita autem in ep. ad MATH. RADECIUM, in Epp. p. 98. „*Cum nondum bonorum meorum iacturam feciſſem, meis ſumtibus libellum illum ex multis aliis potiſſimum publicandum mihi delegi, quia niſi vehementiſſime fallor, poteſt ea diſputatio — — facile lectorem minus vitae ſanctimoniae ſtudioſum ad eam totum traducere. Plurimum aueo ſcire, an idem tibi videatur, ac breuiter de toto libello iudicium cognoſcere.*" Prodiit quoque libri compendium a. 1591. 4. plag. 5. Hoc opuſculo, (quod in altera tituli pagina indicatur) ſequentia continentur: 1) *Fauſti Socini* (in prima editione legitur *Proſperi Dyſidaei) epiſtola ad lectorem, in qua huius diſputationis origo atque progreſſus eiusque edendae cauſſae exponuntur, et quorundam, quae in ipſius F.* SOCINI *(Dyſidaei) reſponſione reprehendi poſſe videbantur, ratio redditur* p. 3. 2) *Eiusdem F.* SOCINI (Dyſidaei) *ſcriptum, in quo breuiter oſtenditur, Paulum Apoſtolum in ep. ad Rom.* c. 7. *ſub ſua ipſius perſona de ſe ipſo vt renato non loqui* p. 7. 3) *Ad eundem de ſuperiori eius ſcripto epiſtola p. 17. ſcripta die* 12. *Febr.* 1581. *ab* J. N. (qui eſt *Jo. Niemoievius*, non *Niemoiovius*, quod ſaepius occurrit.) 4) *Eiusdem ad ſuperiorem epiſtolam vberior reſponſio* p. 27. *quae ſcripta* a *Socino die* 24. *Martii* a. 1581. V. *Placcius* N. 888. p. 245. *Fabricius* P. II. p. 60 et *Reimannus* p. 659.

Cum libri huius compendium allegatum nec a *Sandio*, nec a quoquam alio, notatum deprehenderim, hoc loco paucis illud ſignificandum puto. Titulus eſt: *De peccato et peccatorum remiſſione. Item ſcopus ſeptimi capitis ad Romanos. Transſcripta partim ex incertis, partim ex certis auctoribus. Ex ſuis fructibus cognoſcetis eos: Matth. 7. Luc. 6.* 1591. 4. *pagg.* 34. Editor anonymus rariſſimi libelli ita in breui praefamine ad lectorem inquit: „*Cum hisce poſtremis temporibus refrige-*

rata charitate et abundante malitia, viderem, tot, tamque graues, tam pertinaces, pernitiosasque in religione dissensiones, cogitaui hoc nostrum saeculum — — — in profundis adhuc ignorantiae tenebris esse demersum: cum tam confuse inuicem, tamque diuerso inter sese sermone tumultuentur. Quos ego singulos suo commendans iudici nullum damnare audeo, quippe ignarus, quo quilibet ducatur spiritu: cogitans quemlibet fortassis aliquid pro virili, vel ad tabernaculi constructionem, vel ad confusionis destructionem conferre velle: aut certe Dei studium quidem habere, licet non in omnibus secundum scientiam. Proinde timidus ad iudicandum: vel ideo, quia MICHAEL *ille princeps Angelus, disceptans cum Diabolo de Mosis corpore, vt est in ep. Judae, non ausus fuit sententiam ferre maledicam, sed dixit, increpet te Dominus. Multo minus ego maledicere cuiquam audeo: sed potius mecum reputo, num aliquo modo cognoscere possem, penes quem maior fuerit veritas. Hoc perpendens in mentem mihi venit Christi consilium dicentis, Joan. 7. vt Dei voluntati pareamus, sic enim cognoscemus, de doctrina, an ea sit a Deo. Quare illam arripiendam duxi, quae nos magis Dei metuentes, ipsiusque voluntati obedientes, magisque demissos, benignos, clementes, misericordes, ac salutem nostram cum timore ac tremore procurantes reddit: neminemque damnemus, sed omnium saluti studeamus. Talia docentes caeteris praestare comperi. Illam autem doctrinam, quae homines reddit audaces, inflatos, saeuos, persequentes, aliorum damnatores et sui securos maxime fugiendum censeo. Hoc consilio fretus non dubitaui breuissimos hosce tractatulos, meum quidem animum ad diuinam pietatem concitantes, aliis etiam proponere, ne mihi soli laborauerim, hominibus prodesse cupiens. Neque tamen haec, vt sacrosancta alicui obtrudere statui, sed volentibus, non nolentibus, ea legenda proponere, non inutile esse deprehendi. Probentur omnia, bona teneantur.*" In exiguae molis libello sequentes continentur tractatuli breuiores: *1) De*

peccato

peccato et peccatorum remissione, incerto auctore. 2) *Scopus septimi capitis ad Romanos, incerto auctore.* 3) *De eodem septimo cap. ad Rom. ex* SEBAST. CASTELLIONIS *defensione suae translationis noui foederis.* 4) *Ex annotationibus* ERASMI *in cap. sept. ad Romanos.* 5) PROSPERI DYSIDAEI (F. *Socini*) *scriptum, in quo breuiter ostenditur: Paulum Apostolum in ep. ad Rom.* c. 7. *sub sua ipsius persona de se ipso vt renato non loqui.*

Historia disputationis de capite VII. ep. ad Rom. *Racov.* 1612. 8. exstat in praefat. ad lectorem, epistolis etiam *Socini* ad amicos p. 340. et ad *Andr. Dudithium*, p. 78. inserta, et in *praefat. ad defensionem huius disput. Racouiae* 1618. edita, eaque multo locupletior, quam tradidit eam *Sandius* l. c. p. 70. Promittit etiam auctor in ep. ad *Radecium* l. c. p. 170. se vberius aliquando discussurum hoc argumentum; eaque omnia publice correcturum, quae in hoc commentariolo sibi minus recte exciderint; quod tamen promissum non exsoluit, sicut nec illud, quod in praef. dedit, se nimirum in posterum opinionem istam pernitiosam, de Christianorum necessaria in hac vita perfectione, nominatim et copiose refutaturum. Male tulit SOCINUS NIEMOIEVIUM in hac disputatione contradicentem, quem tamen manus iam dedisse, DUDITHIO significat, in ep. IV. ad eundem, *Id. Martii* 1583. scripta, in Epp. ad *Dudith.* p. 78. Ita vero inquit: „Auctor epistolae, ad quam respondeo, est NIE„MOIEVIUS, homo procul dubio dignus, cuius consuetu„do magni fiat, quemque ipse vehementer et amo et aesti„mo, et reuereor, quamquam in non paucis opinioni„bus meis, quarum ad ipsum notitia peruenit, mirum „in modum mihi sit aduersatus, atque etiam nunc aduer„setur. Verum enim vero de die in diem mitescit, ac „paulatim animaduertit, non esse me tam atrum, quam „a nonnullis depingor, quin et in hac ipsa disputatione, „quantum ad praecipuum eius caput, hoc est, an PAULUS

„eo in loco, de ſe ipſo tanquam regenerato loquatur, nec „ne, dici poteſt, eum manus iam dediſſe, vt qui inter „alia confeſſus ſit, mea ſibi reſponſione, oculos apertos, „ita vt longe melius, quam prius, quod ſit hominis chri„ſtiani officium, cognoſcat." In quibus autem, praeter hanc diſputationem, momentis SOCINO contradixerit NIEMOIEVIUS, ex eius epiſtolis ad SOCINUM, huiusque ad illas reſponſionibus patet. v. Ep. 12 — 16 in Epp. *F. S. ad familiares.*

IV. *Fauſti Socini Senenſis defenſio diſputationis ſuae de loco ſeptimi capitis epiſtolae ad Romanos ſub nomine Proſperi Dyſidaei ante* 12 *annos ab ſe editae, aduerſus reprehenſiones N. N. Miniſtri (vt vocant) euangelici nuper ſcriptas et ab amico ad ſe miſſas. Anno* a *Chriſto* nato *1595 Racoviae, typis Seb. Stern.* a. *1618*. 8. pl. 7½ ſ. pagg. 118. Haec defenſio ſub forma epiſtolae conſcripta *Cracoviae* et abſoluta d. 14. Nov. 1595. dicata eſt NICOLAO BARNAUDO (*Bernhardo*) Medico ac Philoſopho eximio, qui cum auctore reprehenſiones miniſtri euangelici, de quarum acerbitate SOCINUS conqueritur, communicauerat. Quis ille ſit ex euangelicis, cui haec apologia oppoſita eſt, nec *Sandio* l. c. p. 74. nec vlli alii, quantum ſcio, nec ipſi SOCINO perſpectum fuit, quod praefixa ad *Bernaudum* epiſtola oſtendit. Ex aduerſo auctor modeſtiam et docilitatem Jo. NIEMOIEVII laudat, qui, licet in principio aduerſus *Socinum* pugnauerit, paulo tamen poſt ipſius ſententiae calculum adiecit. De hoc argumento in *Synodo Lublinenſi* a. 1589. agitatum *Calovio* obſeruante in diſp. de Socin. theol. prima origine, p. 70. et iam antea *Wengroviae* in Synodo 1584. ventilatum eſt. V. ſub *Mart. Czechovicio*, B. A. P. I. p. 236. N. 13. Prodiiſſe hanc epiſtolam Belgice translatam a. 1664. 8. SANDIUS l. c. p. 74. notauit. Verſioni huic in fine adtextum eſt: *Het Kort begryp van de Chriſtelyke Religie*, quod F. *Socini Summa Religionis Chriſtianae* eſt.

V. *Ex-*

V. *Explicationes et paraphrases variorum scripturae locorum, edente Hier. Moscorouio* cum eiusdem praefatione *Racov.* 1614. 8. Idem libellus operi No. II. subiunctus p. 65 — 124. idem sine dubio, quem in catalogo scriptorum *Socini Msc.* ab anonymo quodam concinnato, ita allegatum animaduerto: *F. S. commentarii in multos praesertim obscuriores S. Scripturae locos.*

VI. *Commentarius in epistolam Johannis Apostoli primam Fausti Socini Senensis. Rac. typis Sternacianis.* a. 1614. 8. pagg. 523. et 6. dedic. Edidit scriptum hoc ab auctore a. 1604. in calamum dictatum, nec ab ipso recognitum *Val. Smalcius*, eique praemisit dedicationem ad *reipublicae Argentoratensis Senatores*, scriptam *Rac.* d. 20. *Nou.* a. 1614. (V. B. A. P. II. p. 869. N. 26.) Hanc excipit breuis ad lectorem praefatio, in qua ita scribit: „Significandum tibi duxi, hunc librum vno ante auc„toris obitum anno nempe 1604. in gratiam viri cuius„dam nobilis Germani, qui Parisiis in Poloniam, inue„stigandae veritatis euangelicae caussa, venerat, et alio„rum quorundam Theologiae studiosorum, Rac. ex tem„pore, ab illo dictatum et postea nunquam recognitum fuis„se.“ Quae Sandius l. c. p. 75. perhibet a. 1603. fabricatum esse sub nomine *Vrbeuetani*, ex dictis a *Smalcio* sunt corrigenda. Iudice *Reimanno* p. 663. commentarius explicationibus nouis, sed lubricis iisdem repletus, paradoxologiis constipatus, controuersiis etiam theologicis nonnunquam, vtvt parum opportune onustus; et audacioribus quibusdam tentaminibus criticis ita contaminatus, vt temeritatis cuiusdam non immerito postulari queat.

Ad. *Jo.* V. 7. cum peruenit, testatur, se explicatione dicti huius merito abstinere, cum satis manifestum sit, verba haec non genuina esse, sed ab hominibus in hunc locum infarta, qui suum dogma de trino et vno Deo, quacunque ratione defendere et propagare voluerint.

Prouocat hinc partim ad ipſum contextum, partim ad varietatem in exemplaribus, tam Graecis, quam Latinis, partim quia antiqui Patres Eccleſiae Graeci et Latini nunquam triplicis huius teſtimonii, Patris, verbi et Spiritus S. in coelo teſtantium mentionem fecerint. Teſtes quoque aduocat ſententiae ſuae et *Eraſmum* et *Louanienſes* in adnotationibus ſuis in hunc locum. Quamuis vero pro addititiis habeat teſtimonii huius verba, ita tamen explicat, vt cum diſciplina ſua conſentire videantur. Tandem addit: „non poteſt vllo pacto ex iſtis verbis vna et „eadem eſſentia Patris, verbi et Sp. S. confirmari, vt a „noſtris hominibus copioſe et multis exemplis allatis de„monſtratum eſt in interpretatione eorum verborum „Chriſti: Ego et Pater vnum ſumus: neque hic quidquam „eſt opus ea in medium afferre; praeſertim cum locus „ipſe ſatis doceat, iſtam veritatem pertinere ad ipſum „teſtimonium, hicque aliud nihil dici, niſi quod Pater, „verbum et Sp. S. vnusquisque teſtimonio ſuo hoc vnum „teſtatur, quod Jeſus eſt Chriſtus, ſeu Dei Filius." — — — Idem dicitur de Spiritu et aqua et ſanguine, in quibus alia vnitas eſſe nequit, quam teſtimonii.

De dicto v. 20. ita iudicat: „Nemo neſcit, haec „verba vulgo ac paſſim afferri ad probandum, quod J. „Ch. ſit verus Deus, adeo vt non defuerint ex illis, qui „ſentiunt, ipſum non eſſe illum vnum verum Deum, qui „conſenſerint, haec verba ad ipſum Chriſtum referenda „eſſe; non animaduertentes, in graeco ante voces, VERUS „DEUS, eſſe articulum, qui ſignificat, hic agi de illo vno „vero Deo. Et ſane talem eſſe Jeſum Chriſtum, ii con„tendunt, qui hunc locum proferunt, ad Chriſti diuini„tatem probandam. Cum igitur iſtud, quod contendunt, „ex hoc loco colligi, illis nullo pacto ſit concedendum, „(quandoquidem ex proximis ſuperioribus verbis mani„feſte conſtat, Apoſtolum diſtinguere inter verum illum „vnum Deum et Jeſum Chriſtum eius filium) non eſt

„etiam

„etiam illis vllo modo concedendum, verba iſta: HIC „EST VERUS DEUS, ad ipſum Chriſtum referenda eſſe. „Nam quod iſti ipſi aiunt, aduerſus quos nunc diſputa- „mus, pronomen HIC prorſus oſtendere, verba iſta re- „ferri debere ad J. C. proxime nominatum, id non vno „modo ac ratione refelli poteſt, quemadmodum oſtendi- „mus in refutatione noſtra libelli JACOBI WUIECKI: ſed „tamen hic quoque, vt videlicet in ſuo proprio loco, ali- „quid hac de re dicendum eſt. Primum igitur dicimus, „apud omnes probatos ſcriptores, tam profanos, quam „ſacros, ſaepe inueniri pronomen relatiuum, non id, vel „eum referens, qui proxime ante nominatus fuit, ſed qui „remotius; praeſertim ſi contingat, remotius nomina- „tum eum eſſe, de quo praecipue agitur. — — — e. g. „2 Theſſ. II. 9. CUIUS ADVENTUS eſt SECUNDUM OPERA- „TIONEM SATANAE. Vbi nemo non videt, neceſſe eſſe „verba fieri de FILIO ILLO PERDITIONIS ante nominato; „cum tamen non ipſius, ſed DOMINI, id eſt, Chriſti pro- „xime facta fuiſſet mentio; et quod plus eſt, etiam ip- „ſius aduentus, vt in verbis a nobis citatis aduentus fit „mentio illius, de quo verba fiunt. — — — Act. X. 6. „HIC HOSPITATUR APUD QUENDAM SIMONEM CORIARIUM, „CUI EST DOMUS IUXTA MARE, HIC LOQUETUR TIBI, QUID „TE OPORTEAT FACERE." Manifeſte apparet, in his ver- bis pronomen HIC, „ſecundo loco poſitum, non ad SI- „MONEM CORIARIUM, proxime nominatum, ſed ad SIMO- „NEM PETRUM, pronomine HIC, priore loco poſito, ſig- „nificatum omnino referre debere. Taceo, quod nullus „eſt ſcriptor minus huius rei obſeruans, vt relatiua pro- „nomina proxime nominatum referant, quam ſit hic no- „ſter, vt in hac ipſa eius epiſtola — — obſeruatum eſt. „Nullam igitur vim habet, praeſertim apud hunc ſcrip- „torem, quod Dei Filius J. C. proxime ante nominatus „fuerit, ad probandum, quod pronomen HIC ad ipſum „referri debeat; quod eo magis ſine vlla dubitatione af- „firmandum eſt, quod non modo conſtat Deum, cuius

„J. C. eſt filius, eum eſſe, de quo hic praecipue agitur, „verum etiam, vt antea diximus, ipſe noſter ſcriptor proxime apertiſſime diſtinxit inter illum verum Deum et inter Filium eius J. C. Quomodo igitur ad ipſum C. J. „poſſunt referri verba iſta, HIC EST ILLE VERUS DEUS? „Quid eſſet ſibi ipſi aduerſari, et confundere ac peruere„re antea dicta, ſi hoc non eſſet, quod Apoſtolus hic di„ceret, J. C. Dei Filium eſſe illum verum Deum? Quis „eſt tam ſtupidus, qui vel ex hoc ipſo, quod hic diſerte „exprimitur, J. C. eſſe illius veri Dei Filium, non intel„ligat, neceſſario conſequi, C. J. non eſſe illum verum „Deum? Num poteſt quis ſui ipſius eſſe filius? Faceſ„ſant igitur iſtae non minus imperitae, quam abſurdae „interpretationes, et ſane miremur, inueniri homines, „iudicio alioqui et eruditione praeſtantes, eosque valde „multos, qui plane velint, propter id tantum, quod J. „C. proxime fuerit nominatus, omnino de ipſo dicta fuiſ„ſe verba iſta, HIC EST ILLE VERUS DEUS," etc.

Dedicatoriae SMALCII epiſtolae viſum eſt *Argentoratenſi Senatui* Apologeticam Eccleſiae ſuae miniſtrorum opera opponere, quam GOTARD. ARTHUSIUS *Dantiſcanus*, *Mercurii Gallobelgici* Tom. X. L. IV. p. 148. ſeqq. inſeruit hoc modo: „Qua fraude, dolo atque verſutia „Spiritus tenebrarum, Orthodoxis olim Eccleſiis in Orien„te, blasphemum et impium dogma haereſeos Arianae, „diuinam Chriſti Seruatoris noſtri naturam negantis et „impugnantis, non tantum obtrudere conatus fuerit, ſed „hoc ipſo impio dogmate uniuerſam fere orientalem Ec„cleſiam compleuerit et occuparit, illud ex H. E. *Euſebii*, „*Socratis*, *Theodoreti* et aliorum tam notum eſt, quam „quod notiſſimum. Refert in primis *Theodoretus* L. 2. „cap. 18. et ſeqq. in Synodo Ariminenſi, ex Occidenta„libus ſimulatque Orientalibus Epiſcopis collecta et con„uocata, tandem ab Arianae factionis propugnatoribus „ſub *Conſtantio* Imperatore, nihil aliud quaeſitum fuiſſe,

„quam

„quam pacem et concordiam cum Orthodoxis, ſi modo „vocabula ϐσιας et ομοϐσιϐ de formula fidei eximerentur. „Negabant enim ferendum, vt Eccleſiae corpus diſtrahe„retur propter duas voculas, quae in ſcriptura nusquam „reperiuntur. Qua fraude factum ſane eſt, vt alii qui„dem per impoſturam, alii vero per terrores adacti con„feſſioni Arianorum ſubſcripſerint. Longe maior hoc „noſtro ſaeculo videtur eiusdem ſpiritus tenebrarum ſiue „aſtutia, ſiue malitia, qua blasphemum et impium dog„ma Arianum non ex profeſſo interdum et aperte, ſed „occulte quaſi aliud agens in Eccleſiam paulatim introdu„cere conatur. Ea ratione anno ſuperiore proximo 1614 „*Racouiae* Polonorum, opera et ſtudio cuiusdam VAL. „SMALCII *Gothani*, editus eſt libellus F. SOCINI *Senenſis*, „qui inſcribitur, *Commentarius in epiſtolam Johannis Apo„ſtoli primam*, quo in titulo, niſi ipſius auctoris confeſ„ſio nota eſſet, nulla omnino Arianismi ſuſpicio apud „ſimpliciores locum inuenire poſſet, idque eo minus, quo „puriorem et ſinceriorem in religione *patronum Val.* ille „*Smalcius* in epiſtola dedicatoria huic libello quaerere „non erubuit, Ampliſſimos videlicet (vt ipſe appellat) il„luſtris Reip. Argentoratenſis Senatores, Dominos, (ſi „diis placet) ſuos gratioſiſſimos: Quos huius haereſeos „hoſtes eſſe acerrimos, ex publicis Eccleſiae Argentora„tenſis confeſſionibus ſufficientiſſime demonſtrari poteſt. „Tanta tamen huius haeretici eſt impudentia, temeritas „et audacia, vt eosdem in patrocinium totius illius Com„mentarii inuocare minime dubitauerit; adeo, vt ex prae„fatione illa in ſuſpicionem fere quis adduci poſſet, ali„quam noſtrae Eccleſiae cum hoc homine eiusque aſſeclis „colluſionem in confeſſione exiſtere. Quo pertinet illa „in fine praefationis inſignis commendatio, quod ex ſen„tentia ſuarum Eccleſiarum inter Reformatas ad Chriſti „Euangelium Reſpublicas et Eccleſias, noſtra non poſtre„ma ſibi viſa fuerit. Praecipue autem precatiuncula, qua „praefationem ſuam concludit: *Deum potius ex animo*

„*oro, vt propitius vobis ſemper adeſſe velit, et efficiat, vt „in iſtis rebus, quae ad Religionem ſpectant, et quibus nunc „caretis, in dies magis magisque proficiatis.* In ipſo vero Commentario diſtinctis in locis blasphemo ore et „calamo vera diuinitas J. C. negatur et impugnatur. Ex „multis vnicum ſaltem ac praecipuum huius impii dog„matis exemplum allegabimus. Plures enim eiusmodi „blasphemias de Domino noſtro J. C. vero Deo et homi„ne in vna perſona proferre, et ex maledicto ore haere„ticorum repetere, ipſa pietas et religio non admittit. „Pag. 516. et ſeqq. Ad illuſtre illud teſtimonium pro „vera Chriſti diuinitate aſſerenda: *Hic eſt verus Deus et „vita aeterna,* prolixe ſed fruſtra conatur refutare eos, „qui haec verba afferunt ad probandum, quod J. C. ſit „verus Deus. Inter alia ſic ſcribit. Et ſane talem eſſe „Jeſum Chriſtum (videlicet verum Deum) ii contendunt, „qui hunc locum proferunt ad Chriſti diuinitatem pro„bandam. Cum igitur iſtud, quod contendunt, ex hoc „loco colligi illis nullo pacto ſit concedendum: non eſt „etiam illis vllo modo concedendum, verba iſta: *Hic eſt „verus Deus,* ad ipſum Chriſtum referenda eſſe. Suf„ficiant blasphemiae in Chriſtum Seruatorem noſtrum, „quem vnum verum Deum eſſe cum P. et Sp. S. nos Dei „gratia credimus, docemus et confitemur. Abſit igitur, „et abſit longiſſime, *Lector Chriſtiane* atque beneuole, vt „occaſione epiſtolae dedicatoriae *Val. Smalcii* ad incly„tum noſtrum Magiſtratum Argentoratenſem eam in ſu„ſpicionem adduci te patiaris, quaſi vel ab Ampliſſimo „noſtro Senatu, vel a Miniſterio Eccleſiaſtico, obſcuro „huic et impio homini, *Fauſti* illius infauſtum Commen„tarium publica praefatione inſcribendi et dedicandi vlla „etiam vel minima occaſio data fuerit: Tantum abeſt, vt „aliqua ſaltem cum gratia, fauore atque beneuolentia epi„ſtola illa dedicatoria recepta fuerit. Diligenti inquiſi„tione inſtituta, certo tamen hactenus ſciri non potuit, „a quo et per quem Commentarius iſte *Socini* ad nos

„per-

„peruenerit. Habeat igitur ſibi cum ſuis ſuum Com„mentarium *Val.* ille *Smalcius:* Nos per Dei gratiam „cum eodem nihil vmquam in hac impia, haeretica, blas„phema, Photiniana et Ariana opinione commercii aut „colluſionis habituros, publica hac epiſtola coram vni„uerſa Eccleſia proteſtamur. Deus in ſemel agnita veri„tate nos conſtantes vsque ad vitae finem conſeruare dig„netur. P. P. *Argentorati,* 4. *Sept. Anno* IesV ChrIſtI „noMen VerI DeI (1615.)"

VII. *De S. Scripturae auctoritate. Opuſculum temporibus his noſtris vtiliſſimum. Quemadmodum intelligi poteſt ex praecipuis capitibus rerum, quae in ipſo continentur. Ea autem notata ſequenti inuenies pagella. Per R. P. Dominicum Lopez Societatis Ieſu. Hiſpali apud Lazarum Ferrerium* 1588. *Cum priuilegio ſuperiorum.* In 12. pagg. 80. et 6. praef. et a. 1589. 12. Quamuis libellus inter optimos auctoris (quippe in quo multa ad demonſtrandam religionis chriſtianae veritatem collegit,) quemadmodum is *de I. C. Seruatore* inter nocentiſſimos numeratur; (v. *Mich. Lilienthalii* Bibl. Theol. p. 882.) reſpectiue tamen hoc eſt intelligendum, cum minus nocuerit, quam reliqui *Socini,* et ab omni errore immunis dici nequit. Diuinorum enim librorum S. inſpirationem auctor negat, nec internum Spiritus S. teſtimonium, ad conſequendam diuinam, ſalutarem et viuam fidem neceſſarium putat, variaque per errorem prodita eſſe, a. S. ſcriptoribus arbitratur, quamuis haec non ita ſint comparata, vt argumentum horum librorum ideo credi nequeat. Plura haereſeos veſtigia detexit Calovius in opp. Antiſocin. f. 19. ſeqq. qui tamen ex odio in *Socinum* perſonali aliquando plures vidit errores, quam alii. Zeltnerus in notis ad *Epp. Ruari* p. 79. ita iudicat: „*Argumentum quidem libri non contemnendum eſt, ſed eo tamen modo pertractatum, fateor, vt praeter difficultates alias, a diuinae fidei immota confirmatione, quam ex ipſius S. ſcrip-*

ſcripturae virtute diuiniori inſita, Sp. adeo ſancti ipſius operatione ſupernaturali expectamus et opus habemus, prorſus abſtineat, lectoremque proinde fundamento fidei genuinae male priuet."

Sandius l. c. p. 66 prodit, librum Italice circa a. 1570. conſcriptum, in gratiam viri cuiusdam magni, editum non praefixo auctoris nomine, et latine ab auctore conuerſum. *Cloppenburgius* iudicat auctoris, loci et typographi nomina in titulo, quem exhibui, ficta eſſe, dicitque fuiſſe, qui ex typorum indicio aſſeruerint *Amſtelredamenſi* typographo, ſatis celebri olim bibliopolae, *Cornelio Nicolai.* Hoc *Sandio* videtur rationibus carere, qui ſibi perſuadet, *Dominicum* quendam *Lopezium* S. I. *Hiſpanum* per plagium litterarium opuſculum ſibi vindicare voluiſſe. Sed *Cloppenburgii* ſententia vlteriori non indiget demonſtratione, cum ipſe libri titulus, verbaque appoſita, *cum priuilegio ſuperiorum*, eam ſatis ſuſtineant, quae vel *Ieſuita*, vel *Hiſpanus* typographus non adiecisſent, quibus ſatis conſtat, quod ſuperiores nullum librum priuilegio munire poſſint. Imo in praefatione leguntur, quae *Ieſuita Hiſpanus* nunquam ſcribere auſus fuiſſet; ſic e. g. p. 5. inquit: *quia in coelis regnantem* (Chriſtum) *ſuperſtitioſo cultu demereri vult mundus.* Interim tamen aliquando *Dominicum Lopezium* inter Ieſuitas erronee relatum legimus. V. Biblioth. Hal. T. I. p. 408. *Baylius* l. c. Tit. *Fauſt. Socin.* Litt. P. *Placcius* N. 854. p. 240. R. *Simon* Biblioth. Choiſie P. II. p. 264. *Sandium* non vidiſſe primam libri editionem, cuius titulum exhibui, probabile eſt; quae enim ex praefatione adfert, ex breui potius alloquio, editioni Racouienſi praefixo, eoque male intellecto depromta ſunt, quam ex praefatione antiquiſſimae editioni praemiſſa. Huius quidem ſcriptor dari naturalem Dei cognitionem adfirmat, cum auctor libelli prorſus eam neget; interim eius diſciplina cum SOCINI erroribus omni modo componi poteſt. Fuit

itaque

itaque auctor praefationis, quoad hanc partem a *Socino* dissentiens, in reliquis autem cum eodem homodoxus, nequaquam vero Iesuita.

Capitum contenta sequens pagina profert: 1) Demonstratur iis, qui iam credunt, christianam religionem esse veram, non posse eos iure dubitare de auctoritate librorum V. et N. Testamenti. 2) Hoc idem demonstratur iis, qui nondum credunt, Christianam religionem esse veram. Primum iis, qui credunt aliquam esse, aut esse posse veram religionem. Deinde iis qui existimant, nullam veram religionem esse posse. 3) Probatur breuiter cunctis in vniuersum, neminem posse caussam vllam iustam afferre, cur libris istis fidem non exhibeat. 4) Ostenditur istis libris maiorem debere fidem adiungi, quam aliis communiter adiungatur, doctrinam historiamue aliquam continentibus. 5) Detegitur error illorum, qui fidei libris istis adiungendae eiusmodi argumenta postulant, quibus nemo sese vlla ratione opponere queat. 6) Confirmantur ex parte, quae supra dicta sunt auctoritate DANTIS ALIGERII.

Prodiit gallica versio Basileae 1592. cui in praefatione editoris typographi, praefixa est Theologorum Basileensium censura in quaedam loca scripti huius, quibus tamen huius libri verus auctor incognitus fuit. Alia editio latina *Rac.* typis *Sebast. Sternacii* 1611. 8. pagg. 87. exscripta, eique in tribus paginis p. 84. addita est *summa religionis christianae* eiusdem SOCINI, ex Italico in latinum conuersa, quae summa etiam 1654. 12. edita est, teste *Sandio* l. c. p. 67. *Conr. Vorstius* libelli huius editionem a. 1611. procurauit, quae hoc titulo lucem adspexit: *De auctoritate S. scripturae: opusculum his temporibus nostris vtilissimum quemadmodum intelligi potest ex praecipuis rerum, quae in ipso tractantur, capitibus. Ea vero proxime* seqq. *pagellis notata sunt. In praefatione ad lectorem ratio huius editionis exponitur. Steinfurti excudit*

cudit Theoph. Caesar, anno 1611. 8. pagg. 127. et praef. 22. absque auctoris nomine. Iterata hac editione *Vorstius*, qui libello praefationem praemisit, et in fine adiunxit notas Theologorum Basileensium ad tria loca libri paulo obscuriora, praeter alias rationes *Socinianismi* suspicionem aduersus se concitauit. V. *Bayle* Tit. *Socin.* et Praefatio ad Ecclesias praemissa *Actis Synodi* Dordrac. p. 21. Librum editor in *XI.* capita distinxit, cum priores editiones tantum *VI.* exhibeant diuisis capitibus primo in quinque, et secundo in duo capita. Fusiorem huius editionis recensionem instituit Bibl. Hal. l. c. p. 413 — 416.

Belgice liber prodiit a. 1622. interprete Theodoro Raphaelis Camphusio eiusque notis adornatus prima vice, vna cum Smalcii libro de *diuinitate Christi*, hac in fronte inscriptione *Tractaet van de Auctoriteyt der H. Schrifture. Eerst in't Italiaens beschreven, door* Faustus Socinus *van Siena, Naderhant in't Latyn ende Francois getranslateert. Mitsgaders Het Boeck van de Goddelyckheydt onses Heeren Iesu Christi. In't Latiin uytgegeven, door* Valentinus Smalcius, *van Gotta, Leeraer der Gemeynte tot Rakow in Polen. Beyde getrouwelück verduytscht, vytde Iongste latynsche Editien, Gedruckt tot Rakaw* by *Sebastian Sternatzki* — 4. Socini tract. habet. pl. 10. *Smalcii* Alph. 1. pl. 3. Racoviae esse impressum, nemo sibi persuadebit, ipso adspectu prelum belgicum monstrante. Annus impressionis non notatur; breuis tamen praefatio belgica subscripta est a. 1622. In hac notatur, libellum iam ante 50 annos lingua Italica prodiisse et in linguam latinam translatum ante 33 annos *Seviliae* sub nomine *Dominici Lopezii* Iesuitae lucem adspexisse; in hac vero editione, praefixaque eidem praefatione statutum esse ab editore: Reperiri in homine a natura quandam de Deo cognitionem, quod in ipso libro expresse negaretur. A *Fratribus Polonis* iterum editionem

nem latinam libelli eſſe procuratam, eo modo, ac ſi ipſe auctor eam procuraſſet; et ex hac in linguam belgicam eſſe translatum, ac editum, vt antidotum paretur Atheiſticis ac profanis opinionibus, quibus haec maxime aetas abundet. Interpretis quidem nomen in titulo non legitur; adſcriptum tamen maiuſculis litteris manu vetuſta in exemplari, quo vſus ſum, legitur: *Door Dörck Raphael Camphuyſen Remonſtranten.* In margine et aliquando ſub textu interpres adpoſuit notas et dilucidationes. V. B. A. P. II. p. 872. N. 30. Secunda vice lucem vidit hoc titulo: *'t Boeck van* F. *Socinus van de Authoriteyt der H. Schriftuur, door* DIRK RAPHAELSS. KAMPHUYSEN, *uyt tet Latyn vertaalt en met geleerde Aanteekeningen verciert. Daarvoor geſteld is de Opdraght* VAN IAC. SIENINSKI VAN SIGISMUND III. *Koning van Poolen. Rakau* 1623. 4. Secundae editioni ſucceſſit tertia cum praefatione *Conradi Vorſtii* apologetica ſub tit. *Van de Geloofwaardigheyd der H. Schriftuur: met* KONRAD VORSTIUS *verantwoordelyke Vor- Reden verrykt.* 1664 (1666) 4. *Sieninii* dedicatio ſcripta *Racov.* 1608. 20 *Nov.* Adtextus eſt, SMALCII liber *de diuinitate I. C.* Teſte REIMANNO l. c. p. 651. ex *Socini* opere non parum profecit *H. Grotius, P. D. Huetius,* aliique, qui de veritate R. C. et S. Sc. aliquid litterarum monumentis commendarunt, quam auctor non negligenter aſſeruit. Ipſe tamen hoc ſuo labore non ſatis contentus fuit, vt patet ex eius epp. p. 517. vbi translationem κατὰ πόδα factam eſſe ſcribit, ob typographi feſtinationem, ſeque, ſi Deus vitam et valetudinem conceſſerit, totum hoc opuſculum recogniturum, cuius iam ſua aetate diſparuiſſe teſtatur exemplaria, vt, quo petentem *Philippoviae Capitaneum*, CHRISTOPH. MORSTINIUM donaret, ne vnum quidem expiſcari potuerit. Praefationem non a ſe eſſe profectam, nec proficiſci potuiſſe, ſed ſe plane inſcio adpoſitam, ibidem notatur. V. F. S. epp. p. 498. Schediaſma hoc pontificiis non ingratum fuit, quia omiſſa S. Scr. ſupernaturali virtute et

teſti-

teſtimonio Sp. S. ex ſolis motiuis crediblitatis, diuinam S. Scripturae auctoritatem euincere ſtudet. Gallica verſio lucem adſpexit ſub tit. *Livre de l'Authorité de la S. Ecriture, traduit par* Nicolas Bernaud, *Gentilhomme Dauphinois. Avec l' Avertiſſement des Meſſ. les Theologiens de Basle, ſur quelques Endroits du dit Eſcrit.* 1592. 8. B. A. P. II. p. 579. N. 11.

VIII. *Lectiones ſacrae* Fausti Socini *Senenſis, quibus auctoritas ſacrarum litterarum praeſertim Noui Foederis aſſeritur. Opus imperfectum. Racoviae typis Seb. Stern. a. 1618.* 8. pl. 12. ſeu pagg. 194. et errat. 4. Anonymus praefatiunculae auctor (qui, vt arbitror *Moſcorovius* eſt,) notauit, ſcriptum hoc inter fragmenta a *Socino* non ſcripta, ſed dictata tantum, nec poſtmodum recognita, eſſe collocandum. Imperfectum eſt, ad finem non perductum, immo in ipſis pene principiis ſubſtitit auctor, quod liquide patet ex collatione delineationis p. 5. traditae, cum tractatione ipſa; ſua tamen laude non excludendum. In vindicandis locis V. V. et N. T. citatis ita occupatur, vt, ſi extremam manum ipſe imponere potuiſſet, hoc in omnibus eius operibus aequale non fuiſſet habiturum. In fine p. 194. haec leguntur: Paucula quaedam auctoris deſiderantur; reliqua prorſus non abſoluit. Eaedem lectiones Belgice interprete *Th. Camphuyſio* eiusdemque notis illuſtratae 1666. 4. prodierunt, ſub tit. *De ſcriftuurlycke Leſſen vertaalt door D. R. Camphuyſen, en met ſyne Aanteckeningen verryckt. V.* Sandius l. c. p. 77.

IX. *Tractatus de Eccleſia F. Socini Senenſis. Racoviae typis Seb. Stern.* 1611. 8. pagg. 112. Octo in hoc opere continentur tractatus breuiores, quibus peculiares tituli praefiguntur; nimirum *p. 3.* Pontificios ſua dogmata et ritus Eccleſiae auctoritate minime tutari poſſe, et quaeſtionem de Eccleſia, quaenam, ſiue apud quos ſit, non eſſe neceſſariam, 2) *p. 13.* Euangelicis, (vt vocant,)

cant,) verbi Dei miniſtris miniſterii controuerſiam iure moueri non poſſe, breuis demonſtratio. Haec duo ſchediasmata, alio indice et titulo, ſeparatim quoque edita ſunt, ſine loci ac temporis indicio; ita tamen, vt ſcrupulorum ſolutio et locorum quorundam Scr. explicatio, quae editioni *Racouienſi* de a. 1611. acceſſerunt, in hac non reperiantur; quod SANDIO l. c. ignotum fuit. 3) *p. 19.* Scrupuli ab excellenti quodam viro propoſiti. 4) *p. 26.* Ad ſcrupulos F. SOCINI reſponſio. 5) *p. 57.* Explicatio verborum Chriſti: *tu es Petrus, et ſuper hanc petram* etc. *Math.* 16, 18. Hanc tractationem CHRISTOPH. OSTORODI rogatu ſcriptam eſſe, ex Epp. *F. S.* p. 458. diſcimus. 7) *p. 96.* De eccleſia nonnulla, ex eiusdem *F.* SOCINI *Senenſis* ſcriptis, excerpta. 8) *p. 102.* Eiusdem F. S. aduerſus eos, qui rerum ad ſalutem ſuam aeternam pertinentium cognitionem, diligenter per ſe ipſi non inquirunt. Quae *Sandius* l. c. p. 76. No. 8. adfert: ex epiſtolis *F. Socini* de Eccleſia, item de inuocatione Chriſti, in hoc libello non inueniuntur; fortaſſis haec ſeparatim edita, libro recenſito adligata fuerunt. Idem notauit, tractatus hoſce a. 1639. 4. belgice prodiiſſe. Tractatio multa continet egregia et ad errores Pontificiorum conuellendos peridonea; ſed nonnulla quoque paradoxa, et *Socini* placitis accommodata. V. *Reimannus* l. c. p. 652. Quae *Andr. Miedzibozius* in diſp. contra *F.* SOCINUM pro Eccleſia oppoſuit, in B. A. P. II. p. 850. N. 14. 15. notaui.

X. *Fauſti Socini Senenſis ad amicos epiſtolae. In quibus variae de rebus diuinis quaeſtiones expediuntur, multaque ſacrarum litterarum loca explanantur. Additae ſunt paucae aliorum ad Socinum epiſtolae, ad quas ipſe reſpondet*- *Rac. typis Seb. Stern.* a. 1618. 8. pagg 695. pl. 46. In hoc opere epiſtolico deſunt tres epiſtolae ad DUDITHIUM, nec non tres ad MART. SEIDELIUM, ineditae etiam non paucae latinae et Italicae a *Sandio* l. c. p. 78.

memoratae, non vero omnes ante annum 1581. ſcriptae, quod ab ipſo erronee proditur, cum quaedam a. 1580. exaratae in hoc volumine reperiantur. Praeclare de re litteraria meritus eſt, qui hunc litterarum faſciculum collegit. Enarrant enim iſtac res memoria dignas magnique momenti, haud paucas virorum Poloniae eccleſiaſticorum hiſtorias arcanas et myſteria impietatis, nec non quaedam ad hiſtoriam huius gentis litterariam ſpectantia. Praecipue in iisdem *Socinus* opiniones ſuas, ſcripta ac fata longo ambitu deſcribit. Habuit praeterea *Val. Smalcius* ducentas ac fortaſſis plures eius epiſtolas ineditas in manibus ſuis; quia vero iſtae plura ſpecialia de ſeipſo continebant, noluit, vt ſe vivo publicae luci exponerentur. Poſt *Smalcii* obitum ad *Mart. Ruari* manus venerunt, qui ex earum numero paucas ad *Dudithium* datas euulgauit. Vtrum reliquae adhuc alicubi lateant, an perierint, ignoro. Vnam ex autographo ſupra communicaui. Quia ex hoc commercio epiſtolico, vniuerſae coetus huius hiſtoriae non parum lucis adfunditur, ipſiusque *Socini* diuerſi caſus in illis exponuntur, earum, ſaltim plurimarum palmarium argumentum paucis exhibere a ſcopo meo non alienum videtur. 1) MARC. SQUARCIALUPI *Itali ad F. S.* ex vrbe Tranſyluanorum primaria a. 1581. d. 15. *Sept. V.* B. A. P. II. p. 907. Hortatur *Socinum*, vt a controuerſiis nimiis et ad vſum coetus minus neceſſariis abſtineat, nec adeo velox ſit in publicandis ſcriptis. In ſpecie eum reprehendit, quod librum contra JAC. PALAEOLOGUM, non pleno cum iudicio et minori veritatis ſtudio concinnauerit, nec in hac diſputatione conſiderauerit, *quis ipſe ſit*, qui ſtatus, quae vires cum animi, tum corporis, quodue praecipuum ſit munus, neque contra quem et qua de materia ſcripſerit, quae ſaepius et a tot tantisque viris tractata fuerit, nullumque in religione habeat vſum. 2) Reſponſio *F. S.* ad eandem Cracouiae d. 20. *Nou.* 1581. qua pugnam ſuam cum *Palaeologo* ſeque ipſum prolixe defendit, vt potius

potius tractatum, quam epistolam scripserit. 3) *Ad Phil. B.* qui est *Buccella*, quod nos docet ep. 3. F. S. ad *Radecium*, in epp. p. 100. et 109. V. B. A. P. 1. p. 79. Respondet ad *Buccellae* litteras, in quibus probare conabatur, nullum in humanis actionibus vituperatione dignum esse peccatum, scripta ex agro Paulicouiano 5 *Cal. Jan.* 1584. *Phil. B.* in epistola appellatur Philosophus eruditissimus et quidam *Joannes Baptista Cettis* (B. A. p. 97.) affinis eius; quod ille commoratus tum fuerit *Posonii*, cum *Cal. Sept.* 1583. ad F. S. litteras dederit, docemur. 4) *Ad Math. Radecium*, olim Secretarium Amplissimae Reip. Gedanensis, prima, scripta *Rac.* d. 24. *Sept.* 1584. in qua illi sententiam suam *de communione ecclesiastica et instituendis conuentibus sacris*, quam sibi *Radecius* expetierat, exponit. 5) Ad eundem secunda, *Paulicoviae, d.* 17. *Mart.* 1585. quae agit de defectione et Ecclesiae primaeuae apostolicae restauratione, et an nulla plane hodie detur Ecclesia, quae apostolicae similis sit, de quibus *Socini* sententiam sibi expetierat RADECIUS. 6) Ad eundem *tertia*, *Crac.* die 8. *Jan.* 1586. liber potius est, quam ep. quinque enim plagulas capit, et ad tres RADECII litteras responsoria est. Primo *Francisci Puccii* historiam variasque cum eo pugnas longo ambitu recenset. Posthaec ea diluit, quae RADECIUS contra externum Ecclesiae ministerium disputauerat, in quibus quoque vna cum *Puccio* stabilire conabatur, quod nulla sit, neque esse possit hodie externa Ecclesia. Disserit porro de N. F. sacramentis, et de Baptismo, de senioribus Ecclesiae, quos in primitiua ecclesia non collegisse praedicatione verbi coetum, sed eidem praefectos fuisse statuit, de spe ac fide in venturum Messiam, qua praeditos fuisse patres sub Vet. T. negat; de inuocatione et adoratione Christi, agitatisque hac de materia controuersiis cum *Francisco Dauidis* et *Christiano Francken*, de sessione Christi ad Dei dexteram, qua notari significat, supremam post Deum potestatem et gubernationem. Juxta haec, alia nonnulla

miſcellanea maxime hiſtorica occurrunt. 7) Ad eundem 4ta, qua paucis agit, de verbis Dei ad Cainum *Gen.* IV. 15 quae ita intelligi poſſe credit: Deum miraculo aliquo ipſi Caino edito, oſtendiſſe id verum futurum, quod ei pollicitus erat, nempe non fore, vt quisquam eum percuteret; de *Nahamanis* verbis, de *Gog* et *Mahog*, de loco *Gen.* VI. 3. de anni tempore, quo natus eſt Chriſtus, circa quod dubia profert, quod Chriſtus in bruma non ſit natus. Initium ac finis epiſtolae deſiderantur, nec quando et quo loco ſcripta ſit, notatur. 8) Ad eumdem *quinta,* absque temporis et loci ſignificatione. De variis momentis, quae ipſi *Radecius* propoſuerat, ſententiam exponit, breuiſſimis quidem, quia cum ſcriberet, thoracis doloribus affligebatur. 9) *Ad* eundem *ſexta* ſine loci et temporis commemoratione. Statuit in eadem, locum *Gen.* III. 15. non continere promiſſum, ſed minas, nec primos parentes verborum ſenſum intellexiſſe. 10) *Ad Franc. Dauidis,* ſine loci et temporis indicio, de verbis *Thomae* Jo. XX. 28. 11) *Ad* omnes eos, qui *Chmielniciam* ad ſynodum conuenerunt, *Pavlicouiae* die 2 *Sept.* a. 1584. Excuſat moram, quod reſponſionem pro animaduerſionibus in aſſertiones *Collegii Posnanienſis de Trino et vno Deo* nondum abſoluerit, coetumque pro temporis huius ratione hortatur. 12) Jo. NIEMOIEVII ad *F. S.* ep. I. *Lublini* 1587. vlt. *Febr.* Negauit *Socinus* in libro contra *Volanum,* Chriſtum in morte et ara crucis ſacrificium obtuliſſe, de qua re tanquam ſalutis noſtrae cardine in futura ſynodo cum *Socino*, vel, ſi *Socinus* linguam Polonicam non ſatis teneret, cum alio huius linguae gnaro, praeſente tamen *Socino* colloquium habere deſiderat *Niemoieuius.* Deinde in reſponſione *Socini* ad argumenta *Franc. Dauidis,* maxime offenſum et contriſtatum ſe eſſe teſtatur, his *Socini* verbis: *Chriſtum Dominum inuocare poſſumus, ſed non debemus, ſiue non tenemur,* quaſi in negotio ſalutis noſtrae liberum ſit, facere vel omittere. Tandem ex eodem ſcripto eum reprehendit, quod

quod adorationem Chriſti ab inuocatione diſtinxerit. 13) *F. S.* ad ſuperiorem ep. reſponſio; ex *agro Paulic.* d. 20. *Martii* 1587. Argumentum ex *Niemoieuii* ep. colligitur. Vt diſputatio inſtituatur, annuit, verum non coram, ſed per ſcripta, vt melius de tota quaeſtione a coetu poſtea iudicari poſſit, nec lingua Polonica, cuius ipſe non ſatis gnarus ſit, ſed latina. Nos non teneri inuocare Chriſtum, nihil aliud ſignificari declarat, quam *Nullo iure cogi;* ſeu nos quidem iure poſſe preces ad ipſum Chriſtum dirigere, non tamen ad id faciendum diuino iure adigi. Tandem ſuam diſtinctionem variis ratiunculis defendit, in primis ad diſputationem cum *Franc. Dau.* prouocat. 14) *Niemoieuii* ad F. S. reſponſio, *Lublino* d. 25. *Apr.* a. 1587. qua teſtatur, quod liber *Socini* de Seruatore J. Chriſto ſibi iam olim diſplicuerit, et priuatim ac publice in ſynodis ſignificauerit, ſe ipſius ſententiae de morte Chriſti hominumque iuſtificatione ſuffragium ferre non poſſe, ipſumque in ſcripto contra VOLANUM ſententias cum ſcriptura S. pugnantes expoſuiſſe. Praeterea, quod Chriſtus in cruce ſacrificium non obtulerit, euidentiſſimis ſ. ſcripturae oraculis refellit et filii Dei inuocationem tuetur. 15) *F. S.* ad ſecundam NIEMOIEVII ep. reſponſio, Crac. die 20. Mai 1587. qua cauſſam ſuam quouis modo defendere allaborat, et prolixe propugnat, vt epiſtola tractatus molem aſſequatur. 16) Eidem ep. 3. *Crac.* die 1. *Febr.* a. 1587. Librum Polonicum concinnauerat *Niemoieuius* contra theſes EMAN. VEIAE, Jeſuitae, *de coena Domini*, in quo, antequam imprimeretur, non pauca corrigi voluit SOCINUS, in primis quae auctor a *Bucero* mutuauit, quapropter ſcriptum quoddam ſuum *de coena Domini*, in gratiam amicorum exaratum, cum eodem communicat, vt ex hoc opus ſuum emendaret. V. B. *A.* P. I. p. 551. N. 4. et paulo infra inter ſcripta F. S. N. XVII. 17) *A*d MART. CZECHOVICIUM *coetus Lublinenſis paſtorem*, Crac. die 20. *Jun.* 1580. qua nuntiat, quod SCHOMANNI, SIMONIS

Ronnembergi aliorumque rogatu ad *paraenesin* Andr. Volani respondendi laborem susceperit, hunc Lublinensium iudicio subiecerit; praeterea sibi exemplum epistolae *Volani*, nec non scripti ipsius Czechovicii de *baptismo* expetit. 18) *A*d Jo. Balcerovicium, *ciuem Lublinensem* et *seniorem coetus*, Crac. die 17. *Octbr.* a. 1580. varias res maxime familiares tractat, et polemica quaedam paucis tangit. 19) *A*d eundem, *Crac.* die 30. *Jan.* a. 1581, qua tractatum in caput septimum ep. ad Romanos transmittit; huncque vt Niemoievio ad sententiam suam de eo ferendam tradat, petit. 20) *A*d eundem, 3. *Crac.* d. 26. *Martii* 1581. cui pariter ac Niemoievio librum quendam insinuat, et verbositatem suam in eo conficiendo nec non errata per festinationem perpetuasque occupationes excusat. 21) Eidem 4. *Crac.* die 1. *Jun.* 1582. narrat, quod Volani responsionem refutare apud se constituerit, opusque non suo, sed communi nomine in publicum emittendum esse iudicat, et vt coetus *Lublinensis* sententiam hac de re perscribere velit, rogat. 22) *A*d eundem, 5. Crac., die 28. Sept. 1584. qua veterem amicum Jo. Bapt. Bovium *Gedano*, *Lublinum* venturum maxime commendat. B. *A.* p. 71. Quaerenti mihi olim ex *Paulo Crellio*, quis Bovius fuerit, respondit in ep. *A*ndreaewaldae Cal. Sept. a. 1746. „*Credo equidem, nec vana fides*, Jo. Bapt. Bovium, cum Fausto Socino *Senensi vetustate amicitiae coniunctum fuisse, attamen eiusdem nationem, confessionem, aut professionem prorsus ignoro.*" 23) Eidem 6 *Crac.* d. 21. *Nov.* 1587. *Cornelium Daems*, Bruxellensem patria, *Gedano* per *Lublinum* profecturum summopere commendat. V. B. A. P. 1. p. 237. Fuit *Corn. Daems* J. V. D. *Radecio* Gedani per aliquod tempus familiaris. 24) Ad eundem 7. *Crac.* die 23. *Oct.* 1590. rogat, vt librum suum *de J. C. Seruatore*, quem Justus de Prez per *Lublinum Gedanum* profecturus, exhibiturus esset, Jo. Volkelio transmittat. 25) Ad eundem 8. *Crac.* die 4. *Jul.* 1591. *A*n

acce.

acceperit ab *Alexio* typographo exemplaria (liber non indicatur) eaque distraxerit et quo pretio, vt significet, rogat. De quodam adiuuando obscure agit, nec eundem nominat. 26) Eidem ep. 9. *Crac.* d. 19. *Dec.* 1592. mittit ad eum quatuor exemplaria scripti, excerpti ex libro *de Christo Seruatore*, quod amicus se inscio excudendum curauerat, idque in loco, vbi hoc palam facere non licebat. 27) *A*d eundem 10 *Crac.* d. 29. *Martii* 1593. de veritatis cognitione, quam lectione scriptorum suorum promoueri sibi persuadet, laetatur, et, vt illa amplificetur, precatur. 28) *A*d eundem 11 *Crac.* d. 13. *Mai* 1594. significat, se propter morbi reliquias ad synodum venire non posse, ideo tamen absentem otiosum non esse. Mittit emendationes erratorum in *Antiwuiecko*, quas a quolibet in suo codice notari voluit. 29) Eidem 12 *Crac.* d. 20. *Maii* 1594. vnius adhuc errati emendationem, rationesque dati ac accepti ad librum istum imprimendum exhibet, sibique exemplum *disputationis Nouogrodiensis* expetit. 30) Sim. Ronembergii, ciuis Cracov. (Pharmacopolae) et Senioris Ecclesiae huius loci ad *F. S.* ep.; neque in hac, neque in *Socini* responsoria ad eandem, annus et locus scriptionis notantur. *Ronembergii* ep. excerptum potius est, quam plena tractatio; quae vero in eadem desunt, sensumque impediunt, ex *F. Socini* responsione suppleri possunt. Scriptas esse circa annum 1583. coniicio. Socinus enim inquit p. 369.. Tertius annus agitur, ex quo vobis librum meum (*De Baptismo*) exhibui. Hunc vero scripsisse 1580. constat. Primo *Socinum* reprehendit, quod Baptismum aquae rem indifferentem statuat, ex debito tamen baptizandos esse Judaeos et Ethnicos, qui nondum Christo nomen dederint. Deinde coetum accusat, quod *Socinum* mensae Domini communionis cupidum, ab hac excluserit, eidemque viam ad Ecclesiae vnionem obserauerit. Ronembergius interea eum admonet, vt baptismum ad insignem totius coetus aedificationem accipiat,

omnia accuratius perpendat, seque persuasum habeat, quod cum ipso vix alio modo agi possit. 31) Responsio F. S. ad RONEMBERGII ep. octo caussas explicat: cur, cum baptismus aquae res indifferens sit, ad hunc suscipiendum nemo, qui Vnitariorum coetui se adiungere velit, adigi debeat, qui vulgo baptizatus in infantia creditur. Hoc enim concesso, non amplius vrgeri debet Baptismus, sibique cauendum esse, ne iam baptizatus hunc ritum iterum accipiat, siquidem hoc ipso coetum, cuius maior pars necessitatem reiterandi huius sacramenti statuit, in errore hoc confirmatum iri. Vult igitur, vt librum, quo baptismi indifferentiam adstruxerat, refellant, ipsumque edoceant, quod in errore pernitioso versetur. 32) *A Sophiam Siemichouiam* nobilem foeminam, qua ad huius litteras de *baptismo* aquae ad ipsum scriptas respondet; absque loci et temporis significatione; eodem tamen tempore, quo praecedentes, data videtur. Suaserat autem illa, vt SOCINUS aquae baptismum susciperet, cui placitum suum de indifferentia baptismi commendat. 33) Ad PET. STATORIUM, coetus *Luclauiciensis* pastorem, Crac. die 15. *Oct.* a. 1590. Laudat consilium STATORII, quo sententiam suam *de coena Domini* vernacula lingua exponere statuit, et qua id cautione faciendum sit, proponit. 34) Ad eundem ep. 2. *Crac.* die 19. *Maii* 1594. An licitum sit homini Christiano lites exercere, nec ne, ad verba Christi *Math.* V. 40. et *Pauli* 1. Cor. VI. 7. disputat ac adfirmatiuam defendit. 35) *A*d eundem ep. 3. *Crac.* d. 8. *Sept.* 1593. *Socinus* baptizare in nomen Spiritus S. idem esse venditat, ac instituere in iis, quae Spiritus S. sunt, s. ad Spiritum S. pertinent, nec ex ista loquutione sequi, eum esse in diuina essentia personam. 36) *A*d eundem 4. ex agro *Igolomiano* d. 3. *Jun.* 1598. Vt sibi hospitium *Luclauicii* paret *Statorium* rogat. 37) *A*d ministrum ANTONIUM EVONYMUM CARINTHIUM TEUCHENUM, olim Professorem in *A*cademia Wittebergensi, *Crac.* d. 10. *Martii* 1591. Munusculum eidem mittit,

librum

librum suum, qualem vero, non notauit; laudes sibi per epistolam datas a se declinat, et de incrementis coetus sui in *Polonia* eum certiorem facit, ac tandem precatur, vt ex lectione librorum Vnitariorum veritatem, scilicet, cognoscat. 38) ERASMI JOANNIS ad *F. S.* ep., sine loci et temporis mentione, ex responsione tamen *Socini* data d. 20. *Apr.* 1590. tempus circiter colligi potest. Iudicium sibi expetit, de scripto quodam suo, quod ad *Socinum* transmisit, quo caussas, propter quas vita aeterna contingat, complectitur, et de triplici iustitia filiorum Dei tractat. 39) *A*d ERASMUM JOANNIS, in qua suam de ipsius scripto sententiam exponit; *Crac.* d. 20. *A*pr. 1590. V. B. *A.* p. 422. N. 2. 40) *A*d EL. *A*RCISSEVIUM *Seniorem*, *Equitem Polonum*, *Smiglae* Dominum et eiusdem loci Ministrum, *Crac.* d. 15. *Febr.* 1595. quid de magistratu ciuili et bellis gerendis, de vestium cultu, de armis gestandis statuit, aperit. 41) *Ad Vidauiam*, sine loci temporisque significatione. Disputat breuissimis de Ecclesia, de fide, angelis bonis etc. 42) *A*d synodum Chmielnicensem, contra *Chiliastas*, *Crac.* d. 17. *Sept.* 1589. de regno Christi terreno per mille annos solide multisque argumentis disputat, coetumque monet, ne Chiliastis aures praebeat, horumque sententiam suscipiat. 43) *A*d CHRISTOPH. OSTORODUM, *Goslariensem*, *coetus Smiglensis* pastorem, d. 13. *Sept.* 1595. absque loci notatione. *A*duersus dictum *Hebr.* 1. 6 et 10. pugnat, ac neutrum ad Christum respicere defendit, adque varia circa *A*NTIVUIECKUM *S. Polonicum* ab OSTORODO monita respondet. 44) *A*d eundem 2. ex *agro Luclau.* d. 2. *Dec.* 1599. Verba *Math.* XVI. 18. quorum dilucidationem *Ostorodus* expetierat, explicat, longioremque expositionem promittit. 45) *A*d eumdem Racouiam 3 scripta eodem loco, die vltimo anni 1599. Versionem Polonicam libri latini a se concinnati: *Quod regni Poloniae et M. Ducatus Lithuaniae homines etc.* commendat, cui verba quaedam addi cupit, quibus rationem

explicat, cur concordia inter coetus, qui Papatui in Polonia valedixerunt, ſtabiliri non potuerit. 46) *Ad F. S, Chriſtoph. Oſtorodi* ep., data a. 1600. absque loci nota, ſine dubio *Racouiae;* Commentarium *Socini* in Chriſti verba: Math. XVI. praedicat, ſibique inſtructionem, quatenus traditiones ſint neceſſariae, expetit, ac obiectionem format circa ſenſum dicti 1. Cor. XIII. 13., quod charitas tantum ad finem huius ſaeculi duratura ſit, adeoque maior fide et ſpe eſſe nequeat, aeque diu in Eccleſia duraturis. 47) *A*d CHRISTOPH. OSTORODUM 4. ex eodem agro m. *Maio* a. 1600. cuius argumentum ex ep. *Oſtorodi* colligitur, ad quam prolixe reſpondet. 48) *A*d eundem 5. eodem loco d. 17. *Febr.* a. 1602. OSTORODO aduerſa valetudine perpetuisque capitis deſtillationibus conflictato, varia conſilia medica ſuppeditat, et quod ipſe oculorum dolore laboret, eorumque vſu deſtitutus, attamen interpretationem capitis V. *Math.* in calamum dictauerit, et in cap. VI. commentari pergat, exponit; huius commentarii partem, *Volckelius*, ipſius per aliquod tempus amanuenſis, totum vero *Samuel Brelius* ſcribendo exceperint. 49) *A*d eundem 6. ex loco hoſpitii ſui ſaepius notato, d. 19. *Mart.* 1602. qua iterum medicamina quaedam commendat, et cur commentarium modo allegatum non communicare poſſit, indicat. 50) *A*d Jo. VOLCKELIUM, *Miniſtrum*, *Philippouiam* in Lithuania, *Crac.* ep. 1. d. 3. *Apr.* 1593. conqueritur, quod ſcriptum ſuum Chiliaſtis oppoſitum, ipſique commendatum nondum remiſerit, dubium VOLCKELII circa dictum quoddam cap. IX. ad Romanos ſoluit, cum eodem ſcriptum ſuum de *miſſione miniſtrorum communicat*, et fata coetus triſtia in *Philippouia*, poſt obitum KISSKAE, territorii iſtius Domini plangit. 51) *A*d eumdem ep. 2. *Philippouiam*, Crac. d. 16. *Jun.* 1594. Laetatur de feliciorum temporum ſpe in coetu *Philippouienſi*, hacque de re gratulatur affini ſuo MORSTINIO, loci iſtius moderatori ac Praeſidi, et de magiſtratus ope imploranda breuiter agit.

52) *Ad* eumdem ep. 3. ex ſuburbio Cracouienſi, *Biskubie* dicto, d. 14. *Febr.* 1596. Notat, quod litteras non, niſi neceſſitate quodam coactus et ab aliis ad ſcribendum prouocatus ſcribat, ſoluitque tres aduerſariorum obiectiones circa *diſput.* cum *Franc. Dauidis*, quod ſibi expetierat VOLCKELIUS. 53) Eidem *Philippouiam* 4. eodem loco, d. 3. *Mart.* 1696. de *differentia momentorum*, *quae ad religionem*, *et quae ad ſalutem ſpectant*, differit, et de coetibus prope *Cracouiam*, nec non de colloquio *Chmielniciae* cum *E*uangelicis de *effectibus mortis Chriſti*, fruſtra habito, pauca enarrat. 54) *E*idem 5. Crac. d. 16. Nou. 1596. quod in ſcriptis ſuis legendis atque examinandis, in primis diſputatione aduerſus PUCCIUM nondum edita, verſetur, indicat, ac rationes exponit, cur a quaeſtione *de animae immortalitate* in eadem abſtinuerit, locumque quendam ex diſputatione contra VOLANUM exponit. 55) *A*d eundem 6 *Crac.* d. 8. *Martii* 1597. *Volkelio*, editam in publicum diſputationem cum PUCCIO improbanti reſpondet. 56) *A*d CHRISTOPH. MORSTINIUM, Philippouiae Capitaneum, *Lublini* d. 5. *Junii* 1593. cui narrat, quid in *Synodo Lublinenſi* de *coena Domini* conſtitutum fuerit. 57) *A*d eundem *Philippouiam* 2 *Crac.* 3. Febr. a. 1595. iniuriam ſibi a quodam illatam ſignificat, ſcriptaque ſua hactenus edita enumerat. V. *Sandius* l. c. p. 65. 58) *A*d eundem 3 *Crac.* 16. *Nou.* 1596. Quod praeceptum *de ſanguine non comedendo*, nullam noſtro tempore habeat obligationem, euincit. 59) *A*d eundem 4. *Crac.* d. 8. *Mart.* 1597. de *vſuris* diſſerit, easque nec in V. nec in N. F. eſſe prohibitas, ſed permiſſas indicat, exceptis iſtis, quae cum proximi damno exiguntur. 60) *A*d eundem 5. *Crac.* d. 12. Martii 1597. De verbis Dei, quibus ratio ſanguinis non comedendi profertur, *anima eſt in ſanguine*, petulanter iudicat, eademque vel nullam, vel infirmiſſimam exhibere cauſſam, nihilque ſolidi habere, contendit. 61) *Ad* HIER. MOSCOROVIUM ſine loci et temporis nota ſententiam

tiam de *baptismo* tanquam re adiaphora exponit, rationesque enumerat, cur ipſe aquae baptismo luſtrari nolit. 60) *A*d VAL. SMALCIUM *Smiglenſis ſcholae Rectorem*, *Smiglam* ep. 1. *Crac.* d. 25. *Nou.* 1593. oblatam ſibi ab eodem amicitiam gratus agnoſcit, eumque hortatur, vt rerum diuinarum accuratiori cognitioni omnem operam nauare velit, et de corporis Chriſti glorificatione ſtatim poſt reſurrectionem, in eiusdem et VOIDOVII gratiam, paulo fuſius ſe ſcripturum ſignificat. 63) *A*d eundem 2. *Crac.* d. 14. *Febr.* 1595. Miſcellanea continet, quae ſuo loco inſerta a me ſunt. 64) *A*d eundem 4 *Lublini* d. 20. *Maii* 1597. varia exponit, in primis de duobus ſcriptorum ſuorum locis, quae ſibi inuicem aduerſari videbantur. 65) *A*d eundem 4 *ex agro Luclau.* d. 31. *Aug.* 1598. de emendandis in diſputatione aduerſus WUIEKUM agit, praeterea varia argumenta exponit, in primis SMALCIUM monet, vt ſophismatis cognoſcendis ſe totum tradat, quibus omnino in diſputationibus cum aduerſariis opus ſit, et de colloquio OSTORODI cum JAC. FABRICIO nonnulla ſignificat. 66) *A*d eundem 5 *Lublinum*, ex eodem loco d. 24. *Jul.* 1599. de iis, quae in Synodo *Nouogrodienſi*, *de inuocatione Chriſti* acta ſunt, iudicat; de ſcriptis ſuis nonnulla adducit, quod iisdem, maxime diſputatione de *Seruatore*, multorum odium variasque calamitates ſibi contraxerit. 67) *A*d eundem 6. *Lublinum* ex eodem loco, d. 25. *Sept.* 1599. *A*git *de excommunicatione*, *Hebr.* XI. 10. verbum εξεδεχετο, verti poſſe *excipiebat*, i. e. *excepturus erat*, adſtruit et de loco *Eph.* 1. 23. diſputat eidemque hunc ſenſum tribuit: *Chriſtum Eccleſiae dare*, *quicquid illa habet; itaque Eccleſiam, vt eſt Chriſti corpus, eſſe Chriſti plenitudinem*, id eſt *ab ipſo proficiſcentem*, vt ſtatim illis verbis declarat, *Omnia in omnibus implentis*: ad dubia *Smalcii* circa locum *Eph.* VI. 12. reſpondet, et paucis, quid de *magiſtratu* ſtatuat, repetit. 68) *A*d eundem 7 eodem, quo ſuperiores loco, d. 2. *Dec.* 1599. De ſenſu verborum

Eph.

Eph. VI. 12. disputat, nec non de diuersitate praemiorum in vita futura, et sensu verborum *Hebr.* XII. 5. 69) Ad eundem *Lublinum* 8. eodem loco, d. 16. *Apr.* a. 1600. Testimonium *pro Christi deitate* ex *Es.* LIV. 5. euertere studet, et de scriptis suis adhuc concinnandis exponit. 70) Ad eundem *Lublinum* 9 eodem loco d. 18. *Jan.* 1601. vt proximo conuentui *Racou.* SMALCIUS interfit, valde desiderat, ac asperitatis suae, in SMALCIUM effusae, caussas explicat. 71) Ad eundem 10. *Lublinum*, Rac. d. 15. *Mart.* a. 1603. quem instruit, quomodo colloquium futurum *de aquae baptismo* instituendum, quis controuersiae status sit, et quomodo in vniuerso hoc negotio versari debeat. 72) Ad eundem 11 ex *praedio Luclau. Bloniano* d. 23. *Jan.* 1604. Talem hoc colloquium *de aquae baptismo* non habuisse euentum, qualem optauerat, dolet, ministrorumque in cedendo facilitatem reprehendit. 73) Ad CHRISTOPH. LUBIENIECIUM, *coetus Lublinensis pastorem* ex eodem loco d. 14. *Aug.* 1598. Gratulatur eidem de pastoratus munere et concesso socio, qui *Val. Smalcius* fuit, illum magnopere laudat, multisque monitis ad officium debite peragendum excitat, anagrammatismum nominum duorum fratrum STANISLAI et ANDREAE, imo duplex ipsius CHRISTOPHORI transmittit et de direptione scriptorum suorum in tumultu Cracou. conqueritur. 74) ANDR. VOIDOVIO *Cracouiam Ruri* d. 18. *Mart.* 1583. quem de studiorum ratione instruit, ne in humanioribus consenescat, sed ea tractet, quibus aliorum commodo inseruire aliquando possit, et quaenam ista studia sint, recenset. Continet ep. monita, litterarum, in primis Theologiae studiosis, nostro quoque tempore commendanda. 75) *A*d eundem *Wittebergam* 2, *Crac.* 1590. sensum verborum, in quibus *Joannes* Baptista repletus fuisse dicitur spiritu S. ex vtero matris suae, exhibet, et per hyperbolen explicat, quae similis sit illis: *speraui in te ab vberibus matris meae; peccauerunt ab vtero.* 76) Eidem *Lublinum* 3.

Cracou

Cracou. 1594. ſine die, adſtruere conatur, nomen *Jehouae*, vnius quidem Dei altiſſimi proprium eſſe, ita tamen, vt non excludantur, qui Dei perſonam quouismodo ſuſtinent, qua occaſione quaedam V. T. loca male contorquet. 77) *Ad* eundem *Lublinum* 4. *Crac.* d. 4. *Maii* 1595. Loca nonnulla ex diſputatione cum Franc. Dav. explicat et Antiwuieckum Polonicum a rudibus non intelligi, dolet. 78) *Ad* eundem Zakrzoviam 5. ex *ſuburbio Cracou. Biskupie*, d. 9. *Aug.* 1595. honorarium Phil. Zakrzovii (Zakrzeuii B. *A.* P. 11. p. 1039.) accipere recuſat, locum ex *Antiwuieko* Polonico, ſibi oppoſitum defendit, ac ad argumentum *pro deitate Chriſti, ex ipſius generatione a Patre* reſpondet. 79) Eidem *Zakrzouiam* 6 *Crac.* d. 7. *Oct.* 1594. ſummam iniuriam violentiamque in publica via *Cracouiae* a *Wierneko*, *genero Domini Ligezae* illatam enarrat. 80) *Ad* N. N. S. *Theologiae Doctorem Crac.* d. 7. *Julii* 1597. cui errores ſuos de Deo commendat, de praedeſtinatione ſe ſcripſiſſe librum nuntiat, ſeque curaturum, vt deſcribatur, et in manus eius veniat, interea quaedam de hoc argumento diſſerit. Fuiſſe Doctorem hunc Joannem Jacobum Grynaeum, *Profeſſorem Theologiae Baſileenſem* et *Heidelbergenſem*, indubitatum eſt. V. Socini breues tractatus Num. XVIII. 81) Martino Vadovitae, *Academiae Cracouienſis Profeſſori*, ex *agro Igolomiano* d. 14. *Junii* 1598. Argumentum epiſtolae ſupra notaui. 82) *Ad* Everh. Spangenbergium, *Antuerpianum*, *Claudiopolin*, *Crac.* d. 14. *Martii* 1593. (B. *A.* P. 1. p. 903.) pietatem et virtutes eius laudat, et quod plane Vnitarius factus ſit, laetatur. 83) *Ad* eundem 2. *Claudiopolin*, *Crac.* d. 2. *Aug.* 1596. gallice ſcripta et in latinum verſa, in qua, quid de eiusdem ſingulari ſententia circa propinquam rerum omnium reſtaurationem ſentiat, exponit. 84) *Ad* eundem 3. *Racouiam*, *Luclauiciae* d. 9. *Dec.* 1598. ex gallico in latinum translata. *Socinus* ab Vnitariorum coetu, in primis a Lubieniecio et Ostrorodio rogatus aduerſus Spangen-

BERGII ſcriptum *de duabus beſtiis ex Apocalypſi*, cenſuram concinnauit, quam *Lubienicio* miſiſſe, nunciat, a quo eam accepturus eſſet *Spangenbergius*, cuius de eadem iudicium ſibi expetit. 85) Eidem 5. *Racouiam* ex *praedio Luclav.* d. 11. *Aug.* 1601. ex gallico latino habitu donata, in qua *Spangenbergio* pro ſtabiliendis theſibus *de duabus beſtiis* etc. dicta eiusdemque explicationem vaticiniorum in primis *Apoc.* XIII. et *Dan.* XII. refellit. 86) Eidem *Racouiam* 5. absque loci temporisque ſignificatione, ad epiſtolam SPANGENBERGII, qua ad *Socinum* miſerat theſes *de interitu imperii Romanae Eccleſiae* etc. reſpondet, hasque manu palpabiles eſſe nugas monſtrat, idque clarius ſe euicturum, ſi cum illo diſputare poſſit, praeſentibus iis, quibus de his rebus iudicare data fuerit facultas. 87) *Ad* GE. ENIEDINUM, *coetuum in Tranſyluania Vnitariorum Superintend. Crac.* d. 16. *Sept.* 1596. de controuerſia cum FRANC. DAV. agit, quam neceſſaria ſit, quaeſtionis *de Chriſti inuocatione* cognitio, monſtrat, ENIEDINI dubitationes de eadem ſecum communicatas, ſoluere nititur, ſuamque theſin, aliunde notam, defendit. 88) *Ad excellentiſſ. virum* N. N. ex *agro Luclau.* d. 15. *Dec.* 1603. Anonymus, nobilis Polonus, nondum ad Vnitarios tranſierat, examinandis autem ipſorum placitis occupatus adhuc erat. Laudat proinde eius ſtudium in exactiori rerum diuinarum cognitione et ad obiectiones circa diſputationem de *Seruatore* reſpondet. 89) *Synodo Wengrouienſi*, absque loci et temporis commemoratione. Teſtatur propoſitum ſuum reſpondendi ad apologiam *pro aſſertionibus collegii Posnanienſis*, hortaturque in Synodo congregatos, vt *pro adoratione et inuocatione Chriſti* in coetibus conſeruanda laborent. 90) *Ad* quendam *Crac.* d. 16. Nou. 1583. in qua obiectionem ſoluit theſi: *Deum ideo Chriſti Patrem in ſanctis litteris nominari, quod Dei virtute obumbrante, ex virgine ſit conceptus*, oppoſitam. 91) *Ad* VAL. RADECIUM, *Matthaei, Gedanenſis Secretarii filium, coetus Claudiopolitani miniſtrum,*

omnium-

omniumque coetuum Vnitariorum per Transyluaniam Superintendentem, ex agro Luclau. d. 23. *Nou.* 1603. De morbo suo illum certiorem facit, quam promiserat explicationem in peculiari scripto, cuius argumentum non notatur, transmittit, et quos labores perficiendos susceperit, aliaque miscellanea nuntiat. 92) MICH. FABRICIO, *Regiomontano, S. Theologiae studioso Rac.* d. 17. *Apr.* 1603. qua dicta *Zach.* II. 11 et 1 *Cor.* III. 6. 7. explicat. 93) MART. BERZEVICIO, *per Transyluaniam Cancellario, ruri* d. 12. *Mart.* 1583. gratias agit pro insigni beneuolentiae erga se, hominem incognitum, affectu, librumque aduersus JACOBUM PALAEOLOGUM quouis modo excusat. 94) *A*d GE. BLANDRATAM, *Stephani Regis Pol. Archiatrum* et *Consiliarium intimum*, sine loci ac temporis indicio, ante tamen annum 1586. *Blandratae* emortualem, fortassis *1583.* quo F. S. alteram ad *Volanum* responsionem scripserat, quamuis haec demum a. 1588. in lucem prodierit. *A*NDR. VOLANUM inter apertos illustrandae Filii Dei cognitionis hostes pessime collocat, *Blandratae* vero alteram hanc responsionem dicauit. V. B. *A.* P. I. p. 55 — 95.) *A*d *A*NDR. VOIDOVIUM, MATTH. RADECII ep. scripta ex *agro Buscouiano,* d. 20. Jan. anno Iuliano 1598. post natiuitatem Domini J. C. 1597. Quaestionem: *Jurene fures, propter simplex furtum laqueo vitam finire, necne?* tractat, et negatiuam defendit.

In fine editor syntagmatis huius epistolici spem publico facit, alias *F. Socini* epistolas partim apud amicos adhuc latitantes, partim Italice ab ipso scriptas, in latinum nondum conuersas, praesertim ad illustrem virum Dn. *Dudithium* alio tempore prodituras. Has ad *Dudithium* quatuor ex Italico latine redditas M. R. H. (qui *Martinus Ruarus Holsatus est.*) edidit, *Racouiae ex officina Sternaciana*, a. 1635. pl. 5. pagg. 82. 8. (B. *A.* P. I. p. 735. N. 22.) Praefatio, non a RUARO, sed ab alio profecta,

profecta, qui in eadem inquit: „*Ne aetatem laterent foetae multarum bonae frugis rerum epistolae; ecce tibi vir quidam humanarum diuinarumque litterarum iuxta eruditus felicem illis manum admolitus est, et veteri detracto schemate, cultu latino*, eas donauit." Sunt autem sequentes: 1) *Cracouiae* d. 3. non *Dec.* annus scriptionis, per errorem typographicum 1630. perhibetur, qui vero 1580. fuit. Testatur in eadem, quod ante annos 18 explicationem initii primi capitis Ioannis publicauerit. Quomodo cum hominibus, Christi honorem conuitiantibus agendum sit, monstrat, de quaestione, an veritatem diuinam vnusquisque erga quoscunque profiteri debeat, rogatus à DUDITHIO differit, et scriptorum suorum indicem recenset, ex quibus ea eligeret, quae describenda exoptaret, PUCCII quaedam fata recenset et alia paucis tangit. 2) Desideratur finis hinc quoque loci et temporis commemoratio. Suam *de baptismo* sententiam aduersus DUDITHIUM defendit, scriptum suum *de S. scripturae auctoritate*, se emendaturum pollicetur, DUDITHIUMQUE rogat, vt iudicium suum de eodem perscribat, et errores repertos indicet. Praeter alia, *de angelorum apparitionibus* sub V. F. magis, quam sub nouo frequentatis differit. 3) d. 4. Id *Jun.* 1582. *de baptismo non necessario, de quaestione: quatenus vera ecclesia non errare, et quatenus errare possit*, nec non de explicatione S. litterarum, de adoratione et diuinitate Christi, de promissionibus et praeceptis in V. T. aliisque momentis succincte scribit. 4) d. 6. *Id Martii* a. 1583. Ex relatione vitae LAELII SOCINI vltima tantum verba restant; si tota exstaret epistola, historiae eiusdem exponendae haud parum inseruiret. Disputat *de adiaphoris*, modum scribendi a DUDITHIO sibi commendatum, cum quadam exceptione probat, ad verba BEZAE circa explicationem *cap.* IX. *ad Rom.* pauca adfert, et periphrasticam huius capitis, nec non initii cap. XI. *ad Rom.* expositionem transmittit, et rationem exponit, cur DUDITHIO explicatio

cap. VII. ad Rom. obſcura videatur, et ſe ad martyrium ſuſcipiendum paratum teſtatur. De his ad *Dudithium* epiſtolis, quae a. 1666. 4. *belgice* quoque prodierunt, ita *Reimannus* l. c. p. 661. *Harum quidem oppido ſunt paucae, et in iis quaedam mutilae, praeterea et truncatae; ſed de rebus grauiſſimis, et in quibus non mediocre eſt pondus, contextae et non ineleganter translatae.*

In Biblioth. F. F. P. P. Vol. I. f. 510—534. DUDITHII epp. ad Jo. LASICIUM, Jo. WOLFFIUM, THEOD. BEZAM, PETRUM MELIUM, IOSIAM SIMLERUM et PETRUM CAROLINUM epiſtolis *Socini* ſubtextae reperiuntur. THOM. CRENIUS in *animadu. Philolog.* P. VII. p. 217. F. S. epiſtolam ineditam, ad JOANNEM KRZESS, ex *agro Luclau.* d. 20. *Martii* 1599. datam, quae varia domeſtica et res *Synodi Vnitariorum Zarſinienſis* pro argumento habet, in lucem produxit. V. *Zeltneti* notae ad diar. *Smalcii* p. 1171. Allegatur praeterea ep. ad *Cornelium Daems*, Goudam italice ſcripta, *Crac.* 1588. d. 15. *Apr.*

XI. *Praelectiones Theologicae Fauſti Socini Senenſis. 1. Theſſ. 5. 19. Prophetias nolite ſpernere. Omnia probantes, (quod) bonum (eſt) tenete. Racouiae, typis Seb. Stern.* 1609. 4. Alph, I. pl. 2. ſ. pagg. 192. et praef. 6. Opus poſthumum auctoris, quod VAL. SMALCIUS in publicum emiſit. Editio ſecunda prodiit a. 1625, et tertia *Rac.* 1627. 4. in qua idem paginarum numerus eſt, nec quidquam praeterea mutatum. Praefatio abſoluitur dedicatione, qua SMALCIUS illuſtri *Academiae Heidelbergenſi* librum adſcripſit, et PARAEI iudicium moroſum de SOCINO notauit, ac vt meliora de eodem Profeſſores ſentiant, perſuadere ipſis nititur. Data eſt *Rac. Cal. Sept.* a. 1609. Primae editionis exemplar, quod manibus iam voluo, olim fuit PEUSCHELII, crypto Sociniani Altorffini famoſiſſimi, quod a GITTICHIO dono accepit. Hic in fronte libri ſua manu adſcripſit: *Domino Joachimo Peuſchelio, fratri in Chriſto plurimum dilecto Michael Gitichius*

chius (per ſimplex *t*) *Venetianus mittit.* Rationem dedicationis ita profert *Smalcius*: „*Eas dedicatas vobis, viri magnifici et doctiſſimi, per me eccleſiae noſtrae voluerunt, partim quod talia ſcripta talibus conueniant, et a vobis examinari, quam rectiſſime poſſint, partim vt iudicetis ipſi, iure ne, an iniuria,* PARAEVS *veſter, in* SOCINUM, *virum certe ſingularem, ita inuehebatur in commentariis in ep. ad Rom. editis, vt eum monſtrum hominis vocet, et nunc latrare, nunc blaterare etiam paſſim occinat.*" Opus SOCINI imperfectum eſt, vt ne quidem reſtitutionem per Chriſtum factam, vt ſibi propoſuerat, pertractauerit, ſed in male expoſito Chriſti ſacerdotio ſubſtiterit; interim inter praecipua familiae huius et F. *Socini* referendum, quippe in quo errorum ſuorum ſyſtema in nexu luci expoſuit, quare etiam pluries editum et bis in linguam Belgicam translatum, ſub tit. *Theologiſche Leſſen* etc. et ſecunda quidem vice, tertia parte correctum et auctum prodiit. V. *Sandius* l. c. p. 75.

Abſoluitur 29. capitibus. Nimirum *c. I. Primus homo etiam ante lapſum mortalis fuit c. 2. Quaeritur, quid ſit in homine naturaliter, quod ad religionem c. 3. Vtrum primus homo ante peccatum iuſtitiam aliquam originalem habuerit, c. 4. An ſit, et quale ſit peccatum originis, c. 5. De libero hominis arbitrio, c. 6. De Dei praedeſtinatione, c. 7. Rationes, quibus probari videatur, quaecunque fiunt, aut non fiunt, praeſertim ad ſalutem aut condemnationem noſtram ſpectantia, ea prius ita a Deo decreta fuiſſe; vel certe nihil in hominis arbitrio ſitum eſſe, et earundem rationum refutatio, c. 8. De Dei praenotione, ſeu praeſcientia, c. 9. Loci S. litterarum, ex quibus in vniuerſum probari videtur, Deum cuncta praenoſſe, quae fiant, et eorum explicatio, c. 10. Loci S. litterarum, rationes inde deſumptae, ex quibus Deum quaedam praenoſſe conſtet, vnde colligi poſſe videatur, eum omnia ſcire, antequam fiant et ad eas reſponſio; c. II. Concluſio in hac, de*

Dei praescientia quaestione, c. 12. De sacris testimoniis, ex quibus colligi videtur, in hominis arbitrio nihil positum esse, et primum de iis, in quibus id vniuerse dici, vt indicavi, videtur, eorumque explanatio, c. 13. De verbis praedestinandi, eligendi et vocandi, quatenus ad salutem nostram referuntur, quibus singulorum salutis, aut condemnationis necessitas in vniuersum confirmari videtur, c. 14. Sacra testimonia, in quibus singulare aliquod diuinum decretum commemoratur, ex quo probari videtur, quod ad salutem aut damnationem attinet, nihil penitus in hominis libertate esse, et eorum explanatio, c. 15. Iustificationis nostrae per Christum prolegomena quaedam, eamque explicandi initium, c. 16. Deum nobis peccata iure condonare potuisse, nulla vera pro ipsis a quoquam satisfactione accepta, c. 17. Deum nulla vera satisfactione accepta, nobis peccata condonare voluisse, c. 18. Nullo modo iustitiae diuinae saluis nobis pro peccatis nostris satisfieri potuisse, ne ab ipso Christo quidem, c. 19. Ad testimonia, quae pro Christi satisfactione afferri possent, responsio; et primum ad ea, in quibus de redemtione per ipsum facta, differitur, c. 20. Explicatio eorum locorum, in quibus Christus propter peccata nostra vel pro peccatis nostris, vel pro nobis traditus, percussus et occisus esse, vel passus ac mortuus fuisse dicitur, c. 21. Locorum, in quibus Christus peccata nostra portasse dicitur, et similium explicatio, et quod ad satisfactionem pro peccatis nostris confirmandam nihil momenti habeant, demonstratio, c. 22. Introductio ad eorum locorum explicationem, in quibus Christi mors cum V. Testamenti sacrificiis comparatur, aut ipse Christus, cum summo illo antiquo sacerdote confertur, atque illorum simul, vbi Christi morti aliquid tribuitur, quod ad expiationes illas antiquas quoquomodo relationem habeat; et quod neque per collationem, neque per adumbrationem mortis Christi in victimis illis antiquis, satisfactio pro peccatis nostris ex Christi morte manans colligi possit, demonstratio, c. 23. Quid per comparationem Christi mortis, cum victi

victimis illis antiquis, de ipsa Christi morte, quod attinet ad delenda peccata nostra, statui possit; et locorum de expiatione per Christi mortem loquentium explanatio, c. 24. Quod Christi oblatio apud auctorem epistolae ad Hebraeos, non in cruce, sed in coelo post resurrectionem perfecta fuerit, demonstratio; et simul apud eundem scriptorem eorum verborum explanatio: Qui per Spiritum aeternum se ipsum obtulit immaculatum Deo; sic praeterea iam expositi inter Christi sacrificium et victimus illas legales discriminis confirmatio, c. 25. Conclusio disputationis de discrimine inter Christi sacrificium et legales victimas; vna cum locorum aliquot explanatione, de expiatione per Christum facta, loquentium, c. 26. Quid ex eo ipso, quod Christi corporis sacrificium in victimis legalibus adumbratum fuerit, de eodem sacrificio in abolendis peccatis nostris statui atque affirmari possit, c. 27. Ex eo, quod Jesus ipse Christus legalis pontificis persona adumbratus fuerit, nullo modo colligi posse, Christum morte sua, vel alia quauis ratione, pro peccatis nostris Deo satisfecisse et quid inde colligi debeat, c. 28. De aliis similitudinibus inter legalem sacerdotem et Christum. Quid ex sola ipsa adumbratione personae Christi, in pontificis legalis persona colligi possit, breuiter indicatum. Et conclusio huius de sacrificiis tractationis p. 185.

Adiecit *Peuschelius*, exemplari, quo utor, scriptum indicem dictorum S. Scr., quae in his praelectionibus explicantur vel potius evertuntur. Totum opus intextum est in Jo. JUNII, *Past. Eccl. Syluaeduc. Refutatione praelectionum Theologicarum F. Socini Senens. Amstelreod. op. Henric. Laurentii*, a. 1633. 8. alph. 2. pl. 21. V. *Relat. innoc.* a. 1701 p. 179. *Fabricius* l. c. P. II. p. 58. *Jo. Junium* cum *Franc. Junio* commutasse videtur.

XII. *Tractatus de iustificatione Fausti Socini senensis. Racouiae, typis Seb. Stern.* 1611. 8. pagg. 143. Hoc titulo sequentes exhibentur tractatus 1) p. 3. *Justificatio-*

nis nostrae per *Christum synopsis prima* et p. 10. *altera* 2) p. 16. *Theses de iustificatione* 3) p. 19. *De iustificatione dialogus* N.N. et p 52. *Notae F. S. in dialogum* 4) p. 102. *Fragmenta de iustificatione* 5) p. 120. *De fide et operibus, quod attinet ad iustificationem nostram,* ex Italicis litteris ad clarissimum virum N. N. 6) p. 140. *Theses de caussa et fundamento in ipso homine, eius fidei in Deum, qua hominem iustificari sacrae litterae testantur.*

Synopsin primam in lucem prodiisse sub nomine *Gratiani Turpionis* Gerapolensis, *Gerapoli* a. 1591. 4. *Sandius* quidem obseruauit l. c. p. 72. sed ipsum librum non vidit, hinc titulum mendose allegauit. Est autem haec eius vera inscriptio: *Justificationis nostrae per Christum synopsis, vbi potissimum de ipsius Christi mortis vi et effectis agitur, Auctore Gratiano Turpione Gerapolensi. Eiusdem de fide et operibus, quod attinet ad iustificationem nostram ex Italicis litteris ad clarissimum virum N. N. quatuor explicata quaestionibus disputatio. Veritas temporis filia. Gerapoli* 1591. 4. pagg. 17. Prodiit quoque synopsis cum caeteris in hoc opusculo adiunctis Rac. a. 1616. 4to haecque editio allegatur in Thom. Hyde *Catal. Biblioth. Bodlei.* p. 170. Scriptum hoc magno olim numero in Saxonia fuisse disseminatum, ac in principio quemdam Ecclesiastem Lutheranum, *Magdeburgi* in exsilio viuentem pro auctore eiusdem esse habitum, Franzius narrauit in Dispp. in A. C. P. I. disp. IV. thes. 63. V. *Placcius* N. 2742. p. 598. Opposita est huic libello M. *Jo. Winteri*, S. S. Theol. Baccal. refutatio sententiae F. Socini, *Senens. de Iustificatione hominis coram Deo. Witteb.* 1616. 4.

XIII. *Elenchi Sophistici a Fausto Socino Senensi in gratiam amicorum explicati, et exemplis Theologicis illustrati Explicatio duplex est: altera breuior, altera fusior: quam posteriorem auctor sine scripto amicis dictauit: verum nec absoluit, nec recognouit. Rac. typis Seb. Stern.*

Anno

Anno Christi 1625. 8. pagg. 118. Librum in gratiam Christoph. Ostorodi concinnauit, quod ipse narrat, in ep. ad *Socinum* in huius epp. p. 456. vbi nonnulla in eodem sibi parum probari, non dissimulat. Scriptum interim hoc comprobat a veritate alienum prodidisse in ep. ad Dudithium p. 44. *se in logicis, vltra id, quod natura docuit, non profecisse*; et p. 70. *se dialecticae praesidiis non nisi a natura ipsa esse instructum.* In elenchis enim p. 18. fatetur, *se Aristotelem primum elenchorum inuentorem esse secutum.* Ipse quoque libellus loquitur, eum vna cum logica naturali, artificialem omnino tractasse, et in hac non perfunctorie fuisse versatum. V. *Reimannus* l. c. p. 654 et 662.

Jo. Dan. Hoffmannus l. c. p. 33. allegat librum *F. Socini* sub ficto nomine *Prosperi Gratiani instrumentum doctrinarum Aristotelicum, in vsum Christianarum scholarum exemplis theologis illustratum. Losci in Lithuania* 1586. 8. *Sandius* l. c. p. 72. dubitat, idque merito, an F. Socini sit foetus, cum potuis operi huic *Licinius* manus suas commodauerit, quamuis illud *Calouius* contra *Crellium* tribuerit *Socino.* V. B. A. P. I. p. 435. N. 5. Non tamen omnino negarem, *Licinium* haud pauca ex *Socini* scriptis et discursibus deriuasse, imo hunc libello auxiliatrices manus admouisse; nisi forte *Socinus* totum compilauerit, ac *Licinio* ad publicandum sub ficto nomine tradiderit Opusculum F. *Socini* sub examen vocauit acutissimus acad. Altorf. Philosophus Jo. Paul. Felwingerus in *Palaestra rationis,* s. *doctrina de sophisticis elenchis,* IX. *disput. Altdorff.* 1672. 4.

XIV. *Christianae religionis breuissima institutio per interrogationes et responsiones, quam Catechismum vulgo vocant, scripta a Fausto Socino Senensi, opus imperfectum. Racouiae* 1618. 8. pl. 11½ *pagg.* 180. Haec Catechismi editio *Sandio* visa non est, qui alioquin impressionis locum et tempus annotasset. Imo l. c. p. 77. falso per-

hibet, Catechismi huius fragmentum nunquam antehac editum, primum *Bibliothecae F. F. P. P.* esse insertum. Ex auctoris Epp. p. 517. patet, hanc catechesin a. 1593. inceptam, sed statim rursus intermissam. Tum a. 1603 ab eodem reuisam, opem ferente P. Statorio, scholae Pinczouiensis Rectore, l. c. p. 679. Tandem vero imperfectam relictam ob *Socini* mortem. Addita enim sunt p. 135. verba: Hucusque author; reliqua morte praeuentus non absoluit. Diuersum vero scriptum est, quod sub titulo celebratur: *Fragmentum Catechismi prioris* F. Socini *Senens. qui periit in Cracouiensi rerum ipsius direptione*, (1598.) quod in omnibus paginis indicem habet: *Cap. secundi* (*Qualis* sit *christiana religio?*) *Pars prima, de Dei essentiae cognitione.* Hoc ipsum fragmentum p. 137—180. comparet. Institutionis allegatae sectiones sunt: *1) De religione christiana in genere. 2) De cognitione Dei. 3) De voluntate Dei. 4) De cognitione Christi. 5) De natura Christi. 6) De diuino J. C. imperio. 7) De Christi sacerdotio. 8) Refutatio sententiae vulgaris, de satisfactione Christi pro peccatis nostris. 9) Cur Christum necesse fuerit mori. 10) De diuina suprema Christi potestate. 11) De Christi inuocatione et adoratione. 12) Refutatio distinctionis vulgaris, quod alia Christo secundum humanam naturam, alia secundum diuinam tribuantur. 13) De ascensu et commoratione Christi hominis in coelo, antequam munus suum in terris obire inciperet.* V. Jo. Andr. Schmidius *de Catechismo Recov.* p. 8. Pauca huius institutionis argumenta proferre iuuat. *Interr.* *Quid igitur concludis?* (exinde, quod Dei essentia sit numero, vna.)

R. „*Nempe id, quod per te ipse iam intelligere potes; vi-*
„*delicet, cum Dei essentia sit vna numero,* Devt. VI. 4.
„*necesse esse, vt vna etiam numero sit in Deo persona,*
„*et nullo pacto plures. Nam si plures diuinae perso-*
„*nae essent, plures etiam diuinas essentias esse opporteret.*

Interr.

Interr. „Eſtne neceſſarium iſta ſcire aut credere?"

R. *„Eſt quidem neceſſarium, ſi quis veritatem plane noſſe „aut credere velit. Sed ad vitam aeternam conſequendam, non crediderim, eſſe omnino neceſſariam."*

Interr. „Quid igitur ipſe ſtatuis de Chriſto Dei Filio, „quem volunt eſſe alteram ex iſtis tribus perſonis, „vnumque et eundem numero Deum cum Patre ſuo?"

R. *„De hoc reſpondebo tibi, vbi ſeparatim de ipſius „Chriſti eſſentia nobis agendum erit. Satis eſt in hoc „loco, te intelligere, me ſtatuere, ſententiam iſtam de „Chriſto nullo pacto veram eſſe poſſe."*

Interr. „Quid de ipſa eſſentia, ſeu Chriſti natura ſta„tuis?"

R. *„De Chriſti eſſentia ita ſtatuo, illum hominem eſſe Rom.* „V. 15. *in virginis vtero, et ſic ſine viri ope, diuini „Spiritus vi conceptum ac formatum Matth.* 1. 20. „23. *Luc.* 1. 35. *indeque genitum, primum quidem „patibilem ac mortalem* 2. *Cor.* XIII. 4. *donec ſcilicet „munus ſibi a Deo demandatum hic in terris obiuit; „deinde vero poſtquam in coelum aſcendit, impatibilem „et immortalem factum. Rom.* VI. 9."

Interr, „Quid ſibi vult, quod innuis, hoc, quod Chri„ſtus Dei Filius ſit proprius et vnigenitus, non om„nino ad eius naturam pertinere?"

R. *„Diuina iſta Chriſti filiatio, eatenus tantum ad eius „naturam aliquo modo referri poteſt, quatenus id re„ſpicit, quod Chriſtus diuini Spiritus vi, ſine viri ope „in virginis vtero conceptus et formatus fuit. Nam „huiusce rei cauſſa eum Dei Filium vocatum iri, ipſius „Dei angelus, ipſimet virgini, ex qua natus eſt, prae„dixit. Luc.* 1. 38. *et quidem conſequenter Dei Fi„lium proprium et vnigenitum; cum nemo alius hac*

„ratione et ab ipſo primo ortu, Dei Filius vnquam ex-„ſtiterit. etc.“

Interr. „Quid igitur cenſes de eo, quod vulgo hactenus „traditum eſt, Chriſtum Dei Filium proprium et „vnigenitum eſſe, quia ex ipſius Dei ſubſtantia ſit ge-„neratus, nec vllus alius praeter ipſum?“

R. *„Cenſeo, iſtud merum eſſe humanum commentum, id „eſt, nec S. litteris vllo pacto conſentaneum, quae „iſtius ex ipſius Dei ſubſtantia generationis nullam „prorſus mentionem faciunt, et ipſi ſanae rationi peni-„tus repugnans, quae nullo modo patitur, vt Deus „animalium corruptibilium more, ex ſua ipſius ſub-„ſtantia generet, vtue vnica illa numero Dei eſſentia „vel diuidatur vel multiplicetur, vel vnica numero et „integra manens, pluribus fiat communis.* etc.“

„Ad interrogationem, quod Chriſtus pluribus in lo-„cis ſ. Scr. diſerte appelletur Deus, reſpondet, quod „haec appellatio minime ad ipſius eſſentiam et gene-„rationem eius ex Dei ſubſtantia, ſed ad diuinum „eius in nos imperium et maieſtatem pertineat.“

Interr. „Quid illud eſt, quod apud Paulum Apoſtolum „ſaepius legitur de reconciliatione per Chriſtum „facta?“

R. *„Eſt, quod Deus per Chriſtum nos reconciliauit, quem-„admodum ipſe Paulus loquitur,* 2 *Cor.* V. 18. *nec „vsquam legitur, Chriſtum nobis Deum reconciliaſſe. „Vnde apparet, hanc per Chriſtum factam reconcilia-„tionem nihil aliud fuiſſe, quam nos, qui Dei inimici, „vt idem Paulus ait Rom* V. 10. *adhuc eramus, eo ad-„ducere, vt Dei amici eſſe vellemus, id eſt, ab eo offen-„dendo deſiſtere et ſic oblatam nobis ab ipſo Deo pecca-„torum remiſſionem adipiſci et in eiusdem gratiam „recipi.*“

Interr.

Interr. „Quid quaeſo de Spiritu S. mihi dicis, de quo „iſti ſimiliter adfirmant, eum eſſe diuinam perſonam, „nempe tertiam, et vnum atque eundem numero „Deum cum Patre et Filio? Quid ipſe, cum iſtud „nullo pacto admittas, de eo ſtatuendum cenſes?

R. *Nempe illum non eſſe perſonam aliquam a Deo, cuius eſt „ſpiritus, diſtinctam, ſed tantummodo (vt nomen ipſum ſpiritus, quod flatum et afflationem, vt ſic loquar, ſignificat, docere poteſt,) ipſius Dei vim et efficaciam quandam, id eſt, eam, quae ſecum ſanctitatem aliquam afferat.*"

Interr. „Sunt ne teſtimonia aliqua diuina, ex quibus praeter ipſius nominis ſignificationem, confirmari poſſit, Spiritum S. eſſe vim quandam atque efficaciam Dei?"

R. „*Sunt, vt illud apud Lucam cap. vlt. quoadusque induamini virtute ex alto. Apertiſſimum enim eſt, „ibi virtutis ex alto nomine intelligi Spiritum S. quo „futurum erat, vt Apoſtoli paulo poſt donarentur. Eſt „autem ſine dubio, virtus ex alto idem, quod virtus „altiſſimi, et propterea nihil etiam dubitari poteſt, „quin apud eundem Lucam I. virtus altiſſimi ſimiliter „Spiritum S. ſignificet, vel potius proxime antea nominatum, quid ſit, declaret. Vt quidem non pauci viri doctiſſimi cenſuerunt.*"

Interr. „Qua ratione igitur illa ſacra teſtimonia interpretaris, in quibus Spiritui S. ea tribuuntur, quae „ſunt propria perſonarum et ſimul vni tantum Deo „conueniunt?"

R. „*Saepe in ipſis ſ. litteris 1. Cor.* XIII. 4. etc. *Gal.* III. „8. *Jac.* III. 17. *Rom.* VII. 8. etc. *Jo.* III. 8. *quibusdam rebus ea tribuuntur, quae ſunt propria perſonarum, nec tamen res iſtae ſunt perſonae; et cum Spi-*

„*ritus*

„ritus Dei vis ſit atque efficacia, quemadmodum id ei „merito tribuitur, quod ipſius Dei eſt proprium, ſic „ſaepiſſime ſit, vt Spiritus S. nomine, aliud nihil, quam „ipſe Deus, quatenus vim iſtam atque efficaciam exſe„rit, intelligatur.“

Inſtitutioni huic catecheticae, fragmentum Catechiſmi prioris ſubtextum eſt, qui in Cracouienſi rerum auctoris direptione periit. Hoc duo exhibet colloquia, imperfecta tamen et neutrum abſolutum. *Primum* agit de iuſtificatione piorum in V. T. *ſecundum* de religione chriſtiana. Sint haec ſpeciminis loco:

Diſcipulus. „Qua igitur ratione veteres illi peccatorum „ſuorum ſunt conſecuti veniam, ſi per fidem in venturum Chriſtum eam a Deo non obtinuerunt?“

Magiſter. „*Nempe per fidem in ipſum Deum. Itaque in „iuſtificationis ſuae ratione eatenus non differunt a no„bis veteres illi, quatenus et nos non aliter, quam per „fidem in ipſum Deum iuſtificamur.* 1 *Pet.* 1, 21. *per „Chriſtum enim in Deum creditur, et qui in Chriſtum „credit, non in ipſum Chriſtum credit, ſed in illum, „qui eum miſit, id eſt, in Deum. Jo.* XII. 44.“

Diſc. „Memini me aliquando audiuiſſe, atque etiam le„giſſe in Dei eſſentia, quia infinita ſit, locum non „habere rationem iſtam, qua alioqui concluditur, tot „eſſe eſſentias numero, quot ſunt perſonae?“

Mag. „*Imo*, ſi verum eſt Dei eſſentiam, (vt vulgo credi„tur) eſſe infinitam, multo minus fieri poteſt, vt, „cum ipſa vna numero ſit, diuinae perſonae ſint plu„res. Nam praeter rationem a nobis allatam, quam, „cur infinitas, ſiue immenſitas eſſentiae Dei labefac„tare quidquam poſſit, nihil apparet; accedit alia „inexpugnabilis ratio, quod ſi plures eſſent diuinae „perſonae, plura etiam eſſent infinita, quod nullo

„pror-

„prorſus modo eſſe poſſe omnes vno ore confitentur.
„Infinitum enim hic vocamus id, quod eſt immen-
„ſum, non duratione (tametſi immenſitas iſta ſine vl-
„la controuerſia in Deo eſt) ſed ipſa ſua ſubſtantia:
„Breuiter, quicquid contradictionem (vt loquuntur)
„implicat, id eſſe nulla ratione poteſt, ſiue in alia
„re quacunque, ſiue etiam in ipſo Deo, imo ſi hoc
„quod impoſſibile eſſe, omnes agnoſcere coguntur,
„ex eorum eſſet genere, quae magis et minus reci-
„piunt, tanto magis in Deo, quam vlla alia in re id
„impoſſibile eſſet, quanto Deus magis, quam caetera
„omnia, ab iis, quae inuicem repugnant, vt abſit ne-
„ceſſe eſt, ob ſummam et vndique abſolutiſſimam
„perfectionem ſuam."

MOSHEMIUS in *Inſtitut.* hiſt. Chriſt. p. 324. iudicauit, libellum hunc *Socini* catecheticum, prima catecheſi Racov. fundamenta ſuppeditaſſe. *Reimannus* l. c. ſentit huic operi *Socini* maiori iure Catechismi Racov. titulum eſſe tribuendum, quam *Smalcii* libro. Sed de hoc argumento alio loco plura.

Catechismi huius editioni p. 137 — 180. adtexta eſt: *Summa religionis Chriſtianae*, qui tractatus primum a *F. Socino* italice ſcriptus, poſtea ab ipſo latine verſus, adiunctus quoque eſt libro eius *de S. Scr. authoritate*, edit. *Racov.* 1611. 8. Seorſim vero impreſſus 1654. 12. et belgice verſus ſub tit. *Kort begryp van de Chriſtelyke religie* etc. adtextus eſt belgicae verſioni, libelli F. *Socini*, cui titulum fecit: *Defenſio Diſp. De loco cap. VII.* Epiſt. ad *Rom.* 1664. 8.

Aduerſus F. S. Catechismum Jo. MACCOVIUS Praelectiones inſtituit, quae ipſius operibus inſertae reperiuntur, hoc titulo in lucem emiſſis: JOANNES MACCOVIUS *rediuiuus, ſeu Manuſcripta eius tertium iam typis exſcripta, opera Nicolai Arnoldi, Amſtel.* 1659. *V. Jo. Chriſtoph. Koecheri* Catechetiſche Geſchichte etc. p. 143.

XV.

XV. *Quod regni Poloniae et Magni ducatus Lithuaniae homines vulgo Euangelici dicti, qui solidae pietatis sunt studiosi, omnino deberent, se illorum coetui adiungere, qui in iisdem locis falso atque immerito* Ariani *atque* Ebionitae *vocantur. Ex scriptis Fausti Socini, Senensis. Hebr. 6. 1. omisso inchoationis Christi praecepto ad perfectionem feramur. Racoviae typis Seb. Stern.* 1611. 8. pagg. 18. Libellus, cum haud paucis aliis, viuo adhuc auctore latino habitu typis excusus non est, concinnatus vero a. 1599. polonice tamen prodiit a. 1600. ex versione Petri *Statorii* Jun. deinde latine in Belgio primum adparuit, a. 1610. ac isto tempore per *Ostorodum* et *Voidovium* ibidem disseminatus. Exaratum esse a. 1599. mense *Julio* in agro *Luclaviciano Abr. Blonscii,* subscriptio docet.

Socinus de eodem ad Christoph. Ostorodum *Racoviam* die vltimo anni 1599. in Epp. p. 454. ita scribit: „Rupnovius noster promisit, se ex Ostroviano suo missurum isthuc libellum, de quo excudendo agitur, latinum, quem si, vt spero acceperitis, et vestro et meo desiderio satisfieri plane poterit. Vt enim vos (quamquam vtrumque vtrique desideramus) id cupitis maxime, vt libellus iste vere Polonice loquatur, et a quolibet Polonicae linguae gnaro facile intelligi possit: sic ego potissimum opto, ne Polonica verba, vlla ex parte, aliam sententiam in eo sonent, quam ipsa latina verba ferunt. — — — Possent, si nobis videretur ab ipso initio, statim in altera post titulum, seu inscriptionem pagina, nec vllius nomine, nec ad vllum inscripta huiusmodi verba poni: Vera et stabilis perpetuaque inter vtrumque coetum, qui papatui in his regionibus valedixerunt, concordia, quae hactenus frustra, ab ipsorum altera tentata est, in eo maxime ac potissimum, vel potius solum consistit, vt vtraque pars pie ac sancte, ex Christi praescripto viuere omnibus viribus conetur et

„studeat;

„ſtudeat; quod, quia admodum difficile eſt, vt ab Euan-
„gelicis fiat, donec ſua quaedam dogmata retinent, nec
„modum ſuarum eccleſiarum regendarum mutant, prop-
„terea editur hic libellus, quo ita ſentire oſtenditur, et
„ob eam cauſſam, qui in illo coetu ſunt pietatis ſtudioſi,
„vt alteri coetui ſeſe adiungant ſedulo monentur, prae-
„ſertim cum aliae etiam ſint cauſſae, cur id facere de-
„beant, quas ſcriptum hoc legendo, quisque nullo ne-
„gotio deprehendete poterit.“

In praefatione ad lectorem hanc ſcripti occaſionem auctor exponit: „Audiui ſaepe (atque ita rem ſe habere „ex parte ipſe comperi) inter eos, qui in regno Polo-„niae et magno ducatu Lithuaniae vulgo Euangelici ap-„pellantur, non paucos eſſe, qui libenter ſcirent, quae-„nam ſint cauſſae et rationes, cur aliquot viri eruditio-„ne ac virtute praeſtantes ipſorum coetum, eorum coe-„tui poſthabendum cenſuerint, qui ARIANI et EBIONI-„TAE vocari ſolent. Quin etiam vir quidam nobilis et „bonarum litterarum apprime ſtudioſus, quique me ab „ſe, impenſe amari tunc temporis profitebatur, diligen-„ter aliquando me rogauit, vt cauſſas iſtas et rationes „breui ſcripto comprehenſas ſibi habere liceret, idque „mea opera, quandoquidem ipſe illi auctor eram, vt ab „Euangelicis, quibus adhaerebat, ac perpetuo in vita „ſua adhaeſerat, ad iſtos alios tranſiret Ego vero eius „precibus victus, quin me id, quod tantopere appetebat, „facturum promitterem, facere non potui, hocque meo „promiſſo iam diu ſtetiſſem, niſi haud ita multo poſt, „eius animum ob ipſam religionis cauſſam, a me prope „abalienatum eſſe, animaduertere mihi viſus fuiſſem. „Haec igitur hoc tempore ipſe mecum partim conſide-„rans, partim memoria repetens, et nihil prorſus dubi-„tans, quin conſilium, quod nobili iſti viro dabam, ſa-„lutare plane ſit, et homini Euangelicae in hiſce regio-„nibus religionis, ad ſolidam pietatem contendenti, ferme

„neceſ-

„necessarium, amicis monentibus atque hortantibus, vt „hac de re aliquid scriberem, parendum atque obtempe„randum mihi censui. Sperandum siquidem est, vt ex „Euangelicorum numero ii, qui ista legere cupiunt, non „sine fructu ista etiam legant, et fructu quidem eiusmo„di, cui nullus par esse potest.“

Post praefationem et introductionem, quinque capita scriptum complectitur. In *primo* proponitur, ad regnum Dei possidendum, necesse esse, in nullo peccato manere, quod euangelii doctrinae aduersetur *p. 8.* In *secundo*, in eorum, qui Euangelici vulgo adpellantur, religione, dogmata et sententias haberi, quae vix vllo modo permittunt, vt, qui eas tenet, in nullo peccato maneat *p. 10.* *In tertio* in eorundem Euangelicorum religione quaedam concedi, quae cum Christi praeceptis pugnant, *p. 23.* *In quarto*, in Euangelicorum doctrina non paucos esse errores, qui facile veram salutis aeternae viam obscurant atque impediunt, *p. 27.* in *quinto* denique de ignorationibus, seu leuioribus erroribus multis Euangelicorum, *p. 55.* seqq. Excipit haec, *appendix*, *p. 69.* de defectu disciplinae ecclesiasticae in coetu Euangelicorum, et de caussis, cur hic coetus in dies minuatur, *Arianonorum* vero (quos vocant) crescat. V. *Calovius* l. c. p. 35. Quod *Socinus* per Euangelicos in libro suo suasorio Heiueticae confessioni deditos maxime intelligat, SCHLICHTINGIUS significauit.

Prodiit liber in lucem iam a. 1610. latine *Franequerae* (quod vulgo creditur, cum tamen potius *Steinfurthi* impressus fuerit) in quem locum ad *Conr. Vorstii* discipulos Mst. delatum fuit per *Ostorodum* ac *Voidouium*, sub hoc titulo: *De officio hominis Christiani in hodiernis istis de religione controuersiis: hoc est, cui potissimum coetui inter omnes de religione dissidentes, homo christianus adhaerere debeat; libellus hoc tempore vtilissimus, ab anonymo quodam veritatis patrono conscriptus. Cum gratia et priui-*

priuilegio summi Pontificis et Regis Catholici excusus, Irenopoli, (Franeckerae) typis Theophili Adamidis (quod nomen *Alexium Radecium* notat. V. B. A. P. I. p. 219. 235.) a. 1610. 8. pl. 6 absque addito paginarum numero. V. *Baylii* Diction. tit. *Vorstius* Lit. (G) et *Jac. Fruytier Sions Worstelingen, Roterod.* 1715. 8. p. 316. Hunc librum *Socini* per *Jacobum Omphalium, Henricum Welsingium, Eccles. S. Martensdykanae in Dioeces. Vltraiect. Past.* (quem alii *Weslingium* nominant) *Bernhardum Forkenbeckium* etc. *Vorstii* discipulos, *Franequerae* clam diuulgatum esse, *Hoornbeckius* refert et *Cloppenburgius* hanc editionem vigilantia D. D. *Sibrandi Luberti* et pastorum Leovardensium inprimis *Bernhardi Fullenii* et *Joannis Begermanni* suppressam esse narrat. V. *Placcius* p. 500. N. 1939. (EE) Hanc ipsam ob caussam inter libros rarissimos referendus; prodiit tamen anno sequente noua editio, procurantibus eam Socinianis in Polonia. FESTUS HOMMIUS in Praefat. ad *specimen controuersiarum Belgicarum* etc. inquit: HENRICUS WELSINGIUS, libellum *Fausti Socini* edidit *de officio hominis Christiani in hodiernis istis de Religione controuersiis, cui* etiam praefixit *praefationem suam*, qua libellum hunc Euangelicis commendat, vt satis neruose tractantem id, quod auctor sibi proposuerat, monetque eos, vt diligenter illum legant, et vnice attendant, non quis, sed quid dicat: docetque Euangelicos, magno cum fructu hunc libellum legere posse, vtpote qui ex eo agnituri sint, multa sibi deesse adhuc ad veram Religionis puritatem, multa etiam, quae pugnent cum illa imprudenter adhuc in coetibus suis retineri. CONR. VORSTIUS Deum testem aduocat, libellum hunc se penitus inscio, nedum auctore et promotore, clam editum fuisse, et cum primum sibi res innotuerit, quosdam ex iis, qui edi curauerant, ad se vocatos acriter obiurgasse. V. *Epp. Eccl. et Theol.* p. 327. b. et 280. a. edit. *Amstel.* 1704. fol. Interim tamen plures persua-

ſum ſibi habent *Vorſtium* ad lectorem admonitionem praemiſiſſe.

In belgicam linguam translatus liber iam a. 1610 comparuit, de qua editione valet, quod *Sandius* l. c. ex *Cloppenburgio* et *Hoornbeckio* adduxit. V. *Biblioth.* Hal. T. I. p. 417. Belgice iterum prodiit 1603. 4. cui editioni interpretes adiecerunt *ſummam doctrinae Sarmatarum*, vel compendiolum doctrinae Socinianorum *'t kort begryp van de leere der Sociniaaner* etc. quam appendicem a *Conrado Vorſtio* eſſe concinnatam plurimi credunt. Titulum habet: *Summa doctrinae Sarmatarum, vel ſumma ex* Stan. Lubieniecii *Jun. compendiolo doctrinae Eccleſiae Chriſtianae nunc in Polonia potiſſimum florentis* V. Epp. *Eccl.* et *Theol.* l. c. p. 45. a. B. A. P. I. p. 451. N. 2.

Ab hoc ſcripto diuerſus eſt *Fauſti Socini* libellus, *de officio hominis Chriſtiani,* qui inter eiusdem tractatus breues Theologicos Rac. 1618. 8. legitur, et vix vnicum, octernionis folium implet. Opuſculum vero, quod recenſuimus, poſt *Calouium* per *Balthaſ. Meisnerum* in breui conſideratione Theol. Photin. *prout eam F.* Socinus *deſcripſit in libello ſuaſorio,* cui titulus: *Quod Euangelici omnino deberent ſe illorum coetui adiungere* etc. *Witteb.* 1619. 8 et 1623. 8. Alph. 2. pl. 17. ſolide eſſe refutatum, ſcimus, qui nervum praecipuorum argumentorum, quae auctor in eodem complexus eſt, ſolide incidit.

XVI. *De baptismo aquae diſputatio Fauſti Socini Senenſis. Cui acceſſerunt eiusdem* 1. *reſponſiones ad priores et poſteriores notas* A. D. *(Andreae Dudithii) in diſputat. de baptismo. 2. reſponſio ad M. C. (Mart. Czechovicii) notas in appendice libri iſtius de paedobaptismo. 3. Epiſtolae duae de baptismi negotio ad quosdam. Racouiae, typis Seb. Stern.* a. 1613. 8. plagg. 15½ ſ. pagg. 246. Scripta eſt diſputatio *Cracouiae* d. 15. *Apr.* 1580. quod

p. k.

p. k. 2. b. ſignificatur. V. *Reimannus* l. c. p. 654. ſeqq. In ep. MATTH. RADECIO a. 1586. d. 8. Jan. ſcripta in epp. p. 128. ita de hoc libro inquit: „Fratrum quidem roga-„tu ſcripſi librum, cui titulum feci: An homini Chri-„ſtiano aquae baptismo carere liceat, diſputatio, qui ta-„men talem ſententiam prorſus abominantur, et tandem „precibus meis adacti, curarunt, vt, ad ea, quae ſcrip-„ſeram, reſponderetur, hocque munus ALEXANDRO VI-„TRELINO“ (V. B. A. P. II. p. 984. N. 2.) „demanda-„runt, qui tamen non eccleſiae, ſed priuato nomine re-„ſpondit, ſed tot probra, conuitia, maledicta, calumnias „denique in me, vna cum reſponſionibus ſuis admiſcuit, „vt fratres ipſi illum acriter reprehenderint, ego vero „ab eiusmodi ſcripto refutando, quamuis id alioqui per-„exigui laboris mihi eſſe videatur, hactenus deterritus „fuerim.

In breui praefatione ita SOCINUS: „Mirum eſt ſane, „quantas turbas ritus iſte hactenus dederit, et poſthac, „niſi ipſe Deus mira aliqua ratione tanto malo occurat, „daturus ſit, euangeliique curſum remoraturus. Hic „ait, infantes baptizari omnino debere, ille plane negat, „ et alter alterum tanquam non modo Chriſti inſtitutum „aliquod ſingulare, ſed vniuerſam eius religionem per-„uertentem, reiicit prorſus, atque abominatur. Hic „cenſet eos, qui a miniſtris Chriſti Jeſu nomen profiten-„tibus aquae baptismo aliquo in nomine P. et F. et Sp. S. „ſiue in nomine J. C. tincti fuerint, ſe rite baptizatos eſ-„ſe, ille vero, niſi a veris Chriſti miniſtris, omnibus ſu-„perſtitionibus et humanis additamentis reiectis, pura „aqua fuerint abluti, ſeu quoquomodo reſperſi, vel nul-„lo pacto, vel perperam baptizatos eſſe affirmat. Quo „fit, vt hic illum ANABAPTISTAM, id eſt, ad verbum re-„baptiſatorem, vel potius CATABAPTISTAM, hoc eſt ſub-„merſorem, ſeu baptismi euerſorem, contumelioſe ap-„pellet, et diris quodammodo deuoueat; ille vero viciſ-

„ſim hunc deſpiciat, et pro adulterino, aut certo non ſa-
„tis legitimo fratre habeat etc."

Sequitur ipſa diſputatio: *An homini Chriſtiano aquae Baptismo carere liceat*, quae in XVII. Capita diſtincta eſt. Poſt haec p. 149. ad priores, et p. 167. ad poſteriores notas A. D. et p. 202. ad M. C. notata reſpondet, et tandem p. 229. ep. *Socini* ad virum quendam nobilem, nec non alia ad quendam ep. de Baptismo p. 237. adrextae ſunt. In diſputatione aliis auctor perſuadet: baptismi ſuſceptionem Chriſti ciuibus diuinitus praeſcriptam non eſſe; imo potius, poſſe hominem chriſtianum terrenae aquae ablutione carere, eaque abſtinere, quod magna orationis dulcedine et ratiocinationum fuco perſequitur, vt quis crederet, totum coetum eius perſuaſioni obtemperaſſe. Sed tantum abeſt, vt conſenſum obtinuerit, vt ex ipſis Vnitariis fuerint plurimi, qui ab eius placito abhorruerunt, et diſputationem hanc ſcriptis etiam confutarunt, quod ex *Socini* Epp. p. 128. et Tract. *de coena Domini* p. 19. patet. Belgica libri verſio prodiit a. 1632. 4. et 8. Ex profeſſo illum ſub examen vocauit D. *Fried. Deutſch* Exercitat. Theologg. IV. de perpetuo et vniuerſali Baptismi aquae praecepto, contra *F. Socinum Regiom.* 1706. 4.

XVII. *Fauſti Socini Senenſis de coena Domini tractatus breuis, vna cum eiusdem aduerſus ſcriptum Domini* JOANNIS NIEMOIEVII *defenſione: adiecta ſunt praeterea alia quaedam eiusdem auctoris, de hoc argumento. Racouiae typis Seb. Stern.* a. 1618. pl. 7½ ſ. pagg. 120. Quinque ſub hoc titulo generali exhibentur tractatus ſuo argumento connexi ac peculiari titulo inſigniti: *1*) *Breuis introductio, ad coenae Domini finem et vſum recte percipiendum.* In hoc Chriſtum neque corporaliter neque ſpiritualiter in S. coena hominibus concedi, aſſerere ſibi ſumſit, nec per eandem fidei confirmationem effici p. 11. occurrit: Adpendix ad ſcriptum *de coena Domini*, et p.

15.

15. *Articulus VIII. Synodi Lublinens. generalis* (Vnitariorum) 1593. habitae, finem et ſcopum ſ. Coenae concernens. 2) *Ad epiſtolam D. Joannis Niemoieuii ad Dn. Geor. Schomannum, ab ipſo quidem Polonice ſcriptam, nunc vero in latinum conuerſum, (vbi de Socini ſcripto agitur, in quo de vſu et fine coenae Domini breuiter diſputatur) eiusdem Socini reſponſio* p. 17 — 80. Ep. *Niemoieuii* ad *Schomannum* ſcripta eſt *Lublini* d. 8. *Mart.* a. 1588. quae vna cum *Socini* interpoſitis theſibus per ſingula membra repetitur. V. B. A. P. I. p. 552. N. 5. *Socinus* reſponſum ſuum dedit *Cracou.* d. 24. *Mai* a. 1588. et p. 72. ad calcem varia *Zwinglii* teſtimonia, de Sacramentorum vi mere ſignificatiua adiecit. 3) *Selectiores quaedam notae, ex animaduerſionibus Fauſti Socini, in librum D. Joan. Niemoieuii, contra Imman. Vegam Polonice ſcriptum, in quo de coena Domini diſputatur.* p. 81 — 103. Opus *Veiae* hunc prae ſe fert titulum: *Euangelica et Apoſtolica doctrina, de Auguſtiſſimo Euchariſtiae Sacramento, in theſes digeſta ab* EMAN. VEIA, *S. J. in Acad. Vilnenſi Prof. Excuſum Vilnae in colleg. eiusd. Societ. typis Illuſtr. Dn.* NIC. CHRISTOPH. RADIVILI etc. A. 1586. 4. pl. 11. V. B. A. P. I. p. 551. N. 4. Aduerſus has theſes latinas de Transſubſtantione concinnauerat NIEMOIEVIUS ſcriptum polon. circa quod SOCINUS quaedam monuit V. B. A. P. I. p. 551. N. 3 et Epp. F. S. N. 16. 4) p. 103. allegantur et refelluntur hominis Pontificii argumenta pro ſua de Euchariſtia ſententia. Pontificius aduerſus eos, qui ſtatuunt, fideles S. coenae conuiuas corporis et ſanguinis Chriſti fieri participes, indignos vero panem tantum et vinum ſolitarie accipere, pugnat. SOCINUS e contrario adſtruere conatur, et indignos et dignos, praeter panem et vinum nihil accipere. 5) p. 110. addita eſt meditatio *F. S.* in calamum dictata, de IV. quaeſtionibus, ad argumentum de S. coena ſpectantibus: (1) An ſit Chriſti praeceptum? (2) Quale? (3) Quomodo celebrandum? (4) Quis ſit finis et vſus?

Tria ſcripta priora ſeparatim edita a *Sandio* l. c. p. 77. male perhibentur. Duobus poſterioribus multum lucis coetus huius notitiae adfunditur, quoad controuerſias domeſticas et inteſtinas. Ex illis enim manifeſto colligitur, NIEMOIEVIUM, equitem Polonum meliora ſenſiſſe *Socino*, illiusque aſſeclas non tantum in loco de S. coena et baptismo, ſed quoque de perſona et deitate Chriſti, nec non de praeſtita ab eodem ſatisfactione a *Socino* eiusque diſcipulis diſſenſiſſe. Teſtatur enim in ep. ad GE. SCHOMANNUM, quae in hoc *Socini* tractatu p. 20. exſtat, continere *Socini* ſcriptum paradoxa, offenſionis plena, neminemque ſe hactenus legiſſe ſcribit, qui adeo contemtim de S. coena ſenſerit, quam *F. S.*

XVIII. *Themata de officio Chriſti, in quibus Chriſtum in hac terra noſtrum fuiſſe prophetam, ſed in coelis iam eſſe Regem ac Sacerdotem noſtrum adſtruere conatur Socinus.* In Bibliotheca FF. PP. ſcriptum hoc adtextum eſt antecedenti, N. XVII. Legitur autem in peculiari collectione tractatuum F. *Socini*, quae *Sandio* incognita fuiſſe videtur, quamuis ſingulos tractatus, in eadem obuios paſſim absque tamen ſerie, in collectione ipſa obſeruata commemorauerit; a *Reimanno* tamen hoc opuſculorum Syntagma allegatur l. c. p. 665. Hunc prae ſe fert titulum: *Fauſti Socini breues quidam de diuerſis materiis ad Chriſtianam religionem pertinentibus tractatus. Quorum ſeriem ſequens pagina monſtrabit. Racouiae typis Seb. Stern.* a. 1618. 8. pagg. 97. Hi vero ſunt tractatuum tituli: 1) *p. 3.* Themata de officio Chriſti. 2) *p. 14.* Diſcurſus breuis de ratione ſalutis noſtrae ex *F. Socini* ſermonibus excerptus et concinnatus. 3) *p. 24.* De officio hominis chriſtiani. 4) *p. 26.* De libero hominis arbitrio, deque aeterna Dei praedeſtinatione ſcriptum Jo. JAC. GRYNAEO oblatum. In ep. ad *Grynaeum* d. 7. Jul. 1597. in epp. F. S. p. 588. *Socinus* commemorat, quod nullum, praeter ipſum autographum, ſcrip-

ſcripti huius exemplum habeat. Hoc vero eius eſſe conditionis putat, vt lectorem requirat, qui nulla ſententia, quantumuis noua, et prima fronte falſa et deteſtabili quidquam, donec illam diligentius expenderit, aut certo non admodum grauiter commoueatur; ita vt vix auſus fuerit, illud cum aliis communicare, niſi iis, qui iam agnouerunt, quaedam alias non pauca a ſe vel affirmata vel negata — — veriſſime et ſanctiſſime, affirmari quidem illa, haec vero negari. 5) *p. 31.* De conuenientia et differentia V. et N. T. Eſt fragmentum animaduerſionum F. *Socini* in ſcriptum cuiusdam *de differentia V. et N. Foederis*, oppoſitum ſine dubio opuſculo, quod ſub *Gregor. Pauli* B. A. P. II. p. 616. N. 21. allegaui. *Sandius* ſcriptum hoc *Socini* bis citauit p. 71 et 77. ſub diuerſis titulis. Inſertum quoque eſt diſputationi aduerſus *Chriſt. Francken.* 6) *p. 33.* Animaduerſiones quaedam extemporales in D. *Jo. Niemoieuii* ſcriptum aduerſus partem quandam diſputationis F. SOCINI *de J. Chriſto Seruatore* 7) *p. 45)* Notae in ſcriptum N. N. (*Stanislai* nimirum *Budzinii,* V. B. A. P. I. p. 86. N. 4.) Polonicum *de Chriſti regno in terra.* 8) *p. 56.* Notae in *Eberhardi Spangenbergii* ſcriptum de duabus beſtiis apocalypticis. 9) *p. 79.* Obiectiones ſeu articuli JOHANNIS CUTTENI miniſtri Euangelici. 10) *p. 82.* Ad obiectiones ſeu articulos CUTENI, miniſtri Euangelici, *F. Socini* reſponſio. 11) *p. 90.* Breuis diſcurſus, de cauſſa, ob quam creditur euangelio Jeſu Chriſti: et de eo, quod, qui credit, praemio, qui non credit, poena a Deo afficiatur. V. B. A. P. II. p. 887. N. 51. Quae in hac collectione N. 6, 7 et 8. locum obtinuerunt, in Bibliotheca FF. PP. *aſſertionibus Theologicis de trino et vno Deo*, cum aliis breuioribus *Socini* ſcriptis ſubtexta ſunt.

Plenus libelli, vltimo loco in hoc ſyntagmate comparentis, titulus eſt: *Breuis diſcurſus de cauſſa, ob quam creditur, aut non creditur Euangelio J. C. et de eo, quod,*

qui credit, praemio, qui non credit, poena a Deo afficiatur, Fausti Socini Senensis. Ex Italico in latinum translatus per Valentinum Smalcium, Gothanum. Racouiae, typis Sternacianis. A. 1614. 8. *pagg.* 11. Walchius in *Biblioth. Theol. sel.* T. I. p. 298. et *Biblioth. Halens.* nec non *Freytagius* in Anal. litt. p. 878. per errorem hunc tractatum illis *Socini* accensuerunt scriptis, quae in *Biblioth.* FF. PP. recusa non animaduertuntur; qui ibidem T. II. f. 455. omnino insertus reperitur. Rarissimus vero est libellus separatim editus, admodum exilis et tenuis, qui sex tantum folia capit. Argumentum eius est, vt demonstrare conetur auctor, voluisse Deum efficere, vt homines secundum scita et dictamina rationis iusta et rationi consentanea agerent, et propterea aeterna praemia vel supplicia decreuisse. Quia vero haec non satis cognita sunt hominibus, vt per illa commoueantur, hinc eum his fidem in Christum iunxit, vt hominis voluntati iam relictum sit, rationi etiam aduersa perpetrare, fidemque in Christum adspernari. Quare etiam voluit, vt Jesus ipse excitatus a mortuis non conspiceretur ab vniuerso populo, sed tantum ab aliquibus, quos testes resurrectionis destinauit. Si enim vniuersus eum populus vidisset, nullus tam sceleratus fuisset, quin postquam ea ratione perspexisset, Christum vera dixisse, et praedictum praemium certum esse, se illi adiunxisset, atque adeo probus homo apparuisset. De breui hoc discursu legisse iuuabit, quae auctor in ep. ad *Matth. Radecium epp.* p. 101. et ad *Phil. Buccellam* (B. A. P. I. p. 79.) p. 71. scripsit. Publicam lucem libellum iam vidisse a. 1612. et posthac a. 1654. 12. belgicamque eius versionem prodiisse a. 1649. 4. *Sandius* l. c. p. 70. testis est; cui tamen editio a me allegata, fuit ignota, saltem eius mentionem nullam fecit. Editio de a. 1654. 12. a. *Sandio* citata, eadem est, quae libro rarissimo inserta, cui titulus: *Fausti et Laelii Socini, item Ernesti Sonneri tractatus aliquot*

Theo-

Theologici etc. *Eleutheropoli* a. 1654. de quo ſub *Laelio Socino*.

Eodem anno 1618. *Racouiae* aliud opuſculorum *F. Socini* comparuit ſyntagma in 8. hoc titulo: *Breues de diuerſis materiis ad religionem Chriſtianam pertinentibus tractatus.* Continet hoc nouem opuſcula, quorum quaedam iam in priore collectione, iterumque in *Miſcellaneis* F. *Socini* occurrunt, nimirum 1) *Locorum ad Sp. S. perſonam probandam a nobiliſſimo quodam viro allatorum explanationes.* 2) *Animaduerſiones quaedam extemporales in Dn.* Jo. NIEMOIEVII *ſcriptum aduerſus partem quandam diſputationis de J. C. Seruatore.* 3) *Notae in ſcriptum N. N. Polonicum de Chriſti regno in terra.* 4) *Notae in* EVERHANDI SPANGENBERGII *ſcriptum de duabus beſtiis apocalypticis.* 5) *Obiectiones, ſ. articuli* Jo. CUTTENI *miniſtri Euangelici et ad eas reſponſio.* Inſertum quoque eſt *miſcellaneis* F. S. 6) *Breuis diſcurſus de cauſſa, ob quam creditur, aut non creditur Euangelio J. C.* etc. 7) *Contra Chiliaſtas de regno Chriſti terreno*. Miſcellaneis quoque intextum. 8) *De Chriſti carne aduerſus Mennonitas diſputatio breuiſſima.* Miſcellaneis inſerta. Argumentum eius recenſet FABRICIUS l. c. P. II. p. 62. 9) *De ſacrificio et inuocatione Chriſti epiſtolae* Jo. NIEMOIEVII, *cum reſponſione duplici F.* SOCINI d. 20. *Marc.* et 20. *Mai* 1587. Leguntur quoque in Miſcellaneis.

Joannes Cuttenus, cuius obiectiones et articuli in Collect. priori N. 9. et in poſteriori N. 5. leguntur, a *F. Socino* miniſter Euangelicus appellatur. B. A. P. I. p. 217. Fuit is *Senior Eccleſ. Reform. in diſtrictu Sendomirienſi minoris Poloniae.* V. *Wengerſcius* l. c. L. III. c. 15. p. 417. Eius articuli ſeu obiecta, quae in vtraque opuſculorum *F. S.* collectione leguntur, haec ſunt: *1)* Infantes cum naſcuntur, naſcuntur absque peccato, ſuntque tales, qualis *Adamus* fuit, cum a Deo creatus eſt. *2)* **Infantes** ſunt ſimiles Filio Dei. Nam; quemadmodum

dum ille fine peccato eft, fic et illi fine peccato funt. *3*) *Adamus* etiamfi non peccaffet, futurus erat, et erat obnoxius morti corporali eiusque mortis, cum in *Adamo*, tum in aliis hominibus non eft cauffa peccatum. *4*) Homo quilibet, fi modo velit, poteft non peccare. *5*) Homo ipfe per fe, et Deum et voluntatem eius noffe et hanc exfequi poteft. *6*) Homo in hac vita viribus naturalibus poteft voluntatem Dei perfecte perficere. 7) Vita illa aeterna nemini datur, nifi promerenti. *8*) Chriftus in mundo non erat, antequam in carne appareret; cum autem non fuerit, nemini poterat effe vtilis; cumque hic in carne verfaretur, nulla miracula per fe ipfe edere potuit. *9*) Chriftus homo folummodo a prophetis et Apoftolis differt, quod ipfe ex Spiritu S. fuerit conceptus, quodque Deus per ipfum maiora miracula, quam per alios fecerit. *10*) Chriftus propterea venit, vt quemadmodum *Mofes* Judaeorum: fic ipfe nofter fit legislator. *11*) Lex Chrifti perfectior, quam Mofis. Mofes enim externam; hic vero non modo externam, fed et internam a nobis probitatem requirit. *12*) Mofes Princeps erat, et dentem pro dente eximi iuffit. Ipfe vero noluit effe Rex, fuosque iure agere prohibuit. *13*) Mofes fuis terram Chanaan; Chriftus vero coelefte regnum promittit. *14*) Chriftus venit, vt fe exemplum omnium virtutum exhiberet. *15*) Chriftus vtilis nobis, fed imitantibus. *16*) Homo cum peccat, ipfe per fe ex peccato fe erigere poteft. *17*) Euangelium Chrifti eft, oftendere hominibus poenitentibus paratam apud Deum peccatorum remiffionem. *18*) Perpeffiones Chrifti, cruciatus et mors, non funt oblatio nobis iram Dei placans, quam incurreremus et incurrimus propter peccata noftra. *19*) Chrifti perpeffiones funt tantummodo teftimonium, certitudinem legis et euangelii ipfius nobis confirmans. Praeterea funt exemplum nos ad imitationem adhortans. *20*) Chriftus obedientia fua apud Patrem non nobis, fed fibi ipfi id promeruit, quod in morte non eft relictus:

fed

ſed tertio die reſurrexit. Id quod etiam nobis ſperandum eſt, ſi ex lege ipſius vixerimus, exemploque eius actiones noſtras direxerimus. *21*) Vſus baptiſmi et menſae Domini neceſſarius non eſt. Id quod inde colligo, quod *Socinus* huius ſententiae auctor, quamque illi approbant, nec baptizatus eſt, nec baptizari vult, ac proinde nec menſam Domini curat. *22*) Chriſtum in cuiusque voluntate poſitum. *23*) Anima vna cum corpore moritur: donec in aduentu Domini in iudicium vtrumque ſimul reſurgat. *24*) Baptiſmus, ſi quis eum putat ſibi neceſſarium, adminiſtrari debet in nomen Patris et Filii per Spiritum ſanctum. Atque hac formula vſus quidam miniſtrorum *Chmielnici* baptizauit paedagogum filiorum D. JOACH. GLINSCII, cuius rei teſtimonium ipſemet Dominus *Glinſcius*, qui coram aderat, nobis praeſentibus ſuae domi perhibuit. *25*) Baptizari in nomen Patris et Filii, aliter non intelligitur, quam quod dixit diuus *Paulus*, omnes ſunt baptizati in Moſen 1. *Cor.* 10. *26*) Etſi fortaſſis fruſtra id quaeritur ex iis praeſertim, qui omnia tribuunt viribus naturalibus, prima illa creatione in Adam a Deo homini donatis, attamen cum credant Chriſtum ex Spiritu S. eſſe conceptum: *27*) Cupio ſcire, quid de Spiritu S. ſentiant. *28*) Fuerunt tales, qui tantum ſentiebant, eum eſſe motionem natam in anima hominis. Haec ſuperioribus articulis addenda decreui, ſperans me ad ſingulos a Domino LUBIENIECIO et Domino MORZKOVIO reſponſum habiturum. A quonam vero LUBIENIECIORUM id officii genus exſpectauerit CUTTENUS, dici nequit. Nullum inter ſcripta eorum inuenitur, quo id praeſtitum eſſe colligi poſſit; nec inter *Petri Morſcouii* opera quidquam animaduertitur, quo hunc ad CUTTENI articulos reſpondiſſe auguraremur. Neutrum vero reſponſum dediſſe, ſed *Socinum* ſolum hoc negotio functum eſſe, ex reſponſione ad artic. 21. colligimus.

Reſpon-

Respondit autem ad articulos, ita vt pluribus calculum suum adiecerit, nonnullos limitauerit, paucis consensum suum denegauerit. Speciminis loco quasdam responsiones adpono. AD. I. Infantes nasci sine peccato, non tamen esse, qualis *Adamus* fuit, cum a Deo creatus est, siquidem ipsi aeternae morti sunt obnoxii, quod *Adamus* non erat, antequam peccaret, non quidem, quia illis peccatum *Adami* imputetur; sed quia ex *Adamo* propter suum peccatum iam morti aeternae obnoxio facto, sunt propagati. AD 2. infantes cum nascuntur, nullius quidem peccati sunt rei; non tamen propterea Filii Dei similes sunt, qui sine peccato vixit, et omnium diuinarum virtutum habitus habuit. AD 3. *Adamus* antequam peccaret, erat mortalis, vt post peccatum. Sed post peccatum non modo natura mortalis, sed etiam morti penitus obnoxius fuit. Itaque mors ipsa corporis, quatenus prorsus est necessaria, et in *Adamo* et in nobis peccati effectus censenda est. *A*D 7. *A*d vitam aeternam consequendam non vlla merita, sed Christi praeceptorum obedientia requiritur, cui constitutum est praemium, seu merces ipsa aeterna vita; non quod obedientia ista id per se mereatur, sed quod ita Deo benignissimo cum humano genere agere visum fuit. *A*D 8. *Christus* certe non fuit, nec esse potuit, antequam esset. Esse autem, cum homo sit, non potuit, antequam in vtero matris suae conciperetur. Postquam vero conceptus et natus fuit, munusque suum obire coepit, potuit per se ipse miracula facere, quatenus potestas ea faciendi, quam a Deo habuerat, in ipso, ex ipsius Dei dono ac voluntate residebat. *A*D 9. *Christus* homo Prophetis ac Apostolis, non eo tantum est praestantior, quod ipse etc. sed multo magis est ob id praestantior, quod per suum Euangelium, ipse mundo, non illi beatam immortalitatem patefecit, ac Dei nomine aeternum foedus illam iis largiendi, qui ipsi Christo, et per illum Deo confisi fuerint, eique sese obedientes praestiterint, nobiscum sanciuit et suo sanguine con-

confirmauit; ac praeterea ab ipſo Deo eſt vniuerſorum haeres conſtitutus, cum pleniſſima poteſtate omnia iuſſu ſuo regendi ac moderandi, non ipſorum Prophetarum modo et Apoſtolorum, totiusque diuini populi in perpetuum coeleſtis Rex declaratus, ſed ipſorum angelorum omnium princeps ac Dominus factus. AD 21. Coenae dominicae vſus eſt neceſſarius, vt Chriſto obediamus, qui illum nobis praeſcripſit. Baptismus autem in Eccleſia, apoſtolorum exemplo, omnino eſt retinendus. Ad 22. Nemo a nobis pro fratre habetur, qui Chriſtum inuocare renuat, imo eum, qui ſit huiusmodi, ipſum Chriſtum, quem Dominum et Deum noſtrum agnoſcimus, vtque talem adoramus, et inuocamus, penitus, ſiue prudentem, ſiue imprudentem negare cenſemus. AD 23. Quod animae noſtrae vna cum corporibus moriantur, nullo pacto aſſerimus; tantum ex analogia totius ſcripturae edocti affirmamus, eas, vsque ad Chriſti aduentum non frui beatitudine illa, quae illis eſt promiſſa, qui ipſius Chriſti ſunt. AD 24. Nos cum baptismum adminiſtramus, vel vtimur vſitata formula verborum, in nomine, ſeu in nomen P. et F. et Sp. S., vel ſimpliciter apoſtolos imitati, in nomine Ieſu Chriſti baptizamus. Si quis ex noſtris alia formula eſt vſus, eſt ſingulare quiddam, quod ipſi noſtro coetui adſcribi non debet. Ad 26. Nos viribus naturalibus in prima creatione homini datis parum omnino in rebus diuinis tribuimus, ſcientes, teſte apoſtolo, animalem hominem non percipere, quae ſunt Spiritus Dei; et certe quod Deus Filium ſuum ex Spiritu S. concipi voluerit, indicat primae creationis noſtrae, vbi de myſteriis agitur diuinis, imperfectionem. Fit autem nobis in illis verbis (attamen cum credant etc.) non leuis iniuria, quaſi vero dubitari merito de nobis poſſet, an crederemus, illud eſſe verum, quod apertiſſimis verbis, idque non ſemel in S. litteris expreſſum eſt. Ad 27. Spiritum S. virtutem Dei atque efficaciam, qua aliquo modo res ab ipſo Deo ſanctificantur, eſſe credimus. Perſo-

Personam vero ipsum Spiritum S. proprie et in potentiorem significatum acceptum, et ab ipso Deo, cuius est Spiritus, distinctum esse, negamus. Ad 28. Sanctam motionem creatam a Deo in anima hominis, metonymice, auctorem rei pro re ipsa nominando, Spiritum S. appellari posse, dubitari nequit. Sed aliud est, appellari posse, aliud vero re ipsa esse.

XIX. *Discursus breuis de ratione salutis nostrae ex Fausti sermonibus exceptus et concinnatus.* Continet scriptum, quod in *Bibl. FF. PP.* libro, N. XVII. allegato adtextum reperitur, et in collectione tractatuum N. XVIII. recensita p. 14. exhibetur, ordinem salutis ex mente *Socinianorum.* Ab hoc diuersus est discursus breuis de tota ratione salutis nostrae per Christum, scriptus circa a. 1574. et HIERON. MARLIANO ab auctore traditus, cuius meminit *Socinus* in praefatione, operi *de J. C. Seruatore,* contra COVETUM, praefixa.

XX. *Fragmenta duorum scriptorum Fausti Socini Senensis, in quorum priore sententiam eorum, qui Iesum Christum Dei Filium vnum illum et altissimum Deum esse, vel saltem antequam ex Maria nasceretur, re ipsa exstitisse, affirmant, argumentis allatis refellere; in posteriore ad rationes aduersariorum, quibus tres in vnica Dei essentia personas adstruere conantur, respondere* instituerat. *Racouiae typis Seb. Stern.* a. 1619. 8. pagg. 99. Duplici quidem titulo *Sandius* l. c. p. 77. scriptorum bigam exposuit; sed editionem hanc ipsi fuisse incognitam, ex ipsa allegatione colligo, cum nec tempus, nec locum, nec formam eius indicauerit. In *Bibl.* FF. PP. Tom. I. p. 781 — 799. haec fragmenta adtexta sunt tractatui de coena Domini N. XVII. Prioris tractatus fragmentum ita inchoat auctor, *p. 3.* „*Scripsimus ante annos non paucos, amicorum hortatu, perbreuem expositionem sententiae nostrae in* JOANNIS *Euangelii principio interpretando, quum non tantum nostra aetate, sed etiam multis ante saeculis*

inau-

inauditam sciremus, nostrum nomen supprimentes, aliorum de ea iudicium cognoscere decreuimus, antequam plura ad eam confirmandam scriberemus, amicis, quando illis ita videbatur, scriptum nostrum in lucem emittendi curam omnem permittentes. Dum interea silemus, ecce Dei optimi Maximi summa atque ineffabili benignitate effectum audimus, vt illa eadem sententia nostra a quam plurimis, qui vel ex scripto illo edocti fuerant, vel aliunde eam hauserant, veritatis vi impulsis et recepta et approbata fuerit. Quin et integras ferme ecclesias postmodum ei subscripsisse, ipse cognosco, et nobilissimas disputationes cum iis, quorum mentibus tam salutaris diuinarum rerum scientiae radius nondum affulsit, summis Principibus non modo annuentibus, sed praesentibus quoque institutas habitasque comperio. Secutae sunt, vna cum interpretatione illa nostra, ipsarum disputationum, atque eiusdem argumenti librorum editiones, in quibus licet abunde satis, et veritas explicata et ab aduersariorum impugnationibus defensa videatur; ad eam tamen, et clarius adhuc patefaciendum, et validius propugnandum, non parum adiumenti nos afferre posse, Deo bene iuuante, confidimus. Quo circa non amplius silendum censui, sed tum quae a nostris vel omissa vel leuius pertractata, tum quae ab aduersariis allata non adeo plene, siue etiam minus recte confutata videbantur, illa quidem in medium proferre et latius exponere, haec vero ea via et et ratione, qua opus est refellere constitui. Itaque de Iesu Christo Dei Filio, de quo nobis omnis est instituendus sermo, duos mihi libros conscribendos putaui, quorum primus rationes et praecipue testimonia e litteris petita, contineat, quibus manifestum fiat, non esse eum Iehouam vnicum Deum nostrum, neque vel ipsum, vel ipsius naturam aliquam, vere, seu vt loquuntur, hypostatice exstitisse, antequam is ex Maria eius matre nasceretur: in altero ad ea, quae hanc solidissimam veritatem magis concutere, vel etiam labefactare alicui fortassis prima facie videri possent, diluenda me conuertam. Nomen autem meum, quando in

hanc

hanc arenam aduersus nobilissimos antagonistas defendendum erat, adhuc reticere fraudi et vitio mihi datum iri sum subueritus.

Posterioris tractatus fragmentum a *p. 41.* incipit, in quo ad sequens orthodoxorum argumentum respondere nititur: *Scriptura, quae Deum vnum esse affirmat, eadem ipsum plures esse ostendit. Igitur Dei quidem essentia vna numero est, personae autem plures.* Caetera desiderantur *p. 95.* sub titulo peculiari comparent: *In theses de Trinitate* ALAUDII ALBERII TRIUNCURIANI, *notae F. Socini Senensis, scriptae in gratiam N. N. Regis Galliarum ad Principes Germaniae legati.* Hoc fragmentum, in *Bibl.* FF. PP. Vol. I. f. 799. insertum *Sandius* quoque l. c. p. 78. allegauit. V. B. A. P. II. p. 690. N. 28. et P. II. p. 944. N. 4. Tandem *p. 98.* obseruatio circa dictum *Marc.* 16, 15. 16. hac inscriptione exhibetur: *Quae sequuntur alibi ponenda fuerant: sed quia diligentiam nostram, cum alia* SOCINI *fragmenta ederemus, effugerant, ne perirent, hic apponenda censuimus.* In hoc fragmento notatur: quod gentes, quibus euangelium praedicatum est, id sibi bonis operibus suis non promeruerint; quamuis propter mundi peccata merito fieri potuit, vt pleraeque mundi nationes illud sibi praedicari non audiuerint. SOCINUS p. 5. auunculi sui LAELII promisit vitam et apologiam, sed ea fortassis non inchoata. In Bibl. FF. PP. vltimum hoc fragmentum non obseruamus.

XXI. *Animaduersiones cuiusdam N. N. in loca quaedam F.* SOCINI, *in quibus aduersariorum argumenta satis solide refutasse, vel verum quorundam Scripturae locorum sensum non recte assecutus esse videtur, et in eundem finem explicatio breuis* capitis *LIII. Esaiae.* Scriptum hoc Tomo I. Opp. F. *Socini* in Bibl. FF. PP. p. 801 — 814. subiunctum *Floriani* potius *Crusii* est. V. B. *A.* P. I. p. 214. N. 13.

XXII. *Tractatus de Deo, Christo et Spiritu sancto Fausti Socini Senensis Racouiae typis Seb. Stern.* 1611. 8. pagg. 23. In breui alloquio ad lectorem auctor inquit: „Quando vberiora atque exactiora de hac trini et vnius „Dei, Christique potissimum diuinitatis quaestione, scrip-„ta nostra tecum communicare nondum possumus, haec „tibi damus, quae exilia licet ac minus elaborata, tibi „haud inutilia fore speramus. Vtrumque scriptum non „nostra sponte, sed partim ab amicis rogati, partim ab „ipsis aduersariis exstimulati, qui et argumentum istud, „et theses diuersis temporibus refellendas proposuerant, „haud tamen grauate iam pridem exarauimus." Opusculum hoc, quod totius Theologiae Socinianae quasi centrum et compendium continet, iam ante a. 1591. absque auctoris nomine lucem vidit, hac inscriptione: *Examinatio argumenti pro trino et vno Deo, omnium potissimi aut certe visitatissimi, vna cum responsione perbreui, ad quasdam theses*; (scil. *Collegii Posnaniensis de Christo a vera diuinitate excludendo, nisi sit Creator coeli et terrae*) quod constat ex SOCINI ep. ad *Morstinium* data a. 1595. d. 3. *Febr.* in Epp. p. 497, quo loco ipsemet elenchum scriptorum suorum enumerat. Argumentum, quod refellere nititur, et qua ratione id praestiterit, *Fabricius* l. c. p. 60. exposuit. Videtur scriptum, id ipsum esse, cuius edendi SOCINUS circa finem refutationis *Wuieki* spem fecit, quae verba *Sandius* l. c. p. 75. repetiit, putauitque, librum istum nunquam in lucem esse emissum, vel prorsus periisse. Operi huic *Socini* sequentia opposita sunt antidota: 1) STAN. ZDESCHEKI *Ostrowski, Abbatis Premetens. Ord. Cisterc.* Refutatio examinationis FAUSTI infausti SOCINI. Posnan. 1594. 4. 2) D. CHRISTOPH. PELARGI *Arianorum recentiorum libello, cui haud ita pridem edito titulum fecerunt: Argumenti pro trino et vno Deo, omnium potissimi aut certe vsitatissimi, examinatio* etc. *opposita breuis responsio, s. Antithesis, scripta ad Θεογνωσιας S. confirmationem a* CHRISTOPH. PELARGO D. *quam*

in familiari et sobria doctorum adolescentum συνθεολογησει *tueri conabitur* JOH. HENCIHUS, *Silesius. Francof. typis Eichornianis* 1593. 4. pl. 7½. Insertum quoque est PELARGI admonitioni de Arianis recentioribus etc. V. B. A. P. I. p. 330. Opposuit PELARGI libello *Smiglensis An*titrinitarius, (VAL. SMALCIUS) *Responsionem breuem*, V. B. A. P. II. p. 846. N. 4. ad quam PELARGUS in opere allegato p. 297. respondit, sub tit. ανταποκρισις, *opposita responso cuiusdam Ariani*, scriptoque suo palmaria aduersarii momenta inseruit. 3) M. BERNH. BLUMII, *scholae Numburg. Rect. tyrocinium de mysterio SS. Trinitatis, oppositum horrendis blasphemiis, quas cum omnes Photiniani, tum vero in primis* F. SOCINUS, *in Tr. de Deo, Christo et Sp. S. contra hoc mysterium euomuit. Jenae*, ap. *Henr.* RAUCHMAUL 1614. 4.

§. X.

Alterum Bibliothecae FF. PP. Volumen scripta *F. Socini* Polemica luci publicae iunctim exposuit; quorum ocularis intuitus commonstrat, quam strenuus pro Antitrinitariorum disciplina fuerit athleta, quippe qui certamina, non cum Pontificiis tantum, sed etiam Augustanae, Bohemicae, ac Helueticae confessionis Theologis acerrima instituit. In his doctissimis quoque aduersariis, suis ratiocinationibus atque sophismatibus operam non leuem procreauit. Ad rem nostram facit, in scriptorum polemicorum recensione, paulo susiorem ipsorum certaminum exponere historiam.

* * *

In recensendis scriptis polemicis, eundem prosequor ordinem, quem in *Bibliothecae* FF. PP. *Tomo secundo* serua-

ſeruatum deprchendo, librorum titulos plenos ex vetuſtioribus exhibiturus editionibus, quas ipſe inſpexi.

I. *Ad* Jacobi *Palaeologi librum, cui titulus eſt: defenſio verae ſententiae de Magiſtratu politico* etc. *pro Racouienſibus reſponſio a* Fausto Socino *Senenſe conſcripta. Ante hac ſuppreſſo auctoris nomine edita. Paulus* 2. *Corinth.* 5. *Vetera tranſierunt, et ecce facta ſunt omnia noua. Racouiae typis Seb. Stern.* anno Chriſti 1627. 8. *pagg*- 591. et *indic.* 3. Titulum excipit praefixa auctoris praefatio ad *Palaeologum*. Edita fuit reſponſio primum 1581. 4. Cracouiae, ex typographia *Theoph. Adamidae (Alexii Rodecii)* in qua auctor nomen ſuum reticuit, quod ipſi M. Squarcialupus in ep. ad eum ſcripta a. 1581. d. 15. *Sept.* in malam partem vertit, in epp. *Socini* p. 9. V. *Placcius* N. 2253. p. 529. *Fabricius* P. II. p. 60. Poſterioris editionis, cuius titulum expoſui, *Sandius* l. c. p. 70. mentionem fecit nullam. De *Palaeologo* V. B. *A.* P. II. p. 583. *Squarcialupus* l. c. eundem vocat doctiſſimum, magnum Philoſophum, Theologum, Diſputatorem exercitatum, in contentionibus acerrimum, pertinacem, facundum item, Graecum in coelum auolantem, ſi iuſſerit venter. Quod ſibi Romae nociuis opinionibus vitae periculum coram tribunali eccleſiaſtico contraxerit, fuga tamen eodem ſe eripuerit, a quamplurimis narratur. Relicto ordine Dominicano in Germaniam profugiſſe quidam tradunt, ſed documentis id non comprobant. Lubieniecius l. c. p. 200. haec, (quae Jacobo Riniovicio debebat) de *Palaeologo* habuit: „Fuit is vete„re et illuſtri Imperatorum Graecorum ſanguine cretus, „qui vt Romam venit, et diſſenſum a vulgo receptis do„gmatis prodidit, officio ſacrae, vt vocatur, Inquiſitio„nis, quae eſt vera mentium et corporum Anti-Chriſtia„na carnificina, ſubiectus, et in carcerem coniectus fuit. „Inde effracto carcere in Germaniam primum ad Prote„ſtantes, inde in Poloniam ad noſtrates confugit: qui-

„buscum ei in articulis maximi momenti scil. de Filii Dei „diuinitate ac inuocatione, ac magistratus iure non con„uenit! Inde in Morauiam digressus, frustra Pii V. Pon„tificis Romani insidiis appetitus, tandem postulante „GREGORIO XIII. ab Imp. MAXIMILIANO captus, et Ro„mam missus fuit. Vbi tetro carceri mancipatus, sen„tentiae suae tenax, ad rogum damnatus est. Quem, vt „et duos veneficos palis alligatos, vidit, horrore acerbis„simae mortis perculsus, palinodiam se velle canere pro„fessus, a rogo retrahitur. Cum autem in vinculis ad„huc haereret, pristinae sententiae retinens visus, denuo „ad flammas damnatus, miseranda periit morte."

Spondanus in *Annali Eccl.* T. II. p. 553. tradit, quod, cum a Caesare *Maximiliano* interceptus, ad *Gregorium* Pontificem Romam missus, primum per viros doctos prouocatus, ad rectam viam redire noluerit, hinc igni damnatus; cuius timore ductus, impietatem publice solemni ritu abiurauit. Haud tamen dimissus, ne iterum vagaretur, cum metu, non animo abiurasset, rursum in suis blasphemiis sibi placens, frustra de iis defendis sollicitatus, tandem igne crematus est impoenitens. Errasse vero et *Lubienicium* et *Spondanum*, eiusdem captiuationem ad *Maximiliani* aetatem referentes, in B. *A.* P. II. p. 584. notaui.

Socinus in *Responſ.* ad WUIECKUM p. 42. de vltimis ipsius fatis, hoc modo iudicat: „Ac de Palaeologo, quem „similiter ex nostro numero fuisse, sine dubio arbitran„tur, iam respondeo, nullo pacto Dei beneficium erga „ipsum istud fuisse, quod ecclesiae Romanae reconcilia„tus fuerit, sed debitam ipsius impietati poenam. Nam „praeterquam quod nostros homines simplicissimos licet „atque innocentissimos edito aduersus eos libro, cum in„terim tamen eos fratres appellare illum non puderet, „tanquam pessimos nebulones traducere non est veritus; „vnus etiam atque adeo, ni fallor, praecipuus fuit ex

„Ante-

„Antesignanis illorum, qui Christum nec adorandum „nec inuocandum esse hodie affirmant, et interim tamen „se christianos esse impudenter profitentur, quo vix quid-„quam sceleſtius in religione nostra deprauanda excogi-„tari posse existimo. Merito igitur talis homo talem „finem est sortitus, vt cum sui nominis perpetua ignomi-„nia, et, quod multo peius est, animae aeterna iactura, „illi magnae meretrici, cum qua scortati sunt Reges ter-„rae, a qua per Dei gratiam, olim se seiunxerat, et ab „eius tyrannide non semel liberatus fuerat, non quidem „testimoniis, aut rationibus vllis permotus, sed praesen-„tis supplicii terrore compulsus, denuo sese adiunxerit; „cuius imperio ac iussu miser postmodum cruenta morte „finem senilibus suis annis inuenit.“

Et in responsoria ad *M. Squarcialupum*, in epp. p. 36. ita de eodem: *cognitum habeo, quot malorum caussa, non tantum in Transyluania, sed in Vngaria quoque, in Lithuania et aliis in locis Palaeologi auctoritas et scripta fuerint? An non ipse primus omnium in prouincia ista, sententiam illam maxime impiam et detestandam de non adorando, neque inuocando Christo, vna cum aliis pluribus pestilentissimis erroribus docuit et scriptam reliquit? Nonne eius doctrina hodie, quae a quibusdam* Francisci Davidis *doctrina esse creditur, integrae, eaeque non paucae Ecclesiae in Vngaria foedissime sunt corruptae? Nonne is in Lithuania alterum quendam* Franciscum Davidis (Simonem Budnaeum, de quo B. *A.* P. I. p. 80. notat) *quantum in se fuit, iam excitauit, et prouinciae illius Ecclesias suo veneno infecit, ab ipsiusque Poloniae Ecclesiis iam fere diuulsit ac separauit?*

Occasionem certaminis cum *Palaeologo* suppeditauit editus ab hoc liber *de magistratu politico, Losci in Lithuania* a. 1573. procurante editionem Simone Budnaeo, in quo Christum non sustulisse Magistratum politicum, quo potius Christi ciuem perfungi posse, aliaque

circa hanc materiam de bellis gerendis, ac armis ferendis docuit. Hunc refutarunt *Racouienses*, ex quibus praeter *Gregorium Pauli*, *Sickirinius*, *Czechouicius*; *Kalinouius*, *Schomannus*, *Niemoicuius*, etc. referente *Sandio* l. c. p. 45. eminebant. In primis GREG. *Pauli* in eo ad examen vocando operam praestitit, nomine fratrum Polonorum vrgens: non licere homini christiano magistratum politicum gerere, in libro qui a. 1573. scriptus est. V. B. *A*. P. II. p. 613. N. 16. Cum libello huic PALAEOLOGUS opponeret alium, hoc titulo: *Defensio verae sententiae de magistratu politico*, itidem *Losci Budnaei* opera, a. 1580. impressum, (B. *A*. P. II. p. 586.) aduersus eundem F. *Socinus* responsionem pro Racouiensibus a. 1581. euulgauit. In praefamine ad *Palaeologum*, rationes exponit, cur Racouiensium caussae patrocinetur, cum GREGORIUS *Pauli*, primus apologeta, senectute, curis et morbis impeditus, calamum stringere amplius non possit. Ita vero inquit: „*Atqui tu bene cordatum virum et doctum hominem* (GREGORIUM *Pauli*), *quique in Dei ecclesia nec parum nec segniter laborauit, responsione tua ad scriptum illius ita conuitiis et maledictis incessis atque proscindis, (nam, vt caetera multa omittam, vesanum eum et indoctissimum scriptorem nominas, et desidem atque otiosum ventrem appellas) vt maxime pium mihi visum fuerit, non solum ea, quae ab ipso vere et pie sunt scripta, sed eadem opera eius quoque famam et existimationem a tuis sophismatis et calumniis, quantum in me erit, asserere ac vindicare.*" In eadem inquit: „*Racovienses isti, siue Racoviensis coetus, quem tu petis atque oppugnas, vel non amplius extat, vel ita hodie mutatus est, et in aliam quodammodo formam versus, vt agnosci non queat, atque ob eam ipsam caussam, tu quidem cum laruis luctatus fuisse videris.*"

Quod nomen suum scripto non apposuerit, ita excusat: „*Quiritaberis fortasse, quod meum nomen te celare*

volue-

voluerim; sed iniuria id a te fiet. Quid enim tibi nominis mei vel ignoratio in hoc certamine nostro obesse potest, vel notitia prodesse? Non enim vtriuis nostrum pugna cum homine ipso esse debet, sed cum illius sententia. Nec minus tibi tua defendere et mea impugnare licebit ignoranti, quam scienti nomen meum. Nec vero ego, quod mihi sit notum nomen tuum, eo paratior ad te oppugnandum ero, nisi ex ipso Palaeologi nomine aliqua scommata in te iaciendi mihi facultatem suppeditatum iri dicamus, vt (exempli palaeologizat caussa) *quod vere παλαιολογίζει liber tuus. cum nihil in religione, nisi vetusta et antiquata quaedam cogitet — — — atque loquatur. — — — — Quid quod saepius contingit, alterutrius partis sententiam eiusmodi esse, quae vel ipsa per se omnino, vel praue intellecta, vel ab aduersario aut verbis leuiter deformata, aut argumentis inuidiosa reddita, possit auctorem in fortunarum et capitis discrimen adducere? Qualis certe est ea, de gerendo in Ecclesia magistratu sententia, quam tu impugnas, imo ex cuius impugnatione seu contrariae sententiae defensione, quamuis alia de re, hoc est, de bello, tibi cum Racouiensibus praecipua controuersia esset, titulum tuo libro quaesisti. Quare, si te hominem christianum praestare voluisses, non debueras saltem in ipso libro edendo nomen alicuius aduersarii apponere, quin potius ne vllo modo apponeretur, quam diligentissime curandum tibi fuerat. Non enim ignoras, quam necesse sit, vt ipsi Reges, in quorum manu vitae necisque nostrae imperium Deus posuisse dici potest, illi sententiae sint infensi.*"

Ordinem totius libri et tractationis partes auctor, circa finem epistolae his verbis recenset: „*Primum, quicquid in expositione sententiae tuae de bello reprehendenda, „recte a Racoviensibus dictum fuerit, quod ad rem, de qua „inter vos agitur, maxime pertineat, a responsionibus tuis „vindicabimus, nec non, vbi opus fuerit, confirmabimus. „Deinde praecipua fere, quae tu non recte in illorum scripto*

„reprehenderis, explicabuntur. Tum vero reliqua, si non „omnia, saltem potiora, quae a te pro confirmanda senten„tia tua, et aduersariorum refutanda, vbique congesta et „allata fuerint, excutiemus ac refellemus. Postremo in„signiora quaedam errata tua, quae antea attingere com„modum non fuerit, siue in priore tuo scripto sint, siue in „posteriore hoc, quo aduersus Racouienses prius illud tuta„ris, colligemus et patefaciemus. Quo facto finis huic no„strae responsioni imponetur. Itaque in quatuor partes „tota disputatio diuidetur. In quibus singulis exsequendis, „nullum fere alium ordinem sequemur, praeter eum, quem „ipsa tua, tuorumque aduersariorum scripta nobis suppe„ditabunt.“

Socinus a *M. Squarcialupo* accusatus, quod horrenda in *Palaeologum* maledicta effuderit, huncque Judaeorum similem iudicauerit, in responsoriis litteris Crac. d. 20. *Nou.* a. 1581. in Epp. p. 35. inter alia ita se defendit: *„Illud non est reticendum, virum quaedam grauissimum et summae apud me auctoritatis* (pro mea coniectura Andr. Dudithium notat,) *cuius iudicium te ipsum tanti facere noui, vt vix ab eo dissentire ausurus sis, cum me aduersus Palaeologum scribere accepisset, litteris ad me datis hortatum me fuisse, vt Graeculi istius esurientis* (sic enim eum nominabat,) *superbiam retunderem. Quo factum est, vt multo etiam alacrius in instituto meo perseuerauerim. Nec sane quemquam futurum puto, qui modo* Palaeologi *librum legerit, quin fateatur, vix aliter, quam ego feci, (quod ad hanc partem attinet) ei respondere potuisse, aut mitius aliquanto cum eo agi debuisse.* (Quod *Socino* maximum sibi hoc opere contraxerit odium, alio loco iam obseruaui.)

II. *De Jesu Christo Seruatore, hoc est, cur et qua ratione Jesus Christus noster Seruator sit,* Fausti Socini *Senensis disputatio. Quam annos abhinc circiter decem et septem scripsit, respondens* Jacobo Coveto *Parisiensi, euangelico, vt vocant, ministro; cuius scriptum ordine, suis locis, per partes digestum, in ea habetur. In qua multa,*

multa, quae apud Euangelicos, et partim etiam apud alios, salutaria christianae religionis axiomata creduntur, pernitiosi errores esse demonstrantur; et tota salutis nostrae per Christum ratio copiose ac dilucide explicatur. Nunc primum edita. Ose. 14, 10. *Quis sapiens et intelliget ista: intelligens et sciet ea. Quia rectae viae Jehouae; et iusti ambulabunt in eis: Praeuaricatores vero corruent in eis. Typis Alexii Rodecii. A*nno 1594. 4. Alph. 2. pl. 11. vel pagg. 427. praef. et indic. 24. Praemisit libri editor, ELIAS ARCISSEVIUS, *Sen.* qui se J. C. seruum adpellat, praeloquium, in quo testatur, quod iis assentiri, seque socium adiungere non dubitauerit, qui annos abhinc non paucos ad instaurandam in *Polonia* Ecclesiam Christi a Deo excitati fuerint. Rationes edendi librum ita exponit; „Dum in eo sum totus, vt rationes excogitem, quibus possint homines, qui passim per vitiorum viam incedentes, pereunt, in viam Christianarum virtutum deduci, et hoc modo ab aeterno interitu vindicari; forte „in disputationem quandam manu scriptam incidi, quam „habuit ante complures annos cum Euangelico haud ignobili, vt audio, verbi Dei ministro, homine Gallo, FAUSTUS SOCINUS, homo Italus, et mihi animorum et religionis concordia, ac necessitudine coniunctissimus. In „qua disputatione, cum de caussa et ratione agatur, cur „et quomodo J. C. noster Seruator sit, mirum est, quam „egregie vir iste, (vt quidem mihi, et aliis non paucis, „qui disputationem hanc ipsius legerunt omnino videtur) „errores patefaciat, qui circa cognitionem salutis nostrae „per J. C. vulgo regnant, non solum apud eos, qui „Euangelici vocantur, aduersus quorum doctrinam ipse „perpetuo disputat; sed etiam aliqua saltem ex parte, „apud alios fermc omnes, qui Christi nomen profitentur. Quibus erroribus potissimum fit, vt multorum „animi, ab innocentiae vitae studio alioqui minime abhorrentes, prauis cupiditatibus perpetuo irretiti sint, „aut certe non ita vitam agant, vt Christianum hominem

„decet; Christum quidem se optime nosse, iactantes et „gloriantes: factis tamen interim eum haud obscure ne„gantes. Itaque non putaui, me quidquam posse facere „desiderio atque instituto meo conuenientius, et porro „ad eos, qui errant, in viam salutis reuocandos aptius, „quam si curarem, vt disputatio ista, quae tot annos quod„ammodo latuerat, in publicum tandem ederetur. *Ad* „quod agendum me maxime impulit, quod scirem, prae„stantes aliquot, pietate atque eruditione viros, qui opus „hoc perlegissent, illud luce dignissimum iudicasse, et „vehementer iam diu, vt typis mandaretur, optasse. „Quare auctorem et coram et per litteras diligenter hor„tari coepi, vt hunc suum laborem accurate recognosce„ret, eique, si nondum id fecisset, extremam, (quod „aiunt) manum imponeret, vt quam primum typogra„pho excudendum dari posset; ne diutius tanti laboris „fructu ii priuarentur, qui eius quam maxime indigent. „*Annuit* ille; et opere (tametsi propter alias occupatio„nes suas et frequentes morbos tardius, quam voluissem) „recognito et ad impressionem parato, potestatem mihi „eius publicandi fecit. Optarim quidem, vt liber hic „polonice edi potuisset, quo meis Polonis in primis hac „ratione, ad veram salutis suae viam ingrediendam, ali„cui adiumento essem. Sed quando latine scriptus fuit, „nec, nisi satis longo temporis spatio, ab homine quan„tumuis erudito atque otioso (quae duo tamen vix vno „in homine simul reperias) in Polonicam linguam bene „ac decenter verti posset, vt latine nunc ederetur, neces„se fuit: praesertim cum multae alioqui etiam sint caus„sae, cur latine potissimum haec disputatio exstare debeat. „Primum enim disputatur hic cum homine, qui adhuc, „vt speramus, viuit, et linguam Polonicam, vt prorsus „verisimile est, plane ignorat; cuius generis similiter „sunt, maxima pars eorum, quorum doctrina hic nomi„natim refellitur; quos iniquum esset, non posse ista in„telligere, quae aduersum ipsos in publicum eduntur.

„Dein-

„Deinde, ſi quaerendum ſit, vt quam plurimi vtilitatem „ſentiant, quae ex lectione huius diſputationis percipi „queat; latinam eius editionem Polonicae tam eſſe prae- „ferendam conſtat, quam excedunt numero ii, qui in „Chriſtiani hominis populo latine legunt atque intelli- „gunt, eos, qui polonice tantum, non etiam latine lege- „re atque intelligere poſſunt. Poſtremo multae variae- „que diſputationes, quae hac vna de Seruatore Jeſu Chri- „ſto diſputatione continentur, non minima ex parte eius- „modi ſunt, vt ab illiteratis hominibus, vix de illis iudi- „cium ferri poſſit etc.“

Non fefellit *Arciſſeuium* praeſumtio, de *Jac. Coveto*, tempore editi huius libri adhuc in vita ſuperſtite; is enim Pariſinus, Eccleſiae Gallicanae Miniſter Baſileenſis a. 1608. d. 18. *Jan.* demum obiit. Hoc praeloquium editoris excipit *praefatio auctoris* ad lectores, a. 1594. *Cal. Oct.* ſcripta, in qua totam ſcriptionis ſuae hiſtoriam, et quae ad eius editionem pertinent, exponit. Haec eo redit, quod iam ferme ante viginti annos *Baſileae* commorans (anno 1578.) cum aliquot amicis collocutus fuerit de ratione, qua J. C. nobis ſalutem aeternam peperiſſet in primis, cum LAELIO SOCINO monitore, adoleſcens adhuc et pene puer, cognouerit, hic plurimum vulgo erratum fuiſſe non ſine maxima tum Dei Chriſtique ipſius obſcuratione, tum animarum iactura. Hiſce colloquiis cum veteribus amicis aliquoties interfuerunt quidam Euangelici, auditis, quae a SOCINO dicebantur, offenſi, priuatim eum conueniebant, ipſique perſuadebant, vt talem doctrinam abiiceret, aut ſaltem aliis non communicaret. Sed auctor his monitis aures ac animum praecludens, vni ex amicis, qui HIERON. MARLIANUS fuit, ſcriptum tradidit, in quo breuiter comprehenſa erat ſententia de tota ratione ſalutis noſtrae per Chriſtum, quam aduerſus quemcunque ſe defenſurum promiſit. Paulo poſt *Geneva Baſileam* venit Jo. BAPT. ROTA, *Patauinus*,

tum

tum temporis Gallicanae Ecclesiae minister in agro Geneuensi, postmodum coetus Italorum, qui in ipsa vrbe est, pastor. Is, a Marliano rogatus Socinum *Basileae* inuisit, et de hac sententia cum eodem disputauit. Verum disputatio in ipso ferme initio abrupta, cum Rota *Basilea* abire necessum haberet, qui tamen promisit, librum hunc Marliano exhibitum, scripto confutare, quod tamen nunquam fecit. Circa nundinas vernas *Francofordienses* a. 1577. in idem hospitium, quo Socinus vtebatur, diuertit *Geneua* veniens et *Francofordium* proficiscens, vir nobilis, Manfredus Balbanus, *Lucensis*, amicus Socini, cum Jacobo Coveto, qui tunc temporis auctori plane ignotus erat; qui cum resciuisset Socinum negare, Christum morte sua, pro peccatis nostris diuinae iustitiae satisfecisse, cum eodem hac de materia colloquium instituit, re tamen infecta. Rogauit interim Socinum, vt sententiam suam, quam breuissime posset, quatenus sententiae orthodoxae aduersaretur, in schedula notaret, sibique traderet, se enim illam scripto refutaturum. Praestitit id Socinus et post paucas hebdomades Covetus tractatum suum breuiter et accurate exaratum illi transmisit, in quo sibi visus est, satis abunde et sententiam suam confirmasse et Socini refellisse. Hoc Coveti scriptum copiosa responsione refellere statuit Socinus, quam cum iam eo perduxisset, vt satis esse videretur ad Coveti opusculum refutandum, absolutam eam (absoluisse vero eam *Basileae* d. 12. *Jul.* 1578. ipse testatur,) Jo. Franc. Castillioneo *Basileae* commoranti, amico suo, qui Coveti scriptum *Francofordia* rediens huius nomine sibi tradiderat, exhibuit, rogans, vt curaret hanc suam responsionem ad *Couetum* deferri. Qui eam *Geneuam* missurum, vbi Covetus fratrem germanum haberet, promisit. Sed nunquam haec *Socini* responsio ad *Couetum* perlata, nec illi eius copia facta. Haec fusius in praefatione enarrata ita prosequitur: „Verum interea cum aliquot amicis meis et aliis piis hominibus in

„variis

„variis Europae locis degentibus, praecipue vero in hoc „Poloniae regno, non tam mea ipsius, quam aliorum „opera, hic meus labor communicatus fuit; neque hac„tenus tamen vnquam, quod sumptus non suppeterent, „et a me precibus contenderent, nisi particula eius quae„dam, in qua agitur, de fide in Christum, qua iustifica„mur, quae ab amico meo, me insciente, altero abhinc „anno, typis mandata est, sub nomine PROSPERI DY„SIDAEI; sub quo nimirum nomine, ego ipse disputa„tionem meam de loco sept- cap. ep. ad Romanos, in „qua huius de J. C. Seruatore disputationis fit mentio, „ante multos annos edideram etc."

Opus ipsum, cui COVETI scriptum ex autographo insertum est, absoluitur partibus IV. quarum *prima* in VIII. *secunda* in XXVI. *tertia* in XI. et *quarta* in XIV. capita distincta. In *prima* parte refelluntur rationes (secundum tenorem inscriptionis) quas COVETUS ad sententiam suam confirmandam, et SOCINI conuellendam, ex S. litteris ductas afferre tentauit *p. 1.* In eadem defendendum sibi sumsit *Socinus*: *Nullam Dei iustitiam omnino postulasse, vt peccata nostra punirentur. Christum vel ob id merito dici Seruatorem nostrum, quod salutis aeternae viam nobis annunciauerit et confirmauerit, nobisque exemplum virtutis reliquerit; Christum a mortuis resurgendo salutis aeternae viam nobis ostendisse, eumque vitam aeternam daturum esse, et ob hanc solam rationem Seruatorem nostrum esse et nominari. Nomine Mediatoris Christo tributo, nullam diuinae iustitiae exhibitam satisfactionem, nec vllam irae Dei placationem significari; ex reconciliatione nostra cum Deo per Christum facta, nullo modo consequi, quod Christus irae Dei pro nobis satisfecerit, eamque in fauorem mutauerit.*

In parte *secunda* respondetur ad ipsa S. litterarum testimonia, quae COVETUS pro sententia sua confirmanda, vel protulit, vel proferre potuit. *p. 65.* *Redemptionem nostram*

nostram per Christum factam, esse Metaphoricam, siue in ea peragenda, nullum verum pretium interuenisse, siue nihil cuiquam pro nobis solutum fuisse; dicta ista, in quibus dicitur Christus peccata nostra portasse etc. *non sensum habere, ac si Christus poenas pertulerit, quas nos propter peccata pendere debuissemus; nec Jes. LIII. nec* I. *Pet.* II. 23. dici: *Christum suo corpore in cruce peccatorum nostrorum poenas sustinuisse; non nostri vice et loco, Christum mortuum fuisse; per ipsius mortem, longe alia ratione expiari peccata, quam diuinae iustitiae pro illis satisfaciendo, quod ex collatione mortis Christi, cum legalibus victimis expiatoriis et quomodo in expiandis peccatis conueniant, euincere nititur: oblationem Christi expiatoriam peractam fuisse in coelo; Christum reuera sacerdotem non fuisse, ante suum in coelum ingressum.*

In *tertia* parte rationes et testimonia explicantur, quibus euinci putat, quod Christus morte sua Deo siue eius iustitiae pro peccatis nostris nulla ratione satisfecerit p. 220. „Deum non tantum iure potuisse, sed quoque voluisse condonare peccata, nulla pro ipsis vera satisfactione accepta; nobis non pereuntibus, diuinae iustitiae pro peccatis nostris nullo modo satisfieri potuisse; Christum nec solutione poenarum, quas nos, ex lege Dei subire tenebamur, nec praestatione eorum, quae nos ex lege Dei facere debebamus, diuinae iustitiae pro nobis satisfacere potuisse; Vera et propria Christi merita, quae ab orthodoxis statuuntur, cum Dei gratia manifeste pugnare; propositionem, neminem mori, nisi pro peccatis aut suis, aut alienis, falsam et ineptam esse, de quacunque tandem morte eam interpretari velimus; maxime Dei iustitiam commendare, quod Christus mortuus sit, nec tamen illi peccata nostra imputata fuerint; non potuisse Christo a Deo peccata hominum imputari, nisi, vt sibi imputarentur, commeritus fuerit; ex COVETI suorumque sententia „multa

„multa mala, ex SOCINI vero nulla prorſus proueni-
„re poſſe."

In *quarta* parte appendices quaedam maximi momenti ad *Coueti* ſententiam examinantur. *p. 313. abſurdam eſſe opinionem de imputatione ſatisfactionis Chriſti per fidem; nullo pacto ſuſtineri poſſe, quod Chriſti ſatisfactio nobis imputetur, perperam dici, per fidem nobis imputari i. e. applicari, ſeu impertiri Chriſti ſatisfactionem; Chriſti iuſtitiam nobis imputari merum commentum eſſe; nec hoc ex* 1. *Cor.* I, 30. *nec ex Rom.* III. 12. etc. *colligi poſſe; credere, per ea, quae paſſus eſt Chriſtus, noſtra peccata deleri, nullo modo eam fidem in Chriſtum eſſe poſſe, qua iuſtificamur; hanc, ſola abſolui obedientia*, etc. Pretium redemptionis, a D. N. J. C. ſolutum eſſe Metaphoricum, ſimilitudinem ſaltim in ſe habens recompenſationis, non autem rem ipſam; Chriſti mortem non eſſe λυτρον pro peccatis proprie, nec propter ſatisfactionem Deo praeſtandam ſuſceptam eſſe, ſed tantum emolliendae hominum contumaciae cauſſa, et ob horum a peccatis ad Deum conuerſionem.

Quoad nocentiſſimum hunc errorem, SOCINUS *Ochinum* in huius dialogis habuit viae ducem, quod pluribus et *Zarnouecio* quoque manifeſtum viſum eſt. Nec ille id negauit omnino, qui in ep. ad MART. VADOVITAM, Profeſſ. Cracov. d. 14. *Jun.* a. 1598. inquit: „*Illud certiſſimum eſt*, GREG. ZARNOVECIUM *qui nominatim aduerſus diſputationem meam de J. C. Seruatore libellum polonice edidit, in eius praefatione aſſerere, me ex* OCHINI *dialogis, annos abhinc circiter triginta quinque editis, ſententiam illius meae diſputationis accepiſſe. Nam certe in dialogis illis, quorum non pauca exempla iam diu in ipſa Polonia mihi videre contigit, eſt ſententia iſta aperte expreſſa et inculcata.*"

Quo peſſimus liber in plurium hominum manus veniret, multosque ſuo contagio inficeret, in Antitrini-

tario-

tariorum Polonorum ciuitate et synodis statutum est, vt paruo admodum pretio, nimirum exemplar non compactum *24 grossis Polonicis* venderetur; nec vllum librum in regno Poloniae impressum, habita proportionis et molis ratione, viliori pretio vnquam venalem fuisse, auctor in ep. ad ANDR. VOIDOVIUM notauit, in Epp. p. 580. Idem MART. VADOVITAE, in ep. narrat, quod praeter ZARNOVECIUM nemo in regno Poloniae, nec alibi, hanc disputationem refellere hactenus (quantum sciat) sit aggressus. Quanti vero *Zarnouecii* refutatio, de qua paulo post, facienda sit, breui ostensurum amicum quendam, qui eadem lingua, qua ille scripsit, (*Polonica*) pro se responsurus sit, cum id ipse in hoc idiomate praestare nequeat.

De excerptis ex *Socini* libro, quoad quandam eius partem factis et sub PROSPERI DYSIDEI nomine inscio auctore, a. 1592. 8. sub tit. *Quaenam sit ea fides in Christum, qua iustificamur, disputatio*; diuulgatis v. *Ruari* Epp. Cent. I. p. 128. Aduersus hoc ipsum excerptum NIEMOIEVIUS pugnauit. V. B. A. P. I. p. 552. N. 7. Cui scripto SOCINUS opposuit *animaduersiones extemporales* etc. Orthodoxam doctrinam aduersus hunc tractatum defenderunt quoque *Jac. Covetus in Apologia de iustificatione nostri coram Deo, Tiguri*, 1594. 8. et *Theod. Beza in Apologia de iustificatione per vnius Christi vera fide apprehensi iustitiam gratis imputatam, aduersus anonymi auctoris tractatum clam nuper sparsum. Genevae* 1592. 8.

Argumentum plenioris tractationis de J. C. Seruatore longa serie exposuit SEMLERUS in *Instit. breu. ad liber. erud. Theol.* L. II. p. 155 — 169. speciminis loco, vt de F. *Socini* ingenio et tractandi modo sententia ferri possit. Belgica libri versio hoc titulo lucem vidit: *Van de gesalfde Heyland* etc. 1654. 4. Opus hoc *Sibrandus Lubbertus Franeck.* a. 1611. 4. Alph. 3. pl. 15. refutandum suscepit; illudque totum suo intexuit volumini, sed maiori

maiori veritatis detrimento, quam auxilio, ex iudicio FABRICII l. c. P. III. p. 386. *Reimanni* l. c. p. 641. *Baylii* in Diction. sub tit. F. *Socinus*, aliorumque, qui allegantur a *Moshemio* in not. ad *Halesii* Epp. VIII. p. 266. aduersus quae iudicia ZELTNERUS l. c. p. 255. Not. (c) quaedam non immerito monenda protulit. De opere LUBBERTI in *Epp. Remonstr. Amstel.* 1684. 253. ita iudicatur: *Credebat* — — LUBBERTUS *recte se facere atque utiliter, quod* SOCINUM *de Seruatore integrum ederet, cum prolixa refutatione; sed vide, quid collega ipsius* J. DRUSIUS *de facto isto iudicauerit. Plures sola libri* SOCINI *lectione et parum accurata eius confessione,* SOCINIANOS *breui tempore factos fuisse scribit, quam multis ante annis per coeteros libros eorum facti fuerant.*"

In Polonia publicae luci exposuit. 1) GREGOR. ZARNOVECIUS *opus polon.* cuius titulus: *Apocatastasis* t. i. *Naprawa Artykulu naygruntownieyszego, o Dosy cuczynieniu sprawiedliwosci Bozey przez Chrystusa naszego Pana zagrzechy nasze wykonanego* etc. *ktory* SOCYN *Senenski Weoch Disputacyem swom de Seruatore nazwanom, zgruntu wywrocic usilowal.* 4. pl 18. absque nota temporis et loci; nomen tamen suum in dedicatione adposuit auctor. Opus hoc CONR. NUBER, *Pastor Gedan. ad D. Petri et Pauli* latine reddidit, sub tit. *Apocatastasis, seu vindiciae pro articulo plane fundamentali relig. Christ. de plenissima satisfactione, quam J. C. Seruator noster iustitiae Dei praestitit pro peccatis generis humani, aduersus F.* SOCINI SENENSIS DISPUT. DE J. C. SERVATORE, *ante annos aliquot institutae et Polonico idiomate scriptae a Reu.* GREG. ZARNOVECIO etc. *Nunc vero in latinum sermonem translatae. Dantisci* 1607. 4. pl. 19 ½. Item *Leowardiae* apud THEOD. ALEBRTI, 1618. 4. hoc tit. *Defensio Articuli solidissimi de Satisfactione per Christum Dominum pro peccatis nostris iustitiae Dei praestita: contra* SOCINUM *scripta polonice* et a CONR. NUBER, *Past. Dantisc. latine*

 facta.

facta. Librum, quem Petr. Statorius *jun.* Zarnovecii operi voluit oppositum, in B. A. P. II. p. 926. N. 7. notaui. 2) Dan. Clementinus *Socinum* refutauit in parte tertia tractatus Polon. cui titulum fecit: *Antilogiae et absurda ex opin. Socini* p. *M. m. 3 seqq.* Plenum titulum in B. A. P. II. p. 771. N. 2. allegaui. Extra Poloniam comparuit, 3) Ott. Casmanni *Anti-Socinus. Tractatus ad diiudicandum controuersiam theologicam, quae iam inter Orthodoxos et Socinianos de corpore doctrinae christianae pene vniuerso agitatur, apprime vtilis. Editus studio et opera* Joach. Vrsini, *cum prooemio, quo historica narratio de nostri temporis Antitrinitariis continetur. Arnbergae, apud Joh. Schoenfeldium* 1612. 8. plagg. 19 ½. 4) Ludov. Lucii *synopsis Anti-Sociniana bipartita,* I. *De Christo Seruatore;* II. *De Justificatione, Libro quadripartito F.* Socini *de Christo Seruatore et fide iustificante, opposita. Basil. ap. Jac. Genathium.* 1612. 8. 1614. 8. et 1628. 8. — 5) M. M. Henr. Höpffneri *de Satisfactione Christi problema theologicum: an Christus pro nobis Deo Patri satisfecerit, atque ideo salutem nobis aeternam acquisiuerit? contra Photinianos et in primis contra* Socini Ψευδογραφηματα *Libb.* III. *prioribus de Seruatore, contenta, assertum, Lips.* 1616. 4. pl. 11. 6) *D.* Alb. Graveri *Tr. de nouo ac horrendo errore circa doctrinam de satisfactione Christi pro peccatis humani generis, Dissertationes theologicae et scholasticae, exquisitissimis sophisticationibus ac argutiis* Christoph. Ostorodi et *F.* Socini *Neo-Arrianis, seu potius Photinianis oppositae. Editio secunda correctior, Jenae* 1613. 4. *Alph.* 1. pl. 2 ½. V. B. *A.* P. II. p. 578. N. 6. 7) D. Jo. Georgi Neumanni, *Disp. de merito Christi, contra* Socinum *vindicato;* 8) Conr. Vorstii *notae in F.* Socini *disput. de J. C. Seruatore.* 9) Hug. Grotii *defensio fidei catholicae de Satisfactione Christi aduersus F.* Socinum, *Senens. Lugd. Batav.* 1617. 4. editio rarissima, de qua vid. *Joach. Langius* in Dedicatione praemissa nouae

huius

huius libri editioni Halae a. 1730. 4. et *Reimannus* l. c. p. 667. Prodiit quoque cum praefat. G. J. *Vossii* 8. item 1639 et 1651. 4. *Oxon.* 1636. 12. *Londini* 1661. 4 et 12. *Salmur* 1675. 12. Inserta quoque est Tomo III. *Opp. theol.* GROTII. De *Grotii* opere digna sunt, quae legantur in W. E. BARTHOLOMAEI fortgesetzten nützl. Anmerk. Coll. III—VI et VIII—XII. Quae Jo. CRELLIUS *Grotio* opposuit in B. *A.* P. I. p. 140. N. 4. significaui. *Petri Zornii* obseruationes in librum *Grotii* de Satisfactione Christi etc. *Msscctae* allegantur in *Nov. litter. Hamburg.* a. 1747. N. 71. p. 565. Videtur in illis ZORNIUS GROTII apologiam suscepisse, idque non immerito. Criminantur quidem haud pauci eum in hoc opere non bona fide orthodoxam de Christi satisfactione sententiam defendisse, siquidem magis pro acceptilatione pugnet, quam pro plenissima satisfactione. Sed qui ipsum diligenter tractauerit librum, et quae aliis scriptorum suorum locis hoc de argumento protulerit, sincere perpendit, in primis quae in *Ephes.* 1. commentatus est, is dubio procul melius de eodem sentiet.

III. *Justificationis nostrae per Christum synopsis, vbi potissimum de ipsius Christi mortis vi et effectibus agitur.* In hoc scripto pars prima Operis praecedentis iisdem verbis, iam a. 1592. typis impressa reperitur, quae etiam legitur in Bibl. FF. PP. T. I. p. 601. De eodem *Socinus Balcerouicio* a. 1592. d. 19. *Dec.*: „Mitto ad te quatuor exemplaria cuiusdam scripti excerpti ex libro ac di„sputatione mea de Christo Seruatore, quod amicus „meus, me inscio excudendum curauit procul hinc, quo„dam in loco, vbi id palam facere non licebat." Primam editionem inter scripta didactica, N. XII. allegaui.

IV. *De statu primi hominis ante lapsum disputatio, quam* FAUSTUS SOCINUS *Senensis per scripta habuit cum* FRANCISCO PUCCIO *Florentino a. 1578. in qua habetur responsio ad defensionem Franc. Puccii suorum argumentorum,*

De immortalitate hominis et omnium rerum ante lapsum 1. Cor. 15. 22. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur. 2. Tim. 1, 10. Christus destruxit mortem, illuminauit autem vitam et incorruptionem per Euangelium. Racov. typis Sternacianis a 1610. 4. pagg. 335. absque dedicatione, qua HIER. MOSCOROVIUS a MOSCOROV MAURITIO, *Landgrauio Hassiae* librum hunc adscripsit e praedio suo *Czarkouiano*, *Kal. Martii;* a. 1610. V. B. A. P. I. p. 518. N. 8. In fine libri legitur: *Tiguri*, 27. *Jan.* 1578. V. *Fabricius* P. II. p. 61. Exemplar, quod possideo, donum fuit MICH. GITTICHII, JOACHIMO PEUSCHELIO oblatum, qui manu sua libello indicem dictorum S. Scripturae, quae in *Antipuccio* citantur, adiecit.

De FRANC. PUCCIO, *nobili Florentino*, qui etiam quibusdam POGGIUS dicitur, *F. Socinus* in epp. ad *Dudithium* p. 15. hanc fert sententiam: *multum opinionibus suis fidit, atque tribuit, si hominem audias, aut scripta illius videas; condiditque nouam quandam Theologiam, quam ex illius opusculo, quilibet animo complecti potest.* Et in ep. 3. ad RADECIUM in Epp. p. 103. de eo iudicat, quod statuerit, nihil de dogmatis religionis christianae, praeter pauca quaedam, hoc tempore ex scriptis quantumuis sacris definiri posse; quapropter ipse naturae naturalique lumini omnibus hominibus communi tribuens, nullarum partium fuerit, et quod annos non paucos perpetuo et in Anglia et in Gallia et in Germania inferiore et superiore et denique in Polonia ab Ecclesia Romana sese separasse aperte professus et scriptis quoque publice contestatus fuerit. Longo deinde ambitu historiam PUCCII narrat, quam magna ex parte ipsius verbis ad compendium contractis, repeto, quo plenus pugnae huius nexus pateat, non dubitans, quin SOCINUS quamuis PUCCII aduersarius, vera retulerit.

Natu

Natus est *Lugduni* Gallorum ex veris *Pucciis Florentinis* nobilique familia, quae tres habuit Cardinales, et vt patriae mos ferebat, mercaturam nobilitati in istis terris non indecoram exercuit. A. 1580. quo *Socinus Dudithio* scripsit, ille credidit: patrem ei adhuc in viuis restare, quamuis aetate multum prouectum, vna cum fratre, hunc vero *Franciscum* iudicauit annorum circiter 39. aut 40 esse. In indice librorum ab *Academia Veneta* typis exscribendorum, *Venetiis* 1559. 4. inter scriptores consiliorum iuridicorum nominatur PUCCIUS quidam de PUCCIIS. Exorientibus de religione in *Gallia* dissidiis, statuit mercatura relicta, se totum studio sacrarum litterarum tradere, vt quid sentiendum in religione sit, dilucide cognosceret. Arrisit autem ipsi pars Pontificiis aduersa. Repetitis igitur latinis litteris, quibus adolescens operam dederat, sacra volumina satis diligenter voluere coepit, et de rebus sacris disputare, quod vt meliore successu facere posset, in *Angliam* se contulit, ac in *Oxoniensi Academia* aliquamdiu se exercuit. Mox vero dogmata quaedam proferre ausus, ab aliorum sententia plane discrepantia, praecipue *de fide in Deum*, quae et qualis sit, multasque et *Oxonii* et *Londini* priuatas disputationes cum Reformatis habuit, et aliquando etiam publice cum his disputauit, sed ea ratione, vt, quamuis aliqua ex parte iustam caussam contra illos defenderet, tamen veritatem diuinam derisui potius exposuerit, quam quidquam profecerit, et ipse arrogantis potius et peruicacis, quam docti et pii nomen apud plerosque retulerit. F. interim SOCINUS ex Italia *Basileam* aduenerat, vbi FRANC. BETTUS, Romanus, (quem summum et vetustissimum suum amicum, virum pium et in religionis controuersiis haud mediocriter versatum appellat,) degit, ad quem PUCCIUS de suis placitis identidem nonnulla scripserat. *Bettus* vero in hoc commercio epistolico, aliquando *Puccium* certiorem fecit, adesse *Basileae Socinum*, cum quo, si aliquando congredi posset, futurum,

vt veritatem melius cognoſceret, pluribusque verbis illi hunc commendauit. *Puccius* his commotus ex Anglia *Baſileam* venit, ibidem praecipue de religione tractaturus. Pauciſſimis poſt eius aduentum diebus conferre coeperunt, initio facto, ab ipſis primis omnis religionis fundamentis, in quibus vero praeter hoc ſolum, quod vnus Deus ſit aeternus, qui coelum terramque et omnia, in iis, creaſſet, quique omnium perpetuam curam et prouidentiam haberet, in nullo alio prorſus conuenire potuerunt, praeſertim primo ſtatim congreſſu. *Puccius* defendebat, primum hominem a Deo creatum fuiſſe *natura immortalem*, *Socinus* vero contra, mortalem contendebat. Paulo poſt ille ſcriptum huic obtulit, in quo decem argumentis ſuam de immortalitate naturali primi hominis ante peccatum ſententiam demonſtrauit. Ad hoc ſatis copioſe reſpondebat *Socinus*. In hac prima cum *Puccio* diſputatione, impolitum ſcribendi genus aliquanto maius, quam in vllo alio ſcriptorum ſuorum animaduerti poſſe, concedit *Socinus*, quod vero in ep. 3. ad *Dudithium* p. 74. excuſat, partim anguſtia temporis, qua circumſcriptus fuerit, partim, quod tunc temporis fere primum ad latine ſcribendum animum appulerit. Reſponſionem *Puccius* paucis poſt diebus refellebat, *Socinus* vero refutationem libro peculiari ad examen vocauit, in quo non pauca, eaque grauiſſima argumenta tractauit, quemque *Baſilea* in *Tranſyluaniam* diſcedens manu ſua ſcriptum *Puccio* tradidit. Ad hunc *Puccius* nullum reſponſum dedit, ſed in eius margine complures animaduerſiones ſcripſit, quas reſponſionis loco voluit, easque cum ipſo libro in *Belgio* dedit CORNELIO DAEMS, quas, cum haec *Radecio* referebat, nondum vidit *Socinus*, ſperauit tamen, *Cornelium* eas propediem ad ſe miſſurum. Has *Socinus* refutaturum et vt vniuerſa diſputatio typis exſcribatur, curaturum, *Radecio* declarat.

Pergit S. l. c. p. 105. de *Puccio* narrare, quod paulo poſt ſuum diſceſſum, *Baſilea* abire qaodammodo coactus

coactus fuerit, quia theses quasdam publice disputandas proposuerat, easque excudendas curauerat, in quibus asserebat, vniuersum humanum genus in ipso matris vtero efficienter particeps esse beneficii Christi, ac vitae immortalis et beatae, quam amittere nemo possit, nisi in adultiore aetate, diffidentia superueniente et ab ipso Deo defectione. Propter has *Puccio* negotii aliquid a ministris Ecclesiae exhibitum, tandemque iudicatum fuisse, optimum fore, si *Basilea* migraret, quod in ep. *Socini* ad *Dudithium* commemoratum legitur: in qua praeterea notauit: vixisse eundem de suis, quippe cui extra patriam fuerit aliquid nummorum, nec patrem eius in iis, quae requirebat, illi defuisse. *Basilea* abiens in *Angliam* iterum transfretauit, et inde, vbi propter eiusmodi paradoxa, quaedam passus, et in carcerem etiam coniectus est, in *Belgium*; quibus in locis quendam peregrinantium christianorum coetum esse, sentiebat, qui concilium etiam quoddam haberet per sessiones multas. Scripturus enim ad *Socinum* de forma collationis ac disputationis sub aequis iudicibus, qui silentium imperare possint ei, qui fallitur, (sic enim inter eos conuenerat, vt eiusmodi iudicium vterque disputantium subiret,) haec verba scripto praefixit: „*Ex sessione XXXV. concilii peregrinantium Christianorum.*" Cum haec forma satis arrideret *Socino*, quem hanc ob rem *Puccius* in *Hollandiam* inuitauit, vbi tales iudices se inuenturos praedicabat, *Socinus* illuc ad *Puccium* se conferre decreuit. Sed iter hoc meditans ab ipso antagonista P. litteras accepit, quibus declarauit, se mutasse sententiam et ex *Hollandia Antwerpiam* venisse, propositum vero sibi esse, ad *Socinum* in Poloniam veniendi, quod etiam expleuit.

Post eius aduentum conuenit inter vtrumque, vt controuersiae agitandae coetus Vnitariorum fratribus proponerentur, qui secundum disputationis formam disputantium arbitri essent, vt alterutri silentium imponere

 possent.

poſſent. Quia vero iſti fratres iurare noluerunt, ſe omne praeiudicium depoſituros, omnesque exceptis iis, de quibus omnes Chriſtiani conſentiunt, praeoccupatas opiniones ſuſpendere, ſed tamen ſancte affirmare ſe haec pro viribus conaturos et facturos, non videbatur *Puccius* velle prorſus eorum iudicio ſtare. Nihilominus tamen conſcriptis quibusdam theſibus *de fide in Deum*, quam omnibus hominibus naturalem eſſe volebat, eas contra *Socinum* coram fratribus defendere ſe velle ait, ſed ita, vt argumentis ex ratione et natura petitis potius, quam ſcripto Dei verbo agendum eſſet, quam conditionem et fratres et *Socinus* vt iniquiſſimam reſpuebant, quanquam hic, quacunque tandem ratione ille voluerit, cum ipſo ſe diſputaturum pollicebatur. Iniquitatem vero ſuae conditionis is propterea vel negabat, vel excuſabat, quod ſine fide iſta naturali ſacrae litterae intelligi nequaquam poſſent. Tandem conceſſit, vt quoque ex verbo Dei ſcripto de ſuis theſibus iudicaretur. Congrediebantur ideo aliquoties diſputantes coram fratribus, qui in fine aduerſus *Puccium* ſententiam tulerunt, eumque amice ac fraterne monuerunt, vt ab iſtis paradoxis abſtineret. Quo facto is denuo aſſeruit, illos eſſe iudices incompetentes, maxime quia iuramentum praeſtare noluiſſent. Itaque re infecta diſceſſum eſt.

Paulo poſt *Puccius* rogauit *Socinum*, vt iudicio cuiusdam docti et magni viri, quem nominauit, in ea controuerſia, de qua coram fratribus actum erat, ſtare vellet. Quis ille vir, isque aulicus fuerit, ſignificatum non legitur (Fortaſſe *Chriſtophorus Lubienicius* ſenior vel ipſe *Duaithius*.) Annuebat *Socinus*. Sed iſte arbiter *Puccio* audito, antequam *Socinus* reſponderet, ipſe ſe illi ſumma cum modeſtia oppoſuit, dixitque: *Jam vides, mi* PUCCI, *ſi iudex veſter futurus fuiſſem, me ſententiam aduerſus te fuiſſe prolaturum.* Aderant, cum haec diceret, hoſpes *Socini* (fortaſſe *Buccella*) et *Eraſmus Joannis*, qui

qui eo ipſo die, vel proxime antecedente Cracouiam aduenerat. Cum *Socinus Puccio* obuerteret, a magno illo viro ſententiam contra ſe iam latam fuiſſe, *Puccius* diu tergiuerſatus, negauit, virum illum aptum eſſe iudicem, quia aulicus magis homo, quam Chriſtianus eſſet, cum tamen ipſe ſua ſponte illum arbitrum nominaſſet.

Eodem tempore *ſynodo Chmielnicenſi*, in qua *F. Socinus* praeſens fuit, *Puccius* theſes ſuas transmiſit, vna cum ſatis longa praefatione ad fratres coetus Vnitariorum, qui vero illas ne legere quidem voluerunt, quamuis SIMON, (*Rouembergius*, B. A. P. II. p. 713.) qui eas attulerat, vt legerentur, rogaret. Scripſerat antea ad *Socinum*, miſeratque librum, quem Italico ſermone conſignauerat, ſub titulo; *De Bibliis occluſis, deque Elia, qui ea aperturus eſt.* In hoc ex diuinis vaticinationibus oſtendere nitebatur, hoc tempore S. litteras intelligi non poſſe, neque eas controuerſiis, de religione noſtra decidendis, ſufficere, ſed diuinos illos duos homines exſpectandos eſſe, de quibus ſcriptum eſt *Apoc.* XI. Juxta haec *Socino* ſuaſit, vt a ſcriptionibus de rebus ſacris omnino abſtineret, ipſe tamen S. litterarum partem omnium difficillimam explanare auſus eſt. Perſuadere enim voluit aliis, tempus *Eliae* venturi admodum prope eſſe eam ob cauſſam, quod dies illi 1260, quibus beſtia regnatura praedicitur, id eſt totidem anni, mox finem habere debeant, initio videlicet eorum ſumto a *Concilio Nicaeno*, a quo beſtiae regnum auſpicabatur. Dum *Puccius* in hac *Eliae* exſpectatione totus eſt, ſeque participem diuinae huius legationis fore ſperat, incidit in duos *Anglos*, qui *Joannem* a *Laſco* ex Anglia in Poloniam reuertentem vel comitati, vel inſequuti fuerant, quorum alter *medicus*, alter vero *Magus* aliquamdiu fuit, ambo autem Pontificiae religionis, qui orbis Chriſtiani Reformationi, quam propediem Deus facturus ſit, ſe deſtinatos eſſe aiebant, iactabantque angelorum apparitiones et collocu-

tiones; quanquam tantum is, qui Magiam exercuerat, has viderit ac audierit, cum ſocio tamen omnia communicabat, qui cuncta diligenter notauit et ſcripſit. Iſtis hominibus hinc *Pragam* proficiſcentibus, comitem ſe adiunxit *Puccius*, et vt in hanc vrbem peruenit, miniſtros pontificios adiens, ſuae ab Eccleſia Romana olim defectionis veniam, exhibita ſatisfactione, impetrauit, ac de reditu ad pontificiorum coetum (quem *Saligius* circa annum 1585 accidiſſe putat l. c. T. II. p. 700) ad amicos ſuos et ad *F. Socinum* litteras ſcripſit, aſſerens ſe verbis vnius ex illis Dei angelis, qui ſociis illis ſuis reſponſa dare ſolent, ad ſe nominatim loquentis monitum atque impulſum id feciſſe, diuturnumque errorem ſuum tandem agnouiſſe, vtque idem ipſi amici facere velint, ſuaſit.

Haec *Socinus* de *Puccio*. Acta Synodi Chmielnienſis 1584. habitae *Mſpta* nos certiores faciunt de colloquio F. S. cum *Puccio Cracoviae* inſtituto. Senior enim coetus Cracovienſis ſynodo nuntiauit, *Socinum* erudite *Puccio* reſpondiſſe, eiusque obiectiones ſolide refutaſſe; qua de re publico nomine Synodus gratias perſoluit *Socino*. Communis fama, quam tamen alii in dubium vocant, inualuit, ab Archi Epiſcopo Salisburgenſi *Puccium* tandem vinculis conſtrictum *Romam* miſſum, ibidemque crematum eſſe. Teſtes fati huius ſunt ANDR. CAROLI *memorab.* L. IV. c. 18. p. 794. VOETIUS diſpp. theol. L. II. p. 234. ſeqq. MICRAELIUS *Syntagm. hiſt. eccl.* L. III. Sect. II. §. 70. p. 860. J. J. HOFFMANNUS in *Lex vniu. contin.* p. 759. b. KROMAYERUS in ſcrutin. relig. p. 10. *Lucas Oſiander* in *H. E.* Cent. XVI. L. IV. c. 46. p. 1098 et 1100. inquit: „*Fama de Puccio ſparſa eſt, eum in ditione Epiſcopi Salisburgenſis captum, vinctum, Romam adductum, ibique combuſtum fuiſſe.*“ *Kippingius* vero in ſupplem. hiſt. ad *Pappum*, *Pragae* illum morte naturali obiiſſe narrat. *Oſiandrum*, qui l. c. *Puccium* furciferum,

eius-

eiusque scriptum *Satanicum* et *Diabolicum* vocauit, hocque peculiari libro refutauit, aduersus GODOFR. ARNOLDUM in *H. E.* T. I. p. 319. defendit *Andr. Dav. Carolus* in der Würtenbergischen Unschuld, durch christl. Prüfung Gotfr. Arnolds etc. p. 392. seqq.

De eiusdem erroribus ita *Osiander* statim sub initium refutationis p. 1. 2. inquit. „*Franc. Puccius, Filidinus, patria Florentinus, edito libello suo titulum fecit: De Christi Seruatoris efficacitate, in omnibus et singulis hominibus, quatenus homines sunt, assertio catholica* etc. *titulum sane melleum, sed aspidum et basilisci venena multa et varia occultantem.* — — — *Hoc enim in suo libello summatim agit, vt persuadeat omnes, cuiuscunque sint maneantque religionis, certo aeternam salutem consequi, modo Deum, coeli terraeque creatorem (quocunque nomine id Numen appellent) colant, et secundum rationem ac naturam viuant, etiamsi nullam prorsus Christi Saluatoris cognitionem habeant, aut vnquam in hac vita consequantur.*" Et *centur* XVI. p. 1098. seqq. „*Summa dogmatis* PUCCII *haec est: Fidem saluantem in vnum Deum Creatorem esse naturalem et omnibus hominibus communem, et tali fide naturali et notissima, patres priscos iustificatos esse: et omnes illos, qui pro hac generali et omnibus communi fide obscuram spem antiquorum ex promissionibus acceptam, pro Patrum fide iustifica accipiunt, toto coelo errare. Neque simplicem ignorationem et incredulitatem Euangelii ac defectum baptismi, vbi non sit scelus, cuiquam ad salutem obesse. Singulos, qui naturali fide Deo vere fidunt et adhaerent, diuino afflatu animari et cum ingenuis christianis consentire: implicite, cum non explicantur, explicite vero, cum explicantur mysteria: Vnumquemque hominem, cuiuscunque sit religionis, modo homo sit, sine speciali Domini gratia saluari posse, modo non extreme sceleratam et omnino belluinam, naturae et Deo repugnantem vitam ducat; modo tales humani sint, et benefici erga alios homi-*

homines. In singulis hominibus esse hypostasin siue substantiam saluificae fidei, ac proinde omnes aptos esse natos ad vitam aeternam. Hominem etiam post lapsum generis humani, tantas naturaliter habere vires, vt possit resistere Diabolo, et vitam aeternam consequi. Peccatum nullum esse, nisi voluntarium, et peccatum originis non esse peccatum, sed fomitem; nec primos parentes esse spoliatos donis et beneficiis, quibus ab optimo creatore ornati fuerant."

Jo. VOLCKELIO improbanti editionem disputationis cum *Puccio* ita *Socinus* in ep. ad eundem d. 8. Mart. a. 1597. in Epp. p. 491. scribit: „*Quas tuae sententiae,* de non edendo scripto, *rationes affers, non satis validae mihi videntur, ad id diutius premendum, quod non modo plerique amicorum, vt iam edatur, contendunt, sed ipse fateris, reliquis meis scriptis magnam lucem afferre. Et certe, si quae sentio de rebus Theologicis, probari debent, et in animis aliorum firmas radices agere, necesse est, disputationem istam publice exstare, quam propterea plurimi, qui alia quaedam ex meis scriptis legerunt, et longe hinc absunt, magis, quam quidquid aliud ex reliquis meis scriptis legere expetunt. Quod ais, ea ibi tum de christianorum resurrectione, tum de morte impiorum passim contineri, quae a multis sine magna offensione, tum nostris, tum alienis legi non possint; scio equidem, ista ibi contineri, — — — quicquid sit, veritas patefacienda est, nec oportuisset vllum ferme hactenus ex meis scriptis publicare, si legentium offensio cauenda fuisset.*"

Puccii liber Goudae in Belgio hoc titulo prodiit. *Francisci Puccii Filidini, Dei et Christi serui. Assertio catholica,* (Catholische Bewahrung) *de Christi Seruatoris efficacitate in omnibus et singulis hominibus, quatenus homines sunt, aequitati diuinae et humanae consentanea, vniuersae Scripturae S. et PP. consensu, spiritu discretionis probata, aduersus scholas asserentes quidem sufficientiam Seruatoris Christi, sed negantes eius salutarem efficaciam,*

in

in singulis, Goudae 1592. 8. Liber nomini *Clementis* VIII. dicatus est.

Praeter *Socinum* et LUC. OSIANDRUM, POLYC. LYSERUS contra *Puccium* pugnauit. V. Io. *Schmidius* de *Puccio* in *Naturalistis* et Indifferentistis, rediuiuo. *Socinum* primi hominis mortalitatem aduersus *Puccium* adstruere conantem refutauit: D. BERNHARDUS DERSCHOW, *de immortalitate primi hominis ante lapsum, quorumuis ετεροδοξων in primis Photinianorum errori opposita, Diss.* II. *Regiom.* 1620 et 21. 4. pl. 7½.

V. *De Jesu Christi filii Dei natura siue essentia, nec non de peccatorum per ipsum expiatione disputatio, aduersus* ANDREAM VOLANUM. *In qua et prior ad paraenesin eiusdem* VOLANI, *et ad ea, quae ipse huic obiecit, plenior altera responsio habetur*, secunda edita. *Paulus* 2 *ad Cor.* 5. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans ipsis peccata ipsorum Racouiae typis Sebast. Sternacii* 1627. 8. pl. 17½ *pagg.* 272. et 10 *dedic.* et *indic.* In fine legitur: *Scribebantur haec a me* An. 1583. *Mens. Septembr.*

Fuit VOLANUS *Secretarius Nicolai Radziuilii, Palat. Nouogrot. summi exercituum* M. D. *Lithuaniae Praefecti*, vir insigni rerum politicarum notitia instructus. BARTSCIUS Soc. Jesu aduersus eum scripsit, eumque adpellat, *Lwowcouiensem Zwinglianorum* VILNENSIUM *Archiministrum V.* JANOSCII *excerpta Polonicae litteraturae.* De eodem WENGERSCIUS L. I. p. 147. narrat, quod in templo Vilnensi Socinianos publice oppugnauerit, et cum *Simone Zazio* pastore ecclesiae Brestensis emergentibus in Lithuania dissensionibus strenue obuiam iuerit. Eodem fine in lucem edidit epistolam, quam inscripserat: *Paraenesin ad omnes in regno Poloniae, magnoque Ducatu Lithuaniae, Samosatenianae vel Ebioniticae doctrinae professores*, quae typis excusa *Spirae* apud *Bernardum*

Alpi-

Alpinum a. 1582. Videtur autem haec altera editio; a quibusdam enim allegatur iam a. 1581. in publicum emiffe, quam ipfe non vidi. Pluribus annis ante paraenefin VOLANUS luci commiferat: *Epiftolam ad* NICOL. PACIUM *(Epifcopum Kiiouiefem)* quae *explicat controuerfiam, his temporibus de S. Trinitate motam, oftenditque Patrem, F. et Sp. S. vt vnius eiusdemque naturae, f. effentiae, fic recte vuum Deum dici ad euitandam pluralitatem Deorum. Regiom.* 1565. Scripfit praeterea *Orationem fiue confilium de bello contra Turcas mouendo: nec non Defenfionem fententiae de vera Chrifti praefentia in S. coena contra* PETR. SCARGAM, *et* FRANC. TURRIANUM: Plura *Volani* fcripta recenfent *Wengerfcius* p. 106 et in append. p. 453. *Saligius* T. II. p. 585. et Jo. *Fabricius* P. II. p. 76. Quam aegre SOCINUS hunc orthodoxae veritatis defenforem tulerit, ex ep. ad GE. BLANDRATAM, cui alteram refponfionem ad *Volanum* dicauit, colligi poteft. Ita enim in Epp. p. 688. inquit: „*Inter apertos illuftrandae Filii Dei cognitionis hoftes,* (qui funt aeternae filii Dei deitatis aduerfus hoftes eius defenfores,) *non infimum locum hoc tempore obtinet, Andr. Volanus. Is enim non modo paraenefi fua illa, omnes quicunque in Polonia et Lithuania huic illuftrationi toto pectore incumbunt, vehementer exagitare aggreffus eft, verum etiam, cum ipfi oblata fuiffet refponfio a me horum nomine fatis modefte, ni fallor confcripta, tam acerbe, atque adeo impotenter alio fcripto edito in nos omnes eft inuectus, vt fui ipfius oblitus effe plane dici poffit, praefertim cum alioqui in iis, quae a me fcripta fuerant, refellendis parum diligens et accuratus fuiffe videatur,* etc.

Prima *Socini* refponfio, inter fcripta eius primum fuit, poftquam a. 1579. in Poloniam venit, quamuis demum a. 1588. 8. absque auctoris et loci commemoratione comparuerit, cum dedicatione ad Jo. KISZKAM *a Ciechanowiecz, Samogitiae Praefidem generalem,* fcripta

a. 1588.

a. 1588. d. 14. *Jun.*. Hunc vero titulum habuit: *Responsio fratrum, qui in Polonia et Lithuania de vno Deo Patre, vnoque Dei Filio consentiunt, quos* VOLANUS, *Samosatenianos vel Ebionitas appellat, de J. C. natura, peccatorumque per ipsum expiatione.* V. *Placcius* N. 2192. p. 516. Huic *Volanus* opposuit: *Ad noua Ebionitarum contra Paraenesin obiecta Responsionem,* quam adscripsit magnifico et generoso Domino JOANNI AB OSTOROG, *Pocilatori regni Poloniae, Capitaneo Stenzuesi* etc. Hanc ex parte F. excipiebat *Socini* altera responsio ad ea omnia, quae *Volanus* superiori responsioni obiecit, scripta 1583. mense *Sept.* quae eodem anno, auctoris nomine non praefixo, in 8. prodiit, dicata *Ge. Blandratae,* ad quem ea de re exstat *Socini* ep. Belgice hanc responsionem prodiisse, a. 1664. 4 et 8. *Sandius* l. c. p. 70. notauit, editionis vero posterioris, cuius exscripsi titulum, mentionem fecit nullam. Occasionem libri ita recenset in praef. ad lectorem p. 1. „Cum annos abhinc tres al„lata ex Lithuania in Poloniam ad nos fuisset ep. quae„dam ANDR. VOLANI, quam ipse Paraenesin ad omnes in „regno Poloniae, magnoque ducatu Lithuaniae, Samo„satenianae vel Ebioniticae professores, inscripserat, ro„garunt me eius loci fratres, vbi tunc degebam, vt non „ipsorum modo, verum etiam aliorum omnium nomine „ad paraenesin istam respondere vellem, idque quam „primum: certo etiam spatio paucissimorum dierum ad „eam rem mihi assignato atque praescripto. Etenim „nuntius, qui in Lithuaniam reuersus erat, et per quem „illi omnino responsum mittendum, iudicabant, diutius „eo in loco commorari se non posse, sed quam celerri„me sibi discededum esse, affirmabat. Ego, et si nec „doctrinam, nec ingenium eiusmodi mihi esse noueram, „vt vel prae caeteris ad id munus deligendus essem, vel „tam breui tempore quidquam magnopere probandum „praestare possem, tamen cum et fratribus me omnia de„bere agnoscerem, et VOLANI epistola perlecta, non adeo

„aut

„aut difficile, aut laboriosum esse iudicassem, ad omnia, „quae contra nostros homines reuera, contraque senten„tiam nostram de Deo Christoque eius in ea continebantur, ita respondere, vt quicunque verae pietatis, verae„que diuinarum rerum scientiae amatores essent, facile „et caussae nostrae iustitiam, et VOLANI in nos siue erro„rem, siue iniquitatem perspicerent, — — — Deo „adiutore intra praescriptum tempus responsionem scripsi, „non eam quidem plenam admodum, aut accurate dige„stam atque dispositam; sed tamen eiusmodi, ni fallor, „quae haud omnino immerito VOLANI epistolae ea in „parte, cui respondebatur, opponi posset. Volui ta„men celeritatis, — — qua conscripta fuerat, indicium „aliquod manifestum, in ipso titulo exstare. Itaque tu„multuariam prae temporis angustia responsionem, eam „inscripsi. — — — Post menses non paucos — — „affertur mihi nuntius, VOLANUM respondisse, ac respon„sionem ipsam ad symmistas suos in Poloniam misisse; — „— — Tandem prodiit VOLANI scriptum Spirae formis „excusum, anno superiore. Quod simulatque in meas „manus peruenit — — — animaduerti, VOLANUM non „aduersus responsionem meam, praecipue, sed aduersus „aliud quoddam, nescio cuius scriptum — — sibi pro „responsione ad paraenesin suam oblatum rescripsisse, „responsionis meae — — post multas paginas ——— „mentionem facit.“

In ep. dedicatoria, quam litteris initialibus nominis sui F. S. subscripsit, iterum de hoc opere sequentia exponit: „*Cum annos abhinc ferme quinque disputationem quandam aduersus* ANDR. VOLANUM *aliquot ante annis coeptam, absoluissem, in qua vtrumque horum religionis nostrae capitum* (scil. de Christi natura et essentia, et de expiatione peccatorum per ipsum) *ita tractatur, vt facile inde possit apparere, quid de vtroque statuendum sit, nihil ab eo tempore antiquius habui, quam vt disputationem hanc*

hanc ipſam ederem. Sed vix tandem nuper factum eſt, vt id praeſtare potuerim. Quod peropportune in hoc tempus incidit, cum non apud alios modo, ſed etiam apud quosdam ex noſtris, me peſſime audire, aperte cognoui, quia videlicet per Chriſti ſanguinem ac mortem alia ratione expiata fuiſſe noſtra peccata contendo, quam vulgo tradatur. Ex hac enim diſputatione conſtabit, quam immerito ab iſtis traducar, tanquam is, qui Chriſti ſanguinem et mortem a noſtrorum peccatorum expiatione excludam, etc.

Primum in hoc opere occurrit PRIMA *ad Volani paraeneſin reſponſio, recognita et quibusdam locis emendata* p. 11 — 53 deinde *altera,* ad ea, quae poſteriore *Volani* ſcripto, aduerſus *priorem Socini reſponſionem* continebantur, p. 54 — 272. In hac ſectione particulas nonnullas ex *Volani* reſponſione inſeruit, quibus ſtatim reſponſionem ſubiungit. His, quae aduerſus *Volanum* de perſona et officio Chriſti ſcripſit, non omnino ciuitatis huius ſociis ſatisfecit, qui nonnulla (ex epp. *Socini* p. 186. 222, etc. facile cognoſcenda) atro carbone notarunt. Nec *Socinus* hunc ſuorum diſſenſum in *praefatione* diſſimulauit, quod verba allegata, et quae p. 2 leguntur, ſatis teſtantur. V. *Reimannus* l. c. p. 656. De *prima* ad *Volanum* reſponſione ita F. *Socinus* in ep. ad *Dudithium* p. 13. ſcribit: „*Eſt mihi quoque in promptu breue quoddam reſponſum* ANDR. VOLANO *pro Polonis fratribus, circa Chriſti diuinitatem redditum, in quo aliquas iſtarum reſponſionum, quas tibi pergratas fore inquis, videre poſſes: Deprehenderes etiam alium mihi eſſe reſpondendi et loca quaedam diuinarum litterarum interpretandi modum, quam Polonis ac Tranſyluanis, quamuis in ipſa ſententia dici poſſimus, belle inter nos conſpirare.*“

De *ſecunda,* in ep. ad Jo. BALCEROVICIVM d. 1. *Jun.* 1582. in Epp. p. 344. hunc certiorem reddit, quod ad *Volani* reſponſionem refutandam ſemet excitatum ſentiat;

nolle autem opus hoc ſine fratrum conſilio ac conſenſu aggredi, ſed iſtam potius refutationem totius Vnitariorum ſocietatis nomine in publicum emittere. Quare Balcerovicium rogat, vt coetus Lublinenſis ſententiam hac de re ipſi perſcribat. Credit autem breuem admodum futuram refutationem, quia prior reſponſio aduerſarii ſui ſcriptum iam ſatis quodammodo refutauerit, nec alia praeterea re opus eſſe, quam publicatione reſponſionis Volani, paucis quibusdam additis, quae rem totam dilucidius explicent. Cuncta, quae ille praeter quaeſtionem de perſona J. C. eiusque officio diſputat, ſilentio praetereunda eſſe cenſet. Quicquid tamen fratres conſtituerint, id apud ſe firmum ratumque fore declarat. Pluribus ex hac ciuitate altera haec reſponſio nimium placuit, eiusque copiam omnibus fieri, optabant. Sic narrantibus *Act. Synod. Mſc.* Alciatus *Italus ſynodum Lublinenſem* a. 1586. per litteras rogauit, vt ſcriptum hoc *Socini* imprimi curaret, ipſeque ſumptuum partem, quo impreſſio accelerari poſſit, offerebat.

Praeter alios errores, in hoc ſcripto auctor negabat: *Chriſtum in morte et cruce ſacrificium obtuliſſe.* Hanc ſententiam *Jo. Niemoieuium* valde offendiſſe, huncque colloquium lingua Polonica inſtituendum expetiiſſe, alio loco ſignificaui. Litterae Niemoievii *Lublino* 1587. datae ſunt m. *Febr. Socinus* colloquium recuſans ſcriptis, cum eodem agere, hancque firmare theſin voluit: „*Sacrificium et oblatio Chriſti expiatoria pro peccatis noſtris, quamuis non ſine cruce et Sanguinis fuſione, non tamen reuera in ipſa cruce ſanguinisque fuſione, ſed mox in coelo, Chriſto illuc ingreſſo peracta eſt.*“

Tertiae operis recenſiti editioni, index locorum S. Scripturae explicatorum, vel ex parte illuſtratorum adiectus eſt, ad cuius finem notatur, numeros paginarum, ex editione ſecunda, in qua hoc opuſculum aliis fuerat adnexum,

nexum, in hanc errore quodam irrepſiſſe. Secundae editioni, quae a littera C. plagulas numerat, a p. 95—133. SOCINUS ad ea reſponſionem quandam vel duplicam adtexuit, quae Orthodoxi, ad dubia vel argumenta Antitrinitariorum regerere ſolent. Subſcripſit breuem praefationem, *nomine fratrum in Polonia, de vno vero Deo vnoque Dei filio, conſentientium.*

VI. *Aſſertiones Theologicae de trino et vno Deo, aduerſus nouos Samoſatenicos, ex praelectionibus Collegii Posnanienſis* (circiter 1581.) *excerptae, vna cum animaduerſionibus* FAUSTI SOCINI *Senenſis, quae plenae reſponſionis loco eſſe poſſunt. Editio ſecunda, Racouiae typis Seb. Stern.* 1611. 8. *Editio tertia*, eodem loco 1618. 8 pl. 5 pagg. 104. a pag. 29—133. Primum in lucem emiſſae ſunt aſſertiones iſtae cum *Fauſti* animaduerſionibus, anno 1583. 8. teſte *Sandio* p. 70. In *ſecunda* et *tertia* editione paginae incipiunt a numero 29. qua pagina in prima editione opuſculum hoc poſt aliud impreſſum incepit. Secundae editioni praefixus eſt *Tractatus de Deo, Chriſto et Spiritu F. Socini Senenſis Racouiae typis Seb. Stern.* 1611. 8. pagg. 23. quem inter ſcripta didactica N. XXII. recenſui. Hunc libellum, qui ex plagulis a et b. paginas 23. occupat, excipit pagina vacua et hanc titulus et breuis praefatio libri, quem recenſeo, quae capit paginas 4. ita vt libri tractatio incipiat a pagina 29. Incompleta pariter et erronea *Sandii* de hoc opere deſcriptio, p. 76. argumento eſt, quod ipſe illud non viderit: diuerſas interim has eſſe editiones, plagularum ſignatura euincit. Plura de hoc ſcripto, cui HIER. MOSCOROVIUS praefationem praemiſit, paulo infra circa defenſionem eiusdem, N. IX. Antiquiorem aſſertionum Posnanienſium refutationem ſub ZAKRZEVIO notaui, in B. A. P. II. p. 1039.

VII. *De vnigeniti Filii Dei exiſtentia inter* ERASMUM JOANNIS *et* FAUSTUM SOCINUM *diſputatio, a Socino*

iam ante decennium ex ipsius Erasmi scripto et sua ad illud responsione composita et conscripta: nunc tamen primum typis excusa. Gal. IV. 8. *vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege a. 1595. mense Junio,* 8. pagg. 13. seu pagg. 191 et 14 praef. quae HIER. MOSCOROVIO, qui paulo ante ad Socinianorum transierat partes, die 16. m. *Jun.* 1595. a F. S. scripta. Impressum esse librum *Racouiae*, ipsam vero disputationem iam die 30. *Nov.* a. 1584. fuisse absolutam, in fine libri p. 187. indicatur. Editionis allegatae etiam meminit Jo. GEORG. TICKLERUS *in haereticorum nouor. Photinianorum postulatis*, XII. p. 97. Ad manus quoque mihi est *secunda* libri *editio*, *Racouiae* typis *Seb. Stern.* a. 1626. quae et *Sandio* et auctori Bibl. Hal. T. VI. p. 486. incognita fuit.

Erasmus Joannis (B. A. P. I. p. 419.) *Arii* errorem, aduersus Socinianos perpetuo propugnauit, nec vnquam sententiam mutauit, quamquam hanc refutationem viderit, quae ipso adhuc viuo in lucem prodiit. Ita vero *Socinus* in praef. de hoc certamine ac occasione editi scripti inquit: „*Anni circiter sunt vndecim, cum* ERASM. *ipse Joannis vir eruditus, et in litteris haud mediocriter exercitatus, qui nunc Claudiopolitanae Ecclesiae in Transsyluania est pastor, Cracouiam primum, vt arbitror, veniens, a nostris hominibus petiit, vt sibi liceret coram ipsis explicare argumenta quaedam, quibus a sententia nostra de nullo re ipsa, ante hominem Jesum Nazaraenum ex Maria virgine natum, vnigenito Dei filio, amplectenda absterreretur, et in sua huic plane contraria retinenda confirmaretur, licet alioqui nobiscum, de vno tantum Deo, Domini nostri J. C. Patre consentiret; atque vt simul quae a nobis ad ista argumenta responderentur, audire posset, eaque quatenus opus esse sibi videretur, refellere. Annuerunt fratres; et ex ipsius* ERASMI *voluntate, vni ex ipsorum numero nominatim prouinciam ad eius argumenta coram aliis,*

aliis, qui adfuturi erant respondendi (*Erasmus* proinde Opponentis vicibus functus est,) *demandarunt. Is autem vnus ipse fui. Itaque biduo amanter et placide disputauimus, me singulatim atque ordine ad omnia, quae* ERASMUS *afferrebat, respondente: tametsi meae responsiones* ERASMO *nequaquam probari poterant. Haud ita multo post, cum* ERASMUS *Cracouiae adhuc haereret, ego vero tunc temporis ruri habitarem, missum est ad me, vel ab ipso* ERASMO, *(nam non satis memini) vel certo ipso* ERASMO *id curante, eius scriptum, in quo nostrae disputationis capita se complexum fuisse, profitebatur. Quo perlecto, cum animaduertissem, non solum, (quod ipsemet ingenue ad finem ipsius scripti fatebatur) multa, quae a me dicta fuerant, ab* ERASMO *omissa fuisse; sed etiam nonnulla ex iis, quae non omiserat, parum recte exposita, et simul postmodum resciuissem,* ERASMUM *aliquot exempla istius sui scripti ad varios in variis locis degentes amicos suos misisse; decreui, scripto similiter ea omnia refellere, quae ipse* ERASMUS *se dicentem in suo scripto faciebat. Quod etiam breui perfeci, et scriptum meum ad amplissimum virum* ANDR. DUDITHIUM, *multiplici ac varia eruditione insignem et vtriusque nostrum amantissimum, misi, rogans, vt eo accurate perlecto, illud quamprimum ad ipsum* ERASMUM JOHANNIS, *qui iam Cracouia alio discesserat, transmittere vellet. Id quod, licet non tam cito, vt voluissem, ab ipso tamen factum fuisse, postea certo agnoui. Ad hoc scriptum meum nihil vnquam, quod sciam,* ERASMUS *respondit: Tantum, (vt quidem audiui) professus est, se, eo lecto, multo magis in sua sententia confirmatum fuisse. Ex quo summum me desiderium cepit, hanc nostram disputationem in lucem emittendi* etc."

Primum ad quinque rationes praeliminares ab ER. JO. expositas respondet, easque refutandas aggreditur. Sunt autem istae: 1) Non parum maiestati Dei decedere, dum eiusmodi ei opponitur mediator, qui sit purus

homo. 2) Non parum detrahitur Christo, eiusque dignitati, si merus homo habeatur, in quo nihil sit essentiale, quod in alio quouis homine non reperiatur, et si per eum opera solummodo redemtionis peragantur. 3) Extenuari hac sententia beneficium redemtionis, vtpote quod per hominem effici potuerit. 4) Elogia magnificentissima, quibus Scriptura insignit Christum, longe esse augustiora, quam vt cadere possint in hominem. 5) Contrarium non defendi potest, nisi plurima Scripturae dicta violenter torqueantur, et quasi per vim alio trahantur. Deinde 14 argumenta *Erasmi Joannis* a *Socino* diluuntur. In fine ad replendas pagellas vacuas p. 188 — 191, ad quaestionem *Eras. J. de personalitate et relatione Spiritus S. ad Christum*, *Socinus* respondet. V. *Reimannus* p. 655. *Fabricius* P. II. p. 63. B. A. P. II. p. 423. N. 6.

IIX. *Fausti Socini Senensis responsio ad libellum* Jacobi Wuieki, *Jesuitae, polonice editum, de diuinitate Filii Dei et Spiritus S. vbi eadem opera refellitur, quicquid* Rob. Bellarminus, *itidem Jesuita, disputationum suarum Tomo primo, secundae controuersiae generalis libro primo de eadem re scripsit. Ante hac suppresso auctoris nomine publicata, et nunc denuo in lucem edita. Ephes.* 4. 6. *Vnus Deus et Pater omnium* 1. *Joh.* 4. 3. *ex Graeco: Omnis Spiritus, qui non confitetur Jesum Christum, qui in carne venit, ex Deo non est. Typis Sternacianis*, a. 1624. 8. pagg. 467. et postfaminis ad lectorem 5, indic. 16. Elaborata est responsio a. 1592. quo d. 6. *Sept. Socinus* praefationem libri notauit. In fine responsionis testatur, quod eamdem cum inter varias curas, tum maxime corporis perpetuas afflictiones perfecerit. Prima libri editio latina, quae vt titulus illius indicat, suppresso nomine auctoris prodiit 1595. in 8. sine loci commemoratione, *Racouiae* tamen sub allegato titulo; versio autem polonica a *Petro Statorio* Jun. adornata a. 1592. iam

iam lucem vidit, adeoque triennio ante ſcriptum autenticum comparuit publice. V. B. A. P. II. p. 925. N. 6. Prodiit quoque latine iterata vice 1597. 8. 1611. 8. et 1614. 8.

Jac. Wiekus, vel Wuieckus, natus in oppido maioris Poloniae Vagroueccnſi, hauſtis in Academia Cracouienſi Philoſophiae ſtudiis et Theologiae rudimentis, ad excolendum magis ingenium abiit in Germaniam et Italiam, rediitque ſacerdos, et ſocietatis Jeſu ordini adſcriptus. Fuit homileta celebris et diſputator acerrimus, trium peritus linguarum, eiusque exſtant *concionum tomi* II, *Apologia*, itemque *Biblia in Polonicum ſermonem* translata, cum notis, necnon *liber de diuinitate Chriſti et Sp.* S. quem Bellarmino *Placcius* in *Pſeudon* p. 618. tribuit. Obiit *Cracouiae* a. 1597. V. Starovolscius *de ſcriptoribus Polon.* p. 89. et *J. Fabricius* l. c. P. II. p. 76.

Occaſionem in lucem expoſiti operis, ita F. *Socinus* in praefatione pertexuit. „Cum primum libellus Jac. „Wuieki de diuinitate Filii Dei et Spiritus S. Polonica „lingua conſcriptus, ante biennium editus fuit, animus „erat, ſtatim illum ſcripto publice refutare, ſed multa „me hactenus, partim retardarunt, partim impedierunt. „Retardarunt quidem potiſſimum res duae. Vna, quod „ſcirem, fratres coetus noſtri iam diu paraſſe reſpon„ſionem ad Apologiam Gabrielis Eutropii Sadecii pro „theſibus de Trino et vno Deo collegii Posnanien: con„tra ipſorum fratrum animaduerſiones ante annos aliquot „editam, in qua reſponſione et ad pleraque reſpondetur „eorum, quae Wuiekus, ſeu potius Rob. Bellarminus „— — contra ſententiam noſtram ſcripſit, et ſimul non „pauca dicuntur, quae reſponſionem ad reliqua omnia „ſuppeditare queant. Altera, quod ſperarem, alium „quempiam ex coetu noſtro, me huic labori aptiorem, „ad libellum iſtum, quatenus opus foret, plene reſpon„ſurum. Impedierunt vero me vsque ad hunc diem,

„cum aliae neceſſariae occupationes meae, tum minus „firma valetudo, qua fere hoc tempore ſum vſus. Nec „fortaſſe vnquam hunc laborem ſuſcepiſſem, niſi in ſu„periore hyeme in Synodo quadam noſtra, publice ro„gatus fuiſſem, et tantum non iuſſus curare, ne VUIEKUS „diutius gloriari poſſet, ad iſtum ſuum libellum a nullo „ex noſtris hominibus plane reſcriptum fuiſſe. Ex eo „tempore id vnum maxime mihi cordi fuit, vt primum „meum conſilium iſtius libelli refutandi ſequerer." Decem capitibus abſoluitur opus. 1) Ea refelluntur, quae *Vuiekus* in ſua praefatione iis obiicit, contra quos potiſſimum ſcribit. p. 7. 2) Refelluntur, vel notantur et examinantur quaedam, quae in quatuor prioribus capitibus a *Vuieko* ſunt ſcripta p. 33. 3) Refelluntur argumenta ex V. et N. Teſtamento ſimul ducta p. 52. 4) Refutantur argumenta ex ſolo V. T. deſumpta p. 143. 5) Refelluntur argumenta ex ſolo nouo T. deducta p. 189. 6) Diluuntur argumenta ex nominibus veri Dei, quibus Chriſtus ſit appellatus p. 345. 7) Diluuntur argumenta ex proprietatibus ſiue attributis Dei ducta p. 384. 8) Diſſoluuntur argumenta ex diuinis operibus ducta p. 425. 9) Quantum neceſſe eſt refelluntur, quae ſeptima, octaua et nona argumentorum claſſe continentur p. 440. 10) Breuiter refelluntur omnia argumenta, pro perſonali Spiritus S. diuinitate ab aduerſariis allata, p. 453.

Wuiekus in opere ſuo, CZECHOVICII tract. polon. in *Cap.* I. Jo. (B. A. P. I. p. 226. N. 3.) ſub examen vocauerat; hac in parte BELLARMINI veſtigia premens, huiusque opera vſus. Quae ratio eſt, cur SOCINUS BELLARMINI nomen in libri ſui fronte adpoſuerit. In poſtſamine ad lectorem quaedam animaduerſiones in librum Polonicum MART. SMIGLECII, *de praeaeterna diuinitate Chriſti Filii Dei* occurrunt, in quo Jeſuita ad plurima reſpondet, quae in hac reſponſione ad VUIEKUM, polonice

nice ante edita in contrariam partem disputata erant. V. *Zeltnerus* l. c. p. 346. De polonica versione a *Petro Statorio* iuniore adornata ita *F. Socinus* BALCEROVICIO *Cracou.* 1592. d. 19. *Dec.* in Epp. p. 354. scribit: „*Diu est, ex quo responsionem aduersus libellum* VUIEKI *absolui, quam polonice vertendam habet apud se* STATORIUS *noster, nec credo adhuc totam vertit.*" In ep. ad ANDR. VOIDOVIUM d. 4. Maii 1595. in epp. p. 580. dolet ANTIVUIEKUM Polonicum a rudibus non intelligi. Cum enim nec ipsa Domina *Dudithia*, illum recte percipiat, (quod *Socino Voidouius* narrauerat) de aliis multo minus id sperandum esse, colligit. De editione latina a. 1595. in ep. ad CHRISTOPH. MORSTINIUM *Crac.* 1595. die 3. *Febr.* inquit: „*Latinus Antivuiekus est adhuc sub prelo;*" in ep. vero ad ANDR. VOIDOVIUM d. 4. *Maii* 1595. in *Epp.* p. 580: *Habebitis vt spero, Lublini Antivuiekum latinum.*" Ex ep. F. *S.* ad *Balcerov.* d. 20. *Maii* 1594. patet: publicis sumptibus librum esse impressum.

Permagni familiae Socinianae addicti, foetum hunc *Socini* aestimarunt, qui quoque caussae ipsorum multum praesidii praestitit. V. *Zeltnerus* l. c. p. 347. not. (b) *Placcius*, Anon. N. 632. (αα) p. 76 et Pseudon. N. 2901. p. 618. Refutationem eius inter alios susceperunt 1) PAUL. TARNOVIUS peculiari opere *De SS. Trinitate, liber vnus, oppositus F. Socini Refutationi* etc. *Rostochii* 1625. 4. V. *Ruari Epp. Cent.* 1. ep. 42. cui *Socini* liber totus est insertus. 2) JO. JUNIUS, Pastor Eccl. Syluaeduc. in *examine Responsionis* F. SOCINI *ad librum* WUIEKI, *de diuinitate Filii Dei et Sp. S. Amstelod.* 1628. 8. 3) MARTINUS SMIGLECIUS, de quo *Socinus* ad *Eliam Arcissewium*, d. 15. *Febr.* a. 1595. in Epp. p. 409. scribit: Prodiit Jesuitae *Smiglecii*, qui cum *Licinio* disputauit, liber de aeterna Filii Dei diuinitate, in quo respondetur ad bonam partem eorum, quae a me scripta sunt in *Antiwuieko*, et etiam in disputatione aduersus *Volanum*. Cre-

 do,

do, me refponfurum, Deo bene iuuante. Nam fatis acutus homo eft, et fophismatis non vnicuique apertis, vndique refertus.

IX. *Defenfio animaduerfionum Faufti Socini Senenfis, in affertiones theologicas, Collegii Posnanienfis de trino et vno Deo, aduerfus* Gabrielem Eutropium, *Canonicum Posnanienfem ab eodem Faufto Socino confcripta. Racov. typis Seb. Stern. a. c. 1618. 8. pagg. 462. 27. praef. et indic.* Quamuis, vt in fine libri notatur, paucula quaedam auctoris defiderentur; reliqua vero prorfus non abfoluerit, cum ante perfectam libri elaborationem mortuus fuerit; attamen in praef. fcripta d. 20. *Maii* 1618. maximis illum encomiis Moscorovius commendat. Ita enim inquit: „*Opus, in quo* Socini *ingenium, iudicium, eruditionem et fingularem in difputando dexteritatem, atque fummum in modo cum aduerfariis agendi candorem, fpectare et intueri poteris. Etfi autem viri huius isfcriptorum genius fit, vt in fingulis fpectare haec poffis, tamen in hoc opere fe ipfum quodammodo* Socinus *fuperaffe videri queat. Cuius etiam de hoc ipfo opere iudicium reticendum minime videbatur. Etenim facta quondam, et fuperftite, eius operis mentione, modeftiffime, qui mos viri fuit, dixit: nullum effe in operibus fuis, quod minus fibi difpliceat.*" Quantam de eodem Socinus fpem conceperit, ex eius ep. ad *Val. Smalcium*, d. 16. *Apr.* a. 1600. fcripta colligitur. Ita vero in Epp. p. 550. „*De verbo Dei non fcripto, quod apud fe effe Pontificii tantopere iactitant, aliquid nominatim fcripturus eram in defenfione animaduerfionum in thefes collegii Posnanienfis. Quod opus, fi Deus dederit, vt aliquando abfoluere poffim, habebis, et tu et alii, quicquid magis egregii a me in hoc genere proficifci poteft.*"

Ex ep. auctoris ad *fynodum Wengrouienfem*, in Epp. p. 672. feqq. patet, quod Vnitarii Cracouienfes et Lublinenfes eum monuerint, vt *Apologiae pro affertionibus colle-*

collegii Posnaniensis, contra animaduersiones in easdem, totius coetus nomine responderet; ad quod negotium ab aliis quoque excitatus. Excusat vero ipsum, quod opus hoc ante Synodum non absoluerit, quia graui morbo dies quinquaginta atque eo amplius ita conflictatus fuerit, vt toto hoc tempore nihil prorsus commentari potuerit. Quod si fortasse Synodus, totusque coetus non admodum probet, vt Apologiae illi respondeat, id sibi vel per litteras, vel per aliquem ex fratribus, vt significent, rogat, ne frustra laboret; quamquam animum plane habeat, quicquid ipsi significauerit, ipsum opus aliquando absoluere, quippe in quod multa coniecerit et coniecturus sit, quae si non aliis, sibi ipsi vsui futura sperat. His sequentia addit: „*Liber erit, ni fallor, tantae magnitudinis, quantae liber aduersus* Palaeologum. *Quamuis enim Apologia illa multo breuiore responsione refelli possit, tamen satius esse iudicaui, vna cum euidente sophismatum et fallaciarum Aduersarii patefactione, rationes et testimonia ab ipso contra nos allata, ac praeterea, quicquid in hoc genere inter nos et ipsum controuersum est, paullo diligentius examinare atque excutere; et hac ratione nos semel, etiamsi posthac saepius Aduersarii nos impetant, respondendi molestia liberare.*" A. 1585. d. 17. Mart. ex *Paulicouia* ad Math. Radecium scribit: „*Imperfectionem et confusionem aliquam huius responsionis meae, scriptioni pro animaduersionibus nostris contra Posnanienses, in qua totus nunc sum et esse debeo, potissimum tribue atque imputa.*" V. *Fabricius* P. II. p. 63.

X. *De Jesu Christi inuocatione disputatio, quam* Faustus Socinus *Senensis per scripta habuit cum* Franc. Davidis, *a. 1578. et 1579. paulo ante ipsius Francisci obitum: in qua habetur responsio ad defensionem Franc. Dauidis suarum thesium de Jesu Christo non inuocando, antehac non edita. Praefixa est toti operi epistola Socini, qua et tarditatem suae huius edendae responsionis excusat, et* calum-

calumnias aduersum se, quibus scriptum, quod sub nomine Fratrum Transyluanorum ad N. N. iam diu editum fuit, eiusque quoddam quasi praemium respersum est, accurate refellit; Joh. 14. 15. Jesus Christus ait: Si quid petieritis in nomine meo, ego faciam. Typis Val. Radekii. A. 1595. sine loci indicio, 8. pagg. 275. et 22. dedicat. Falso SANDIUS l. c. p. 69. typographum perhibet ALEX. RODECIUM. Ad librum typis describendum sumtus suppeditauit Jo. KISZKA a *Czechanoviec, Generalis Samogitiae Praeses,* a *Socino* hanc ob rem enixe rogatus, quod *Matth. Radecio* nuntiat, in Epp. p. 143. Eiusdem libri secunda editio prodiit *Rac.* typis *Seb. Stern.* 1626. 8. quae nec *Sandio* p. 69. nec auctori Bibl. Hal. T. VI. p. 488. cognita fuit.

Quamuis *Socinus* eiusque affeclae DAVIDI, FRANCKENIO, PALAEOLOGO, GLIRIO, aliisque diuinum inuocationis cultum Christo denegantibus semet opposuerint, eosque vtpote iudaizantes improbauerint, hi tamen errori suscepto de negata J. C. aeterna diuinitate, multo conuenientius sensisse videntur, cum SOCINUS statuto Seruatori tanquam mero homini diuino honore, idololatriae criminationem a coetu suo nequaquam auertere possit. Vix alio modo *Franc. Dau.* a suo aduersario solide refutari potuit, nisi is communi errore deposito, id adfirmare susceperit, quod cum Antagonista adhuc negauerat, Christum aequalem cum Patre esse Deum. Hoc qui negat, saniorem tenet opinionem, qui ipsi honorem diuinum denegandum credit, quam qui merum hominem inuocandum statuit. Hinc quoque *Socinus*, licet summo feruore aduersus *Franciscum Dauidis* pugnauerit, vel speciem infensissimi certaminis prae se tulerit; tamen aduersarii sui sententiam minoris momenti, et non adeo nociuam iudicauit, imo sibi et aliis persuasit, minus ad salutem aeternam esse necessarium, Christum inuocare, eosque, quod firmiore fide gaudeant, testari, qui eodem neglec-

neglecto et non in auxilium vocato, Deum Patrem immediate et solum, absque vllo alio interueniente, inuocarent; quod in Responsione ad *Wuiekum* p. 538. expresse statuit, quae ipsius verba alio loco exscripsi. Ex omnibus certo colligere puto, *Socinum*, non ad tuendum Christi honorem, et serio, sed ex caussis politicis et ad fucum faciendum hanc cum Judaizantibus iniisse pugnam, ne maiorem inimicorum numerum aduersus se, et sectam suam excitaret, si *Dauidis* opinionem vltro admitteret, ipsique suffragium suum adferret, cum alio respectu inter certantes de hoc argumento, conciliatio admodum facilis vnicuique videri debeat. Ex *Socini* sententia nemo tenetur inuocare Christum, sed tantum iure omnino id facere potest; veluti si in coetu, in quo praesens fuerit, Christus publice inuocetur, vt non raro fieri contingit; vel si spiritus ipsi suggesserit, vt id faciat; quae ipsius verba, fanaticismum spirantia occurrunt in breui alloquio ad lectores, cui post dedicationem locum dedit.

Librum per epistolam adscripsit *omnibus verbi Dei ministris, qui in Transyluania, vnum illum Deum Patrem tantum Domini nostri J. C. esse, docent ac profitentur.* In eadem haud pauca exponit, quae ad notitiam huius controuersiae inter Antitrinitarios recentiores, multa cum aemulatione agitatae, conferunt. Ita inquit: „Quo„niam nihil dubito, quin vobis mirum admodum videa„tur, quod per quindecim circiter annorum spatium, ex „quo primum edita est confutatio responsionis meae ad „theses Franc. Davidis, de non inuocando Christo, ab „eodem Francisco conscripta" (V. B. A. P. I. p. 240. N. „2. 3.) „vna cum confutatione iudicii ecclesiarum Poloni„carum de hac controuersia, et cum narratione rerum „eiusdem controuersiae caussa in Transyluania gestarum: „nihil neque a me, neque ab vllo alio publice editum „fuerit, quo vel totus, vel pars saltem istius libri refella„tur,

„tur, viſum eſt mihi, vobis ipſis quorum gratia potiſ„ſimum reſponſio mea ad iſtud Dauidianum ſcriptum, „nunc aliquando tandem in lucem emittitur, huius rei, „quatenus praeſertim ad me pertinet, rationem reddere. „— — — Scire igitur in primis vos velim — — me „anno Chriſti 1579. aliquanto ante iudicium Albae Ju„liae habitum, de Francisco Davidis, ad quod litteris „ipſius Principis Claudiopoli fueram euocatus, amicis ro„gantibus ac monentibus reſponſionem hanc, quae nunc „primum editur, conſcripſiſſe, et mecum Albam Juliam „attuliſſe, vt ea praeſto eſſet, ſi, quemadmodum futu„rum fama erat, fuiſſent, qui eam ſibi oſtendi, omnino „vellent. Quam quidem reſponſionem paucis omnino „diebus abſolui. — — — Jam vero de Franc. Davi„dis cauſſa iudicio pacto, quamuis eius aſſeclae fere om„nes, ſententiam de Chriſto non inuocando ſe abiicere „palam profeſſi fuiſſent; tamen cognitum eſt poſtea, id „non ex animo ab ipſis factum eſſe. Quo circa putaui, „breuiorem hanc ad ipſius Francisci ſcriptum reſpon„ſionem meam alicui vſui plane futuram, et id circo il„lam fratribus tradidi, vt ea pro arbitratu ſuo vteren„tur ad Chriſti maieſtatem aſſerendam, meisque labori„bus et vigiliis fruerentur. — — — Quod ſi illam typis „mandare vellent, eius quoque rei ipſis nominatim poteſta„tem faciebam. Idem atque adeo multo diligentius repetii, „cum mihi ex Tranſyluania ob morbum illum iſtuc fer„me epidemicum, quem Colicam vulgo vocant, omni„no diſcedendum fuit, addens, vt ſi hos meos quales„cunque labores publice edendos cenſuiſſent, liberum „per me ipſis erat, addere, minuere, mutare, quidquid „eis placuiſſet, modo ne nomen meum in iſto opere ap„pareret, ſi quid, me prius non conſulto, aliter atque a „me ſcriptum fuiſſet, in eo legendum ſtatuiſſent. At ve„ro, poſtquam anno proximo liber Palaeologi“ (confutatio iudicii Polonicarum eccleſiarum v. B. A. P. I. p. 240. N. 4. et P. II. p. 886. N. 5.) „Glirii et Davidis, „Franc.

„FRANC. DAVIDI filii opere et cura editus eſt; coepi ve-
„hementer cupere et per litteras D. GE. BLANDRATAM ro-
„gare, monere, atque adeo vrgere, vt aliquid libro iſti
„opponeretur. Sed nihil unquam efficere, aut impetra-
„re potui. — — — — Conuerti me tandem ad fra-
„tres Polonos, inter quos iam diu habitabam, illisque
„perſuaſi recte futurum, ſi Jeſu Chriſti inuocatio ab im-
„pugnationibus FRANC. DAVIDIS defenderetur; idque
„edita mea reſponſione ad illius pro ſuis theſibus defen-
„ſionem. Verum, vbi in reſponſione mea ſcriptum eſſe
„reſciuerunt, nullum exſtare expreſſum in ſacris litteris
„praeceptum de Chriſto inuocando — — — — non
„pauci ex ipſis — — non mediocriter ſunt offenſi —
„— — et vt ipſi hanc reſponſionem meam excudendam
„curarent, nunquam adduci potuerunt. — — — —
„Interim non deerant alii fratres et praeſentes et abſen-
„tes, qui a me editionem huiusce reſponſionis meae fla-
„gitarent, nec ſine infirmorum ſcandalo et meae famae
„nota eam diutius premi poſſe, affirmarent. Itaque
„tandem ſumptibus mihi ab homine pio et liberali be-
„nigniſſime ſuppeditatis, integram meam cum FRANC. DA-
„VIDIS de Chriſti inuocatione diſputationem ſub prelum
„dedi, etc."

Scripta eſt haec ep., qua SOCINUS longam cauſſae ſuae defenſionem, in negotio cum FRANC. DAVIDIS egit, *Crac.* d. 14. *Jul.* 1595. Cum hac diſputatione, ipſo monente in Epp. ad amicos p. 143. conferri debet diſputatio contra *Chriſtianum Francken* de eodem argumento. N. XI.) Ex iisdem epiſtolis patet, quid auctoris amici de hoc ſchediasmate exiſtimarint. Quid in eo ſpeciatim deſiderauerit *Niemoieuius*, p. 198. *Jo. Volkelius* p. 481. *Andreas Voidouius*, p. 578. legitur.

In hoc certamine auctor diſcrimen fecit inter *adorare* et *inuocare*. In ep. ad *Niemoieuium* inquit: „*Adorat is, qui corpus aut animum alicui reuerenter inclinat*, *et*

coram

coram eo venerabundus procumbit, etiamsi nihil ab eo petat; INVOCAT *autem is, qui in necessitate constitutus, aut aliquid percupiens confidenter alienam opem et benignitatem implorat.*" *Adorationem* Christo neutiquam esse denegandam statuit, quia secundum S. Scripturam angelis adeo eiusmodi cultus exhibeatur, quidni Christo. *Inuocationem* vero Christo in vniuscuiusque arbitrio positam esse. Posse Christum inuocari, quatenus pro nobis apud Patrem intercedat, non tamen hoc esse legis, et necessitatis; nec hunc honorem Christo proxime exhiberi, sed Patri potius; quemadmodum qui per Ministrum Regis, libellum supplicem exhibet, non a Ministro proxime, sed vltimato a Rege sibi aliquid exorat. Magnam statuendam esse differentiam inter honorem Deo debitum, et Christo praestandum. Pater semper et necessario inuocandus, Christum inuocare, si libet, licet.

Jam ante hanc de J. C. inuocatione disputationem a F. *Socino* aduersus *Franc. Dau.* in eadem caussa quaedam concinnata esse scripta, ex hac ipsa recensione patet. Iu hoc numero fuerunt: 1) *Responsio* (prior) *ad theses* II. FRANCISCI *Dav. de non inuocando Christo;* quam allegat auctor in ep. ad *Christoph. Morstinium* 1595. d. 3. *Febr.* qua libellos suos typis adhuc exscriptos recenset. *Theses* 2. *Dauidis* leguntur apud *Fabricium* l. c. P. II. p. 64. Ad responsionem *Socini* insequuta est *Franc. Dauidis* defensio, quam in B. A. P. I. p. 240. N. 4. allegaui 2) *Responsio* (posterior) *ad theses* IV. FRANC. DAVIDIS, *scripta* a. 1578. vel 1579. quae inserta est operi sub FR. DAV. in B. A. P. I. p. 240. N. 4. recensito, et reiterata in hac ipsa F. *Socini* aduersus *Franc. Dau. disputatione*; in qua praeterea duo haec scripta comparent, nimirum: 1) F. SOCINI responsio ad GE. BLANDRATAE obiectiones. V. B. A. P. I. p. 57. N. 8. 2) *Responsio ad* FRANCISCI DAV. *confutationem responsionis Faustinae.* V. B. A. P. I. p. 240. N. 3.

XI. *Di-*

XI. *Disputatio de adoratione Christi habita inter* Faustum Socinum *et* Christianum Francken, *nec non fragmenta responsionis fusioris, quam* F. Socinus *parabat ad* Franc. Dauidis *de Christo non inuocando scriptum: aliaque nonnulla ad hoc argumentum pertinentia. Racov. typis. Seb. Stern.* a. *1618. 8. pagg.* 245. Excipit hunc libri titulum specialis index sicque in hoc opere comparet: 1, p. 3. *Disputatio inter F. S. et Chr. Francken de honore Christi, id est, vtrum Christus cum ipse perfectissima ratione Deus non sit, religiosa tamen adoratione colendus sit, nec ne, habita d. 14. Martii a. 1584. in aula* Christophori Paulicovii *(Morstinii). Sed quae ab ipso Francken descripta fuit, prout illi visum est, non autem, vt vere fuit habita.* V. B. A. P. I. p. 363. N. 4. Fassus enim ipse est *Chmielniciae* coram Ge. Schomanno, Sim. Ronembergio, et aliis, se in ea describenda non tam spectasse, quid Socinus dixerit, quam quid suis principiis consentaneum dicere debuerit. Additae sunt notae non paucae et responsiones ad ea, quae *Franckenius* dicit, nec non correctiones quaedam eorum, quae Socinum dicentem facit. 2) p. 56. exhibentur sex capita fragmentorum responsionis fusioris, quam F. S. parabat ad Franc. Dauidis de Christo non inuocando scriptum; reliqua periisse, in fine p. 60. notatur. Fragmentis haec praefatiuncula praemissa est: „*Vt et mihi, et tibi, et lectoribus denique omnibus planior et commodior haec mea responsio, totaque ipsa nostra disputatio reddatur, visum est, clarissime D.* Francisce *vniuersum scriptum tuum in quaedam capita partiri, eaque numeris praenotare, atque eadem singulatim ex ordine examinare, ita vt nihil, quod vel responsione, vel animaduersione dignum visum fuerit, quatenus per tenues ingenii mei vires fieri poterit, intactum relinquatur. Vniuscuiusque autem capitis finis ex sequentis initio patebit.* 3) p. 160. legitur *fragmentum animaduersionum* F. Socini, *in scriptum cuiusdam de differentia veteris*

et noui Foederis, opus imperfectum, in quo caetera desiderantur, quod scriptum saepius lucem vidit: 4) p. 168. *Quaestiones nonnullae* FRANC. DAUIDIS, *et ad eas* F. SOCINI *responsio.* Opus incompletum, in cuius fine, *reliqua non absoluisse auctorem*, notatur. 5) p. 168. *Antitheses ex disputatione de inuocatione Christi, inter* F. SOCINUM *Senensem et* FRANC. DAUIDIS *habita, ab ipso* SOCINO *collectae.* Vna pagina exhibet *Fr. Dau.* theses, altera e regione *F. Socini* Antitheses. 6) p. 183. *Theses, quibus* FRANC. DAUIDIS *sententia de Christi munere explicatur, vna cum Antithesibus Ecclesiae a* F. SOCINO *conscriptis, et Illustrissimo Transyluaniae Principi* CHRISTOPH. BATHORAEO oblatis. In altera pagina theses *Fr. Dau.* in altera Antitheses ecclesiae leguntur. De thes. XVI. *Franc. Dau.* V. B. A. P. I. p. 241. N. 7. et *Saligius* l. c. p. 880. 7) p. 193. Quaedam in disputatione de inuocatione Christi praecipue obseruanda. In fine haec leguntur: *Sic plane sentio ego* F. SOCINUS, *paratus semper sententiam meam abiicere, vbi meliora et veriora doctus fuero.* 8) p. 195. *De libro Apocalypseos*, et testimoniis, quae exinde aduersus eos, qui Jesu Christi inuocationem prorsus negant, petuntur. 9) p. 197. Aduersus *semijudaizantes* scriptum *F. Socini.* De *semijudaizantibus* inter Antitrinitarios longa est in *actis synod. Msscc.* narratio, quam in *hist. Socin. Polon.* expositurus sum. Appellantur quoque *Dauidiani* et *Budnaeani*, a sectae huius Principibus. V. CALOVIUS *de Socinianae Theologiae prima origine* §. 159. et §. 227. p. 69 et 105. ZELTNERUS l. c. p. 335. not. (6) Huic factioni adscripti erant JAC. PALAEOLOGUS, CHRISTIAN. FRANCKEN, JO. SOMMERUS, MART. SEIDELIUS aliique. Ab his diversi erant *Farroviani.* V. MOSHEMIUS in institut. hist. christ. recent. p. 314. 335. et 338.

10) p. 209. MARTINI SEIDELII *epistolae ad coetum olim Cracouiensem, dictum minorem, qui Patrem Domini nostri Jesu Christi esse illum vnum Deum Israelis confite-*

ſtetur, cuius nomine F. SOCINUS eidem SEIDELIO reſpondit. Sunt autem epiſtolae tres, totidemque reſponſiones F. SOCINI. V. B. A. P. II. p. 831. N. 1.

Exhibetur igitur hoc volumine diſputationum variarum faſciculus, quarum quaedam iterum impreſſae leguntur in Syntagmate, cujus antea mentionem feci quodque hunc prae ſe fert titulum: *Fauſti Socini miſcellanea: hoc eſt, ſcripta Theologica, ſeu tractatus breues de diuerſis materiis, quorum ſeriem ſequens pagina monſtrat. Racoviae, typis Seb. Stern.* a. 1611. 8. *pagg.* 293. In hoc opere ſequentes occurrunt tractatus, maxima ex parte ſeparatim editi, vel alii *Socini* libris inſerti. 1) p. 3. aduerſus *Semijudaizantes*, qui videlicet, cum non ſint hebraei, Jeſum tamen Nazarenum negant eſſe Meſſiam, ſiue Regem, qui per Prophetas a Deo promiſſus fuerit. 2) p. 14. *Epiſtolae* tres MART. SEIDELII de *Meſſia*, et ad eas F. S. reſponſio. 3) p. 50. *Contra Chiliaſtas, de regno Chriſti terreno per annos mille.* Exſtat ſcriptum hoc inter epiſtolas F. S. p. 115. 4) p. 74. *Diſputatio breuiſſima de Chriſti carne aduerſus Mennonitas.* Scripti huius SOCINUS meminit MATH. RADECIO in Epp. p. 96. „*Negas praeterea, Chriſtum ex Adamo prognatum fuiſſe, id quod verum eſſe nequit, niſi velis eum de matris ſuae ſubſtantia nihil accepiſſe, quam ſententiam ego propter multa laudare non poſſum, ſed potius vituperare cogor; quorum quaedam attigi in breuiſſimo quodam ſcripto, quo* JUSTO *illi, ſiue* JODOCO *de* PREES (*Pres* et Prez. B. *A.* P. II. p. 647.) *aliquando dandum curaui, vbi ipſius rogatu tres rationes, quibus potiſſimum ſententia iſta nititur, refellere ſum conatus.*" 5) p. 85. *Ad objectiones* CUTTENI reſponſio. Habetur quoque in tractatuum collectione, edita *Racoviae* 1618. p. 79. 6) p. 94. Jo. NIEMOJEUII epiſtolae duae de ſacrificio et inuocatione Chriſti, et ad eas F. SOCINI reſponſio; quae epiſtolis ad amicos p. 196. inſertae ſunt. 7) p. 224.

De Ecclesia et inuocatione Christi ex *epp.* F. Socini ad quendam. Sub hoc numero sequentia comparent: a) p. 224. Ex epp. F. S. ad quendam (*Matth. Radecium*) de Ecclesia; exstat in Epp. F. S. p. 79. b) p. 238. De externa Christi Ecclesia erigenda seu instauranda. Idem iam legitur in ep. 3. ad *Math. Radecium* in Epp. p. 112 seqq. c) p. 267. *De inuocatione Christi*; legitur in eadem ep. 3. ad eundem, in Epp. p. 143.

Simon Episcopius Opp. P. II. p. 53. *Faustum Socinum* respectu polemicorum scriptorum praeclare laudat, quod punctim disputet; largiatur aduersario, quicquid potest, sine veritatis et caussae praeiudicio; vbi premendus est, ibi pedem figat, et conscientiam vrgeat; scripturis potius, quam hypothesibus pugnet, et rationibus, non praeiudiciis. Ipse Socinus modico pretio haec sua aestimat scripta in ep. ad quendam virum excell. in Epp. p. 669. „*Nolo te ignorare plerasque disputationes meas, quarum quaedam non sunt editae, scriptas a me fuisse, cum nondum dialecticae arti vllam operam dedissem, vt posthac non mireris, si in meis scriptis multa deprehenderis minus recte tradita et conclusa.*" Ad obiectionem, quam sibi format: Cur igitur tam male ad scribendum instructus scripserit? respondet, quod vel iussu eorum, quibus parendum erat, vel aduersariorum prouocatione ad scribendum compulsus fuerit.

De scriptis in specie ineditis, iisque non perfectis, quale est aduersus Eutropium *Val. Smalcio* in Epp. p. 518. notauit, minime statuendum esse, se omnia, quae illic sunt, penitus probare. Imo ex editis libris sibi haud pauca adfingi, quae ipsi non in mentem venerint, aliquando conqueritur; praesertim in ep. ad *Mart. Vadovitam* in Epp. p. 597. pro calumniis manifestissimis declarat, quod aduersarii suis verbis saepe affingant, quae ipse non modo non cogitauerit vnquam; sed in illis iisdem disputationibus suis in lucem editis falsissima

esse,

eſſe, dicit. Quod exemplo quodam his verbis comprobat. „*Non puduit quosdam aſſeuerare, me in diſputatione de Jeſu Chriſto Seruatore, ipſum Chriſtum peccatorem facere, cum tamen in eodem ipſo eius diſputationis capite, ex cujus verbis, neſcio quo pacto, turpiſſimam et grauiſſimam hanc calumniam iſti mihi ſtruxerunt, in ipſius capitis initio p. 184. diſertiſſime pro conceſſo ſumam, iſtam eſſe ſummam blasphemiam, quam ne per ſomnium quidem mihi in mentem venire optem.*“

Plura ſane *Socinus* conſarcinauit ſcripta, quae edita fortaſſis nunquam ſunt. In ep. ad. Jo. Volkelium data d. 3. *Apr.* 1593 mentionem facit breuis ſcripti ſui *de miſſione miniſtrorum coetus ſui*, quod rogante Euangelico miniſtro concinnauerit, idque a puero deſcriptum Volkelio miſerit. In ep. Val. Smalcio ſcripta a. 1597. d. 20. *Maji* in Epp. p. 517. commemorat ſcripti ſui aduerſus *Philip. Buccellae* M. D. *παράδοξον*; V. B. A. P. I. p. 79. Scriptum de coniugiis cum Pontificiis allegat in ep. ad *Smalcium* l. c. p. 524. quod abſolutum et deſcriptum huic transmittendum pollicetur. *Defenſionem* Voidovii aduerſus miniſtrum quendam gallum, *Msc.* commemorat in ep. *Val. Radecio*, a. 1603. d. 23. *Nov*- data. Scriptum eius contra Atheos periiſſe, ſupra iam notaui. In quodam exemplari operi Socini *de Jeſu Chriſto Seruatore*, anonymus quidam, cuius chirographum probabilitatem prae ſe fert, eum *Socini* aetati proxime vixiſſe, haec ipſi tribuit ſcripta: *Confeſſio fidei Chriſtianae. De ſcrupulis ipſi dictis. Notae in N. T. Quaeſtiones Theologicae. Farrago quaeſtionum theologicarum.* Quaedam ipſi quoque falſo ſunt vindicata. Sic liber, cui titulus: *Vana ſine viribus ira miniſtrorum Euangelicorum, ſeu refutatio vani euiusdam* Epichirematis *miſſionem miniſtrorum Euangelicorum propugnantis. Colon. apud* Anton. *Botzenum* 1610. 12. quem *Sandius* l. c. p. 78. allegatum inueniſſe tradit, ſine omni iure Socino adſcriptus eſt, qui potius a Mart. Smigle-

cio profectus. V. *Baylius*, Dict. Tit. *Smiglecius*. Controuersiae huic lucem adfundunt, quae sub *Val. Smalcio* B. A. P. II. p. 859. N. 22. recensita sunt.

Omnem coetus Antitrinitariorum in Polonia curam adhibuit, ne quidquam ex *Socini* scriptis post ipsius obitum periret, quod *Acta Synodalia* Mscta pluribus locis comprobant. Hinc 1626. *Ruaro* per decretum Synodi iniungebatur, vt quosdam *Socini* libros in linguam teutonicam transferendos curaret. De condendo syntagmate omnium *Socini* librorum Antitrinitarios Belgicos jam a. 1628. cogitasse, supra notavi. Cum autographa fragmentorum Laelii et Fausti in manus Sam. Przypcovii venissent, huic, testantibus *act. synod. Mspt.* a. 1629. demandatum est, vt eadem *Bibliothecae Racouianae publicae* insereret. Idem monitum a. 1630 in *Synodo Racoviana* reiteratum esse, in iisdem *actis* legimus. De imprimendis *Socini* operibus a. 1633. consilia sunt agitata, quae ex *actis Synodorum in Polonia habitarum* expositurus sum. *A.* 1652. in *consessu Czarcoviensi* statutum lego: Bibliothecas Jo. Crellii et Goslavii diligenter perquirendas esse, quo tandem Fragmenta Catechismi F. Socini in illis reperiantur.

Librorum ab ipso compositorum census, et quae carptim ex illis protuli, satis evincunt, vix vllum christianae religionis esse articulum, quem non armis ac erroribus suis euertere ausus fuerit. Haud pauca quidem et *Lutheranorum* et *Reformatorum Theologorum*, quaedam quoque *Pontificiorum* exstant scripta, quae titulum *Antisocinisticorum* prae se ferunt; sed in nullo vniuersum *Socini* systema toto ambitu enervatum et refutatum deprehendo, quod etiam vno opere vix fieri potuit. Qui vero aduersus istud in specie calamum strinxerunt, partim a me data occasione nominati sunt, partim maiori numero, alio loco allegandi.

Perso-

Perſonarum et rerum memorabilium index.

A.

Arnal-

C.

Cruciger,

D.

E.

F.

Flacius,

G.

H.

Hutitae,

I.

K.

L.

M.

N.

Neuferus

P.

Ipſe

S.

Symbo-

T.

V.


W.

Z.

Corrigenda.

Pag. 3 lin. 4 leg. coetibusque. p. 4 l. 2 l. Laelio. p. 5 l. 11 l. deitatis. p. 5. l. 28 l. Socinorum. p. 6 l. 6 l. hanc ob. p. 6 l. 14 l. a magistris. p. 6 l. 27 l. vero. p. 7 l. 11 deleatur et. p. 7. l. 21 l. modis. p. 7 l. 32 deleatur. p. 8 l. 7 l. Eodem. p. 8 l. 30 l. jure quodam. p. 9 l. 13 l. dictos, quod nullos. p. 9 l. 19 appellati. p. 9 l. 34 l. Anabaptistas. p. 10 l. 1 l. Joannis. p. 10 l. 6 l. titulus, vtriusque Socini. p. 10 l. 19 l. opinione. p. 10 l. 23 l. Spiritus S. p. 11 l. 8 l. deleatur que. p. 11 l. 24 l. Anabaptistas. p. 11 l. 30 l. essentiae. p. 12 l. 1 deleatur comma. p. 12. l. 11 post A del. punctum. p. 13 l. 15 l. omnibus. p. 14 l. 2 consequentiis. p. 14 l. 10 l. consessu. p. 15 l. 2 deleatur esse. p. 15 l. 10 l. quorum cum. p. 15 l. 14 l. a se inuicem. p. 16 l. 10 l. Christum natum. p. 17 l. 12 l. B. A. p. 17 l. 19 l. allegante. p. 17 l. 20 l. fideles. p. 17 l. 26 l. verbo. p. 18 l. 3 l. diuinitates. p. 18 l. 15 l. vnitate. p. 18 l. 30. l. Beryllo. p. 19 l. 21 l. Theodorus p. 19 l. 27 l. a. c. p. 19 l. 29 l. a. c. p. 20 l. 16 l. famosa. p. 22 l. 10 l. Croziano. p. 23 l. 3 l. obstitisse. p. 23 l. 9 l. Goslavius. p. 23 l. 30 l. Polycarpi. p. 23 l. 33 l. vtroque. p. 24 l. 31 l. Nicaenae. p. 26 l. 21 l. v. g. p. 27 l. 5. l. possit. p. 30 l. 25 post Judaeis, comma pon. p. 32 l. 12 l. de his. p. 33 l. 14 l. huncque non. p. 36 l. 21 l. ecclesiasticam. p. 36 l. 33 l. conuenit. p. 39 l. 11 l. Cerinthus. p. 39 l. 32 l. Wolzogen. p. 41 l. 24 l. vel paulo. p. 43 l. 35 l. adparatu. p. 46 l. 16 l. auctoritati. p. 50 l. 31 l. Coriarium. p. 52 l. 29 l. praedicasse. p. 57 l. 10 l. religioni. p. 63 l. 33 l. Mariae. p. 67 l. 6 l. longaeua. p. 71 l. 9 l. transmissas. p. 72 l. 1. l. oecumenicum. p. 72 l. 2 l. Nicaeae, a. c. p. 72 l. 15. l. ab episc. p. 73 l. 13 l. principis. p. 74 l. 32 l. assecla. p. 75 l. 12 l. extiterit. p. 75 l. 19 l. celebratur. p. 76 l. 3 l. Vid. p. 77 l. 9 l. invi- p. 77 l. 20 l. Patri. p. 77 l. 33 l. jurgia. p. 78 l. 15 l. Cappadox. p. 83 l. 34 l. omnibus. p. 86 l. 17 l. πϱοφ. p. 87 l. 28 l. adsumserint. p. 88 l. 18 l. tantum. p. 91 l. 11 l. haereseos. p. 92 l. 7 l. Fidellio. p. 94 l. 8 del. que. p. 97 l. 16 l. Christos. p. 97 l. 29 l. seu. p. 103 l. 28 l. praecipue. p. 103 l. 29 l. qua gente. p. 106 l. 11 l. errorem. p. 106 lin. ult l. T. IV. p. 107 l. 8 l. anglicarum. p. 107 l. 23 l. alia aliam. p. 107 l. 30 l. Epiphanio. p. 110 l. 2 l. Prolaeus. p. 110 l. 13 l. Stackhusii. p. 111 l. 14 l. Jon. Schlicht. p. 112 l. 28 l. utriusque. p. 113 l. 6 l. receptam. p. 113 l. 17 l. Joannes. p. 115 l. 18 l. a quibusdam. p. 117 l. 5 l. Rhythmus. p. 117 l. 26 l. esse essentiam. p. 121 l. 13 l. tulisse. p. 123 l. 23 l. esse idem. p. 130 l. 10 l. Blandratae. p. 130 l. 14 l. nominantur. p. 131 l. 7 l. placitis. p. 133 l. 8. l. quod. p. 134 l. 5 del. et. p. 137 l. 7 l. Benthemius. p. 139 l. 18. l. humani. p. 140 l. 12 l. Socinianismo. p. 144 l. 15 l. Harderovici. p. 149 l. 22 l. obscure. p. 150 l. 20 l. Herrnhuthano. p. 152 l. 19 l. jam. p. 152 l. 36 l. n. t. p. 154 l. 4 l. evangelicis. p. 157 l. 1. l. Possevini. p. 159 l. 21 l. propterea. p. 161 l. 5 l. c. IV. p. 162 l. 17 l. Jurius. p. 163 l. 8 l. Jon. p. 168 l. 23 l. ea. p. 169 l. 18 l. discipulos. p. 174 l. 35 l. directus. p. 196 l. 29 l. repraesentata. p. 199 l. 23 l. canonicum. p. 208 l. 7 l. deitate. p. 210 l. 13 l. reversuri. p. 213 l. 16 l. hoc. p. 213 l. 35 innouationibus. p. 215 l. 31 l. quaecunque. p. 215 l. 36 l. consensisse. p. 216 l. 1 l. Lutheranis. p. 219 l. 32 l. Vid. p. 222 l. 30 l. dictus. p. 223 l. 7 l. irreconciliabile. p. 230 l. 9 l. Sandius. p. 232 l. 20 l. Vermeynen. p. 235 l. 24 l. sanguis. p. 238 l. 18. l. scholam. p. 238 l. 23 l. narrant. p. 238 l. 35 l. ecce. p. 239 l. 3 l. aliquot. p. 239 l. 7 l. dilexisse. p. 239 l. 35 l. tandem. p. 242 l. 22 l. catal.

l. catal. p. 248 l. 20 l. fuppofito. p. 249 l. 8 l. Luculentiffima. p. 254 l. 12 l. Dimiffus. p. 255 l. 36 l. titulus. p. 260 l. 33 l. apoftafiam. p. 263 l. 20 l. depingis. p. 269 l. 33 l. te donauit. p. 271 l. 31 l. teftamento. p. 272 l. 14 l. Behem. p. 272 l. 26 l. adfpexiffe. p. 275 l. 15 l. ipfius. p 277 l. 6 l. evangelicos. p. 280 l. 31 l. fuas. p. 290 l. 24 l. Melanthonis. p. 295 l. 2 l. K. M. p. 302 l. 5 l. inculcauit. p. 303 l. 12 l. Melanthonis. p. 306 l. 19 l. cogitationes. p. 307 l. 13 l. Trinitate. p. 307 l. 14 l. myfterium. p. 310 l. 6 l. a Lampio. p. 312 l. 10 l. amplitudine. p 315 l. 16 l. not. G. p. 315 l. 17 l. Theodori. p. 317 l. 14 l. ecclefiae. p. 318 l. 15 l. edidit. p. 334 l. 14 l. imaginarie. p. 336 l. 18 l. Non fignificare. p. 338 l. 2 l. vllum. p. 340 l. 18 l. Petiit. p. 341 l. 2 l. aliquot. p 341 l. 6 l. quidem. p. 341 l. 34 l. fimillimum. p. 342 l. 10 l. dialogos. p. 345 l. 20 l. Mathefi. p. 346 l. 4 l. 1535. p. 350 l. 9 l. Ad ea. p. 354 l. 14 l. manducationis. p. 362 l. 5 l. Ptolomaei. p. 363 l. 1 l. exprobratum. p. 370 l. 6 l. vincendos. p. 370 l. 28 l. Tandem. p. 371 l. 35 l. At. p. 372 l. 30 l. difquifitionis. p. 380 l. 22 l. Judico. p 384 l. 10 l. Seruetianae. p. 388 l. 27 l. 1575. p. 388 l. 31 l. Argentor. p. 398 l. 36 l. frena. p. 405 l. 25 l. adhibitum. p. 415 l. 24 l. Valle. p. 419 l. 6 l. Coetui. p. 420 l. 1 l. fpecie. p. 427 l. 7 l. ifti. p. 431 l. 9 l. ab illo. p. 431 l. 20 l. doceri. p. 432 l. 12 l. ac. p. 434 l. 2 l. excludendum. p. 444 l. 7 l. ordinario. p. 459 l. 6 l. Paulo. p. 459 l. 9 l. fymiftis. p. 460 l. 154 l. peruertat p. 461 l. 3 l. deleatur punctum. p. 464 l. 3 l. eiusdem. p. 468 l. 22 l. innumeri. p. 475 l. 13 l. Wengerfcio. p. 476 l. 18 l. accerfiuerint. p. 476 l. 27 l Wujeckum. p. 481 l. 4 l. Saligius. p. 484 l. 15 l. afferere. p. 487 l. 29 l. mirum. p. 494 l. 23 l facra fua. p. 509 l. 24 l. publice. p. 514 l. 15 l. hoc. p. 515 l. 27 l fciri. p. 521 l. 27 l. lateat. p. 527 l. 14 l. Henrici. p. 527 l. 33 l. qui. p. 527 l. 34 l. Confcientiam noftram. p. 529 l. 15 l. Lismanine. p. 543 l. 14 l. effentiae. p. 551 l. 5 l. pretium. p. 553 l. 16 l. vsque. p. 553 l. 20 l. hunc. p. 554 l. 14 l. anni. p. 555 l. 2 l. citatum. p. 555 l. 13 l. Laelius. p. 557 l. 19 l. focietates eiusmodi. p. 558 l. 19 l. coetu. p. 568 l. 12 l. ftudio. p. 579 l. 30 l. ftatuta. p. 580 l. 17 l. dogmata. p. 586 l. 15 l. iterum. p. 595 l. 26 l. Puchelebio. p. 601 l. 17 l. vnigenitum. p. 602 l. 16 l. fatisfaciant. p. 607 l. 30 l exponet. p. 611 l. 2 l. diffidium. p. 615 l. 14 l. Ad Serueti. p. 615 l. 17 l. ob. p. 623 l. 8 l. Polonos. p. 636 l. 18 l. judices. p. 636 l 19 l. iftum librum p. 642 l. 10 l. Raetiae. p. 642 l. 12 l. eandem. p. 642 l. 35 l. impedimentorum. p. 653 l. 11 l. Paruta. p. 653 l 13 l. Albanae. p. 658 l. 21 l. nifi. p. 666 l. 32 l. animaduerfos. p 666 l. 34 l. demandatum. p. 668 l. 16 l. eum. p. 671 l. 31 l. cauffa. p. 674 l. 26 l. admonenti. p. 677 l. 6 l. diuinum. p. 685 l. 8 l. Vitrelinum. p. 690 l. 26 l. quemadmodum. p. 691 l. 8 l. qui. p. 692 l. 16 l. genibus. p. 695 l. 26 l. mittuntur. p. 699 l. 26 l. quam. p. 725 l. 15 l. inuoluit. p. 727 l. 21 l. noftrum. p. 728 l. 30 l. explicatio. p. 732 l. 27 l. quaeritur. p. 740 l. 6 l. peruertere. p. 750 l. 1 l. (ante) l. poft. p. 756 l. 14 l. Ad Sophiam. p. 769 l. 9 l. victimas. p. 793 l. 3 l. ac. p. 827 l. 31 l. difcedendum.


TUFTS UNIVERSITY LIBRARIES
3 9090 001 281 340

